




32101 068310695

9551
924
.11

~~ANNALS~~

Library of



Princeton University.

^{Ussher}
JACOBI USSERII ARMAGHANI

ANNALES.

IN QUIBUS,

PRÆTER MACCABAICAM

ET


NOVI TESTAMENTI HISTORIAM,

Imperii Romanorum Cæsarum sub C. Julio & Octaviano
ortus, rerumque in Asiâ & Ægypto gestarum continetur

CHRONICON:

A B


Antiochi Epiphanis regni exordio, usque ad Imperii
Vespasiani initia atque extremum Templi & Reipublicæ
Judaicæ excidium, deductum.



LONDINI,

Typis J. Fleisher, impensis Johannis Crook: apud quem prostant sub
insigni Navis in Cœmeterio Paulino. M DC LIV.

[The text in this section is extremely faint and illegible due to the quality of the scan. It appears to be a multi-paragraph document.]



LECTORI.



Abes hîc, Lector, Annalium nostrorum partem alteram: quam in Rhodi & Insularum inter Asiam & Europam positarum historiâ auctiorem priore invenies. Licet enim eas prius, laboris minuendi gratiâ, ad Græciam referre statuerim: considerato tamen in Orientalis Imperii divisione Asiæ diœcesi Insularum provinciam fuisse attributam, in Asiâ quoque & ipse collocandas eas esse postea judicavi. Quæ de ostentis, præsagiis & oraculis profero, ex authorum, è quibus ea sunt producta fide refero: quid de iis sentiendum sit, doctissimorum virorum, quorum de hoc argumento scripta accurata extant, iudicio relinquens. In Cornelio Tacito citando, Berneggeri & Freinsheimii editionem, capitibus distinctam, sum secutus. Eorum quæ in Evangelicæ & Apostolicæ Historiæ dispositione ampliorem confirmationem requirere videbuntur, in Chronologiâ Sacrà, (si vitam Deus & vires ad eam perficiendam dederit) rationem sum redditurus. Interim errata, quæ vel meâ vel operarum incuriâ sunt admissa, ut emendes rogo.

29551
924
11

In priore Annalium parte emendanda.

PRefat. ad lector. Pag. 4. lin. 13. *lege*, obnoxia: pag. 18. lin. 20. *lege*, annis 48. pag. 26. lin. 12. & 14. *lege*, 22000. p. 27. l. 35. die 23. p. 38. l. 41. *pro* Dehiri, *lege*, Eglonis, p. 147. lin. 21. I Chron. *ibid.* lin. 24. *lege*, 3327. p. 202. l. 18. *pro* XVII. *lege*, VII. p. 378. l. 3. tuguriis pag. 491. lin. ult. *pro* 40. *lege*, 38.

In posteriore.

Pag. 1. lin. 21. *lege*, *Illustrem*. pag. 3. l. 4. *pollicitum*. p. 9. l. 34. jus Antiochum p. 13. l. 30. nisi quid p. 16. l. 9. vera p. 18. l. 15. Eumencm p. 24. l. 38. militib. Galli sapientia propè p. 39. l. 32. junctor. elephantum curus p. 100. l. 35. misisse legimus. p. 105. l. 33. *ei un dia* p. 119. l. 21. missis, p. 123. l. 45. CLXVI, p. 124. l. 32. qui majori matrem p. 125. l. 41. Herodes è p. 138. l. 32. gemitu p. 146. l. 16. formosam p. 157. l. 43. eo postea p. 164. l. 1. tetradrachma p. 168. l. 18. *cap. 3.* p. 197. l. 30. deploratis, p. 209. l. 27. circumcurfando *ibid.* l. 31. exitum p. 216. l. *pennit.* circumvepirentur, p. 230. l. 31. hanc Maniliã p. 232. l. 19. omnes, p. 246. l. 37. secessisse p. 249. l. 13. accepit; p. 254. l. 32. Galatia p. 261. l. 16. *ventuum* p. 263. l. 27. Orientis p. 289. l. 41. accolebant p. 301. l. *pennit.* armat p. 305. l. 20. anni p. 311. l. 29. Ofaces p. 315. l. 16. magna in Cil. p. 320. l. 44. *Taygeri*: p. 364. l. 38. premebatur, ipsum fuisse liberatum, in lit. p. 384. l. 14. *placene* p. 402. l. 43. superne precipitabant sese p. 454. l. 9. sefsisque p. 456. l. 18. 4680 p. 473. l. 23. ipsi p. 475. l. 43. per isthmum p. 480. l. 6. Alexandrã p. 502. l. 31. *amonalasios* p. 516. l. 23. Aristobulo Salomes p. 535. l. 14. regnum l. 30. Edovardus p. 544. l. 32. Armenius p. 548. l. 16. *cap. 4.*] *ibid.* l. 35. exigeret majorem ab p. 550. l. ult. *cap. 6. xiv. 12.* p. 552. l. 4. ordinis: p. 564. l. 7. reperundarum p. 581. l. 34. dele *autem* p. 616. l. 43. profelytus. p. 621. l. 1. num. ascribendo ad p. 622. l. 11. arcebantur, p. 624. l. 15. albentibus p. 631. l. 23. ante. p. 637. l. 15. erant p. 645. l. 14. nosi-orum p. 651. l. 16. Fado l. 17. Alabarche p. 663. l. 28. donationibus p. 683. l. 11. Ananias, urgente p. 685. l. 35. cantoribus p. 689. l. 27. confluentibus p. 694. l. 32. *apponendus est annus Mundi 4072.*



R E R U M
A S I A T I C A R U M
E T
Æ G Y P T I A C A R U M

*Chronicon ; à Macabæaïcorum temporum
initii ad Judaicæ Republicæ excidium sub
Vespasiano productum.*

3829



U U M Antiochus, Antiochi Magni filius, Româ (ubi obses fuerat) in patriam rediens, Athenas pervenisset, frater ejus Seleucus insidiis Heliodori sublati est. Heliodorum verò, Syriæ regnum affectantem, Eumenes & Attalus expulerunt, deducto in possessionem ejus Antiocho, ut hoc beneficio amicum eum sibi redderent : jam enim ob quasdam offensusculas etiam hi Romanos suspectos habebant. [*Appian. in Syriacis pag. 116, 117.*]

4539

Demetrius Seleuci filius, cui jure regnum debebatur, decimum tunc ingressus ætatis annum, Romæ obses eo tempore remansit. Apollonius verò, qui cum ipso educatus fuerat, mortuo Seleuco, (apud quem plurimum gratiâ valuerat) Miletum ex aulâ migravit. [*Polyb. legat. 114.*] Novum autem regem Antiochum Syri *Epiphânem* sive *Illurstem* cognominârunt ; quòd alienis regnum usurpantibus, ipse avitæ ditionis assertor exortus suis illuxerit. [*Appian Syriac. pag. 117.*] Quem tamen à fanaticis moribus, *Epimancem* sive *Insanum*, rectius appellandum censuit Polybius. [*apud Athenæum, lib. 2. cap. 2. lib. 5. cap. 4. & lib. 10. cap. 12.*]

Syriæ enim regnum adeptus, novam quandem & cæteris insolitam Regibus vitæ rationem statim iniit. Primùm clam è regiâ digressus insciis ministris, per urbem temerè vagabatur uno aut altero comite adscito. Præterea honori ducebat cum plebeiis atque infimæ sortis peregrinis & advenis versari ac computare. Quòd si quos fortè juvenes convivium celebrare senserat, statim cum poculo & symphoniâ ad comessationem accedebat : adeo ut rei novitate perculsi plerique partim se in fugam darent, partim metu conticescerent. Postremò demptâ veste regiâ, amictus togâ, perinde ac Romæ à candidatis fieri viderat, salutabat ac prehensabat obvium quemq; ex plebe; atque interdum

B

interdum

interdum Tribunatum plebis petebat. Magistratum demùm populi suffragiis adeptus, Romano more positâ eburneâ sella jus dicebat, cognoscebatque de forensibus causis & controversiis civium, eo studio eâque diligentia, ut prudentissimus quisque ambigeret quidnam sibi vellet. Quidam simplicitatem, quidam imprudentiam, nonnulli insaniam id interpretabantur. [*Diodor. Sicul. in Excerptis Valeſii pag. 305, 306.*] Habet ista & Athenæus (in suprâ citato lib. 5. cap. 4. & lib. 10. cap. 12.) ex Polybii Historiarum libro 26. quæ & Livius in librum suum 41 transtulit; ut in fragmento illo videre licet, quod de *Perſeo* perperam interpretatus est Carolus Sigonius.

Anno regni Græcorum (sive Macedonum, à Seleuco) 137. regnare Antiochum cœpisse, & 149. vitâ excessisse, primi libri Maccabaici scriptor nos edocet. (cap. I. 10. & VI. 16.) Unde & annos illi XII in Chronico suo tribuit Johannes Malela Antiochenus. qui à Porphyrio, Eusebio, Hieronymo, Severo Sulpicio & aliis XI tantùm nominantur. Ad quorum conciliationem dicendum, anno 137. desinente cœpisse, & 149. incunte (à vernâ tempestate, ut huic authori numerare mos est) desiſſe regnare Antiochum; ultra 11 annos aliquot præterea mensibus exactis.

Huic primùm ab his qui in Syriâ Ptolemæo Philometori favebant non datum fuisse honorem regium, sed postea simulatione clementiæ illum obtinuisse; in commentariis ad XI caput Danielis affirmat Hieronymus. Initâ verò cum Eumene societate, Syriæ & finitimis gentibus potenter imperavit: Babylonis satrapiâ Timarcho, ærarii verò curâ Heraclidæ fratri commissâ; fratribus ambobus, turpi sibi consuetudine conjunctis. [*Appian. Syriac. pag. 117.*]

Hyrcanus Josephi filius, Tobizæ nepos, videns præpotentem Antiochum, & veritus ne in potestatem ejus redactus poenas daret eorum quæ contra Arabas ausus fuerat, ipse sibi manus intulit: possessionem verò ejus universam occupavit Antiochus. [*Joseph. lib. 12. cap. 5.*]

Jason, Simonis II Pontificis filius, diuturni pontificatus fratris sui Oniæ III pertæsus, ut eum ipse adipisceretur, 360 argenti talenta, & reditus cujusdam alterius 80, Antiocho est pollicitus: additis præterea & 150 aliis, si concederetur ipsi potestas gymnasium & ephæbium Hierosolymis constituendi, atque Hierosolymitanos in civium Antiochenorum numerum referendi. Quibus conditionibus ab avaro rege libenter acceptis, Jason amoto fratre Oniâ Pontificatum invasit: principatùmque obtinens, ad Græcum statim ritum populares suos cœpit traducere, humana regum indulta per Johannem Eupolemî (qui postea legatione ad Romanos functus est) patrem Judæis obtenta dejecit, & legitimas administrationes dissolvens nova legi repugnancia induxit instituta. [*II Maccab. IV. 7, -- 11.*] Oniæ III per hoc tempus vitâ functo fratrem *Jesum*, qui *Jasonem* se vocari maluit, substitutum, & amoto demum (post triennium) à sacerdotio Jasonem, novi Pontificis Menelai & Tobizæ filiorum (sive nepotum Hyrcani fratrum) operâ Græcos ritus introductos fuisse, in lib. 12. Antiquit. cap. 6. Josephus affirmat. Sed in libello de Maccabæis longè aliter, & ad mentem

tem Maccabaici scriptoris (si immanem illam pensionis annuæ sum-
mam exceperis) satis accommodatè, hunc in modum idem rem re-
tulit. Antiochus abrogato Onia summo sacerdotio, Jasonem fratrem ejus
suffecit, 3660. talenta singulis annis illi dare pollicito. Qui factus summus
sacerdos & populi dux, gentem ab antiquis moribus & institutis alienatam
ad omnem iniquitatem seduxit: ita ut non in arce solum patriæ nostræ gym-
nasium institueret, sed & templi curam aboleret.

3830

Anno Philometoris 7, Nabonafari 574, Phamenoth secundum Æ-
gyptios die 27 (Maii Juliani die 1 incunte) horis 2 post mediam no-
ctem, Eclipsis Lunæ Alexandria observata est. [Ptolem. lib. 6. cap. 5.]

Inter Cretenses mutuo furore semetipsos lacerantes, sex mensium
induciæ fuerunt: deinde multo gravius bellum exarsit. Verùm ad-
ventu Q. Minutii legati, qui cum decem navibus ad sedanda eorum
certamina à Romanis missus erat, in spem pacis venerunt. [Liv.
lib. 41.]

Lycii quoque per idem tempus, incitante Eumene, à Rhodiis defi-
cientes, bello ab eis vexabantur. Castella quædam, & ager in extremis
finibus situs oppositæ continentis Rhodiorum, à præfidiariis Eumenis
infestabantur. [Polyb. legat. 61. & 67. Liv. lib. 41. & 42.]

Judæi nonnulli apostatæ, cum Oniâ pseudo-pontifice consentientes,
impetratâ à rege Antiocho potestate vivendi secundum statuta Gen-
tium, sub ipsam arcem Sionis gymnasium extruxerunt, epheborum
pulcherrimos sub petaso legibus Ephebei subjecerunt, atque arte redu-
xerunt sibi præputia; ut nudi quoque non essent Græcis dissimiles.
Sicque invalescebat Hellenismus, & progressus morum alienigena-
rum; ut non ampliùs alacres Sacerdotes essent ad ministeria altaris;
sed templum ipsum contemnentes, & sacrificia negligentes, festina-
rent participes esse iniquæ exhibitionis quæ in palæstrâ post disci cer-
tamen fiebat. [I Maccab. I. 11, -- 15. & II Maccab. IV. 12, -- 15. cum Jo-
sepho, lib. 12. cap. 6.]

Cùm quinquennalis agon Tyri celebraretur, cui rex Antiochus ad-
erat; impius Jason spectatores eò misit Hierosolymitanos jure civita-
tis Antiochenæ donatos, *τριαγοσίας* vel (ut rectius multo in Bibliothe-
cæ Arundellianæ Ms. codice legitur) *τριχιλίας τριαγοσίας* 3300 ar-
genti drachmas ad sacrificium Herculis afferentes: quas illi tamen ad
navium trierium fabricam erogandas procurârunt. [II Maccab. IV. 18,
19, 20.]

3831

Ab Antiocho rege missi legati Romam venerunt: quorum prin-
ceps Apollonius (quem Romanorum legati qui in Syriâ fuerant in
maximo honore apud Regem, amicissimùmque populo Romano fuisse
renunciârunt) in Senatum introductus, præter stipendium à rege de-
bitum (quod seriùs fuisse præstitum, multis justisque causis excusabat)
vasa præterea aurea quingentùm pondo donum attulit. Addidit, petere
Regem, ut qua cum patre suo societas atque amicitia fuisset, ea secum renova-
retur: imperaretque sibi populus Romanus, qua bono fidelique socio regi
essent imperanda; se nullo usquam cessaturum officio. Ea merita in se Sena-
tus fuisse, quùm Roma esset, eam comitatem juvenstitis; ut pro rege, non
pro obside, omnibus ordinibus fueris. Legatis benignè responsum: &

4541 173

focietatem renovare cum Antiocho, quæ cum patre ejus fuerat, A. Attilius prætor urbanus jussus. Quæstores urbani stipendium, vasa aurea Censores acceperunt: eisque negotium datum est, ut ponerent ea in quibus templis videretur. Legato centum millium æris munus missum, & ædes liberæ hospitio datæ, sumptusque decretus, donec in Italiâ esset. [*Liv. lib. 42.*]

Antiocho filius natus est Antiochus Eupator; quem ille novennem moriens reliquit. [*Appian. Syriac. pag. 117. & 131.*]

Mortuâ Ptolemæi Philometoris dilectâ matre Cleopatrá, Antiochi Magni filiâ & Antiochi Epiphani sorore, cui pater Cœlesyriam (vel magnam saltem ejus partem) dotis nomine tradiderat; Eulaius eunuchus nutricius Philometoris & Lenæus Ægyptum regentes, Cœlesyriam ab Antiocho Epiphane, ut fraude occuparam, reperebant: quod bello inter avunculum & puerum originem præbuit; ut ex Callinici Sutorii Alexandrinis historiis refert Porphyrius. [*apud Hieronym. in cap. 11. Danielis.*] Pro Philometoris verò jure in repetendâ Cœlesyriâ allatum est: Antiochum Magnum patrem Epiphani Ptolemæo Epiphani patri Philometoris in pupillari ætate constituto contra jus & fas Cœlesyriam primùm eripuisse; càmque postea eidem cum filiâ suâ Cleopatrá dotis nomine restituisse. Antiocho Epiphane contrâ asserente, à tempore quo pater illius patrem Philometoris ad Parium devicit, Syriæ Regibus Cœlesyriam semper paruisse; càmque Cleopatrá Philometoris matri pro dote à patre concessam fuisse pernegante. [*Polyb. legat. 72. & 82.*]

Sedere tum primùm in throno cœpit Philometor, & *ἡ δὲ μεγαλοκλισία* illius acta est celebritas. [*II Maccab. IV. 21.*] Tùmque Ptolemæi (Dorymenis filii, cognomento qui Macron dictus est) prudentia enituit. Qui cùm Cypri insulæ præfecturam Rege admodum puero accepisset, neque regiæ pecuniæ dispensatoribus quicquam redderet; posteaquam adolescentiam jam Rex attigit, collectam satis magnam pecuniæ vim Alexandriam misit: Rege & cæteris omnibus aulicis priorem illius parsimoniam vehementer hinc probantibus. [*Polyb. lib. 27. in Excerptis Valesii, pag. 126.*]

Antiochus, missò in Ægyptum Apollonio Menesthei filio ad Philometoris regis *μεγακλισία* celebranda, percipiens eum à rebus suis alienum esse factum, curavit ut contra ipsum confirmaretur. Unde Joppen veniens, profectus est Hierosolyma: ubi magnificè à Jafone & civitate acceptus, cum facibus & acclamationibus, introductus est. Inde verò in Phœniciam cum exercitu abiit. [*II Maccab. IV. 21, 22.*]

382

Jafon. post triennium quàm Pontificatum ab Antiocho nundinatus fuerat, Menelaum Simonis Benjaminitæ proditoris fratrem misit; ut promissam Regi afferret pecuniam, & de negotiis eum necessariis commonefaceret. Ille verò legationis opportunitate in rem suam usus, iisdem artibus quibus Jafon fratrem suum Oniam, & ipse Jafonem circumvenit: argentique 300 talenta, supra ea omnia quæ à Jafone præstanda erant, Regi pollicitus, ad seipsum summum transtulit Sacerdotium. [*II Maccab. IV. 23, 24, 25. Sever. Sulpic. Histor. sac. lib. 2.*] Hunc Menelaum prius Oniam fuisse dictum, atque Oniæ III ipsiusque Jafonis fra-

4542 172

fra-

fratrem, & Simonis II Pontificis filium natu minimum extitisse; Josephus asserit. [*Antiquit. lib. 12. cap. 6. cum lib. 15. cap. 3.*]

Menelaus regio mandato principatum adeptus, Jasonem in regionem Ammonitidem expulit: sed promissarum Regi pecuniarum nihil curavit. [*II Maccab. IV. 25, 26, 27.*]

C. Popilio Lænote & P. Ælio Ligure Consulibus Attalum regis Eumenis fratrem legatum venisse Romam, Valerius Antias scribit; ad deferenda de Perseo Macedonum rege crimina, indicandosque apparatus belli. Plurimum annales, & quibus credidisse malis, ipsum Eumenum venisse tradunt. Eumenes igitur ut Romam venit, cum summo honore exceptus & in Senatum introductus; causam veniendi Romam fuisse dixit, præter cupiditatem videndi Deos hominesque quorum beneficio in eâ fortunâ esset supra quam ne optare quidem auderet, etiam ut coram moneret Senatum, ut Persei conatus obviam irer. [*Liv. lib. 42. Appian. legat. 25. à Fulv. Ursino edit.*] Tantâque omnium hîc fuit taciturnitas, ut ante bellum perfectum & Perseum captum sciri non potuerit, quid aut ille locutus esset, aut Patres respondissent. [*Liv. ibid. Valer. Maxim. lib. 2. cap. 2.*]

Post aliquot deinde dies Rhodiorum legationis princeps Satyrus, coram Senatu intemperantiùs in Eumenum invectus, quòd Lyciorum gentem adversus Rhodios concitâisset, graviôrque Asiæ esset quàm Antiochus fuisset; popularem quidem ac gratam populis Asiæ (nam eò quoque jam favor Persei venerat) orationem habuit: quæ Eumeni tamen majorem gratiam apud Romanos conciliavit: ita omnes ei honores habiti, donâque quàm amplissima data, cum sellâ curuli atque eburneo scipione. [*Liv. ut supr. Diodor. Sicul. legat. 16. à Fulv. Ursino edit.*]

Eumene Româ in regnum redeunte, & ut sacrificaret Apollini à Cirrâ ad templum Delphicum ascendente, insidiatores à Perseo submissi saxa duo ingentia devolverunt: quorum altero caput ictum est Regi, altero humerus sopitus; ex semitâ proclivi in declive multis super prolapsus jam saxis congestis. Amici postero die compotem jam sui ad navem deferunt: inde Corinthum, à Corintho per Isthmi jugum navibus traductis Æginam trajiciunt. Ubi aded secreta ejus curatio fuit, admittentibus neminem, ut de morte ejus fama & in Asiam & Romam perlata fuerit. [*Liv. lib. 42. Appian. legat. 25.*]

Attalus, celerius quàm dignum concordiam fraternam erat obuisse Eumenum credens, non solum arci Pergamenæ præfecto tanquam jam haud dubius regni hæres est locutus, sed etiam sumpto diademate fratris uxorem Stratonicen (Ariarathis Cappadocum regis filiam) sibi despondens, paulo calidiùs in amplexus ejus ruit. Verum haud multo post fratrem vivere & Pergamum venire audiens, posito diademate, cum stipatoribus pro more obviam ivit, hastile gerens. Quem Eumenes & amice amplexus est, & reginam honorificè ac splendidè salutavit: fratri nihilominus in aurem insufurrans,

Μὴ πρὸς τὴν γυναικὴν τὴν ἀδελφικῆν ἴδης.
Uxorem haud duc, nisi defunctum videris.

Neque aliud per omnem vitam quod offensæ speciem haberet aut fecit aut dixit : sed eâdem quâ antè benevolentiam cum persecutus est. [*Liv. lib. 42. Diodor. Sicul. in Excerpt. Valefi pag. 306. Plutarch. in Apophthegmat. & lib. 6. de gradibus & aetate.*]

Eumenes, præter pristinum odium recentiam scelere Persei stimulante, summâ vi parabat bellum. Legati ad eum ab Româ, gratulantes quod è tanto periculo evassisset, venerunt. [*Liv. lib. 42.*]

Postquam Ariarathes rex Cappadocum ex uxore Antiochide Antiochi Magni filiâ duas filias & unum filium (Mithridatem primum, deinde Ariarathem dictum) suscepisset : ex duobus filiis quos uxor (sterilem se futuram rata) prius sibi supposuerat, Ariarathem seniore cum mediocribus facultatibus Romam, juniorem Olophernem sive Orophernem dictum in Ioniam misit, ne de regno cum germano filio contenderent. [*Diodor. Sic. lib. 31. in Photii Bibliothec. cod. 244.*] Hoc igitur anno ille Ariarathem filium suum educandum Romam misit, ut jam inde à puero assuesceret moribus Romanis hominibusque : petens, ut eum non sub hospitum modo privatorum custodia, sed publicæ etiam curæ ac velut tutelæ vellent esse. Ea Regis legatio grata Senatui fuit : decreveruntque, ut Cn. Sicinius prætor ædes instructas locaret, ubi filius Regis comitésque ejus habitare possent. [*Liv. lib. 42.*]

Romani legatos ad Reges socios miserunt, Eumenem, Antiochum, Ariarathem, Masanissam, & regem Ægypti Ptolemæum ; alios verò in Græciam, Thessaliam, Epirum, Acarnaniam, & Insulas : ut in bello contra Perseum ipsos se jungerent. [*Appian. legat. 25.*] Ad Asiam & Insulas explorandas T. Claudius Nero & M. Decimius sunt missi, atque adire Cretam & Rhodum jussi ; simul renovare amicitiam, simul speculari, num sollicitati animi sociorum ab rege Perseo essent. [*Liv. lib. 42.*]

3833

Ex Asiâ qui circa socios reges missi erant legati redeuntes renuntiârunt, Eumenem in Asiâ, Antiochum in Syriâ, Ptolemæum in Alexandriâ sese convenisse, Omnes sollicitatos legationibus Persei, sed egregiè in fide permanere ; pollicitosque omnia quæ populus Romanus imperasset præstaturus. Civitates quoque socias adisse : cæteras satis fidas, solos Rhodios fluctuantes & imbutos Persei consiliis invenisse. Venerant legati Rhodii ad purganda ea quæ vulgò jactari de civitate sciebant : cæterum senatum iis dari, cum novi Consules magistratum inissent, placuit. [*Liv. ibid.*]

P. Licinio, C. Cassio Consulibus, omnes reges civitatésque quæ in Europâ quæque in Asiâ erant converterunt animos in curam Macedonici, ac Romani belli. Eumenem eum vetus odium stimulabat, tum recens ira, quod Persei scelere propè ut victima mactatus Delphis esset. Prusias Bithyniæ rex statuerat abstinere armis, eventumque expectare : nam neque pro Romanis se æquum censere adversus fratrem uxoris arma ferre : & apud Persea victorem veniam per sororem impetrabilem fore. Ariarathes Cappadocum rex, præterquam quod Romanis suo nomine auxilia pollicitus erat, ex quo est junctus Eumeni affinitate ; in omnia belli pacisque se consociaverat consilia.

Anti-

4543 171

Antiochus imminebat quidem Ægypti regno, & pueritiam regis & inertiam tutorum spernens, & ambigendo de Coeleſyriâ, causam belli se habiturum existimabat, gesturumque sine ullo impedimento, occupatis Romanis in Macedonico bello, id bellum: tamen omnia & per suos legatos Senatui, & ipse legatis eorum eximie pollicitus erat. Ptolemæus propter ætatem alieni etiam tum arbitrii erat: tutores & bellum adversus Antiochum parabant, quo vindicarent Coeleſyriam, & Romanis omnia pollicebantur ad Macedonicum bellum. [*Liv. lib. 42.*] Atque ita in auxilio Romanorum, Ptolemæus rex Ægypti, Ariarathes Cappadociæ, Eumenes Asiæ, & Masaniſſa Numidiæ fuerunt. [*Orq. lib. 4. cap. 20.*]

Tres legati, A. Posthumius Albinus, C. Decius, & A. Licinius Nerva, à Romanis missi sunt ad Cretenses: qui sagittariorum auxilia eis subministrârunt. [*Liv. lib. 42.*]

Tres alii legati, T. Claudius Tiberius, P. Posthumius, & M. Junius, ad Insulas & Asiæ urbes sunt missi. Hi circumeuntes, hortabantur socios ad suscipiendum adversus Perseum pro Romanis bellum: & quo quæque opulentior civitas erat, eo accuratius agebant: quia minores securæ majorum auctoritatem erant. Rhodii maximè ad omnia momenti habebantur, quia non favere tantum, sed adjuvare etiam viribus suis bellum poterant, 40 navibus auctore Hegesilocho comparatis, qui in summo tum magistratu erat, quem Prytanis ipsi vocabant. Hic enim jam antea, simul ac cognitum erat bellum à Romanis cum Perseo gestum iri, multis rationibus cives suos cohortatus ut spes suas cum Romanis jungerent, desideraturos eos eundem navalem apparatus dicebat, quem nuper Antiochi, quem Philippi antè bello vidissent: trepidaturos tum Rhodios repente parandâ classe quam mittenda esset, nisi instruere navalibus sociis cœpissent. Idem magis enixè faciendum esse, ut crimina delata ab Eumene fide rerum refellerent. His illi incitati, 40 navium classem instructam ornatamque legatis Romanis advenientibus, ut non expectatam adhortationem esse appareret, ostenderunt. Et hæc legatio magnum ad conciliandos animos civitatum Asiæ momentum fuit. [*Id. ibid. Polyb. leg. 2. 64.*]

Perseus post colloquium cum Romanis habitum, omnia causæ suæ jura epistolæ unius formâ est complexus, & quæ ab utraq; parte fuerant dicta: ita disposita, ut superior fuisse in disceptatione videri posset. Et circa alias quidem civitates per tabellarios dumtaxat literas illas formatas misit; Rhodum verò etiam legatos ire jussit, Antenorrem & Philippum. Qui ubi eò ventum, literas magistratibus tradunt: deinde post paucos dies in Senatum veniunt, à Rhodiis petunt, ut in præsentia quidem nihil moveant, sed quid geratur velut è speculâ prospiciant; verum si Romani contra fœderis leges Perseum & Macedonas aggrediantur laceſſere, pacem ut conciliare inter ipsos conentur. Id enim fieri, & interesse omnium, & Rhodiis præcipue convenire. Nam quo plus ipsi quàm cæteri æquabilitati juris & libertati studeant, (ut qui non suæ tantum libertatis sint custodes ac vindices, sed & reliquorum etiam Græcorum:) eo diligentius observare, sibi que pro virili cavere ipsos debere ab illis, quorum mens & consilia in contra-

rium

rium tendant. Hæc & similia his plura quum discessissent legati, etsi placebat omnibus eorum oratio; quia tamen præoccupati benevolentiam Romanorum animi erant, & partis melioris autoritas vincebat, cæteris quidem comes se erga legatos exhibebant: cæterum responsi loco Perseum rogabant, nequid hujusmodi à se postuleret, unde possint existimari voluntati Romanorum contrarium aliquid facere. Quod responsum Antenor quidem non accepit: verum reliquam Rhodiorum civilitate & humanitate usus, in Macedoniam est reversus. [*Polyb. legat. 65. Liv. lib. 42.*]

Caius Lucretius Prætor Romanus, dum circa Cephaleniam stabat classis, per literas cum Rhodiis egit, naves sibi mitti petens: eamque epistolam Socrati aliptæ tradidit perferendam. Hæc Rhodum illo tempore est perlata, quo posterioris semestris Stratocles Prytanis erat. Quum eâ de re consultatio haberetur, Agathageto quidem & Rhodophonti & Astymedi ac pluribus aliis placebat, ut sine ulla tergiversatione naves mitterent Rhodii, & ut jam inde à principio belli cum Romanis se jungerent. At Dino & Polyaratus, quibus ne illa quidem probabantur quæ antea Romanorum ad gratiam fuerant decreta, non à Romanis missam eam epistolam fuisse calumniabantur, sed à Rhodiorum inimico rege Eumene; qui id omni studio ageret, ut ad bellum ipsos traheret, ac populo impensas & molestias non necessarias conciliaret. Eam enim ab aliptâ nescio quo allatam Rhodum fuisse: quum Romani ad ejusmodi ministerium vel præcipuæ dignationis viros magno studio deligere soleant. Adversus istos quum Prytanis Stratocles sese comparasset, & multa contra Perseum discessisset, Romanos è contrario multis laudasset; Rhodios pervicit, ut decretum de mittendis navibus sanciretur. Itaque sex triremibus extemplo instructis, Chalcidem quinque miserunt duce Timagorâ; unam Tenedum, cui præfectus est Timagoras alter. Hic inventum in Tenedo Diophanem, qui à Perseo ad Antiochum fuerat missus, ipsum quidem capere non potuit; at navem cum omni instrumento cepit. [*Polyb. legat. 67.*]

Romani, legationibus auditis quæ ex Asiâ venerant, Rhodiorum & reliquarum civitatum statu cognito, legatis Persei senatum præbuerunt. [*Id. legat. 68.*] Tum igitur Solon atque Hippas de universis rebus dicere, & Patrum iram deprecari sunt conati. Præcipuam tamen curam, & minimè tamen probabiliter (manifesta enim res erat) insidiarum Eumeni factarum crimen est defensum. Postquam perorassent, Senatus, qui bellum jam antè decreverat, denunciavit eis, ut & ipsi, & quicumque è gente Macedonum Romam tum fortè advenisset, extemplo moenibus urbis Romæ, Italiâ intra trigessimum diem excederent. [*Id. ibid. Diodor. Sicul. legat. 17. Liv. lib. 42.*]

Quum Eumeni denunciatum esset, ut bellum contra Perseum summis viribus juvaret: (sicut apud Justinum legitur, lib. 33. cap. 1.) ad Chalcidem in Bœotiâ navibus ille accessit, cum Attalo atque Athenæo fratribus; Philetæro fratre relicto Pergami ad tutelam regni. Inde cum Attalo & quatuor millibus peditum, mille equitum, in Thesfaliam ad Licinium Consulem venit. Athenæus Chalcide relictus est cum

cum duobus millibus peditum : quos Marcus Lucretius eò adveniens, cum navali 10 millium exercitu, ad Haliarti obsidionem secuta deduxit. [*Liv. lib. 42.*]

Ad idem ferè tempus & ab aliis sociis naves Chalcidem conveniant : duæ Punicæ quinqueremes, duæ ab Heracleâ ex Ponto triremes, quatuor Chalcedone, totidem Samo, tum quinque Rhodiæ quadriremes. [*Id. ibid.*] Sed eas C. Lucretius Prætor Marci frater tum superveniens, quia nusquam erat maritimum bellum, sociis remisit. [*Id. ibid. cum Polyb. legat. 67. fin.*] Ipse verò Prætor unâ cum fratre Haliartum oppugnans, deditione tandem captam à fundamentis diruit ; & sine certamine Thebas recepit. [*Liv. ut supr.*]

Dum ista geruntur in Bœotiâ, Licinius consul, Eumenes & Artalus in Thessaliâ cum Perseo confixerunt. Primum inter eos prælium incertâ victoriâ est finitum. In eo Eumenis fermè 30 interfecti : inter quos Cassignatus dux Gallorum cecidit. In secundo verò congressu, victoriam Perseus retulit. [*Id. ibid.*] Qui victor tamen, à Licinio pacem petens, impetrare illam non potuit. [*Id. ibid. Polyb. legat. 69. Appian. legat. 26.*]

Victor Perseus Antenorem Rhodum misit, ad redimendos captivos qui cum Diophane navigabant. Quâ in re magnopere hæsitatum est ab iis qui Rempublicam administrabant, quid opus esset facto. Philophroni enim & Theæteto nullo placebat modo, ut Rhodii Persei rebus se immiscerent : Dinoni contrâ & Polyarato id placebat. Ac tandem facta est cum Perseo super captivorum redemptione conventio. [*Polyb. legat. 70.*]

Antiochus manifestò jam videns Alexandrinos ad bellum pro Cœlesyriâ se parare, Meleagrum misit Romam legatum ; qui mandatu suo Senatui nuntiaret & testans fœdera diceret, præter omne jus à Ptolemæo se invadi. [*Id. legat. 71.*]

Quum jam esset inchoatum ab Antiocho & Ptolemæo bellum pro Cœlesyriâ, Romam utriusque Regis legati venerunt : Antiochi quidem, Meleager, Sosiphanes & Heraclides ; Ptolemæi verò, Timotheus & Damon. Venit Meleager, ut Senatui testaretur, priorem Ptolemæum contra omne jus Ptolemæum laceffere, & regionis cujus erat dominus possessione velle privare : Timotheus autem ad renovandam amicitiam, sed præcipuè ad observandos Melegri cum Romanis congressus. Amicitiam igitur ubi renovâisset, & congruentia postulatis suis responsa accepisset, Alexandriam est reversus. Meleagro verò Senatus respondit, Quinto Marcio se permissurum, ut de iis rebus ad Ptolemæum scribat, ita ut esse è re populi Romani fidèque suâ viderit. [*Id. legat. 72. Diodor. Sicul. legat. 18.*]

Antiochus, prælio inter Pelusium & montem Casium cum Ptolemæi ducibus commisso, eos vicit. Parcens verò puero regi, & amicitias simulans, ascendit Memphim : atque ibi ex more Ægypti regnum accipiens, puerique rebus se providere dicens, cum modico populo totam Ægyptum sibi subjugavit. [*Porphyrinus, ex Callinico Sutorio ; apud Hieronym. in Daniel. cap. 11.*] Quo tempore & Ptolemæus Macron Dorymenis filius, cui Cypri præfecturam Philometor

commiserat, ad partes Antiochi transisse & insulam illi tradidisse videtur: ut in II *Maccab.* X. 13. legitur. Unde Cypri curâ Crateti commissâ, (II *Maccab.* IV. 29.) Ptolemæum præfectum Cœlesyriæ & Phœnicis constituit, (*ibid.* VIII. 8.) & in præcipuorum amicorum numerum admisit. [I *Maccab.* III. 38.]

8834

Jubilæus X X V I.

A Licinio Consule, Eumene, Attalo, & Misagine regulo Numidarum fugatus Perseus, cum Pellam venisset, exercitum in hyberna dimisit. Consul Larissam rediens, inde Eumene atque Attalo domum remissis, Misagenem cum Numidis suis & reliquo exercitu per Thessaliam in hybernis collocavit. [*Liv. lib.* 42.]

Quum Antiocho promissam à Menelao pecuniam Sostratus Hierosolymitanæ arcis præfectus, ad quem rerum quæ ex vectigalibus colligebantur exactio pertinebat, frustra posceret & postularet: uterque à Rege Antiochiam est advocatus. Reliquitque vicarium, Menelaus quidem in summi sacerdotii administratione fratrem suum Lyfimachum; Sostratus verò in loco suo Cratetem, qui Cypriis præfuit. [II *Maccab.* IV. 27, 28, 29.]

In Ciliciâ Tarsensibus & Mallotis seditionem moventibus, quòd civitatum harum reditus Antiochus pellici suæ Antiochidi donavisset: ad eam sedandam festinanter Rex profectus est; relicto Antiochiæ qui vices suas gereret Andronico. [II *Maccab.* IV. 30, 31.]

Absentiæ Regis occasionem captans Menelaus, vasa nonnulla aurea (Lyfimachi vicarii sui operâ) ex templo Hierosolymitano subtraxit: quorum alia donavit Andronico, in Tyrum & circumjacentes civitates alia vendidit. Quod Onias III. legitimus Pontifex bene cognoscens, sacrilegii eum arguit: & in Daphnes juxta Antiochiam asyllum se subduxit. [*Ibid.* 32, 33.] Ibi enim, in luci medio asyllum fuit, & Apollinis fanum. [*Strabo, lib.* 16. pag. 750.] quod amplissimum Apollinis Daphnæi fanum Epiphanes Antiochus Rex ille condidit iracundus & sævus. [*Ammian. Marcellin. lib.* 22.]

Andronicus, rogatu Menelai, Oniam per dolum ex asylo eductum, contra fidem ei datam & juratam, perfidè interemit. [II *Maccab.* IV. 34.]

Rege Antiocho ex Ciliciâ Antiochiam reverso, Judæi qui in civitate erant multique ex aliis gentibus, de indignâ sanctissimi senis cæde apud eum conquesti sunt. Qui contristatus & effusis lachrymis dolorem suum testatus, Andronicum purpurâ exutum circumduci jussit per urbem, & in eodem loco occidi in quo ipse Oniam occiderat. [*Ib.* 35, — 38.]

Cum Hierosolymis multa sacrilegia fierent à Lyfimacho, conscio Mentlao; congregavit se multitudo contra Lyfimachum, vasis aureis jam multis exportatis. Contra quam tria circiter armatorum millia ille eduxit: Tyranno quodam eorum duce constituto, non minus impotentiam animi quam ætate proveccto. E turbâ verò, alii lapides, alii fustes validos arripuerunt: quidam etiam de adjacente cinere manum complentes, in Lyfimachum & ejus milites coniecerunt. In eo tumultu multi vulnerati, nonnulli prostrati, reliqui in fugam acti; ipse

4544 173

ipse verò sacrilegus Lyfimachus prope gazophylacium interfectus est. [1b.39,-42.]

Cùm Antiòchus rex Tyrum venisset, tres viri ab Hierosolymitano Senatu missi contra Menelaum, ut sacrilegiorum & facinorum Lyfimachi participem, accusationem coram eo instituerunt. Convictus verò Menelaus, multis pecuniis Ptolemæo Dorymenis filio ad placandum Regem promissis, illius operâ effecit, ut non ipse solum absolutus in summo Sacerdotio permaneret, sed etiam ut insontes illi tres qui pro civitate populòque & sacris vasis causam dixerunt morti adjudicarentur. Quorum vicem miserati Tyrii ipsi, magnificè eos sepeliendos curaverunt. [1b.44,-50.]

Sub idem tempus, secundam expeditionem in Ægyptum Antiochus instruxit. Acciditque Hierosolymis, ut ad 40 ferè dies continuos in aère miræ species conspectæ fuerint armatorum equitum, & pedestrium copiarum confligentium; futurorum malorum prænunciæ. [II Maccab. V. 1,-4.]

Antiochus, regnum Ægypti suo cupiens adicere, eam ingressus est cum turbâ numerosâ, curribus, elephantis, equitibus, & magnâ classe. Et instituit bellum contra Ptolemæum regem Ægypti: qui aversus à conspectu illius fugit, cecideruntque confossi multi. Postea occuparunt civitates munitas in terrâ, accepitque Antiochus spolia Ægypti. [I Maccab. I. 16,-19.]

Falso rumore de morte Antiochi sparsa, Jason non pauciores mille viros secum assumens, in civitatem Hierosolymitanam repentè impressionem fecit. Urbe occupatâ, Menelaus in arcem confugit: Jason verò faciebat cædes civium suorum; non cogitans secum adversus cognatos prosperitatem infelicitatem esse maximam. Nec principatum tamen recuperare ille potuit: sed cum pudore profugus iterum in regionem Ammonitidem rediit. Ubi apud Aretam regem Arabum accusatus, neque ibi consistere ausus, in civitatem unam ex alterâ fugere coactus est; ab omnibus exosus, ut legum desertor & hostis patriæ suæ publicus. [II Maccab. V. 5,-8.]

Antiochus in Ægypto audiens, ex vulgarâ de suo obitu famâ Hierosolymitanos maximum gaudium concepisse, & ex seditione à Jafone morâ rebellaturam Judæam suspicatus, animo est efferatus. [II Maccab. V. 10. Joseph. in libello de Maccabæis.] Et revertens, postquam percussisset Ægyptum anno regni Græcorum sive Seleuci 143, ascendit contra Israël & Hierosolyma cum turbâ numerosâ. [I Maccab. I. 21, 22.]

Josephus, 12. Antiquit. cap. 7. anno Seleucidarum 143 urbem eum cepisse scribit. sed ἀμαχῆτι, absque pugna; portas illi aperientibus suæ factionis hominibus. Verum in II Maccab. V. 11. urbem δ' οὐραλωτων, armis cepisse dicitur. Ipseque Josephus, in Belli Judaici lib. I. cap. I. non solum τὴν πόλιν αἰρεῖν καὶ κρατῆσαι, vi urbem expugnasse eum refert; sed etiam καὶ μνήμην ὧν ἐκεῖ τὴν πόλιος ἰσχυρίαν ἐπαθεν, eorum que in obsidione pertulerat memoriâ efferatum fuisse adjicit. Hierosolymitanos quoque, civitatem obsidente Antiocho, cum armis egressos & in pugna peremptos fuisse, in 6º ejusdem Operis libro (pag. 929.) idem ipse Josephus asserit.

Urbe igitur occupatâ, iussi milites obvios quosque trucidare, in omnem ætatem & sexum crudeliter sævierunt: ita ut 80 millia hominum tridui spatio desiderata fuerint; 40 quidem cæsa, toridémque alia venundata. [II Maccab. V. 11, -- 14.]

Non contentus his Antiochus, ausus est etiam in Templum ingredi, ducem habens proditorum legum & patriæ Menelaum, & sceleratis manibus sacra vasa capere, & quæcumque ab aliis Regibus ad loci gloriam & honorem fuerant reposita. [Ibid. 15, 16.] altare aureum, & lychnum lucentem cum omnibus instrumentis ejus, & mensam propositionis, & crateras, & phialas, & thuribula aurea, & velum, & coronas, & ornatum aureum Templi foribus appensum. Detraxitque aurum omnibus quæ auro oblecta erant, similiterque argentum accepit, & instrumenta desiderabilia, & thesauros absconditos, quos invenit. [I Maccab. I. 23, 24.]

Polybius Megapolitanus, Strabo Cappadox, Nicolaus Damascenus, Timagenes, Castor Chronographus & Apollodorus scripserunt, pecuniis indigentem Antiochum violato fœdere, Judæos socios suos & amicos fuisse aggressum, & spoliâsse Templum auro argentoque plenum, neque aliquid dignum derisione illic invenisse. [Joseph. contr. Apion. lib. 2.] Etenim grave Romanis stipendium pensitans, ipse immensis sumptibus penè necessariò cogebatur pecunias rapto quærere, neque ullam prædandi occasionem omittere. [Sever. Sulpic. sac. histor. lib. 2.] Alia tamen complura in gentis odium & religionis contemptum hîc ab eo fuisse patrata referunt Judæorum inimici, in libro 34^o Bibliothecæ Diodori. indeque in Photii Bibliothecâ, (cod. 244.) ita repetita. *Antiochus Epiphanes, devictis Judæis, in sacrum Dei adytum est ingressus, quò soli Pontifici intrare licuit. Ibi lapideam invenit statuam viri barbâ promissâ, tenentis manibus librum insidentisque asino: quam putabat Mosis esse, qui & Hierosolyma condiderit, & gentem fundârit, & odiosas illas omnibus gentibus leges tulerit. Ipse vero cupiens obducere odium gentium, leges dissolvere conatus est. Quare statua conditoris (Mosis) & altari Dei subdiali porcâ ingentem sacrificavit, & illa sanguine perfudit: & carnem coquens, iussit sacros eorum libros, qui leges continerent, jure illo corrumpi & obliterari. Lychnum verò immortalem ab illis dictum & semper ardentem in Templo extingui iussit: & carnem suillam summum sacerdotem (Menelaum) aliòsque Judæos comedere coëgit. Omnibus verò adversariorum calumniis luculentum illud Strabonis Cappadocis testimonium opponimus, in 16^o Geographiæ suæ libro, Judæos ut justos & verè religiosos commendantis. [δικαιοῦντες καὶ διοικεῖς αἱ ἀληθεῖς ὄντες. pag. 761.]*

Antiochum verò, captâ urbe, porcos super altari mactavisse, & jure carniū illarum Templum aspersisse, refert etiam Josephus. [lib. 13. cap. 16.]

Antiochus 1800 talenta exportans è Templo, celeriter Antiochiam repetiit: præfectis relictis ad affigendam gentem; Hierosolymis quidem Philippo genere Phryge, moribus barbaro, Garizimis verò in Samariâ Andronico. Præter quos & Menelaus pessimè omnium efferebatur in cives; adversus Judæos animum habens inimicissimum. [II Maccab. V. 21, 22, 23.] Asia-

A Hispanorum legati Romæ in Senatu sunt auditi. Milesii nihil se præstitisse memorantes, si quid imperare ad bellum contra Perseum Senatus vellet, præstare se paratos esse polliciti sunt. Alabandenses templum urbis Romæ se fecisse commemoraverunt, ludosque anni-versarios ei Divæ instituisse: & coronam auream 50 pondo, quam in Capitolio ponerent, Jovi donum attulisse, & scuta equestria 309, ea cui jusissent tradituros. Donum ut in Capitolio ponere & sacrificare liceret, petebant. Hoc etiam Lampfaceni, 80 pondo coronam afferentes, petebant: commemorantes, Discessisse se à Perseo, postquam Romanus exercitus in Macedoniam venisset, quum sub dissione Persei & antiè Philippi fuissent. Pro eo, & quod imperatoribus Romanis omnia præstitissent, id se tantum orare, ut in amicitiam populi Romani reciperentur, & si pax cum Perseo fieret, exciperentur, ne in regiam potestatem reciperentur. Cæteris legatis comiter responsum. Lampfacenos in sociorum formulam referre Q. Moenius prætor jussus. Munera omnibus in singulos binum millium æris data. Alabandenses scuta reportare ad A. Hostilium Consulem in Macedoniam jussi. [*Liv. lib. 43.*]

3835

Quum communi Achæorum decreto constitutum esset, ut omnes Eumenis honores, qui indecori & contra leges essent, tollerentur: Sotigenes & Diopithes Rhodii, qui per id tempus judicia exercebant, offensi privatis ex causis Eumeni, omnes illius honores in Peloponnesi civitatibus everterunt. [*Polyb. legat. 74.*]

A. Hostilio proconsule hyberna cum copiis in Thessaliâ habente, Attalus (qui Elatiæ tum hybernabat) certò intelligens Eumenem fratrem acerbissimè ferre, quòd communi decreto illustrissimos suos honores sustulissent, re cum Archone Achæorum prætorè communicatâ, ad commune gentis concilium legatos misit, qui de restituendis Regi honoribus agerent. Ubi, Polybio (historico) suadente, factum est decretum; quo jubebantur magistratus omnia quæ ad Eumenis honorem spectabant instaurare: nisi quia fortè in iis esset, quod aut Achæorum commune parum deceret, aut legibus repugnaret. Ita igitur Attalus, quæ temere in Peloponneso peccata fuerant circa Eumenis fratris honorem, tunc temporis emendavit. [*Id. ibid. & in Excerptis Valesii, pag. 130. 133.*]

4545 169

Principio veris Q. Marcius Philippus Consul contra Perseum missus est. [*Liv. lib. 44. init.*]

Decretum ab Achæis est editum de submittendis Marcio Consuli pro viribus auxiliis: quod ad illum à Polybio perlatum est. Missus etiam est ab eis ad Attalum legatus Theocritus; qui decretum ei afferret, quo restituti erant Eumeni omnes honores. Per idem tempus quum fama esset allata Achæis, celebrata fuisse in honorem Ptolemæi Regis Anacleteria, sicut est moris Ægypti Regibus, ubi ad legitimam regnandi ætatem pervenerunt, officii sui esse existimantes, ut suæ ob id quod gestum erat lætitiæ significationem darent, legatos decreverunt mittere, ad renovandam amicitiam quæ genti Achæorum erat cum Ægypti Regibus. Statim igitur Alcithus & Pafidas sunt delecti. [*Id. legat. 78.*]

Per id tempus facinus impium, & à Græcorum institutis longè alic-

alienum, in Cretâ insulâ est admissum. Cùm enim inter Cydoniatas & Apolloniatas non societas solum sed etiam commune societatis jus intercederet, atque omnia jura quæ hominibus sacrosancta habentur utrisque essent communia; ejusque foederis tabulæ sacramento utrinque firmitatæ juxta simulacrum Jovis Idæi fixæ extarent: Cydoniatæ tamen, pacis tempore tanquam amici ab Apolloniatis excepti, calcatâ foederis religione urbem eorum occuparunt; virisque omnibus trucidatis, ac bonis eorum direptis, uxores ac liberos omnemque agrum inter se diviserunt. [*Polyb. & Diodor. Sicul. in Excerpt. à Valesio edit pag. 133. & 310.*]

Cydoniatæ, metuentes sibi à Gortyniis, (à quibus jam antè ne caperetur ipsorum urbs in præsentissimum periculum venerat; quando eam occupare Nothocrates est aggressus) legatos ad Eumenem miserunt, auxilium ex foedere cum poscentes. Rex Leonem ducem delegit, quem eò celeriter cum 300 militum manu misit. Id ubi advenit præsidium, Cydoniatæ portarum claves Leoni tradiderunt, & universam civitatem ejus curæ permiserunt. [*Id. legat. 79.*]

Cùm ad recuperandam Coelefyriam, Eulaïi spadonis suavis, novum à Ptolemæo bellum institueretur, Antiochus, tertiam in Ægyptum expeditione susceptâ, in potestatem suam eam redegit. [*Polyb. legat. 80, 81, & 82.*] Fusis enim fugatisque Ægyptiis, cùm ad internecionem delere omnes potuisset, equo circumvectus occidi eos vetuit, & vivos capi jussit. Ob quam maximè humanitatem & Pelusio, & paulo post universâ Ægypto est potitus. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii pag. 320.*]

Gliscentibus Rhodi magis magisque in dies contrariis factionibus, quum audivissent Romæ à Senatu decretum fuisse, non quæ ipsorum magistratus sed quæ Senatus imperasset esse deinceps præstanda; Philophrone & Theæteto suadentibus, incunte æstate Romam ad Senatum missi sunt legati Hegesilochus Hegesiae filius, & Nicagoras Nicandri filius; ad Consulem verò Q. Marcium Philippum, & ad C. Marcium Figulum classis præfectum, Agesipolis, Ariston, & Pancrates. Mandatum his omnibus erat, ut amicitiam cum populo Romano renovarent, utque criminationibus responderent, quibus nonnulli civitatem onerabant. Hegesilochus verò hoc insuper negotii est impositum, ut exportandi frumenti facultatem peteret. Agesipolis Q. Marcium est affecutus, ad Heracleam in Macedoniâ castra habentem. Cui quum mandata sua exposuisset, Consul non solum dixit nullam iis se fidem habere qui de Rhodiis detraherent; sed legatos etiam est hortatus, ne quemquam eorum ferrent, qui de Romanis aliquid blaterare auderent: multaque omnino humanitatis officia cumulatè iis præstitit. Scripsit & de iisdem rebus ad populum Romanum. Quum autem Agesipolis comitate Consulis mirificè captus esset; seducens eum Marcus ad familiare colloquium, mirari se dixit, cur Rhodii Reges bellantes pro Coelefyriâ componere inter se non conarentur: id enim ipsis vel maximè convenire. Ad Caium deinde classi præfectum Agesipolis profectus, benignèque ab eo habitus, ac multo etiam comius quàm fuisset à Marcio Consule, brevi Rhodum est reversus. Ubi postquam legationem renuntiasset, quum viderentur ambò duces Romani in comitate atque huma-

humanitate verbis declarandâ, & benevolentiam in responso significandâ, ex æquo invicem certasse; erigi animis omnes Rhodii cœperunt, ac vanâ spe inflari: at non omnes eodem modo. Nam pars sanior ob Romanorum benignitatem lætitiâ gestiebat: qui verò rerum novarum cupidi erant, & in præsentem statum malè affecti, illi cogitare apud se institerunt, ingentem hanc supra modum comitatem Romanorum indicio esse, terri ipsos imminente periculo, neque ex animi sententiâ res ipsis succedere. Postea verò quàm insuper accidisset, ut inter quosdam effutiret Agesipolis, privatim sibi à Marcio fuisse mandatum, ut in Senatu Rhodiorum de componendâ pace inter Reges mentionem faceret: tum enimvero nihil dubitabat Dino, quin pessimo loco res Romanorum essent. Ergo etiam legati Alexandriam, ad dirimendum bellum quod inter Antiochum & Ptolemæum erat conflatum, missi sunt. [*Polyb. legat. 80.*]

Inclinante ætate Hegesilochus & alii Rhodiorum legati Romam venientes, omni genere humanitatis & comitatis à Senatu sunt accepti. Erat verò notissimum, intestinâ seditione laborare Rhodios: quum Agathagetus, Philophon, Rhodophon & Thæxetus spes omnes suas in Romanis defixissent; Dino contra & Polyaratus, in Perseo & Macedonibus. Ex quo persæpe fiebat, ut rebus quæ ad deliberandum proponebantur in contrarias partes disceptatis, & dissidentibus sententiis, occasionem inde sumerent qui detractum ire civitati cupiebant. Verùm Patres nihil eorum sibi innotuisse simulabant: qui tamen omnia quæ apud illos fuerant gesta probè nôrant. Frumenti verò exportandi è Sicilia ad centum mille modium potestatem fecerunt. [*Id. legat. 64. 73. & 80.*]

Posteaquam Ægyptus ab Antiocho fuit occupata, Comano & Cincæ de summâ rerum cum rege Ptolemæo consultantibus, visum est faciendum; ut concilium ex illustrissimis quibusque ducibus conscriberetur, de cujus sententiâ omnia deinceps gererentur. Ei concilio ante omnia placuit, ut advênæ Græci qui fortè ibi reperiebantur, legati ad Antiochum proficiscerentur, de pace cum eo acturi. [*Id. legat. 81.*]

Erant tunc eo loci legationes duæ ab Achæorum gente missæ: una ad renovandam cum Rege amicitiam, quæ mandata fuerat Alcitho Xenophontis filio Egienti & Pasiadæ; altera de antagonistarum agone. Erat & missa ab Atheniensibus de donatione quâdam legatio, cujus princeps Demaratus. item sacræ legationes ab iisdem duæ: una de festo Panathenæorum, cujus caput fuit Callias pancratiasta; altera de mysteriis, quam obibat Cleostratus, qui super eo ad Regem orationem habuit. Mileto aderant Eudemus & Ioesius: Clazomenis Apollonides & Apollonius. [*Ibid.*]

Cum his Ptolemæus rex Egeum & Ptolemæam rhotorem legatos suos misit. Qui adverso flumine navigantes, ad Antiochum venerunt. Eos ille benignè susceptos primo die ad epulas magnificè structas invitavit: postridie verò sui conveniendi potestatem fecit, & mandata jussit exponere. Primi igitur omnium verba apud eum fecerunt legati Achæorum; deinde ab Atheniensibus missus Demaratus,

tus, & post hunc Eudemus Mileſius. Omnes verò Eulaii ſpadonis culpâ ſuſceptum bellum dicebant: deinde cognationem atque ætatem Ptolemæi allegantes, Regis iram deprecabantur. Antiochus quum orationibus illorum eſſet aſſenſus, atque ipſe etiam plura in eandem ſententiam diſſeruiſſet, juſta ſua commemorare cœpit: magno ſtudio probare contendens, pertinere ad Syriæ reges Cœleſyriæ poſſeſſionem; & quæ legati Alexandrini de Cœleſyriâ pro dote cum Cleopatrá Philometoris tunc regnantis matre conſeſſâ dicebant, verum eſſe negans. In quam ſententiam quum multa diſſeruiſſet, nec tantum ſibi ſed etiam omnibus qui præſentes erant cauſam ſuam probaviſſet; Naucratis tunc quidem navibus periit: atque eo etiam loco benignè appellatis tractatiſque civibus, in Græcos verò qui ibi comorabantur aureis ſingulis diviſis, Alexandriam iter inſtituit. Legatis reſponſum ſe daturum pollicitus eſt, poſtquam Ariſtides & Theris eſſent reverſi: velle enim ſe omnium conſiliorum ſuorum conſcios ac teſtes habere Græcos. [*Ibid. & legat. 82.*]

Philometor, in deliciis ac muliebribus inſtitutis ab Eulaiio ſpadone educatus, eam contraxit ignaviam; ut ab omni periculo remotus, longiſque ſpatiis ab hoſte diviſus, regno maximo atque opulentifſimo ſine certamine ceſſerit. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valeſii, pag. 310. 313.*]

Quum Philometori, poſtquam undecim regnaviſſet annis, diadema ab Antiocho fuiſſet ablatum; Alexandrini juniore ipſius fratri *Euergetæ* ſummam rerum permiferunt. [*Porphyr in Græc. Eusebiam. Scalig. pag. 54. & 225.*] quem ipſi tamen poſtea propter maleſicia *Cacergetem* appellârunt. [*Athene. lib. 4. cap. 24. & lib. 12. cap. 27.*] A corporis autem ſaginâ & diſtento aqualiculo *Phyſconis* ſive Ventrioſi cognomen tum obtinuit: quod cum altero in nummis ejus ita conjunctum legitur. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΦΥΣΚΩΝΟΣ ΕΤΕΡΓΕΤΟΥ.

Ab Epiphanio, in libello de ponderibus & menſuris, ob literarum ſtudio *Ptolemæus Philologus* hic eſt dictus. Nam & Ariſtarchi diſcipulorum unus ille fuit, & hiſtoricos commentarios conſcripſit, ab Athenæo ſubinde laudatos. [*Athene. lib. 2. cap. 33.*] Ad ſecundum enim hunc *Euergetem* ſpectant ea, quæ de primo ad annum Mundi 3761. ex Athenæo & Galeno produximus. Unde, cum in Aſiâ eo tempore *Attali* filius *Eumenes* regnaverit, quem bibliothecis Pergamum inſtruſſe confirmat *Strabo*; [*lib. 13. pag. 624.*] ad hunc Ptolemæum ea referenda exiſtimaverim, quæ in Præfatione 7ⁱ libri leguntur apud *Vitruvium*. *Reges Attalici, magnis Philologia dulcedinibus inducti, cum egregiam Pergami Bibliothecam ad communem delectationem inſtituiſſent: tunc item Ptolemæus, inſiſſe zelo cupiditatisque ſtudio incitatus, non minoribus induſtriis ad eundem modum contenderat Alexandria comparare. & apud Plinium, lib. 13. cap. 11. Emulatione circa Bibliothecas Regum, Ptolemæi & Eumenis, ſupprimente chartas Ptolemæo, Varro membranas Pergami tradidit repertas.*

Pulſus regno Ptolemæus Philometor, ad fratrem minorem Ptolemæum *Euergetem* Alexandriam conſugit. [*Fuſtin. lib. 34. cap. 2.*] Quem Alexandrini à poteſtate Antiochi liberantes, cum fratre regni parti-

participem effecerunt: cum hujus *duodecimo*, illius *primum* annum connumerantes. [*Corphyr. ut supr.*] licet Philometorem paulo post illi exegerint, & in exilium miserint. [*Polyb. legat. 84. & 89.*]

Eâ occasione libenter arreptâ, Antiochus exulis tutelam suscepit: ejusque reducendi specioso titulo, in Ægyptiaco suo bello defendendo, ad omnes Asiæ & Græciæ civitates legationibus recipiendis literisque dimittendis est usus. [*Liv. lib. 44. & 45.*]

3836
4.

Antiochus per honestam speciem majoris Ptolemæi reducendi in regnum, bellum cum minore fratre ejus, qui tum Alexandriam tenebat, gerens, ad Pelusium navali prælio victor fuit: & tumultuario opere ponte per Nilum facto transgressus cum exercitu ipsam Alexandriam obsedit. Unde minor ille Ptolemæus & Cleopatra soror, Romam miserunt legatos, qui orarent Senatam, ut opem regno regibusque amicis imperio ferrent. Ea enim merita Populi Romani in Antiochum, eam apud omnes Reges gentesque auctoritatem esse, ut si legatos misissent, qui denunciarent non placere Senatui sociis regibus bellum fieri, ex templo abscessurus à mœnibus Alexandriæ, abducturusque exercitum in Syriam esset. [*Id. lib. 44.*]

Frustra tentatis mœnibus Alexandriæ, Antiochus inde abscessit. [*Id. lib. 45.*] prius tamen legatis, Meleagro, Sosiphane & Heraclide Romam missis: qui ex 150 talentis conceditis, 50 in coronam Romanis tradendam impenderent, reliquam summam Græcis quibusdam civitatibus dividerent. [*Polyb. legat. 83.*]

Per eosdem dies Rhodiorum legati, quorum princeps erat Pratio, ad componendam pacem missi, Alexandriam appellentes, mox in castra ad Regem venerunt. Hi in colloquium Antiochi admissi, patriæ conjunctionem cum utroque regno commemorantes, & mutua inter ambos Reges necessitudinis jura, quæque ad utrumque ex pace confectâ reditura sint commoda, longam orationem sunt exorsi. At Rex dicentem legatum interpellans, longiore oratione nihil opus esse ait. Regnum enim ad majorem Ptolemæum pertinere: cum isto vero pacem dudum se fecisse, & amicum esse; & si ab exilio eum Alexandrini revocare voluerint, per se licere. [*Id. legat. 84.*]

Antiochus, relicto Memphi majore Ptolemæo, cui regnum quæri suis viribus simulabat, cæterâque Ægypto illi traditâ, quum Pelusii validum reliquisset præsidium, in Syriam exercitum abduxit. Cum enim bello intestino inter fratres eum exitum fore sibi polliceretur, ut victor fessus certamine par ipsi non esset futurus: claustra Ægypti tenenda sibi putavit, ut quum vellet rursus exercitum induceret, & fratrem victorem mox aggrediretur. [*Liv. lib. 45.*]

Eumenes rex 20 rectis navibus Elæâ profectus, Marcio Figulo prætori Romanæ classis præfecto, & quinque rectis navibus à Prusîâ rege missis, in Cassandrensiu sinibus occurrit. Ibi cum Præto, simul à mari, simul à terrâ, Cassandream urbem frustra est aggressus: tentatâ etiam non meliore successu Torone & Demetriade. Fama fuit per Cydam Cretensem & Antimachum qui Demetriadi præerat, tractatas inter Eumenem & Perseum conditiones amicitia. Cydas enim iste, qui ex intimis Eumenis erat, & prius ad Amphipolim cum Chimarô quodam

dam populari suo & nunc ad Demetriadem semel cum Menecrate quodam Persei duce atque iterum cum Antimacho sub ipsis moenibus urbis collocatus fuisse observabatur. A Demetriade certè abscedens Eumenes, ad Q. Marcium Consulem navigavit: eique gratulatus quòd prosperè Macedoniam intrasset, Pergamum in regnum abiit. Marcus Figulus Prætor, parte classis in hyberna Sciathum missa, cum reliquis navibus Oreum Bœotiae petiit. [*Id. lib. 44.*]

De Eumene rege longè diversa tradunt. Valerius Antias, nec classe adjutum ab eo Prætorum esse, cum sæpe cum litteris accersisset, refert: nec cum gratiâ ab Consule profectum in Asiam; (indignatum quòd ut iisdem castris tenderet, permissum non fuerit) ne ut equites quidem Gallos, quos secum adduxerat, relinqueret, impetrari ab eo potuisse. Atalum fratrem ejus, & remansisse apud Consulem; & sinceram ejus fidem æquali tenore, egregiamque operam in toto hoc bello fuisse. [*Ibid.*] Regem verò Eumene in eo bello medium fuisse animo, neque fratris inicitus, neque suæ respondisse consuetudini, scribit Velleius Paterculus. [*Histor. lib. 1. cap. 9.*]

Romæ, Pamphylia legati coronam auream, ex 20 millibus Philipeonum factâ, in Curia attulerunt: petentibusque iis, ut id donum in cellâ Jovis ponere & sacrificare in Capitolio liceret, permissum; benignèque amicitiam renovare volentibus legatis responsum, & binum millium æris singulis missum munus. [*Liv. lib. 44.*]

Tum ab rege Prusis legati, de pace reconciliandâ cum rege Perseo, auditi sunt: proficiente Prusia, & ad id tempus se cum Romanis stetitisse, & quoad bellum foret statutum. Cæterum quum ad se à Perseo legati venissent de finiendo cum Romanis bello, & iis pollicitum deprecatores apud Senatum futurum; petere, si possent inducere in animum ut finiant iram, se quoque in gratiâ reconciliatæ pacis posse uti. [*Id. ibid.*]

Rhodiiorum arrogantior de eadem re legatio fuit. Superbè enim commemoratis erga populum Romanum beneficiis, & penè victoriæ de Antiocho rege majore parte à se vindicatâ, adjecerunt; cum pax inter Macedonas Romanisque esset, sibi amicitiam cum rege Perseo cœptam. Eam se invito, nullo ejus in se merito, quoniam ita Romanis visum sit in societatem belli trahere, interrupisse. Tertium se annum multa ejus incommoda belli sentire, mari intercluso inopiâ insulam premi, amissis maritimis vestigalibus atque comitatibus. Cum id ultra pati non possent, legatos alios ad Perseum in Macedoniâ misisse, qui ei denunciarent, Rhodiis placere pacem cum componere cum Romanis: se Romanis eadem nuntiatum missos. Per quos stetit quo minùs belli finis fieret, adversus eos quid sibi faciendum esset, Rhodios consideraturos esse. Quibus nihil responsum, Claudius Quadrigarius auctor est: tantum Senatusconsultum recitatum, quo Caras & Lycios liberos esse juberet populus Romanus; litterasque extemplo ad utramque gentem ut scirent indicatum mitti. Quâ auditâ re principem legationis, cujus magniloquentiam vix Curia paulo antè ceperat, corruisse. Alii responsum esse tradunt: Populum Romanum & principio hujus belli, haud vanis auctoribus compertum habuisse.

buisse, Rhodios cum Perseo rege adversus Rempublicam suam occulta consilia inisse, & si id antè dubium fuisset, legatorum paulo antè verba ad certum redegisse; & plerunque ipsam se fraudem, etiam si initio cautior fuerit, detegere. Visuros se esse, quid sibi faciendum sit: quid Rhodii visuri sint, ipsos scire. Populum certè Romanum devicto Perseo (quod propediem sperent fore) visurum, ut pro meritis cujusque in eo bello civitatis gratiam dignam referat. Munus tamen legatis in singulos binum millium æris missum est: quod si non acceperunt. [*Id. ibid.*]

Ira verò rem narrat Dio. Pacem à Romanis petebat rex Perseus: eamque obtinisset, ni Rhodii, metuentes ne Romani adversarium amitterent, cum Persei legatis suos quoque legatos conjunxissent. Nam nihil ab his moderati, qualia par erat eos dicere qui pacem rogerent, prolatum fuit. adeoque veluti si non tam Perseo pacem peterent quàm darent, cum alia superbè dixere, tum ad extremum minati sunt; eos se, quorum culpâ pax non coisset, bello cum cæteris adgressuros. Unde factum, ut quum ne prius quidem extra suspicionem Romanis essent, magis invisos se reddiderint; & quo minùs pacem Perseus impetraret, præpedierint. [*Dio, legat. 19. al. 20.*]

b. Sub initium Consulatus L. Æmilii Pauli & C. Licinii, Alexandrini legati ab Ptolemæo & Cleopatrà regibus in Senatum vocati sunt. Sordidati, barbâ & capillo promisso, cum ramis oleæ ingressi Curiam, procubuerunt: & querentes orabant Senatum, ut opem regibusque amicis ferrent. [*Liv. lib. 44.*]

Quum ex iis Senatus intelligeret, Antiochum cæterâ Ægypto occupatâ inibi esse ut Alexandria etiam fieret dominus: ratus nonnihil ad se pertinere incrementum hujus Regis, legationem decrevit; tum ad pacem faciendam, tum ad visendum quæ in universum rerum isthic facies esset. [*Polyb. legat. 90.*]

Extemplo igitur patres C. Popillium Lanatem, C. Decimium & C. Hostilium, legatos ad finiendum bellum inter reges miserunt. Prius Antiochum, dein Ptolemæum adire iussi, & nunciare, ni abfistatur bello, per utrum stetisset, cum non pro amico nec pro socio habituros esse. [*Liv. lib. 44.*]

His intra triduum simul cum legatis Alexandrinis profectis, legati ex Macedonia Quinque ultimis venerunt: qui, inter alia, Eumenum classèmq; ejus, tanquam vento allatas naves, sine causâ & venisse & abisse referebant, nec animum ejus regis constare satis visum; & sicut omnia de Eumene dubia, ita Attali egregiè constantem fidem nunciabant. [*Id. ibid.*]

Tempus, quo legati in Ægyptum missi Româ discesserunt, in antiquo anni hujus Diario (quod 2º Annalium suorum tomo, ad annum Urbis 585. inseruit Pighius) ita habetur expressum. III. Non. April. C. Popillius Lanas, C. Decimius, C. Hostilius, legati mittuntur ad Reges Syria & Ægypti, ad bellum inter ipsos componendum. Legati bene mane, cum turbâ clientium & propinquorum, sacrificarunt ad Castoris Dis Penasibus P.R. Tauro fecer. & perlitarunt. Dies autem III. Non. April. sicut annus Romæ tunc agebatur, diei 23º Januarii nostri Juliani res-

spondebat : ut ex calculo Lunariseclipsos, quæ post 5 menses contigit, colligimus.

Postquam Antiochus cum exercitu in Syriam recessit, Ptolemæus Philometor periculum quod ab illo impendebat prudenter animadvertens, Alexandriam ad Cleopatram sororem primam, deinde ad Evergetem fratrem amicisque ejus non prius desistit mittere, quàm pacem cum iis confirmaret : sorore plurimum adjuvante, non consilio modò, sed etiam precibus. Itaque consentientibus cunctis pace factâ, Memphi reversus & Alexandriam receptus, unâ cum fratre regnavit, ne multitudine quidem adversante : quæ in bello non per obsidionem modò, sed etiam postquam à moribus abscessum est, quia nihil ex Ægypto subtraheretur, omnium rerum attenuata inopiâ erat. [*Liv. lib. 45. cum Polyb. legat. 89.*]

His cum lætari Antiochum conveniens esset, si reducendi ejus causâ exercitum in Ægyptum induxisset, adeò est offensus, ut multo acrius infestiusque adversus duos, quàm amè adversus unum, pararet bellum. Indèque Cyprum extemplo classem misit : quæ Ægyptias ibi naves & Ptolemæi duces prælio devicit. [*Liv. lib. 45. Polyb. legat. 92.*]

Ambo Ptolemæi fratres, diadema & regiam potestatem tum habentes, quum omnis generis auxiliis indigerent, Eumenem & Dionysiodorum legatos ad gentem Achæorum miserunt : qui pedites mille, equites 200 peterent ; ducem autem auxiliarium omnium copiarum Lycortam, equitum verò filium ejus Polybium. Ad Theodoridam quoque Sicyoniam scripserunt, ut mercenarios conduceret milites ad mille. [*Polyb. legat. 89. & 91.*]

Perseus Macedonum & Gentium Illyriorum rex, datis utrinque obsidibus, foedere contra Romanos conjuncti, legatos Rhodum mittendos decreverunt : civitatem, penes quam unam tum rei navalis gloria esset, duorum simul regum nomine ad bellum contra Romanos incitari posse sperantes. Legati Thessalonicam missi sunt, & ut parati essent ad navem conscendendam jussi. Ibi Metrodorus erat : qui nuper ab Rhodo venerat, auctoribusque Dinone & Polyarato principibus civitatis ejus affirmabat Rhodios paratos ab bellum esse. Ut enim apud Coos Hippocritus & Diomedon fratres, ita apud Rhodios Dino & Polyaratus, pro Macedonibus verba facere, & Romanos accusare, ac societatem cum Perseo publicè suadere ausi sunt. Metrodorus verò princeps junctæ hujus cum Illyriis ad Rhodios legationis datus est. [*Polyb. legat. 85. & in Excerptis Valesii, pag. 137. Liv. lib. 44.*]

Perseus, Telemnasto Cretensi legato ad Antiochum missio, eum monuit, ne præsentem occasionem missam faceret, neve arbitraretur, ad unum se Romanorum superbiam & dura imperia spectare : quin potiùs pro certo haberet, ejusdem se quoque fortunæ periculum brevi facturum, nisi nunc ipsum adjuvaret ; maximè quidem conciliandâ pace, sin minùs, opem ferendo. [*Polyb. legat. 85. Liv. lib. 44.*]

Eodem quoque tempore Perseus *Cryphonem* (sic enim Polybii Excerpta eum nominant, quem edita Livii exemplaria *Eropontem* vocant) legatum ad Eumenem misit, qui & duabus jam antè ad eundem legationibus

tionibus functus fuerat. [*Id. ibid.*] Eumenem verò oblatâ pecuniâ sollicitavit, ut aut suas foveret partes, aut pacem sibi conciliaret cum populo Romano, aut certè neutri faveret parti: sperans vel se horum quidpiam impetraturum, vel sanè effecturum eâ sollicitatione (quod & consecutus est) ut Eumenes suspectus Romanis esset. Sed Eumenes societatem quidem Persei aspernabatur, pacis verò conciliandæ causâ 1500 talenta, ut neutri adesset 1000 poscebat. Perseus procurandæ pacis causâ daturum se eam pecuniam dixit, sed non in antecessum, verùm Samothracæ in templo depositurum quoad patrata pax esset. [*Appian. Macedonic. in Excerpt. Valesii, pag. 562.*] Ea insula cum ipsius ditionis esset, vidit Eumenes nihil interesse an Pellæ pecunia esset: idque egit, ut partem aliquam præsentem ferret. Quam cum obtinere non posset, Cryphon ab eo, ignotis quæ occultè acta erant, rediit. De captivis redimendis actum esse, & ipsi evulgaverant, & Eumenes Consulem, vitandæ suspicionis causâ, certiorum fecit. [*Liv. lib. 44.*]

Rhodiis inter se dissidentibus, & prævalente in comitiis eâ parte quæ Perseo favebat, placuit legatos ad dirimendum bellum inter Perseum & Romanos mitti. Prytanes igitur legatos extemplo miserunt: Romam quidem Agesipohm & Cleombrotum, ad Consulem verò & Perseum, Damonem, Nicostratum, Agesilochum & Telephum. In Cretam etiam legatos miserunt, ad renovandam cum universis Cretensibus amicitiam: monendumque ut temporum conditionem ac periculum imminens attenderent, & cum Rhodiorum populo consentientes, eundem inimicum atque amicum ducerent. Missi item sunt ad singulas civitates, qui de iisdem rebus cum illis agerent. [*Polyb. legat. 86.*]

Ptolemæorum regum legati, dum adhuc hyems esset, in Peloponnesum venientes, quam in Achæorum conventu Corinthi habito veterem amicitiam, quam multis argumentis invicem fuerant testati, renovassent, & afflictum Regum statum ob oculos posuissent, opem poscentes: parata erat multitudo non parte aliquâ copiarum, sed omnibus viribus, si opus esset, ire suppetias. Verùm huic sententiæ Callicrates & Diophanes & Hyperbatonius adversabantur. Contra quos Lycortas & Polybius differentes, Achæos hortabantur, ut patrum & acceptorum beneficiorum, imprimis verò iurijurandi memores, societatis leges servarent. Cùmque iterum multitudo acclamasset, opem ferendam: Callicrates deliberationem illam fregit, metu magistratibus injecto, quasi leges potestatem ipsis non concederent in ejusmodi conventu de auxiliis deliberandi. [*Polyb. legat. 89.*]

Paulo post concilio in urbem Sicyoniorum convocato, cui non magistratus solummodo intererant, verùm omnes annis triginta majores, postquam multi sermones habiti essent: à Callicrate inductus est in theatrum rectâ ab itinere tabellarius, subdititias literas Q. Marcii (Proconsulis) afferens; quibus Achæos hortari fingebatur ut, Romanorum voluntatem secuti, conciliare invicem Reges conarentur. Indèque legati ab Achæis missi sunt Archon Agirates, Arcesilaus & Aristo Megapolitani, ad pacem inter Ptolemæos reges & Antiochum

faciendam. Quâ ex re indignatus Polybius, rerum curâ & administratione se abdicavit : & legati Alexandrini, spe auxiliorum amissâ, domum reversi sunt. [*Id. ibid. & legat 91.*]

Philæ hyberna agitans Perseus, in Ioniam copias direxit, quibus annonam quæ inde subvehebatur Romanis intercluderet. [*Appian. ut supr. pag. 565.*] Antenorem & Callippum præfectos classis cum 40 lembis, quibus & quinque pristis (majores naves) sunt adjunctæ, Tenedum misit; ut inde sparsæ per Cycladas insulas naves Macedoniam cum frumento petentes tutarentur. Cassandreæ deductæ naves, in portus primùm qui sub Atho monte sunt, inde Tenedum placido mari cum trajecissent; stantes in portu Rhodias apertas naves, Eudemumque præfectum earum, inviolatas, atque etiam benignè appellatos dimiserunt. Cognito deinde in latere altero naves suorum 50 onerarias, à rostratis Eumenis (quibus Damius præerat) ad montem Athon in ostio portus inclusas, dissipatis hostibus eas eduxerunt, & in Macedoniam, 10 lembis eas tutantibus miserunt. [*Liv. lib. 44.*]

Lembi illi nono post die ad classem ad Sigæum stantem redierunt: quæ Subota (insula ea est interjecta Elææ & Atho) inde trajecit. Postero verò die quàm eò ventum est, naves 35 quas Hippagogos vocant, ab Elæâ profectæ cum equitibus Gallis equisque (Atralo ab Eumene missis) Phanas promontorium Chiorum petebant, unde transmittere in Macedoniam possent. His Antenor, profectus à Subotis, inter Erythrarum promontorium Chiumque, quâ arctissimum fretum est, inopinatò occurrit. Cùmque resistendi spes nulla esset, pars eorum qui propiores continenti littori erant, in Erythram enatarunt: pars velis datis ad Chium naves eiecere, relictisque equis effusâ fugâ urbem petebant. Sed propius urbem lembi accessuque commodiore cum exposuissent armatos; partim in viâ fugientes Gallos adepti Macedones cæciderunt, partim ante portam exclusos. Gallorum 800 ferme (aut 700, ut habet Gruteriana editio) occisi, 200 vivi capti: equi, pars in mari fractis navibus, absumpti; partim nervos succiderunt in littore Macedones. Viginti eximie equos forma cum captivis, eosdem 10 lembos, quos antè miserat, Antenor devehere Thesalonicam jussit, & primo quoque tempore ad classem reverti Phanis se eos expectaturum. Triduum ferme classis ad urbem stetit. Phanas inde progressi sunt: & spe celerius reversis 10 lembis eveci, Ægeo mari Delum trajecerunt. [*Id. ibid.*]

Dum hæc geruntur, legati Romani C. Popillius, C. Decimius & C. Hostilius, à Chalcide profecti, tribus quinqueremibus Delum quum venissent; lembos ibi Macedonum 40, & 5 regis Eumenis quinqueremes invenerunt. Sanctitas templi insulæque inviolatos præstabat omnes. Itaque permixti Romanique & Macedones, & Eumenis navales focii, in templo, inducias religione loci præbente, versabantur. [*Id. ibid.*]

Antenor Persei præfectus, quum aliquas alto præferri onerarias naves ex speculis significatum foret; parte lemborum ipse insequens, parte per Cycladas dispositâ, præterquam si quæ Macedoniam peterent, omnes aut supprimebat aut spoliabat naves. Quibus poterant
Popil-

Popillius aut Eumenis naves, succurrebant: & vecti nocte binis aut ternis plerumque lembis Macedones fallebant. [*Id. ibid.*]

Per id ferè tempus Gentii regis Illyriorum legati Parmenio & Morcus, & unâ cum his Metrodorus Persei, Rhodum venerunt: quibus auctoritatem addidit, non lemborum modò adventus passim per Cycladas atque Ægeum vagantium mare, & occisorum equitum multitudo; sed etiam conjunctio ipsa regum Persei Gentiique, & fama cum magno numero peditum equitumque venientium Galatarum. Hæc enim animos, Dinoni quidem & Polyarato, qui Persei partium erant, addiderunt, Theæteto verò contra dejecerunt. Decretum igitur est à Rhodiis, benignum ambobus Regibus responsum dare: iisque significare: statuisse bello finem se auctoritate suâ imponere; ipsosque adèd monere, faciles se ad pacem ut præberent. Sûntque etiam Gentii legati in Prytaneo magnâ comitate ab iis excepti. [*Id. ibid. Polyb. legat. 87.*]

Primo vere Antiochus cum exercitu Ægyptum petens, in Cœlesy- am processit. Circa Rhinocolura Ptolemæi (Philometoris) legatis agentibus gratias quòd per eum regnum patrium recepisset, petentibusque ut suum munus tueretur & diceret potius quid fieri vellet quàm hostis ex socio factus vi atque armis ageret, respondit; non aliter neque classem revocaturum, neque exercitum reduciturum, nisi sibi & totâ Cypro & Pelusio, agròque qui circa Pelusiacum Nili ostium esset, cederet: diemque præstituit, intra quam de conditionibus peractis responsum acciperet. [*Liv. lib. 45.*]

Antiochus Apollonium, tributorum suorum collectioni præfectum, (*μειράρχης* apud Josephum, lib. 12. Antiquit. cap. 7. *μωιάρης* in II Maccab. V. 24. dictum) cum viginti duorum millium exercitu, in civitates Judææ misit; duobus annis integris postquam ipse Templum Hierosolymitanum spoliaverat: mandans ut puberes omnes jugularet, mulieres verò & juniores venderet. [*I Maccab. I. 30. II Maccab. V. 24.*]

Quum Hierosolyma venisset Apollonius, nihil hostile præ se ferens, cohibuit se usque ad diem Sabbathi: quo omnes qui ad sacra processerant confodit, & per civitatem cum armis discurrens magnam peremit multitudinem. Et accipiens spolia civitatis, eam incendit; diruitque domos ejus & muros in circuitu. Abduxeruntque captivas mulieres liberòsque & jumenta possederunt. [*I Maccab. I. 31. — 34. II Maccab. V. 25, 26.*] Josephus, lib. 12. Antiquit. cap. 7. ipsi Antiocho tribuens quæ à ministris ejus sunt peracta, *direptâ totâ urbe, habitatores partim necavisse eum scribit, partim captivos unâ cum liberis & uxoribus abduxisse usque ad decem millium numerum.*

Judâs quoque Maccabæus cum novem aliis secedens, in montibus ferarum more transigebat vitam cum suis comitibus; qui gramineo alimento vesci perseverabant, ne participes essent contaminationis, [*II Maccab. V. 27.*] sive ciborum vitiorum; sive idololatriæ, sive etiam contaminationis: & eam secutæ desolationis ipsius Sanctuarii: [*I Maccab. I. 39, 41.*] quæ restitutionem & purificationem ejusdem ab eodem Judâ Maccabæo postea factam (*I Maccab. IV. 43, 54.*) trium an-
norum

norum & sex mensium spatio antecessit. quanto tempore civitatem Hierosolymitanam ab Antiocho fuisse oppressam, Josephus in librorum de bello Judaico proœmio, & quotidiani sacrificii religionem cessavisse, in lib. 1. cap. 1. & Sanctuarium desolatum fuisse, in libro 6^o ejusdem operis (pag. 919.) idem author significat. postremum quoque illud, de Sanctuarii desolati tempore, asserente Hippolyto. [*Casen. Græc. in Daniel. cap. 8.*]

Postea ædificaverunt in civitate Davidis sive Sione murum magnum, & turribus firmis munitum, qui fuit ipsis pro arce; & nefariorum hominum præsidio ei imposito, Hierosolymorum spolia ibi deposuerunt. Cùmque inde insidiæ Templum frequentantibus subinde fierent, sanguisque innocens effunderetur, & contaminaretur sanctuarium; fugerunt habitatores Hierosolymorum: & fuit urbs habitatio exterorum, fuitque externa natis suis, liberis suis derelinquentibus ipsam. [*I Maccab. I. 35, — 40.*]

Rhodorum legati in Romanorum castra venerunt, cum iisdem de pace mandatis, quæ Romæ ingentem iram Patrum excitaverunt. Multo iniquioribus animis à castrensi concilio auditi sunt. Itaque cùm alii præcipites sine responso agendos castris, pronuntiavit post diem quintumdecimum se responsum daturum. Interim, ut appareret quantum pacificantium Rhodorum autoritas valuisset, consultare de ratione belli gerendi cœpit. [*Liv. lib. 44.*]

Pridie quàm Perseus superatus est, C. Sulpicius Gallus tribunus militum secundæ legionis, L. Æmilii Pauli Consulis permisso ad concionem militibus vocatis pronuntiavit, nocte proximâ, ne quis id pro portento acciperet, ab horâ secundâ usque ad quartam horam noctis Lunam defecturam esse. Id quia naturali ordine statis temporibus fiat, & sciri antè & prædici posse; neque in prodigium trahi debere. [*Id. ibid.*] Quod mox & composito volumine eum docuisse narrat Plinius, lib. 2. cap. 12. ubi hunc primum Romani generis rationem defectus utriusque sideris in vulgus extulisse refert. De quo apud Ciceronem (in libello de Senectute) Cato. *Mori videbamus in studio dimetiundi penè cæli atque terra Gallum, familiarem patris tui (Æmilii Pauli,) Scipio. Quoties illum lux noctu aliquid describere ingressum, quoties nox oppressit cùm cœpisset manè? Quàm delectabatur, cum defectiones Solis & Luna multo nobis antè prædiceret!*

Nocte, quam pridie Nonas Septembris insecuta est dies, editâ horâ Luna cùm defecisset, Romanis militibus propè divina videbatur: Macedonas ut triste prodigium occasum regni perniciemque gentis portendens movit. [*Liv. lib. 44. cum Justin. lib. 33. cap. 1. Valer. Maxim. lib. 8. cap. 11. Ful. Frontin. Stratagem. lib. 1. cap. 12.*] Totalem verò Lunæ obscurationem Junii Juliani die 21^o horâ 8^a post meridiem, hoc anno in Macedoniâ contigisse, calculus Astronomicus demonstrat: quum jam nocte corpora somno & quieti milites dare vellent; ut in *Paulo Æmilio* habet Plutarchus. Unde colligitur, Idus Martias hujus anni, quibus secundum suum Consulatum Paulus inivit, in 4^{to} Januarii Juliani diem incidisse.

Sequente die, victo Perseo, (*I Maccab. VIII. 5.*) regnum Macedonicum

nicum cecidit : cum jam inde à Carano per annos 626 steteret. Imperii verò Macedonici reliquæ, Romano jam surgente imperio, in Seleucidis Syriæ & Ptolemæis Ægypti adhuc superfuerunt.

Tertio die Perseus quàm pugnatum erat, Amphipolim in Thraciâ, cum 500 ferè Cretensibus, fugâ peruenit. Ab Amphipolitanis verò non receptus, pecuniâ & auro argentoque in lembos qui in Strymone stabant delatis, & ipse ad flumen descendit. Cretensibus, spem pecuniæ securis, ex thesauro suo scyphos & crateras aliâque aurea & argentea vasa, ad 50 talentorum pretium, deprompsit, positâque in ripâ, diripienda illis reliquit. Ab hâc direptione cum per tumultum naves conscenderent, lembum unum in ostio amnis multitudine gravatum merferunt. Galipsum vel Alepsum eo die, postero in Samotheaciam insulam cum duobus talentum millibus peruenit : atque ad templum Castoris & Pollucis supplex confugit. [*Liv. lib. 44. cum Plutarcho, in Paulo Smilio.*]

Victoriæ Romanæ fama cum pervasisset in Asiam, Antenor qui cum classe lemborum ad Phanas stabat, Cassandriam inde trajecit. [*Liv. lib. 45.*]

d. C. Popillius qui ad Delum præsidio navibus Macedoniam petentibus erat postquam debellatum in Macedoniâ & statione summos hostium lembos audivit, dimissis & ipse Atticis navibus, ad susceptam legationem peragendam navigare Ægyptum perrexit : ut prius occurrere Antiocho posset, quàm ad Alexandriæ moenia accederet. Cum præterveherentur Asiam legati, & Loryma venissent, qui portus 20 amplius millia ab Rhodo abest, ex adverso ipsi urbi positus : principes Rhodiorum occurrerunt (jam enim eò quoque victoriæ fama perlata erat) orantes ut Rhodum devcherentur. Nam & id ad famam salutemque civitatis pertinere dicebant, noscere ipsos omnia quæ acta essent agerenturque Rhodi, & comperta per se non vulgata famâ Romam referre. Diu negantes perpulerunt, ut moram navigationis brevem pro salute sociæ urbis paterentur. Et postquam Rhodum ventum est, in concionem quoque eos iidem precibus pertraxerunt. [*Id. ibid.*]

Adventus legatorum auxit potius timorem civium quàm minuit. Omnia enim Popillius, quæ singuli universique eo bello hostiliter dixerant fecerantque, retulit ; & vir asper ingenio augebat atrocitatem eorum quæ dicerentur vultu truci & accusatoriâ voce : ut quâ propriæ simultatis nulla causa cum civitate esset, ex unius senatoris Romani acerbitate, qualis in se universi Senatus animus esset, conjectarent. C. Decimû moderatio oratio fuit : qui in plerisque eorum quæ commemorata à Popillio essent, culpam non penes populum, sed penes paucos concitatores vulgi esse dixit. eos vanalem linguam habentes, decreta plena regiæ assentationis fecisse, & eas legationes misisse, quarum Rhodios semper non minus puderet quàm poeniteret : quæ omnia, si potestas populo foret, in capita noxiorum versura. Cum magno assensu auditus est, non magis eo quòd multitudinis noxam elevabat, quàm quòd culpam in auctores verterat. Itaque cum principes eorum Romanis responderent, nequaquam tamen tam grata oratio

oratio eorum fuit, qui quæ Popillius objecerat diluere utcumque conati sunt, quàm eorum qui Decimio in authoribus ad piaculum noxæ objiendis assensu sunt. Indèque Rhodii illi, qui prius tantos gerebant spiritus, quasi tam Philippum quàm Antiochum vicissent ac viribus potiores ipsis Romanis essent, in tantam adacti fuere trepidationem; ut præsentibus legatis decretum extemplo fecerint, ut qui pro Perseo adversus Romanos dixisse quid aut fecisse convincerentur, capitis condemnarentur. Excesserunt urbe sub adventum Romanorum quidam, alii mortem sibi consciverunt. Legati non ultra quàm quinque dies Rhodi morati, Alexandriam profecti sunt. Nec eo segenius judicia ex decreto coram his factò Rhodi exercebantur: quam perseverantiam in exequendâ re Decimii lenitas afferebat. [*Id. ibid. cum Dione, legat. 20. al. 21.*]

Quum de Persei fugâ nuncius Romam perlatus fuisset, placuit Senatui legatos Rhodiorum, qui ad pacem cum Perseo faciendam venerant, in Curiam vocare. Legati, quorum princeps Agefipolis, Senatum ingressi, missos se dixerunt ad dirimendum bellum; quod grave atque incommodum Græciæ omni, sumptuosum ac damnosum ipsis Romanis esset. nunc quando finitum illud esset, ita ut semper optaverant Rhodii; gratulari se illis. Hæc ubi breviter dixisset Agefipolis, Curiam excessit. Senatus eâ occasione usus, quum Rhodios vellet *ῥηδίωνων* & exemplum aliis constituere, responsum dedit. Rhodios neque utilitatem Græciæ neque curâ impensarum populi Romani, sed pro Perseo legationem eam misisse. Nam si ea fuisset cura quæ simularetur, tum mittendos legatos fuisse, cum Perseus in Thesaliam exercitu inducto per biennium Græcas urbes alias obsideret, alias denunciatione armorum terreret. Tum nullam pacis ab Rhodiis mentionem factam: postquam verò superatos saltus transgressosque in Macedoniam Romanos audirent, & inclusum teneri Perseum, tunc Rhodios legationem misisse, non ad ullam aliam rem, quàm ad Perseum ex imminente periculo eripiendum. Propterea cessere Patres, neque lautia aut aliud beneficium, neque ullum benignum responsum legatis dare se debere [*Polyb. legat. 88. Liv. lib. 45.*]

Thoas, qui Rhodo à Dinone ad Perseum internuncius missus sæpè in Macedoniam navigaverat, rebus jam inclinatis, sibi metuens Cnidum confugit. Cùmque cum Cnidii in custodiam compergissent, vindicatus à Rhodiis Rhodum remissus est: ubi habitâ de ipso quæstione cuncta confessus, prorsus cum omnibus interceptarum litterarum notis, cùmque epistolis tum à Dinone tum à Perseo ultrò citròque missis consentiebat. Unde convictus Dino ad aliorum exemplum supplicio est affectus. [*Polyb. in Excerpt. Valesii, pag. 137, 138.*]

Cn Octavius, qui unâ cum Paulo Emilio bellum Macedonicum administrabat, classe Samoethraciam appulsâ Perseum Dioscurorum quidem religione motus reliquit inviolatum; mari tamen & effugio præclusit. [*Plutarch. in P. Emilio.*] Cùmque cum modò minis, modò spe ad deditionem pellicere conaretur, adjuvit in hoc illum res seu casu contracta, seu consilio. L. Attilius illustris adolescens, cum in concione esse populum Samoethracum animadvertisset, concessu magi-
stratus.

stratus, questus est, creditam Insulæ sanctitatem violari Euandri Creten-
sis præsentia; qui cum Eumenis regis cædem Delphis penè perpe-
trasset, jam se unâ cum Perseo Templi asylo tutaretur. Hinc Theon-
das, qui summus magistratus apud eos erat, (Regem ipsi appellant)
se totâque insulam in potestate Romanorum esse videns, ut Euander
judicio permitteretur, à Perseo postulavit. Id cum Perseus improba-
ret, quod videret patefactum crimen in se devolutum iri, Euandum
interfici curavit: corrupitque pecuniâ Theondam, ut renunciaret po-
pulo, sibi ipsum mortem conscivisse. Cæterum tanto facinore in
unum relictum amicum, ab ipso per tot casus expertum, omnium
qui secum erant alienavit animos: & cum pro se quisque transfret ad
Romanos, solus propè relictus, fugæ consilium capere coactus est.
[Liv. lib. 45.]

Cum Oroande igitur Creten-
si cui nota Thraciæ ora erat, quia
mercaturas in eâ regione fecerat, clam Perseus egit, ut se sublatum
in lembum (qui ad Demetrium promontorium stabat) ad Thracum
regem Cotym deveheret. Sub occasum Solis delata ad lembum pecu-
nia est, quanta clam deferri poterat: quâ receptâ Oroandes arte Cre-
ticâ usus, primis tenebris solutâ nave, per altum Cretam petiit. Me-
diâ deinde nocte, miserabilis Perseus ex angustâ fenestrâ per murum
se puerosque & conjugem demisit, laborum & erroris rudes. Postquam
in portu navis non inventa est, vagatus aliquandiu in litore, postremò
timens lucem jam appropinquantem, ad obscurum angulum in templi
latere se recepit. [Liv. & Plutarch. ut supra.]

Ubi jussu Prætoris Octavii pronunciatum est per præconem, regio-
pueros (principum liberos ad Regis ministerium electos) Macedonâ-
que alios qui Samothraciæ essent, si transfret ad Romanos, ineolu-
mitatem libertatèque & sua omnia servaturos, quæ aut secum ha-
bebant aut in Macedoniâ reliquissent: transitio omnium facta est, no-
minâque dabant ad C. Posthumium tribunum militum. Ion quoque
Thessalonicensis liberos parvos regio, fidei suæ à patre commissos,
Octavio tradidit: nec quisquam præter Philippum maximum natum
è filius cum rege est relictus. Tum sese filiumque Octavio tradidit:
fortunam, deòsque quorum in templo erat, nullâ ope supplicem ju-
vantes, stultè accusans. In prætoriam navem imponi jussus, eodem
& pecunia quæ superfuit delata est: extemploque classis Amphipolim
repetiit. [Ibid.]

Antiochus ad occupandum Pelusium veniens, ubi Leusinem flumen
esset transgressus, (qui locus quatuor millia ab Alexandriâ abest) lega-
tis Romanis occurrit. Quos quum advenientes salutasset, dextram
que Popillio porrigeret, tabellas quas manibus tenebat, Senatus-
consultum continentes quo bellum adversus Ptolemæum extemplo
finire ille jubebatur, tradidit, atque omnium primum id legere jussit.
Perlectis tabellis, quum se consideraturum adhibitis amicis, quid faci-
endum sibi esset, dixisset: Popillius virgâ quæ in manu gerbat vir-
ginè circumscriptis Regem, ac prius quàm circulo descripto exce-
deret, tabellis cum respondere jussit. Obstupescens Rex isto adeò
insolito atque imperioso facto, ubi parumper hæsitasset; *Faciem*, in-
quit,

quit, quod Romani jubent. Tum demum Popillius dextram regi tanquam socio atque amico porrexit. Paucorum deinde dierum ac numero certo definitorum spatio concessio, Antiochus copias suas in Syriam. (pro ἀγείαν enim in Polybio, σφεϊαν ex Livio rescribendam censemus) gravatè ille quidem ac gemens, sed tamen abduxit, in præsentia temporis cedendum ratus. [Polyb. legat. 92. & Liv. lib. 45. cum Cicerone in Philippicâ 8^a, Velleio Paterculo lib. 1. cap. 10. Valerio Maximo lib. 6. cap. 4. Fustino lib. 34. cap. 3. Appiano in Syriac. pag. 131. Plutarcho in Apophthegmat. cap. 32. &c.]

Samaritani videntes Judæos ab Antiocho miserrimè oppressos, origine Sidonios se fuisse profitebantur; indeque literas ab Antiocho ad Apollonium præsidem suum & Nicanorem procuratorem regum obtinuerunt, ut in communem cum Judæis causam ipsos non involverent; utque templum Garizitanum, hætenus nullius Dei titulo insignitum, Διὸς Ἐπιλυίου sive Jovis Græcanici nomine deinceps appellaretur. Extat hæc de re apud Josephum, lib. 12. Antiquit. cap. 7. Epistola supplex Samaritanorum; cum Antiochi Rescripto, anno XLVI (sed nescio à quâ epochâ deducto) mensis Hecatombaonis die XVIII dato.

Cùm excessisset Ægypto Antiochus, Romani legati concordiam inter fratres, inter quos vixdum convenerat, autoritate suâ firmarunt. [Liv. lib. 45.] C. Popillius liberationem Menalcidæ Lacedæmonii, qui necessariis regum temporibus ad rem familiarem augendam sedulo fuerat abusus, à Regibus beneficii loco petiit: Polyaratum verò, qui apud Rhodios Persei partibus maximè faverat, ut Romam mitterent iussit. Et Menalcidas quidem dimissus est: de Polyarato verò res dilata. Ptolemæus enim & Polyaratum & patriam reveritus, Romam illū mittere haudquaquam decrevit, sed Rhodum potius: quod & ipse Polyaratus postulabat. Navigio igitur impositum & Demetrii cujusdam ex amicis custodiæ traditum Rhodum destinavit; litteris etiam ad Rhodios de illius transvectione datis. At Polyaratus Phaselidem appulsus, nescio quid animo cogitans, sumptis verbenis atque infulis ad communem urbis larem confugit. [Polyb. legat. 92. & 95. & in Excerptis Valesii, pag. 138.]

Popillius, rebus Alexandriæ compositis, Cyprum navigavit: & inde quæ jam Ægyptios ibi vicerat classem atque exercitum Antiochi in Syriam dimisit. [Polyb. legat. 92. Liv. lib. 45.]

Ægypti Reges liberati bello contra Antiochum, ante omnia legatum Romam miserunt Numenium ex numero amicorum, gratias pro acceptis beneficiis acturum. [Polyb. legat. 95.]

Cùm Phaselitæ Rhodum misissent, postulantes ut Polyaratum ipsi accipere asportarèque vellent: Rhodii navem quidem miserunt, verum præfecto navis Epichari accipere illum in navem interdixerunt; quoniam Alexandrinis Rhodi hominem sistere mandatum fuisset. Nave igitur Phaseliden delatâ, cùm Epichares Polyaratum navigio excipere abnueret; contra Demetrius, cujus custodiæ commendatus ab Rege fuerat, exurgere hominem ac proficisci juberet, urgerentque adeò Phaselitæ, veriti ne id sibi apud Romanos fraudi esset: percussus casus gravitate Polyaratus, Demetrii navigium rursus conscendit.

Verum

Verùm in excensione opportunitatem nactus, iterum confugit Caunum contento cursu: ac similiter quiritando Cauniorum auxilium implorabat. A quibus repulsam passus, eo quòd Rhodiis contributi essent; clam ad Cibyratas misit, postulans ut in urbem reciperetur, mitterenturque qui ipsum tutò deducerent. Notus autem Cibyratis eò erat, quòd liberi Pancratis tyranni educati apud eum fuerant. Cùmque assensissent Cibyratæ & postulatis paruisent; Polyaratus Cibyræ delatus est. [*Id. in Excerpt. Valesii, pag. 138, 141.*]

Popillius & ea legatio quæ ad Antiochum missa erat Romam rediens, retulit controversias inter Reges sublatas esse, exercitumque ex Ægypto in Syriam reductum. Pòst ipsorum Regum legati venerunt. Antiochi legati referebant omni victoriâ potiorem pacem Regi, quæ Senatui placuisset, visam: eumque haud secus quàm Deorum imperio legatorum Romanorum iussis paruisse. Gratulati deinde victoriâ de Perseo sunt; ad quam summâ ope, si quid imperatum foret, ad futurum Regem fuisse. Ptolemæi legati communi nomine regis & Cleopatrz gratias egerunt. Plus eos Senatui populòque Romano quàm parentibus suis, plus quàm Diis immortalibus debere: per quos obsidione miserimâ liberati essent, regnum patrium propè amissum recepissent. Responsum ab Senatu est: Antiochum rectè atque ordine fecisse quòd legatis paruisset, gratumque id esse Senatui populòque Romano. Regibus Ægypti Ptolemæo Cleopatrzque si quid per se boni commodique evenisset, id magnopere Senatui lætari: daturumque operam, ut regni sui maximum semper præsidium positum esse in fide populi Romani ducant. Munera legatis ut ex instituto mittenda curaret, C. Papirio prætori mandatum. [*Liv. lib. 45.*]

Et ab Eumene & ab Attalo & ab Athenæo fratribus communis legatio de victoriâ contra Perseum gratulatum Romam venit. [*Id. ibid.*]

3837

Rex Antiochus edicto edito imperavit gentibus omnibus sibi subiectis eòdem cultus in toto regno servare, relictisque propriis consuetudinibus eandem cum Græcis religionem profiteri; mortis penâ non obedientibus propositâ: et præfecit inspectores unicuique populo, qui ad hoc faciendum omnes cogerent. [*I Maccab. I. 43, 52, 53.*]

Ex his, in Judæam & Samariam senem quendam Athenæum misit, ut Judæos à divinæ legis observatione discedere cogeret, & templum Hierosolymitanum contaminaret; illi Διὸς Ὀλυμπίου *Jovis Olympii* nomine imposito, sicut Garizimitano Διὸς Ἐπιεῖου *Jovis Hospitalis* sive Peregrinorum tutoris. illud enim cognomentum quàm Ἐπιεῖου Samaritanorum conditioni convenientius fuisse, re meliùs consideratâ, censuisse videtur: quòd in terrâ Judæorum peregrini illi essent & advenæ. [*II Maccab. VI. 1, 2.*]

Misit etiam Rex libellos per legatos Hierosolymam & ad civitates Judææ, ut sequerentur ritus Gentium, sacrificia è Sanctuario tollerent, sabbatha & dies festos præhiberent, Sanctuarium & ministrosejus coinquinarent, aras & lucos & idolorum delubra ædificarent, sues & immundas pecudes alias immolarent, filios ipsorum incircumcisos relinquerent,

linquerent, omnique re immundâ se polluerent; ita ut obliviscerentur Legis, & immutarent omnia statuta Dei sui. [I Maccab. I. 46, -51.] crimenque omnino esset, Judaicam religionem profiteri. [II Maccab. VI. 6.]

Decretum quoque prodiit in vicinas civitates Græcas, suggerente Ptolemæo (Dorymenis filio; II Maccab. IV. 45.) ut pari modo adversus Judæos agerent, & sacrificiorum participes fieri compellerent; eos autem, qui ad ritus Græcos transire nollent, jugularent. [II Maccab. VI. 8, 9.]

Et cæteræ quidem gentes amplexæ sunt sermonem Regis: & ex Israëlitis quoque multi consenserunt cultui ejus, & sacrificaverunt idolis, & coinquinaverunt sabbathum. [I Maccab. I. 44, cum II. 18.] Congregati enim sunt è populo ad eos multi Legis desertores: feceruntque ut Israëlità latitent in specubus & locis perfugii ipsorum. [I Mac. I. 55, 56.] Alii autem ducebantur cum acerbâ necessitate die natali Regis singulis mensibus ad esum idolothytorum: & cum erat Dionysiorum festum, cogebantur hederam ferentes pompam Baccho ducere. [II Maccab. VI. 7.]

Templum verò luxu & comessationibus implebatur à gentibus, molliter vitam consumentibus cum meretricibus, & in sacro ædis ambitu ad mulieres se adjungentibus, etiâque intrò ferentibus quæ non conveniebant: & altare rebus illegitimis, quas lex vetuerat, plenum erat. [II Maccab. VI. 4, 5.]

Die autem 15 mensis Cislevi, (partim Novembri, partim Decembri nostro respondentis) anno 145 regni Græcorum, extruxerunt abominationem desolationis (abominandum Jovis Olympii idolum) super altare: & in civitatibus Judææ circumquaque extruxerunt aras; & in foribus domorum atque plateis fecerunt suffitum. [I Maccab. I. 57, 58.]

Libros legis quos invenerunt, conscindentes combusserunt igne: & ubicunque inveniebatur apud aliquem liber fœderis, aut si quis approbabat Legem; secundum edictum Regis trucidabant eum. [I Maccab. I. 59, 60.] Ubi librorum Legis nomine, non solum Mosaicum Pentateuchum cum recentioribus Hebræis, qui hinc originem suarum *Petaroth* accersunt, (apud Eliam Levitam in Tischbi, voce τωσ) sed universam veteris Testamenti Scripturam accipimus: ut in Johann. X. 34. XV. 25. & I Cor. XIV. 21. Atque ita hîc Josephus, lib. 12. cap. 7. ἀφανίζετο δὲ εἴτετι βιβλῶν εὐρεθεῖν ἰεραὶ καὶ νόμοι, καὶ ὅτι οἱ εὐρεθεῖν, καὶ ἐπικαχοὶ κακῶς ἀπώλοντο. Abolebatur etiam ubicunque repertum esset sacrum aliquod volumen & Lex; & ipsi apud quos inveniretur mali malè peribant. et Severus Sulpicius, in sacr. Histor. lib. 2. *Sacra etiam Legis & Prophetarum volumina igni cremata.*

Die 25^o mensis Cislevi sacrificia sunt oblata in arâ idololatricâ, quæ exstructa erat super altare Dei. [I Maccab. I. 62.] anno Seleucidarum 145^o, Olympiade 153^a. [Joseph. lib. 12. cap. 7. & 11.]

Eodem tempore, duæ mulieres quæ filios circumciderant delatae sunt: ad quarum ubera suspensis natis, publicè per civitatem traductas deorsum à muro eas præcipitaverunt; & familias earum & eos qui

qui

qui infantes circumciderant trucidaverunt. [I Maccab. I. 64. II Maccab. VI. 10.]

Galatæ, Aduertâ duce, ingenti motu regnum Eumenis infestârunt. Induciis verò per hyemem factis, & Galli domos abierunt, & Rex in hyberna concessit Pergamum; ubi gravi morbo æger fuit. [Liv. lib. 45. cum Polyb. legat. 93.]

Antiochus, ubi edicta sua contemni videbat à populo, per tormenta unumquemque cogebat gustatis cibus immundis abjurare Judæismum. [Joseph. libell. de Maccab.] Sed Israëlitarum multi roborati sunt, & obfirmati in se, ne immunda comederent: & mori elegerunt, ne polluerentur cibus illis, neque sanctum fœdus inquinarent. [I Maccab. I. 65, 66.]

4547 167

Præfens igitur cum assessoribus tyrannus Antiochus in quodam sublimi loco, astante circumcirca armato exercitu, jussit unumquemque Hebræorum abripi & ad carnes suillas & idolothyta gustanda vi adigi: si qui verò profanas dapes recusarent, hos trochleis distentos è vitâ tolli. [Joseph. ut supr.]

Multis verò abreptis, unus in primis nomine Eleazarus, ex sacerdotali genere, in legum disciplinâ ut Scriba primarius versatissimus, ætate nonagenarius, & propter eam multis Antiochi affeclis notus, coram adductus est. Qui carnes suillas nec manducare nec manducasse simulare consentiens, crudelissima subire tormenta quàm legem violare maluit. [Id. ibid. II Maccab. VI. 18. — 31.]

Pbst hunc septem fratres adolescentes, cum matre eorum fortissimâ, coram Antiocho sunt producti: qui carnem suillam gustare recusantes, exquisitis tormentorum modis excruciat, invictas Deo animas reddiderunt. Horum nobilissimum martyrium, in II Maccab. VII. capitulo habetur descriptum; & in Josephi de Maccabæis libello, Πτερι αυτουρα τορ @ λογιου, De imperatrice ratione inscripto. In cujus Latinâ paraphrasi à Rufino editâ, hi à castello suo Susandro Antiochiam ad Regem adducti fuisse dicuntur: eorumque eduntur nomina, Machabeus, Aber, Machir, Judas, Achas, Areth, Jacob, & matris, Solomonia; quàm Hannam tamen posteriores Hebræorum historici appellant.

In Judæâ hoc tempore Rhazis Senator Hierosolymitanus aliis exemplo præluxit; corpus animamque suam pro Judæismo tuendo exponens: pro beneyolo in patriam affectu Pater Judæorum appellatus. [II Maccab. XIV. 37, 38.]

Ministri Regis qui in Judæâ homines ad apostasiam impellebant, in opidum Modin venerunt; ut Israëlitas ibi sacrificare cogèrent. [I Maccab. II. 15.] Erat autem Modin vicus juxta Divopolim; ut in libello Σεπτερον ορομειτων refert Eusebius. Confedit ibi tum Maccathias filius Johannis, filii Simæonis, Hierosolymitanus Sacerdos ex familia Joaribi (quæ inter 24 εφημεριδας I Chronic. XXIV. 7. prima erat) unâ cum quinque suis filiis; Johanne qui Caddis vel Gaddis, Simone qui Thasi, Judâ qui Maccabæus, Eleazaro qui Abaron vel Avaran, & Jonathane qui Apphus vocabatur. [I Maccab. II. 1, 5.] Urque septem illi martyres, qui Antiochiæ certamen suum peregerunt, à ma-

XIMO

ximo natu fratre *Maccabæo*, commune *fratrum Maccabæorum* nomen invenerunt: ita ut à *Juda Maccabæo* quinque *Mattathiæ* filiorum, si non ætate (uti *Josepho*, libro 1. *Belli* cap. 1. fuit visum) certè fortitudinis & ex eâ partæ gloriæ ratione maximo (I *Maccab.* II. 66. III. 4, 9. IV. 26.) eandem communem *Maccabæorum* appellationem nanciscerentur usus quoque obtinuit. Pater verò eorum *Mattathias* sive *Matthias* à *Josepho*, lib. 1. *Belli* cap. 1. (ut & in *Chronico Eusebii* & minore *Seder Olam Hebræorum*) *Asamonai filius* appellatur: sed in lib. 12. *Antiquit.* cap. 8. explicatiùs; $\gamma\acute{o}s\ \text{I}\omega\alpha\acute{\nu}\nu\alpha$, $\text{\&}\ \Sigma\upsilon\mu\omega\acute{o}\nu$, $\text{\&}\ \text{A}\omega\alpha\mu\omega\upsilon\alpha\iota\upsilon$, *filius Johannis, filii Simeonis, filii Assamonai*. Vulgus Hebræorum, ipsum *Mattathiam* *Hasamoneum* dictum fuisse vult; ab eoque ad posteros cognomentum illud descendisse. De quo videndus *R. David Kimchi*, ad *Psal.* LXVIII. 32. ubi vox $\text{M}\omega\text{t}\text{t}\text{a}\text{t}\text{h}\text{i}\text{a}\text{h}$ *Principes* denotat.

Antiochi ministri *Mattathiam* ad se adductum magnopere hortabantur, ut cum princeps & illustris & magnus in urbe *Modinensi* esset, munitusque filiis ac fratribus, exemplo suo aliis in obedientiâ mandato Regis præstandâ præiret. Quod ille non solum constanter recusavit, sed etiam *Judæum* quendam in altari ethnico sacrificantem conspicatus, super aram ipsam eum jugulavit: eodemque tempore & regium præfectum (*Josepho*, lib. 12. cap. 8. *Apellem* dictum) qui cogebat sacrificare trucidavit, & aram diruit. Deinde hortatus omnes qui zelo Legis ducebantur ut ipsum sequerentur; unâ cum filiis in montes fugit, relictis in urbe omnibus facultatibus suis. [I *Maccab.* II. 16,--28.]

Tunc multi justitiæ cultores descenderunt in loca occulta deserti; ibique cum filiis & uxoribus & jumentis suis in speluncis victitabant. Quod cum indicatum fuisset *Philippo* (*Phrygi* illi, quem præfectum *Hierosolymis* reliquerat *Antiochus*; II *Maccab.* V. 22.) duces regii, præsidio *Hierosolymitanæ* arcis assumpto, eos persecuti sunt: & cum ut Regis dicto essent audientes persuadere non possent, die *Sabbati* igne in specus injecto, ipsos cum uxoribus, liberis & jumentis, ad mille hominum numerum, concremârunt; inclusis, ob *Sabbati* honorem, non repugnantibus, ac ne aditus quidem speluncarum obturantibus. [I *Maccab.* II. 29,--38. II *Maccab.* VI. 11. *Joseph. lib.* 12. cap. 8.]

Id quum cognovissent *Mattathias* & amici ejus, casum eorum valde luserunt: statueruntque, si die *Sabbati* ab hostibus deinceps oppugnarentur, armis se illos esse repulsuros. [I *Maccab.* II. 39, 40, 41. *Joseph. ut supr.*]

His adjunxit se congregatio *Asidæorum*, virorum religiosorum, qui Legi per armâ tuendæ sponte se offerebant, & omnes qui à malis fugere sunt coacti: constitutoque exercitu, homines impios partim cæciderunt, partim ad nationes fugâ se recipere compulerunt. Circumeuntes autem *Mattathias* & amici ejus, diruerunt aras, circumciderunt pueros quoscumque incircumcisos invenerunt in sinibus *Israëlis*, & persecuti sunt filios superbiæ: prosperèque successit opus in manibus eorum. [I *Maccab.* II. 42,--48.]

Cum *Cibyratæ* neque retinere *Polyaratum Rhodium* penes se metu

metu populi Romani auderent, neque porrò Romam deportare ob imperitiam rei maritimæ (quippe penitus mediterranei) possent: legationem Rhodum mittere, & in Macedoniam ad L. Æmilium Paulum proconsulem cogebantur, rogantes ut accipere hominem vellent. Scripsit verò Proconsul, Cibratis quidem, ut Polyaratum in arctâ custodiâ haberent, Rhodumque deducerent; Rhodiis verò, ut eundem maritimo itinere Romam tutò deferri curarent. Atque ita re ab utrisque, ut imperatum erat, perfectâ, Polyaratus tandem Romam perductus est. [*Polyb. in Excerptis Valesii, pag. 141.*]

Ad Galatarum motum compescendum Eumenes rex fratrem suum Attalum Romam misit: simul etiam de victoriâ adversus Perseum partâ Senatui gratulaturum. Quam legationem eo quoque libentiùs suscepit Attalus; ut, quoniam eo in bello Romanos adjuvisset, & ad omnia pericula hilarem se ac promptum socium præbuisset, quàm gratum id officium Patribus esset, aliquo favoris & benevolentiæ testimonio experiretur. Quâ spe ne ad regnum etiam obtinendum ille sollicitaretur, post fratrem Eumenes Stratium medicum Romam misit, magnæ apud se fidei atque authoritatis virum; speculatorem rerum quæ à fratre agerentur, monitorémque fidum si decedi fide vidisset. [*Polyb. legat. 93. Liv. lib. 45.*]

Attalum Romam venientem quum benignè omnes exciperent, partim ob præcedentem consuetudinem, quòd simul eo bello militaverant, partim quia amicum sibi illum esse credebant; quumque majore quàm sperâisset ipse comitatu obviam ei esset processum: inflari vanâ spe cœpit, veræ causæ ignarus, cujus gratiâ adeo benignè fuisset exceptus. Nam quum plerorumque è Romanis alienati animi ab Eumene essent, atque eum obliquè in hoc bello se gessisse crederent, colloquia cum Perseo habentem, & temporibus Romanorum imminem; quidam è principibus seducere ad familiaria colloquia Attalum atque hortari institerunt, ut quam pro fratre susceperat legationem poneret, ac pro se loqueretur. Senatum enim à fratre ejus alienatum, proprium ipsi dominatum ac potentiam velle conciliare. Ex quo fiebat, ut Attalo erigerentur animi; ita ut nonnullis è proceribus reciperet, in Senatum se venturum, ut de eâ re verba apud Patres faceret. Verùm ab eo proposito Stratius medicus eum dimovit, vir prudentiæ singularis & ad persuadendum efficax. Posuerat enim ei ob oculos, & jam in præsentia regnare ipsum, non minùs quàm fratrem; & in posterum regni non dubium successorem relinqui: neque verò eam spem abesse longè; quum propter infirmitatem corporis in dies atque in horas vitæ finem expectet Eumenes. Accessisse etiam novam tempestatem regno tumultus Gallici, cui vix consensu & concordia regum resisti queat; quanto minùs si ad externum bellum intestina seditio adjiciatur? Introductus igitur in Senatum Attalus, gaudium suum de victo Perseo primùm testatus est: deinde de fide atque alacritate animi suâ quam ad id bellum adhibuerat differuit. Tum de mittendis legatis qui Galatas suâ autoritate ab armis avocarent, & ad statum priorem redigerent, multis verbis egit. Adjecit etiam de Æniorum & Maronitarum urbibus; quas sibi dari dono postulabat: accusationem

verò fratris & petitionem de dividendo regno penitus omisit. [*Id. ibid.*]

Senatus, existimans Attalum iterum ad se aditurum & de iis rebus separatim acturum, legatos missurum se promisit; & in muneribus largiendis, quæ moris est dare, magnificentiam singulari est usus: urbes etiam illas daturum se est pollicitus. Sed quum post exhibitâ sibi omnia humanitatis officia urbè exiisset Attalus, neque eorum quæ sperabat Senatus quicquam fecisset; frustrati Patres suâ spe, dum is adhuc esset in Italiâ, Ænum & Maroneam liberas pronuntiârunt, promissione quam Attalo fecerant revocatâ. Legationem verò, cujus Publius Licinius princeps erat, ad Galatas miserunt. [*Polyb. legat. 93.*]

Inter multas Asiæ Græciæque legationes, post Attalicam hanc, Rhodiorum maximè legati in se omnium oculos animosque converterunt. Eorum duplex hoc tempore erat legatio: quarum priorem obibat Philocrates, posteriorem Philophon & Astymedes. [*Id. ibid. Liv. lib. 45.*] Rhodii enim responso illo accepto, quod statim post pugnam cum Perseo pugnam Agecipoli datum fuerat, irâ Patrum adversus se cognitâ & minis auditis, extemplo legationes illas miserunt. [*Polyb. ibid.*]

Legati quum primò in veste candidâ visi essent (quod & gratulantes decebat, & si sordidam vestem habuissent, lugentiam Persei casum præbere speciem poterant:) postquàm consulti ab Marco Junio Consule patres, stantibus in Comitio legatis, an locum, lautia, senatûmque darent; nullum hospitale jus in iis servandum censuerunt. Egressus Curiâ Consul, quum Rhodii gratulatum se de victoriâ, purgatûmque civitatis crimina dicentes venisse, petissent ut senatus sibi daretur, pronuntiavit: sociis & amicis & alia comiter atque hospitaliter præstare Romanos & senatum dare consuêsse; Rhodios non ita meritos eo bello, ut amicorum sociorum numero habendi sint. His auditis prostraverunt se omnes humi; Consulem & cunctos qui aderant orantes, ne nova falsâque crimina plus obeffe Rhodiis censerent quàm antiqua merita, quorum ipsi testes essent. Et extemplo veste sordidâ sumptâ, domos principum cum precibus ac lachrymis circumibant; orantes ut prius cognoscerent causam, quàm condemnarentur. [*Liv. lib. 45.*]

Marcus Juventius Talua prætor, cujus inter cives & peregrinos jurisdictio erat, populum adversus Rhodios incitabat: novoque & malo exemplo, antè non consulto Senatu, non Consulibus certioribus factis, de suâ unius sententiâ rogationem tulerat, vellent juberentne bellum Rhodiis indici, & ex ejus anni magistratibus deligi qui ad id bellum cum classe mitteretur; se eum sperans futurum esse. Huic actioni M. Antonius & Marcus Pomponius tribuni plebis adversabantur: indeque inter prætorem & tribunos omnia intempestivè agendi certamen erat. Tribuni festinationem prætoris ante tempus intercedendo in adventum imperatoris Æmilii differendam persuaserunt. [*Id. ibid.*] Ab Antonio prætor de rostris est detractus: introductique in Senatum ab eo Rhodiorum legati, verba fecerunt; prius quidem Philo-

Philophron, deinde etiam Astymedes. [*Polyb. legat. 93. cum Diador. Siculo, legat. 19. et in Photii Bibliothecâ, cod. 244.*] Cujus posterioris videtur ea esse oratio, quæ ἀνοραλῶ habetur apud Livium. Suam enim concionem in litteras relatast Astymedem publicavisse, testatur Polybius: quam tamen à prudentioribus eo nomine improbatam fuisse, addit idem; quòd (in priore fortasse illius parte, quæ apud Livium desideratur) defensionem patriæ suæ ita instituisset, ut cum reliquorum Græcorum criminatione minimè necessariâ esset conjuncta.

Finitâ oratione, universi prociderunt, ramósque olæ supplices jactantes, tandem excitati Curiâ excesserunt. Tunc sententiæ interrogari coeptæ. Infestissimi Rhodiis erant, qui consules prætorésve aut legati gesserant in Macedoniâ bellum. Plurimum causam eorum adjuvit M. Porcius Caro; qui asper ingenio, tum lenem mitémque senatorem egir. Ejus oratio pro eis in Senatu tunc habita, quinto Originum libro ab ipso est inclusa. [*Liv.*] Patres demùm, de injuriis multa sigillatim Rhodiis asperè ac durè exprobrantes; nisi per paucos populo Romano amicos staret, ac maximè per ipsos legatos, scire probè Senatum dixerunt, quomodo Rhodii essent tractandi. Atque ita redditum eis est responsum; ut nec hostes fierent, nec socii permanerent. [*Polyb. Diador. Sicul. & Liv. ut supra.*]

Hoc edito responso, extemplò Rhodum abiit Philocrates: Astymede Romæ subsistente, ut quæ agerentur sciret, certioresque suos faceret. Rhodii, quia maximo illo metu belli à Romanis inferendi videbantur liberati, cætera etsi erant admodum tristia æquo animo ferebant. [*Polyb. & Liv.*]

P. Licinius & cæteri legati qui cum Attalo ad finiendum bellum inter Gallos & regem Eumenem missi erant, Synnada pervenerunt: cùm Eumenes (quem recuperatâ valetudine, ver primum ex domo exciverat) ad Sardes undique exercitum contraxisset. Synnadis legati Romani Solovettium ducem Gallorum sunt allocuti, & Attalus cum eis profectus: sed castra Gallorum intrare eum non placuit, ne animi ex disceptatione irritarentur. P. Licinius cum regulo Gallorum locutus, ferociorem eum deprecando reperit. Ut mirum videri posset, inter opulentos reges Antiochum Ptolemæumque tantum legatorum Romanorum verba valuisse, ut extemplò pacem facerent: apud Gallos nullius momenti fuisse. [*Liv. lib. 45.*]

Ineunte æstate Rhodii legatum *Theatetum* (*Theodotum* Livii habent exemplaria) præfectum classis constitutum, cum coronâ è 10 (vel 20, ut apud Livium legitur) aureorum millibus; & simul cum eo legationem aliam, cujus princeps Rhodophon, Romam miserunt: ut modis omnibus societatem eum Romanis niterentur contrahere. Societatem autem à Romanis ita volebant peti, ut nullum de eâ re scitum populi Rhodii fieret, aut litteris mandaretur: ne, si eam non impetrarent, præter irritam legationem, major repulsis esset ignominia, & facti decreti eos poeniteret. Cùm igitur ex legibus potestatem sancientiæ societatis, sine rogatione ullâ perlatâ, Præfectus classis unus haberet: per ipsum tentare animos decreverunt. Et antehac quidem illi, licèt nobilissimas pulcherrimásque victorias Romanorum adjuvissent, per

annos tamen 40 ita in amicitia fuerant, ut sociali foedere se cum eis non illigarent: ne sacramenti religione adstricti, regibus & dynastis alii bella cum Romanis gerentibus spem auxilii sui, si opus esset, profus abscinderent. Nunc verò summam contentione honorem hunc obtinere sunt enisi, non quòd novis societatibus studerent aut quemquam prater ipsos Romanos metuerent; sed ut minus se Romanis suspectos redderent. [*Polyb. legat. 93. Liv. lib. 45. Dio, legat. 21. vel 22.*]

Vix Romam Theætetus appulerat, cum Caunii ab eis desciverunt; & Mylassenses Euromensium opida occuparunt. Rhodii igitur, Lyco prope missa cum exercitu, Caunios, quanquam Cibyratarum asciverant auxilia, coegerunt imperio parere: & Mylassenses Alabande nosque, qui Euromensium provinciã ad ipsos conjuncto exercitu venerunt, circa Orthosiam acie vicerunt. [*Polyb. & Liv. ibid.*]

Sub idem ferè tempus à Senatu decretum est editum, quo Caribus & Lyciis omnibus quos Rhodiis post confectum bellum Antiochicum Romani attribuerant libertas concedebatur: jussique Rhodii sunt ante certam diem ex Lyciã Cariãque præfectos deducere. Quo accepto nuntio, mentes Rhodiis iterum pavore sunt concussæ: malè metuentibus, ne & coronam frustra donassent, & societatem frustra sperassent. Atque ita Rhodii Lyciam Cariãque, postquam magnis expensis, tria bella ad eas obtinendas sustinere fuissent coacti, tandem amiserunt. [*Polyb. legat. 93. & 104. Liv. lib. 45. Appian. Syriac. pag. 116.*]

Quum Theæteto senatus esset datus, de societate cum Rhodiis in eundã verba fecit. Sed dum Patres moras nectunt, vitã ille functus est, octuagenario jam major. Deinde advenerunt Romam Caunii & Stratonicensis exules: qui postquam in Senatu essent auditi, factum est Senatusconsultum, quo jubebantur Rhodii præsidia Cauno & Stratoniceã educere. Eo responso accepto, Philophron & Astymedes festinanter in patriam sunt profecti; ne Rhodii si præsidia educere neglexissent, aliarum denuo calamitatum principium suæ civitati exoriretur. [*Polyb. legat. 99.*]

Per idem tempus Cnoßii & Gortynii bellum cum Rhauciis gerabant: isto foedere inter ipsos, quod & jurejurando firmaverant; non prius se bellandi finem facturos, quam Rhaucum vi expugnassent. [*Id. legat. 100.*]

Rhodii cognitã Cauniorum legatione, quum animadverterent nihil remittere Romanorum iram, obsecuti per omnia eorum voluntati sunt. [*Id. ibid.*] Atque ita amiserunt Caunum, quam à Ptolemæi ducibus talentis 200 redemerant; & Stratoniceam, quam ut magnum beneficium ab Antiocho & Seleuco acceperant: quarum urbium utraque 120 annua talenta civitati ipsorum pendebat. [*Id. legat. 104.*]

Rhodii legationem, cujus princeps erat Aristoteles, Romam miserunt. His mandatum erat, ut societatis iterum mentionem facerent, inque eam curam incumberent. Sed quum adultã jam ætate in urbem legati isti venissent, & dato ipsis senatu, post expositum Rhodiorum obsequium in omnibus quæ imperata fuerant, ad societatem multis

3838

multis variisque rationibus Patres essent hortati; Senatus ejusmodi responsum dedit, in quo nullâ amicitiae mentione factâ, ut societatem Rhodiis indulgerent, Patres sui officii negârunt esse. [*Id legat. 100.*]

Autumni initio L. Æmilius Paulus, præposito castris C. Sulpitio Gallo, ad circumeundam Græciam cum haud magno comitatu profectus est; tegentibus latera Scipione filio & Athenæo Eumenis regis fratre. Macedoniae libertatem, & leges sociis convenientes dedit. Ab seriis rebus ludicrum, quod ex multo ante præparato, & in Asiae civitates & ad reges missis qui denunciarent, & quum circumiret ipse Græciæ civitates indixerat principibus, magno apparatu Amphipoli fecit. Notatâque est in illo conventu Europæ Asiæque, undique partim ad gratulationem partim ad spectaculum contractâ multitudine, tantis navalibus terrestribusque exercitibus, ea copia rerum, ea vilitas annonæ; ut & privatis & civitatibus & gentibus dona data pleraque ejus generis sint ab Imperatore, non in usum modò præsentem, sed etiam quod domos averherent. [*Liv. lib. 45.*]

A Romanis Labeo ad Antissam in Lesbo insulâ diruendam, & traducendos Methymnam Laryssæos est missus: quòd Antenorem Persei præfectum, quo tempore cum lembis circa Lesbum est vagatus, receptum comitatibus juvissent. [*Id. ibid.*]

Prusias (Venator) Bithyniæ rex, cum filio Nicomede, Romam venit. Illi obviam L. Cornelium Scipionem quæstorem Capuam Senatus misit: censuitque ut domus ei Romæ quàm optima conductoreretur, & copiæ non solum ipsi sed etiam comitibus ejus publicè præberentur. In eoque excipiendo tota urbs unius humani amici vultum habuit. [*Liv. lib. 45. Valer. Maxim. lib. 5. cap. 1.*]

Magno comitatu urbem ingressus, ad forum à portâ tribunâque Q. Cassii prætoris perrexit: concursûque undique facto, Deos qui urbem Romam incolerent, Senatûmque & populum Romanum salutarum se dixit venisse: & gratulatum quòd Persea Gentiumque regem vicissent; Macedonibusque & Illyriis in ditionem redactis, anxissent imperium. Quum Prætor senatum ei, si velit, eo die daturum dixisset; biduum petiit, quo templa Deûm urbemque & hospites amicòsque viseret. Datus qui circumduceret eum L. Cornelius Scipio quæstor. Tertio post die Senatûm adiit, victoriam gratulatus est, merita sua in eo bello commemoravit; petiit ut votum sibi solvere, Romæ in Capitolio decem majores hostias, & Præneste unam Fortunæ liceret: ea vota pro victoriâ populi Romani esse. Et ut societas secum renovaretur: agerque sibi de rege Antiocho captus, quem nulli datum à populo Romano Galli possiderent, daretur. Filium postremò Nicomedem Senatûi commendavit. Omnium qui in Macedonia imperatores fuerant, favore est adjutus. Itaque cætera quæ petebat concessa: de agro responsum est, legatos se missuros ad inspiciendum, an ager ille populi Romani fuisset nec cuiquam datus. Facile Nicomedis commendationem se accipere. Quantâ curâ regum amicorum liberos tueatur populus Romanus, documento Ptolemæum Ægypti regem esse. (cui nuper regnum ab Antiocho invadente, suâ autoritate conservârat.) Jussum est etiam, ut victimæ aliæque quæ ad sacrificium

pertinerent, seu Romæ seu Præneste immolare vellet, Regi ex publico, sicut magistratibus Romanis, præberentur; & ut ex classe quæ Brundusii esset, naves longæ 20 assignarentur, quibus uteretur: donec ad classem dono datam ei Rex pervenisset, L. Cornelius Scipio ne ab eo abscederet, sumptumque ipsi & comitibus præberet, donec navem conscendissent. Mirè lætum & cæ benignitate in se populi Romani Regem fuisse ferunt: munera sibi data ipsum renuisse, filium jussisse donum populi Romani accipere. Hæc de Prusiâ Romani scriptores retulerunt. [*Liv. ibid.*]

Polybius & alii Græci, quum veniret in Curiam, summis se illum scribunt, & osculo limen Curia contigisse; & *Deos Servatores* suos Senatum appellasse, aliamque orationem non tam honorificam audientibus quam sibi deformem habuisse: atque ob hanc ipsam summam vilitatem responsum à Senatu benignius accepisse. [*Id. ibid. Polyb. legat. 97. Diodor. Sicul. legat. 22. Dio, legat. 22. vel 23.*] Moratus autem circa urbem 30 haud amplius dies, in regnum est profectus. [*Liv. fin. lib. 45.*]

Secundùm hæc fama est allata, Eumenem regem Romam adventare. Qui quia Macedonico bello se medium egerat: ne aut inimicus judicatus videretur si exclusus esset, aut liberatus crimine si admitteretur; lex in commune lata est, ne cuiquam regi Romam venire liceret. [*Polyb. legat. 97. Liv. lib. 46.*] Deinde certiores facti Eumenem Brundisium in Italiam appulisse; Quæstorem ad eum miserunt, qui decretum hoc ei afferret, & dicere eum juberet, Ecquid ope Senatus in aliquo esset ei opus: quòd si Patres nihil posceret, denuntiaret ei, ut quam primum Italiâ excederet. Rex habito cum Quæstore colloquio, intellectuâ Senatus voluntate, verbum nullum commutavit, nullâ re opus habere se confirmans. Hoc pacto, non solum ne Eumenes Romam veniret, sed etiam aliud quid quod ad rem eorum faciebat, Romani consecuti sunt. Nam quum ingens regno Pergameno periculum à Galatis immineret: non erat dubium quin propter hanc contumeliosam Eumenis rejectionem, amicis quidem omnibus illius animi conciderent; Galatæ verò duplo ad persequendum bellum animosiores essent futuri. Atque hæc incunte hyeme sunt facta. [*Polyb. ibid.*]

Mattathias filios suos ad pietatis studium & fortitudinem in Lege Dei constanter defendendâ cohortatus, Simonem ut consiliarium & patrem eis commendavit, Judam verò Maccabæum ut belli ducem: utpote robore valentem à juventute suâ. Deinde eis benedicens, mortuus est anno regni Græcorum 146°. postquam annum unum miseræ & exulanti turbæ præfuisse. Et sepeliverunt eum filii ejus in sepulchris patrum suorum in Modin: & planxerunt eum omnes Israëlitarum planctu magno. [*I Maccab. II. 49, — 70. Joseph. lib. 12. cap. 8, 9.*]

Judam Maccabæum, in locum patris succedentem, adjuvabant omnes fratres ipsius, & omnes qui adhæserant patri ipsius. [*I Maccab. III. 1, 2.*] Qui latenter introeuntes in vicos, adhortabantur cognatos; & eos qui permanserant in Judaismo assumentes congregaverunt sex

viro-

4548 166

virorum millia. Et invocârunt Dominum, ut aspiceret populum ab omnibus afflictum, miseraretur templum ab hominibus impiis profanatum & urbem perditam, & sanguinem ad se clamantem exaudiret: ac recordatus iniquæ perditionis infantium innocentium, & blasphemiarum quæ prolatæ fuerant in nomen ipsius, odium suum in scelestos ostenderet. [II *Maccab.* VIII. 1, -4.]

Interim Antiochus Epimanes, cum de ludis ab Æmilio Paulo in Macedoniâ peractis audivisset, ac vellet largitionis magnificentiâ Paulum superare; legatos speculatorésque in civitates misit, qui ludos denuntiarent ab ipso ad Daphnem juxta Antiochiam exhibendos: ita ut ex universâ Græciâ (ut Polybius) vel ex omnibus orbis partibus (ut Diodorus narrat) ad spectaculum illud viri celeberrimi certatim concurrerent. Pompæ verò ordinem, in Historiarum suarum libro 3^o, ita descripsit Polybius.

Præbant hominum ætate florentium millia quinque, Romanorum instar armatorum, cum hamatis loriceis. Sequebantur continenter Mysi totidem. Ab his Cilicum tria millia, levis armaturæ, expeditorum, cum aureis coronis. Post hos Thraces totidem, Galatarum quinque millia, & præterea quidam cum argenteis scutis. Post hoc deinceps gladiatorum paria 240. Horum à tergo fuerunt, Pisæis quidem vel Nisæis potius (ut doctissimus Casaubonus locum emendavit) equis insidentes mille, plebeiis verò ter mille: & horum complures cum phaleris ac coronis aureis, cum argenteis alii. His succedebant focii & amici, equites circiter mille: omnes cum aureis phaleris. Conjuncta cum iis fuit amicorum ala, numero illis par, & ornatu. Præter hos delecti 1000 progressi sunt: quos securum est appellatum *agéma*, præstantissimus equitum ordo, circiter 1000. Postremum agmen clauderent equites cataphracti 1500. quod & viri & equi armis operti essent, ita dicti. Omnes isti prædicti paludamenta purpurea habebant: quidam etiam auro texta, & animantium imaginibus picturata. Post hæc, centum currus sex equis junctis processerunt, quadrigæ verò 40. Erat præterea junctorum currus, & biga. Sigillatim verò 36 elephantum sine ordine subsequerentur.

Adolescentes puberes circiter 800 coronas aureas habentes processerunt, boves opimi circiter 1000, mensæ sacræ ferme 300, elephantorum dentes 800. Omnium quotquot apud homines vel creduntur vel dicuntur esse dii aut dæmones, atque adeò heroum idola ferebantur: alia inaurata, alia stolis aureis induta, adjectis his omnibus cum ornatu sumptuoso elogiis ac sententiis, traditæ de illis historiæ congruentibus. Additæ sunt his & imagines Noctis, Diei, Terræ, Cœli, Auroræ, & Meridiei. Dionysii, qui regi fuit ab epistolis, pueri mille in eo pompæ ductu incedebant, argenteis vasis onusti, quorum nullum minus pendebat mille drachmis: Regis autem 600 pueri illos consequebantur, aurea vasa sustinentes; et hos mulieres circiter 200, ex aureis urnis spectatores unguentis respergentes. Post quas mulieres 80 in lecticis aureos pedes habentibus vehantur, atque in argenteos pedes habentibus 500 sedentes; magnâ impensâ cultæ ac exornatæ. In pompâ hæc splendidissima fuerunt.

Post

Post eam, ludi & gladiatoria certamina & venationes per dies 30 sunt celebrata: quo toto tempore diversi generis unguentorum facta est omnibus qui in gymnasium certaturi venirent, à Rege copia. Eum in usum quindecim libra aurea erant posita crocino unguento plena; totidemque cinnamomino & nardino. Ea unguenta primis quinque diebus sunt data: parique munificentia reliquis deinceps diebus, relinum, amaracinum & liliacium. Ad epula sternerantur convivis aliquando mille triclinia, aliquando mille quingenta, apparatu sumptuosissimo. Quæ omnia sic absoluta & exculta sunt partim iis quibus in Ægypto (perfidè violato foederis pacto) Philometorem regem adhuc puerulum defraudaverat, partim iis quæ ab amicis collata sunt, partim ex spoliis plurimorum templorum quæ expilaverat. [*Polyb. apud Athenæum, lib. 5. cap. 4. & lib. 10. cap. 12.*]

Sed magnitudinem hujus apparatus, quæ ipse Rex per se obibat vilem atque indecoram reddiderunt. Modico enim vectus cantherio ultrò citròque pompæ adequitans, illos progredi, hos subsistere jubebat; alios, prout erat libitum, ordinabat: adeo ut si quis diadema ei detraxisset, nemo Regem esse illum crediturus fuerit, qui ne mediocris quidem atque honestioris ministri speciem præ se ferret. Jam verò in publico epulo, ad cœnaculorum aditus subsistens, alios introducebat, alios in lectis cõponebat. Ministris qui fercula portabant dux ipse præibat; & circumambulans, modò adfidebat, modò humi accubabat: nec raro aut buccam interim aut poculum è mensâ deponens, exiliebat discurrebatque. Cœnaculum etiam circumlustrans, propinatos sibi nunc ab his nunc ab illis calices stans hauriebat: & cum his, qui festivis narrationibus convivas exhilarabant, ludibundus jocabatur. Quin & producto in longum tempus convivio, cum multi jam excessissent, ipse totus coopertus à mimis allatus est, humique depositus, velut unus quidam ex suis consortibus. Tandem verò velut symphoniam excitatus surrexit & saltavit, atque cum ridiculis scurris histrionem egit: adeo ut præ pudore cuncti ex convivio diffugerent. [*Polyb. ibid. & eum secutus Diodor. Sic. in Excerptis Valesii, pag. 321.*]

Peracto demùm ludicro, legatus mox venit ad Antiochum Tiberius Gracchus, ad exploranda Regum consilia & rerum statum à Senatu missus: quem eâ dexteritate atque humanitate excepit Rex, ut non solum moliri cum res novas nihil suspicaretur, aut ullum signum animadverteret animi propter illa quæ Alexandriæ acciderant subalienati; sed etiam omnibus se opponeret, qui ejusmodi aliquid dicerent. Nam & aulâ celsit legatis Romanis Antiochus, & ipso propè diadema: quum tamen ad eos voluntas ejus non inclinaret, sed animo esset à Romanis alienissimum. [*Polyb. legat. 101. & 109. Diodor. Sic. in Excerptis Valesii, pag. 322.*]

Dum ludicris suis Daphnæ vacabat Antiochus, feriò in Judæam rem gessit Judas Maccabæus. A fratribus enim impigrè adjutus, ejecto hoste & impiis tribulibus necatis, à præteritis piaculis eam terram purgabat. [*Joseph. lib. 12. cap. 9.*] Civitates & vicus ex improvise veniens succendebat, & commoda loca occupans non paucos hostium in fugam vertebat; maximè noctium adjumento ad hujusmodi infidias usus:

usus: adeò ut de fortitudine ejus fama ubique personaret. [I Maccab. III 8,9. II Maccab. VIII, 6,7.]

Legatis qui à Galatis ex Asiâ Romam sunt missi concessit Senatus, ut suis legibus uterentur: si modò intra habitationes proprias sese continerent, & extra fines armati non prodirent. [Polyb. legat. 102.]

Pytho legatus à Prusiâ Bithyniæ rege Romam missus, de Eumene rege Senatui est conquestus, quòd fines suos depopularetur & quædam loca sibi adimeret: accusans eum insuper, quòd à Galatiâ omnino non abstineret, nec Senatus decretis morem gereret; sed eos quidem qui ipsius partes sequerentur aleret omnibusque rebus orneret, eos verò qui Romanæ partis erant & ex Senatus decretis administrari Rempublicam cupiebant humiliores redderet. Aderant & è civitatibus Asiaticis nonnulli qui eundem accusabant, & initam ab eo societatem cum Antiocho contra populum Romanum significabant. His auditis Senatus, neque criminationes respuit, neque mentem aperuit suam, sed clam apud se habuit; Eumeni atque Antiocho diffidens. Galatis interim aliquid semper deferebat, & in libertate vindicandâ adjuvabat. [Id legat. 104. Liv. lib. 46.]

Astymedes Rhodiorum legatus, patriæ causam Romæ coram Senatu agens, oratione magis moderatâ quàm in priore legatione est usus. Omissâ enim criminatione aliorum, id unum egit, ut satis pœnarum suos dedisse ostenderet & longè supra delictum. Ubi institutâ particulari detrimentorum quæ Rhodiî passi fuerant enumeratione, præcipuam eorum calamitatem illam fuisse dixit, quòd portus vectigal amisissent: quum & Delum Romani jussissent esse immunem, & populo libertatem ademissent statuendi, sicut antè faciebat, tum de portorio tum de cæteris publicis rebus: ita ut portorium, quod superioribus temporibus decies centenis drachmarum milibus redimebatur, nunc ad centum quinquaginta millia vix pervenerit. Cùmque ipsis liquiddò constaret, paucorum culpâ id delictum fuisse admissum, eosque adeò omnes à populo suppliciis fuisse affectos, ne in susceptâ irâ eiga illos qui nihil deliquerunt inexorabiles permanerent, sed in pristinam gratiam & benevolentiam illos reciperent, oravit. Hoc enim esse quonunc patriæ esset opus, non autem belli & armorum ullam societatem. Visâque est omnibus illius oratio præsentî Rhodiorum statui convenire. Et quum Tiberius Gracchus, nuper ex Asiaticâ legatione reversus, primùm quidem omnibus Senatus decretis à Rhodiis fuisse obtemperatum, deinde omnes capitibus fuisse damnatos quorum operâ alienatus populus fuerat à Romanis, renuntiâset: dicentibus contrarium os obturavit, & ut societatem Romani cum Rhodiis inirent perivit. [Polyb. legat. 104.]

De Eumenis verò & Antiochi consiliis nihil certius Senatui renuntiare Tiberius potuit, illis quæ jam antè quàm Româ proficisceretur, cognoverat. Adeò comitate suâ Reges in mutuis congressibus cum sibi adjunxerant. [Id legat. 105.]

Apollonius Samariæ præfectus, ex gentibus & Samaritanis magno collecto exercitu, contra Judæos pugnavit. Quem percussum Judas Maccabæus occidit: cecideruntque vulnerati multi, & reliqui fugerunt.

Cepitque Judas spolia eorum, & inter ea gladium Apollonii, quo deinceps in bello ipse semper est usus. [I Maccab. III. 10, 11, 12. Joseph. lib. 12. cap. 10.]

Audiens verò Seron Coeleſyriæ præfectus Judam, multis undique ad eum confluentibus, magnas circa se copias habere; contractis quibus præerat militibus, adjunctis etiam impis Judæorum perfugis, ad ascensum Bethi-horonis in Judæâ castra posuit. Ubi à Judâ Maccabæo contritus est Seron & exercitus ejus: cæsisque ex eis circiter 800 viris, reliqui in regionem maritimam ad Philistæos fugâ se receperunt. [I Maccab. III. 13, 14. Joseph. ut supr.]

3839

Id ubi compertum est Antiocho, irâ succensus, congregavit copias omnes regni sui; & dato eis in annum stipendio, mandavit ut paratæ essent ad omnem usum. Quo stipendio numerato, vidit thesauros suos exhaustos deficere. Nam deficientibus Judæis ab eo, qui ei ultra trecenta argenti talenta annua pensitaverant, & Græcis præterea urbibus multisque regionibus persecutionis malo turbatis, (nam ne Gentibus quidem ille pepererat, sed deserere inveteratas superstitiones & ad unum ritum deducere tentaverat) vectigalia plurimum imminuta sunt. Veritusque ut non haberet quod sufficeret ad ejusmodi sumptus & donaria, quæ dederat antea liberali manu (ut abundaverat supra reges priores largitate donorum:) de profectioe in Persidem cogitare cœpit; ut acciperet tributa regionum illarum, & congregaret pecuniam multam. [I Maccab. III. 27, — 31. Joseph. lib. 12. cap. 11. Sever. Sulpic. sacr. histor. lib. 2.]

Eò profecturus Antiochus, Lyſiam regii generis hominem regionibus inter fluvium Euphratem & terminos Ægypti positus præfectum, & filii sui Antiochi (Eupatoris) curatorem in Syriâ reliquit: & tradito ei dimidio exercitus universi cum elephantis, Judæorum nomen funditus delere jussit, & eorum regionem dare alienigenis incolendam. Cum reliquo exercitu ipse profectus Antiochiâ (juxta Daphnem) anno regni Græcorum 147. trajecto Euphrate, regiones superiores peragravit. [I Macc. III. 32, — 37.]

Philippus (quem Hierosolymis Antiochus præfecerat, II Macc. V. 22.) videns Judam Maccabæum brevi ad incrementum pervenisse, Ptolemæo (Dorymenis filio) Coeleſyriæ & Phœnicia duci scripsit, ut succurreret Regis negotiis. Ipse verò citò electum Nicanorem Patrocli filium è summis amicis misit, subjectis ei militibus è gentibus omnigenis non paucioribus vices mille, ut universum Judæorum genus tolleret: eique Gorgiam adjunxit ducem, rerum militarium peritissimum. [II Macc. VIII. 8, 9.]

Ipsam quoque Ptolemæum filium Dorymenis, ut his suppetias ferret, misit Lyſias: ita ut sub tribus ducibus, Ptolemæo, Nicanore & Gorgia, numerarentur 40 millia peditum, & 7 millia equitum. Qui profecti cum universo exercitu suo, castra posuerunt prope Emmauntem in regione campestri. [I Macc. III. 38, 39, 40.]

Cumque Romanis tributum deberet Antiochus bis mille talentorum; ex venditione mancipiorum Judæorum illud solvere, constituens Nicanor, mille mercatores è civitatibus maritimis accersit, promittens

mittens 90 corpora talento se distraçurum. [II *Macc.* VIII. 10, 11, 34, 36.] Quorum auditâ famâ, mercatores regionis sumpro argento & auro multo cum administris suis in castra venerunt, ut Israëlitas seruos compararent: & accesserunt ad eos copiæ Syriæ, & regionis al-
lophylorum sive Philistæorum. [I *Macc.* III. 41.]

Urbe Hierosolymitanâ à suis desertâ, & Templo profanato, Judas Maccabæus in tanto periculo exercitum suum Maspham sive Mitzpam, è regione Hierosolymorum, duxit: quia ante Templum conditum locus ille orationis fuerat Israëliti. (*Judic.* XI. 11. XX. 1. XXI. 5, 8. I *Sam.* VII. 5, 6. X. 17.) Ibi indicto jejunio, ardentibus votis defensionem exiguæ manus (habebat enim secum sex tantum millia, vel septem, ut in Latinis legitur codicibus) adversus tantas hostium vires à Deo peti jussit. Deinde iis qui ædificaverant domos, & desponsaverant uxores, & plantaverant vineas, & formidolosus, juxta Legem (*Deuteron.* XX. 6, 7, 8.) domum dimissis; aciem in quatuor ordines divisit, & fratres suos Duces eis præficiens, eorum cuilibet 1500 milites ducendos tradidit. Et movens se exercitus, ad austrum Emmauntis castrametatus est è regione hostium. Ubi Judas, omnes studiosè cohortatus ad fortiter pugnandum & mortem pro patriâ divinisque legibus oppetendam, ad prælium in proximum diem paratos esse jussit. [I *Macc.* III. 43, --60. II *Macc.* VIII. 12, --22.]

Eâ nocte Gorgias incautos opprimere cogitans, assumptis quinque millibus peditum & mille selectis equitibus, Judæorum castra, ducibus præsidariis Sionis, adiit. Quo audito Judas, captâ sapienter opportunitate divisum exercitum invadendi, Emmauntem contra Nicanorem profectus est, dum abesset scientissimus belli Gorgias. Qui cum venisset in castra Judæ noctu, & neminem invenisset, ratus eos fugere, quærebat hostes suos in montibus. Simulac autem illuxit dies, apparuit Judas in campo Emmauntino cum tribus virorum millibus: qui tamen tegumenta & gladios non habebant pro voluntate suâ. [I *Macc.* IV. 1, --6.]

Judas, animatis ad prælium militibus suis, & tessera eis datâ, D E I A U X I L I O, ipse primæ aciei dux congressus est cum Nicanore. Facto autem illis adjutore Omnipotente, trucidârunt ex hostibus supra novem millia, vulneraruntque & mutilârunt membris majorem partem exercitus Nicanoris, & omnes fugere coegerunt. Fugâ verò tam effusa fuit, ut Judæi ab Emmaunte alios usque ad Gazara (quomodo in Græco Maccabaico Bibliothecæ Arundellianæ codice legitur) sive Gadara (ut in Josepho) alios in campos Idumææ, alios in Palæstinam, Azorum & Jamniam usque, persecuti fuerint: novissimis omnibus in eâ cæsis, usque ad tria circiter virorum millia. [*Ibid.* 8, --15. II *Macc.* VIII. 23, 24.]

In his fugitivis fuerunt etiam negotiatores illi, qui nihil de victoriâ dubitantes, regium exercitum secuti spe captivos mercandi, ipsi prædæ fuere. Pecunias enim eorum Hebræi acceperunt, quibus ipsi emendi fuerant: cumque eos multum persecuti essent, receperunt se tempore interclusi. Vesperâ enim à quâ Sabbatum incipiebat appropinquante, quum victi exercitus arma collegissent, & spolia eis detraxissent; sab-

batho vacaverunt, Dei misericordiam ob liberationem tam mirandam celebrantes. [II *Macc.* VIII. 25, 26, 27.]

Judæos ad spolia sese conferentes cohibuit Judas, quòd eis diminutio immineret contra Gorgiam; ex irrita expeditione reversum. Cujus copiarum in monte statim apparentes, quum ex inflammatorum castrorum fumo alteram exercitus sui partem fugatam percepissent, & Judam cum suis in campo paratum ad prælium viderent; fugerunt omnes in terram alienigenarum. Judas igitur ad castrorum spolia reversus, accepit aurum multum, & hyacinthum & purpuram marinam (à Phœnicum mercatoribus relictas) & divitias magnas. [I *Macc.* IV. 16, 23.] Ex quibus, parte debilibus, viduis & pupillis erogata, reliqua inter se milites partiti sunt. Communi deinde supplicatione facta, ut servis suis porro propitius esset Dominum rogaverunt. [II *Macc.* VIII. 28, 29.]

Cum Timotheo & Bacchide Judæi postea congressi, supra viginti millia hostium interfecerunt, munitiones altissimas obtinuerunt, & spolia plurima diviserunt; æquis partibus inter ipsos, & debiles, & pupillos, & viduas, & senes, effectis. Quumque arma eorum collegissent, accuratè omnia comportarunt in opportuna loca: reliqua verò spolia tulerunt Hierosolyma. Philarchen quoque, qui cum Timotheo erat, interfecerunt; virum scelestissimum, & qui multum Judæos afflixerat. Similiter & epinicia ob partem victoriam in patriam celebrantes, Callisthenem qui sacras portas incenderat, in domunculam quandam confugientem, cremaverunt. Ille verò omnium sceleratissimus Nicanor, gloriosa veste (quo minus agnosceretur) deposita, per mediterranea solitarius fugiens, venit Antiochiam; Judæos, propugnatores habentes Deum, invictos fuisse prædicans. [II *Macc.* VIII. 30. — 36.]

Lysias, ex iis qui effugerant suorum cladem resciscens, confusus est; quòd ea non evenissent Israëlitis quæ voluerat, & quæ Rex ipsi mandaverat. [I *Macc.* IV. 26, 27.]

Sequente igitur anno (regni Græcorum 148^o) cum sexaginta millibus lectissimorum peditum & quinque millibus equitum per Idumæam in Judæam irruit. Cui habenti castra ad Bethsuram (in Judææ termino) Judas Maccabæus cum decem millibus occurrit; & invocato prius publicè auxilio Dei, prælium cum hostibus commisit. Ubi cum Lysias videret Judæos contemptu mortis quasi furentes hostium globos perumpere, & suos in fugam jam conversos esse, quinque circiter millibus amissis; Antiochiam rediit, novam expeditionem majore apparatu moliturus. [I *Macc.* IV. 28, 35.]

Antiochus Epiphanes adversus Artaxiam regem Armeniorum, qui de Orientis partibus movebatur, expeditione suscepta, plurimos de ejus exercitu interfecit, ipsumque Artaxiam cepit. [*Appian. Syriac.* pag. 117. & 131. *Porphyr. apud Hieronym. in Daniel. cap. 11.*]

Cum Prusias Bithyniæ rex Eumenem Pergamenum, Romanis aliàs ob inventas litteras societatis ab eo cum Perseo contra ipsos initæ indices satis suspectum, non solum ipse omni studio accusavisset, sed etiam Galatas & Selgenes & multos alios Asiæ populos ad faciendum idem impu-

4549 165

impulisset : Attalus & Athenæus à fratre Eumene Romam missi, non solum omnia quæ obijciabantur crimina coram Senatu diluerunt ; sed etiam honoribus aucti in patriam redierunt. At non propterea suspicionem dudum conceptam adversus Eumenem & Antiochum remisit Senatus : sed C. Sulpicium Gallum & Marium Sergium legatos misit, qui de consiliis Antiochi atque Eumenis accuratè inquirerent, nunquid bello necessaria apparerent, ac societatem adversus Romanos junxissent. [*Polyb. legat. 106. Diodor. Sicul. legat. 21.*]

C. Sulpicius Gallus in Asiam delatus, edicta per celeberrimas civitates imprudenter proposuit, quibus jubebat ut quicumque Eumenem regem accusare vellet, ad diem certum Sardibus præstò esset. Ipse cum Sardes venisset, positâ in gymnasio sellâ, per decem dies audiendis accusatoribus vacavit, omnis generis probra ac convicia in Regem libentissimè admittens, omnemque criminandi ansam amplectens ; quippe qui ingenio esset vano, atque ex dissensione cum Eumene gloriam captaret. [*Polyb. lib. 31. in Excerpt Valest, pag. 145.*]

Judas Maccabæus & fratres ejus, quum primùm se viderunt ab hostibus quiescere, cum castris universis ascendentes Hierosolyma, templum & civitatem (exceptâ arce Sionis) receperunt. Aras autem quæ per forum ab alienigenis fuerant exstructæ & delubra demoliti sunt. Imperavitque Judas certis hominibus ut oppugnarent eos qui erant in arce Sionis, donec Templum emundaret ; cujus conspecta desolatio vehementissimum luctum omnibus præsentibus concitaverat. [*I Macc. IV. 36, --41. II Macc. X. 1, 2.*]

3840
4.

Sacerdotes legis studiosi, à Judâ delecti, mundaverunt Sanctuarium, lapides contaminatos in locum immundum extulerunt, altare holocausti à gentibus pollutum demoliti sunt, (lapidibus illius in monte domus Dei repositis, donec veniret Propheta qui doceret quid illis fieri oporteret) ex integris lapidibus & ferro intactis juxta Legem (*Deuteron. XXVII. 5, 6.*) altare novum priori simile extruxerunt, Sanctum & Sanctum Sanctorum instaurarunt, atria sanctificaverunt, factisque novis instrumentis sacris, intulerunt candelabrum & altare suffituum & mensam in Templum. Ita suffitum fecerunt in altari, & accenderunt lucernas candelabro impositas, & imposuerunt mensæ panes propositionis, extenderuntque vela ; & consummaverunt omnia opera quæ curaverant. [*I Macc. IV. 42, --51. II Macc. X. 3.*]

Tum surgentes manè 25^o die mensis 9ⁱ (Cisleu vel Chasseu dicti,) anno regni Græcorum 148, quum lapidibus attritis ignem ex eis accipissent, obtulerunt sacrificium ex lege in altari holocaustorum novo, [*I Macc. IV. 52, 53. II Macc. X. 3.*] biennio, postquam Judas patri Mattathie in principatu successerat : justo verò triennio, postquam à gentibus ibi sacrificari coeptum est. Eodem enim ejusdem mensis die, & ab illis vetus altare contaminatum, & à Judâ novum dedicatum fuit. [*I Macc. IV. 54. II Macc. X. 3, 5. Joseph. lib. 12. cap. 11.*]

Celebrata autem est Dedicatio illa canticis, & citharis, & cinyris, & cymbalis, cum lætitiâ magnâ. Et universus populus ceciderunt proni in terram, & adoraverunt, & benedixerunt Deo cœli, qui prosperum successum eis dederat ; rogantes eum, ne ampliùs in ejusmodi

mala inciderent; sed si quando etiam peccarent, ut ab ipso cum benignitate corripentur, ac non blasphemis barbarisque gentibus traderentur. Et celebrarunt dedicationem altaris per dies octo: obtuleruntque holocausta cum lætitiâ, & sacrificium salutis (sive pacificum) & laudis. Et ornarunt partem anteriorem templi coronis aureis & scutulis: & instaurarunt portas & pastophoria (sive conclavia ad latera Templi posita,) feceruntque cis januas. [I Macc. IV. 54,--58. II Macc. X. 4, 6.]

Deinde statuit Judas ejusque fratres & tota ecclesia Israël, ut in totâ Judæorum gente quotannis agerentur dies dedicationis altaris per dies octo, à 25 mensis Chasleu, cum lætitiâ & gaudio. [I Macc. IV. 59. II Macc. X. 8.] postquam ipsi dies illos octo egissent ad formam festi Tabernaculorum; recordantes, quod non ita pridem solennitatis illius tempore in montibus & speluncis ferarum modo delitissent. Quapropter thyrsos & ramos pulchros & palmas ferentes, hymnos canebant ei qui prosperum illis successum dederat ad purificandum locum suum. [II Macc. X. 6, 7.] Unde & in litteris Senatus Hierosolymitani ad Judæos Ægyptienfes appellantur isti dies Scenopægiæ sive Tabernaculorum mensis Chasleu. [II Macc. I. 9, 18.] In Evangelio, Johann. X. 22. *Encenia* nominantur: à Judæis etiam *Luminum* festivitas. vel quod præter opinionem tanta religionis libertatisque propemodum extinctæ lux illis affulsisset, (ut in lib. XII. Antiquit. cap. 2. Josephus innuit;) vel *ἡμέρῃ τῆς λυχνολαίας*, quod & tunc lucernarum lumen Templo restituisset, (I Macc. IV. 49, 50. & II Macc. X. 3.) & ad hunc usque diem in Synagogis suis hos dies peculiari lucernarum apparatu celebrare in more illis sit positum.

Eodem quo Templum instaurarunt tempore, etiam in monte Sionis circumquaque muros altos & turres munitas ædificaverunt; ut hostes (præfidiarios illos præcipuè in arce positos) cohiberent, ne Templum suâ excursione infestarent. Bethsuram quoque, quinque tantum stadiis inde distantem, (II Maccab. XI. 5.) muniverunt; ut ex adverso Idumææ populus haberet præsidium. [I Macc. IV. 60, 61. cum VI. 7, 26.]

b. Quum audissent gentes in circuitu ædificatum esse altare dedicatumque sanctuarium, ægerrimè id tulerunt: incuntisque consilium de tollendo genere Israëlítico, eos qui inter ipsas debebant coeperunt occidere. [I Maccab. V. 1, 2.]

Antiochus Epiphanes, superiores (ultra Euphratem) regiones peragrans, audivit in Persiâ Elymaidis urbem (à secundi libri Maccabaici scriptore *Persepolis* nominatam) illustrem fuisse divitiis, & in eâ Templum (quod *Elymæ Veneri* dicatum tradit Appianus, in Syriacis pag. 131. *Diana* verò in Elymaïde, Polybius & Diodorus; apud Josephum, lib. 12. cap. 13. & Hieronymum in Daniel. cap. 11. cum Excerptis Valesii, pag. 145.) fuisse opulentissimum; ibique fuisse tegumenta aurea, & thoraces, & arma, ab Alexandro magno Philippi filio relicta. Cùmque ille, prædæ avidus, urbem & fanum diripere vellet; cives, armis correptis, cum fugaverunt & turpiter gradum inde referre coegerunt. [I Maccab. VI. 1,--4. II Maccab. IX. 1, 2.]

4550 164

Quum

Quum autem esset ad Ecbatana, de re à Nicanore & Timotheo in Judæâ malè gestâ ad eum perlatus est nuncius : indéque Babylonem versus iter faciens, in finibus Persidis etiam de Lysia ingenti exercitu ibidem fugato, de Jovis Olympii idolo ab æde Hierosolymitanâ sublato, de Sanctuario & Bethsurâ munitione firmatis, similiter audiit. Itaque furere percitus arbitrabatur etiam eorum à quibus fugatus fuerat malum in Judæos se retorfurum : ac propterea aurigam jussit indefinenter pergentem profectionem perficere, superbe jactans, cometerium Judæorum se effecturum Hierosolyma, quum illuc veniret. [I Macc. VI. 4, -7. II Macc. IX. 3, 4.] Quò referenda & illa Taciti, de gente sanctâ improbè sentientis, in libro Historiarum V. *Rex Antiochus demere superstitionem, & mores Græcorum dare admixus, quo minus teterrimam gentem in melius mutaret, Persiarum bello prohibitus est.*

Vix superbum sermonem finierat Antiochus, cum apprehendit eum immedicabilis viscerum dolor, & acerba intestinorum tormenta. Nec magis tamen animo sanior illâ aegritudine corporis effectus, furorem adhuc in Judæos spirans, accelerari profectionem jussit. Sed dum magno curru ageretur impetu, ex eo ille decidit, gravique casu omnia corporis membra distorta & collisa sunt. Cùmque è terrâ elevatus gestatorio ille portaretur, de corpore ejus vermibus scorticentibus, viventis carnes deciderunt : ita ut ob intolerabilem odoris gravitatem nemo exportare illum posset, eoque putore totus gravaretur exercitus. [II Macc. IX. 5, -10.] Unde iter Babylonicum intermittere coactus, in Persidis opido Tabis substitit : ut ex Polybio [*in Excerptis Valésii, pag. 144.*] & Hieronymo [*in cap. 11. Danielis,*] intelligitur. ubi lecto affixus, complures dies hæsit, [I Macc. VI. 8, 9.] φ.δ.ω.α. & tabe diffuens. [Appian. Syriac. pag. 131.]

c. A vernæ tempestatis exordio inuit annus regni Græcorum CXLIX, in primo Maccabæorum libro usurpatus.

Quum brevi se moriturum arbitraretur Epiphanes, convocatis omnibus amicis suis, agnovit ob injurias Judæis illatas dira illa se pati, & nunc perire dolore magno in terrâ peregrinâ. [I Macc. VI. 10. -13.] Quumque ne suum quidem odorem posset perferre, dixit, *Fustum esse Deo subisci, eumque qui mortalis esset non paria Deo arroganter sapere.* Et orans Dominum, vovit se Hierosolymitanis & Judæis omnibus ἀνομιὰς concessurum, (ut suis deinceps legibus propriisque institutis liberè uterentur,) Templum elegantissimis donariis ornaturum, sancta vasa omnia quamplurimum aucta redditurum, convenientes ad sacrificia sumptus ex redditibus propriis suppeditaturum, Judaicæ religioni ipsum se addicturum, & aditurum omnem locum habitabilem annunciantem robur Dei. Sed quum nequaquam laboriosi dolores desinerent ; benevolentissimis ad Judæos scriptis litteris, deprecatus eos est, ut sibi & filio suo Antiocho, quem (patris exemplo) vivens regem jam designaverat, fidem servarent. [II Macc. IX. 11, -27.]

Tum vocans Philippum amicum, qui cum ipso fuerat educatus. (ὁ Κύριος φίλος, ut in II Macc. IX. 29. appellatur) constituit eum super totum regnum : & dedit ei diadema, & stolam suam, & anulum ; ut adductum filium suum Antiochum (ex Antiochiâ, ubi eum cum Ly-
fiâ

fiâ reliquerat) enutriret (utpote novennem adhuc, ut ex Appiano anteâ notatum) ad regnandum. Ita mortuus est rex Antiochus, anno regni Græcorum 149. [I Macc. VI. 14, 15, 16.] obitu miserrimo, in terrâ peregrinâ, in montibus. [II Macc. IX. 28.] Paratacenis sc. circa Babyloniam: ubi *Tabas* opidum fuisse, ex Curtii libro 5^o. docet hîc Grotius. de quo Polybius, libro 31. [*in Excerptis Valesii, pag. 144.*] *Ἐν Τάβας ἡ Περσίῃ ὁ ἑξίλιπτος ἦ βίον δαυμορίους, αἰς ἐνιοὶ φασι, ἧξ ὁ Ἰσίδου πύλας ὀπισθησάσας τῷ δαυμορίῳ κτλ ἡ δὲ ὁ πολεμικῶν (Ἀρτέμιδῃ) ἰερόν ἠδρανομίαν.* Et ex Polybio quidem & Diodoro refert, in Danielis cap. 11. scribens Hieronymus, Antiochum quibusdam phantasiis atque terroribus versum in amentiam, ac postremum morbo interiisse; quia templum Diana violare conatus esset. quum miser ipse coram amicis omnibus mala ista se passum fuerit professus: quod ex Hierosolymitano templo omnia vasa aurea & argentea abstulisset, & misisset qui tollerent e medio habitatores Judææ sine causa. [I Macc. VI. 12, 13.]

Mortuû cadaver exportavit Philippus: qui etiam metuens filium Antiochi, ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abiit. [II Macc. IX. 29.] copias sibi comparaturus contra Lysiam: qui, Epiphaniis morte cognitâ, Antiochum filium ejus pro eo in regnum suffecit, quem adolescentem educaverat, eumque Eupatorem nominavit. [I Macc. VI. 17.] Quo cognomento à Syris, propter patris virtutem, fuisse eum compellatum scribit Appianus: puerum à Lysîâ educatum fuisse, etiam confirmans. [*in Syriac. pag. 117.*]

Antiochus Eupator, suscepto regno, Lysiam universi regni præfecit negotiis, speciatim verò Cœlesyriæ & Phœnicia primarium ducem eum constituit. Ptolemæus enim Macron, Dorymenis filius, qui eo munere sub Antiocho Epiphane functus fuerat, (II Macc. VIII. 8. cum I Macc. III 38.) quum jus Judæis conservare studeret, consideratâ injuriâ quæ ipsis facta fuerat, & res illorum cum pace transigere conaretur; ob hoc apud Eupatorem ab amicis accusatus, & quod Cyprum fidei suæ à Philometore commissam Antiocho Epiphani tradidisset proditor identidem appellatus, hausto veneno vitam finivit. [II Macc. X. 11, 12, 13.] Cujus hoc apud Polybium [*in Excerptis Valesii, pag. 126.*] extat elogium. *Πτολεμαῖος ὁ ἑρατῆρος ὁ κτλ Κύπρον ὑδάμης Αἰγυπτιακῆς γέγονεν, ἀλλὰ συνεχῆς ἢ ἀεχλῆς. Ptolemæus præfectus Cyprî nullâ re Ægyptius fuit, sed prudens ac strenuus inprimis.*

Gorgias verò, cum esset dux locorum circa Judæam milites habebat mercede conductos & quotidie contra Judæos bellum fovebat. Et huic conjuncti etiam Idumæi opportunas munitiones obtinentes exercebant Judæos; & apostatas Hierosolymis profugos excipientes, bellum ducere tentabant. [II Macc X. 14, 15.]

Judas igitur Maccabæus in Acrabbatenâ Idumææ regione cum filiis Esau, qui Israëlitas circumfederant, bellum gessit: & impetu in munitiones eorum facto, loca obtinuit, non minus viginti millibus interemit, & cepit spolia eorum. [I Macc. V. 3. II Macc. X. 16, 17.]

Et recordatus est malitiæ filiorum Bæanis, qui populo insidiati fuerant per vias. Hi cum novem millibus in duas munitissimas turres confuge-

confugerunt, quæ habebant omnia ad obsidionem ferendam necessaria. Ipse igitur Maccabæus ad loca quæ magis perurgebant secedens, fratrem suum Simonem cum Josepho & Zacchæo ad obsidionem illorum reliquit. Verùm qui cum Simeone aderant, pecuniæ avidi, acceptis ab iis qui in turribus erant 70 drachmarum millibus, permiserunt quosdam elabi. Quod resciscens Maccabæus, proditores illos coram populi principibus convictos interfecit: & confestim duabus turribus occupatis, eas cremavit, & internecone in eis delevit plusquam viginti millia. [I *Macc.* V. 4, 5. II *Mac.* X. 16, — 23.]

Inde ad Ammonitas transivit: ubi reperit manum fortem, & populum multum, cum Timotheo duce ipsorum. Et commisit cum eis prælia multa, & percussit eos: captâque Jazer & pagis ejus, reversus est in Judæam. [I *Macc.* V. 6, 7, 8.]

Timotheus, qui prius à Judæis superatus fuerat, congregatis exteris copiis quamplurimis, & equitibus non paucis ex Asiâ collectis, advenit quasi armis Judæam capturus. Maccabæus verò & qui cum illo erant, post gravem humiliationem & divini nominis invocationem Hierosolymis excedentes, procul ab urbe cum illis congressi sunt: & coelestibus quorundam equitum pro se pugnantium apparitionibus confirmati, 20500 pedites & 600 equites interfecerunt. Ipse verò Timotheus in munitissimum præsidium, *Gazara* dictum, ubi frater ejus Chæreas dux erat, confugit: eoque demùm expugnato, è foveâ quâdam in quâ se occultaverat eductus, simul cum fratre & Apollonophane jugulatus est. [II *Macc.* X. 24, — 38.]

Trocmi, Galatarum gens, Cappadociam frustra aggressi, cum nullam illius partem occupare potuissent, ad Romanos confugientes, regem Ariarathem in odium illorum adducere sunt conati. A quibus ad Regem missa est legatio: cujus princeps erat Marcus Junius. [*Polyb. legat.* 108.]

3841
a.

Ab autumno iniiit annus æræ Contractuum sive Dhilkarnain, à secundi libri Maccabæorum collectore receptæ, CXLIX. æræ verò Chaldæorum, in Principum Rescriptis [*ibid. cap.* XI.] & magnâ Ptolemæi Syntaxi [*lib.* 9. *cap.* 7. & *lib.* 11. *ca.* 8.] usurpatæ, annus CXLVIII. qui & Sabbaticus fuit.

Gentes quæ erant circa regionem Galaatidem congregatæ sunt adversus Israëlitas qui erant in finibus ipsorum, ad tollendum eos è medio. Et ex Tubienis Judæis, terram Tobi (*Judic.* XI. 3.) incolentibus, circiter mille viros interfecerunt: & captivas abduxerunt uxores & liberos, cum ipsâ supellectile eorum. Cùmque illi Galaatidos Israëlitæ in Dathema munitionem confugissent: Timotheus (alius ab illo quem cum fratre Chæreâ occisum fuisse jam diximus) ad eos obsidendos cum exercitu perrexit. Eodémque tempore & alii ad perdendos Galilæos è Ptolemaide, Tyróque & Sidone, atque universâ Galilæâ alienigenarum, convenerunt. [I *Maccab.* V. 9, — 15.]

Galaaditis & Galilæis tempestivum auxilium à Judâ & fratribus ejus expetentibus, ille, cum populo Hierosolymis deliberatione habitâ in tres partes copias suas divisit: Simoni fratri ter mille viros ad Galilæos, sibi & Jonathani fratri octies mille ad Galaaditas liberandos,

deputavit: residuum exercitum cum Josepho Zachariæ filio & Azariâ ducibus populi ad Judææ custodiam reliquit; mandato dato, ne cum gentibus committerent prælium, donec ipsi reverterentur. [*Ibid.* 16,—20.]

Profectus igitur in Galilæam Simon, cum gentibus multa commisit prælia, persecutusque est eas usque ad portas Ptolemaidis: & ceciderunt ex illis circiter tria millia virorum, quorum accepit spolia. Et assumens qui erant in Galilæâ, & in Arbattis (ארבטת h. e. locis planis & campestribus) cum uxoribus & liberis, & quæcunque illis erant, abduxit in Judæam cum lætitiâ magnâ. [*Ibid.* 21, 22, 23.]

Priusquam verò Judas ad Galaaditas pervenisset, multi eorum comprehensi sunt in Boffora, Bosor, Alemis, Chasphor, Maced, Carnain, & cæteris urbibus Galaaditis. [*Ibid.* 26, 27.]

Cùm Judas & frater ejus, trajecto Jordane, per Arabiam desertam tridui itinere fuissent profecti, Nabatæi pacificè occurrentes narraverunt illis quæ Galaaditis acciderant; ac postridie statuisse hostes, castris locatis contra munitiones, illas capere & omnes qui in iis erant è medio tollere die uno. Unde Judas cum exercitu subito convertit iter per desertum ad Bosor, captâque urbe masculos omnes occidit, acceptisque omnibus eorum spoliis, ipsam incendit. Et abiens inde nocte, ad munitionem usque profectus est. Cùmque illucescente die machinæ ad eam oppugnandam admoverentur, clamorque civitatis in cælum tolleretur; qui cum Judâ erant procedentes tribus ordinibus à tergo hostium, claxerunt tubis & inclamaverunt oratione. Agnoscentia verò castra Timothei Maccabæum esse, fugerunt à conspectu ejus: percussitque eos plagâ magnâ, adeo ut ceciderint ex illis die illo ad octies mille viri. Post deflexit ad Maspham: eâque captâ, masculos omnes occidit, acceptisque spoliis eam incendit. Atque inde movens cepit Chasphor, Maced, Bosor, & reliquas civitates Galaaditidis. [*Ibid.* 24,—36.]

Dum Judas & Jonathan essent in Galaaditide, & Simon in Galilæâ ex adverso Ptolemaidis; Josephus Zachariæ filius & Azarias, ad custodiam Judææ relictî, auditis eorum strenuis facinoribus, ut & ipsi tale nomen sibi compararent, contra acceptum mandatum ad pugnandum cum gentibus Jamniam exercitum deduxerunt. Egressus verò cum suis ex urbe Gorgias, usque ad fines Judææ eos fugavit: cecideruntque eo die ex populo Israëlitico ad duo millia virorum. [*Ibid.* 55,—62.]

b.

Lysias regis Eupatoris tutor & cognatus, regni que negotiis præfectus, ægerrimè ferens ea quæ facta fuerant, congregatis quasi 80 millibus, & equitatu universo, atque 80 elephantis, contra Judæos profectus est: statuens se & Hierosolymam Græcorum habitaculum, & Templû vestigiale, & summum Sacerdotium vænale quotannis effecturum. Judæam igitur ingressus, Bethsuram in munito agro quasi quinque stadiis ab Hierosolymis positam arctâ cinxit obsidione. Cui occurrens, Angelo ducente, Maccabæi exercitus, hostium undecim millia prostravit, & 1600 equites. Reliqui verò omnes, cum ipso Lysia in fugam acti sunt: quorum plurimi vulnerati, armis nudati evaserunt. [*II Macc.* XI. 1,—12.]

455 I 163

Repu-

Reputans secum Lysias datum quod acceperat, & pro Judæis Deum pugnare intelligens, legatos ad eos de pace misit, æquis ejus conditionibus se consensurum pollicitus, & ut Rex eis amicus esset effecturum. Maccabæus publicæ utilitati consulens, assensit; & scripto per Johannem & Absalomum misso, quid pro Judæis postularet significavit: quæ à Rege concessa sunt omnia. [*Ibid.* 13, 14, 15.] Exerant eâ de re litteræ, tum Antiochi regis ad Lysiam, [*ibid.* 22, -- 26.] tum ad Judæos Lysia, datæ anno [ære Chaldaeorum] 148, die 24 mensis qui in Græcis codicibus *Dioscorinthius*, in Latinis *Dioscorus* scriptus est. [*ibid.* 16, -- 21.] Is autem in anno Chaldaico mensis embolimus fuisse videtur, inter Dystrum & Xanthicum (quo sequentes Regis & Romanorum ad Judæos de eadem pace scriptæ sunt litteræ) interpositus: qui idcirco in editione Græcâ libri Estheræ (in Bibliothecâ nobilissimi Comitis Arundellii conservatâ) mensis *Adar-nisan* & *Dystri-xanthici*, apud posteriores Hebræos *Veadar* sive alterius Adar, nomen obtinet. Quamquam Syrus noster secundi libri Maccabaici interpretes, pro eo, *Tisrin* posteriorem Syrorum hîc substituerit.

Anno eodem [ære Chaldaicæ] 148, mensis Xanthici [item Chaldaici] die 15, ad populum Judæorum datæ habentur litteræ; & ab Antiocho rege, [*II Macc.* XI. 27, -- 33.] & à Quinto Memmio & Tiro Manlio (al. Manio, vel Manilio) Romanorum legatis, qui eo tempore Antiochiam ad Regem proficiscebantur. [*ibid.* 34, -- 38.] quos & Lysias, pactionibus hîc peractis, eodem securus est. [*II Maccab.* XII. 1.]

c. Sub veris initium coepit annus regni Græcorum CL, quo primi libri Maccabaici scriptor est usus.

Demetrius Seleuci Philopatoris filius, quum multos jam annos obses Romæ esset detentus, & jam annum ætatis 23 attigisset; à Senatu postulavit ut per populum Romanum in regnum patrium, à patris sui Antiochi Epiphanis filio injustè occupatum, restitueretur: Romam patriam sibi & altricem, omnes Senatorum filios instar fratrum, ipsos Senatores loco patrum esse affirmans. Patres tamen, conducibilius rebus suis existimantes regi Syriam à puero quàm à viro, Demetrium esse detinendum, & puero quem Antiochus reliquerat regnum firmandum, communi consensu decreverunt. Statim verò legatos, Cn. Octavium, Spurium Lucretium, & L. Aurelium, ad regnum illud administrandum ex voluntate ipsius Senatus, miserunt: neminem impedimento fore credentes, Rege puero, & principibus aulæ bene agi secum putantibus, si Romani Demetrio regnum non traderent; quod futurum existimabant. Cùmque audissent multos elephantos esse in Syriâ, & naves aliquot supra definitum Antiocho numerum: legatis mandaverunt, ut & naves comburerent, & elephantis nervos inciderent; & uno verbo, regias opes quam maximè possent imminuerent. [*Polyb. legat.* 107. *Appian. Syriac. pag.* 117. *Zonar. ex Dion. Justin. lib.* 34. *cap.* 3.]

Præterea mandatum istis est, ut Macedones inviserent: qui popularis status insolentes, publici concilii usum nullum habebant, & seditiones inter se agitabant. Jussi etiam fuerunt legati, res Galatarum &

Ariarathis regnum diligenter invifere. [*Polyb. ibid.*] Cum Junio verò & prioribus legatis pro tempore locutus Ariarathes, quòd prolixâ humanitate eos accepiffet, fuas ipfius laudes prædicantes dimiffit. [*Id. legat. 108.*]

Inter Eupatorem & Judæos inita pax ftatim rupta eft. Ex ducibus enim qui in vicinis locis erant, Timotheus, Apollonius Gennæi filius, Hieronymus, Demophon, & Nicanor Cypriarches, non finebant Judæos quiefcere. Joppenfes quoque non minùs quàm ducentos eorum qui fecum habitabant in navigia fuâ pellectos & in altum perductos fubmerferunt. [*II Macc. XII. 2, 3, 4.*]

Judas Maccabæus, crudelitate hâc intellectâ, Joppenfium portum noctu incendit, & fcapas concremavit, & confodit eos qui illuc confugerant. Accipiens quoque Jamnienfes fimile facinus in Judæos fecum habitantes patrare voluiffe; nocte portum eorum cum claffe fuccendit: adè ut Hierofolymam ufque, 240 ftadiis inde diftantem, flammæ fplendores apparerent. [*Ibid. 5, --9.*]

Inde ftadiis novem adverfus Timotheum proficifcentem Judæ exercitum Arabes Nomades aggreffi funt, non pauciores 5000 peditibus & 500 equitibus. Ubi commiffâ validâ pugná, fuperati Arabes, promittentes fe & pecora daturus & reliquis in rebus fore ipfis adjumento, à Judâ pacem impetraverunt. [*Ibid. 10, 11, 12.*]

Cafpin civitatem, ponte munitam & muris circumfceptam & promifcuis gentibus habitatam, Judæ milites vi ceperunt: tantâ civium ftirage editâ, ut adjacens lacus ftadiorum duorum latitudinis perfufus fanguine plenus videretur. [*Ibid. 13, --16.*]

Inde profecti ftadia 750, Characem pervenerunt ad Judæos qui (Tobi terram incolentes) Tubieni dicebantur. A quibus locis Timotheus re infectâ tum difcefferat, præfidio valde firmo ibi relicto. Quod Judæ duces Dofitheus & Sofipater aggreffi, eorum qui à Timotheo ibi fuerant relicti plures quàm decem mille peremerunt. [*Ibid. 17, 18, 19.*]

Post hæc congregavit Timotheus exercitum alium ex circumjacentibus omnibus gentibus & mercede conductis Arabibus; 120 millium peditum, & 2500 equitum. Dimiffis que uxoribus & liberis & apparatu reliquo in locum qui dicebatur Carnion vel Carnaim, (erat enim difficilis obfelfu & aditu propter locorum omnium anguftiam:) caftametatus eft contra Raphon, trans torrentem. Quem prior cum omnibus copiis fuis trajiciens Judas, gentes illas omnes fugavit: aliis aliò delatis; adè ut sæpe læderentur à fuïs, & gladiatorum mucronibus configerentur. Itaque perfecutioni inflans maximâ contentione Judas, confodit ex eis ad 30 virorum millia. [*I Macc. V. 37, --43. II Macc. XII. 20, --23.*]

Ipfè verò, Timotheus in agmen Dofitheï & Sofipatri incidens, poftulavit cum multis veteratoriis artibus, ut fe vivum dimitterent; eo quòd multorum & parentes & fratres haberet, quorum nulli parceretur, fi ipfum occiderent. Quùmque fidem dediffet ille fe eos illæfos reftitutum; dimiferunt eum propter falutem fratrum fuorum. [*II Macc. XII. 24, 25.*]

Pro-

Progressus inde Judas ad urbem Carnaim & fanum Atargatæ in eâ positum, quò plurimi confugerant; incenso fano cum omnibus qui in eo erant, & eversâ urbe, jugulavit hominum 25 millia. [I Macc. V. 43, 44. II Macc. XII. 26, 27.]

Tunc abduxit Judas omnes Israëlitas qui erant in Galaaditide, cum uxoribus liberisque & suppellectili eorum, ut venirent in Judæam. Et venerunt Ephronem usque: quæ urbs magna & munitissima erat in ipso ingressu; in quâ omnium nationum turbæ habitabant, & adulescentes robusti ad muros constituti eam fortiter propugnabant, ubi denique machinarum telorumque multi apparatus erant. Cùmque per medium ejus Judæ & exercitui ejus necessariò transeundum esset, & excluderent eos cives, atque lapidibus portas obstruerent: oppugnârunt illi urbem totum illum diem totamque noctem, eamque subjugatam radicibus everterunt; & acceptis spoliis ejus, atque omnibus masculis ad 25 millium numerum gladio interemptis, super occisos per eam transiverunt. [I Macc. V. 45, — 51. II Macc. XII. 27, 28.]

Inde trajecerunt Jordanem in campum magnum, ex adverso Bethsanis, [I Macc. V. 52.] quæ Græcis dicta est Scythopolis, [Joseph. lib. 12. cap. 12.] stadiis 600 distans Hierosolymis. Cùmque in eam irruerent, testantibus Judæis qui illic erant, quâ benevolentia Scythopolitæ in eos usi essent, & quàm benignâ conversatione adversis temporibus, gratias eis agebant, & ut in reliquum tempus erga gentem benigni essent hortabantur. [II Macc. XII. 29, 30, 31.]

Judas verò agens extremam aciem, adhortabatur populum in totâ viâ, donec in Judæam venisset. [I Macc. V. 53.] Venerunt autem Hierosolyma, quum jam propinqua Pentecoste esset: [II Macc. XII. 31.] & ascenderunt in montem Sionis cum lætitiâ & gaudio, obtuleruntque holocausta; eo quòd non cecidisset ex ipsis ullus, donec reversi essent cum pace. [I Macc. V. 54.]

Post Pentecosten Judas & fratres ejus, cum 3000 peditum & 400 equitum comitatu, processerunt, cum Gorgiâ Idumææ duce pugnaturi. [II Macc. XII. 32, 33. cum I Macc. V. 65.]

In illâ pugna pauci ex Judæis ceciderunt: Dositheus verò quidam eques ex turmâ Bacenoris, vir potens, quum teneret Gorgiam & captum chlamyde fortiter eum abduceret, delatus in eum quidam Thrax eques humerum amputavit ei; atque ita scelestus Gorgias effugit in Marisa. Cùm autem illi qui Esdrin (unum è Judæ ducibus) sequebantur diuturnâ pugna fatigarentur, invocans Judas Dominum, & incipiens sermone patrio clamorem hymnis junctum, Gorgiæ milites ex improvise aggressus est, eosque in fugam vertit. [II Macc. XII. 33, — 37.]

Tum Judas collecto post victoriam exercitu, in proximam civitatem Odollamum venit: ubi superveniente die septimo purificati sabbatum transegerunt. Postridie verò quum Judæ milites corpora illorum qui in pugna ceciderant ad sepulturam tollerent, invenerunt sub tunicis cujusque eorum donaria Jamniensium idolis dicata; quæ Judæis lex (Deuteron. VII. 25, 26.) prohibuerat: adeò ut omnibus fieret manifestum, istos propter hanc causam cecidisse. Ad supplicationem

igitur converſi ſunt, ἀξιώσαντες δὲ γνηῶνός ἀμάρτημα πλείως ἔξαλειφθῆναι, rogantes ut commiſſum iſtud peccatum, perfectè deleteretur, vel (ut codex Arundellianus & Aldina habet editio) ἔξωσαν μὴ ἀξιοῦν τὸ γνηῶνός ἀμάρτημα πλείως ἔξαλειφθῆναι, rogabant ut non propter commiſſum iſtud peccatum omninò deleterentur: & collatitiâ pecuniâ duorum (vel trium, ut Græcus Arundellianus & Syriacus meus codex, vel duodecim, ut Latina habent exemplaria) millium [drachmarum argenti Hieroſolymam miſſâ, ſacrificium pro peccato offerendum curabant. [*Ibid.* 38,—43.]

d. Deinde progreſſus Judas cum fratribus ſuis, debellavit filios Eſau in regione [Judææ] meridianâ, & percuffit Hebronem cum pagis ejus, & ſublata munitione illius turres ejus incendit circumquaque. Inde movit ut proficiſceretur in terram Allophylorum, & tranſivit per Samariam. Quo tempore ceciderunt ſacerdotes aliqui in prælio cum vellent ſtrenuè agere, & inconſultò prodieſſent ad pugnam. Tum deflexit Judas Azotum verſus, in terram Allophylorum ſive Philiftæorum; & evertit aras eorum, & ſculptiles deos combuſit: cùmque cepiſſet ſpolia civitatum, in Judæam reverſus eſt. [*I Macc.* V. 65,—68.]

Ibi, quum præſidiarii Antiochi milites qui Hieroſolymis in arce erant concluderent Iſrælitas circa Sanctuarium, ſtudentes illis ſemper malefacere & firmamento eſſe gentibus; Judas & totus populus ſimul obſederunt eos anno regni Græcorum 150. paratis in eos baliſtis & machinis. Exeuntes verò nonnulli ex eis qui obſidebantur, quibus adhæſerunt quidam impii Iſrælitæ, Antiocho Eupatori regi, ut Judæorum creſcenti potentia celeriter occurreret, perſuaſerunt. [*I Macc.* VI. 18,—27.]

Congregavit igitur Rex omnes amicos ſuos ducẽsque exercitus ſui & magiſtros equitum, unâ cum copiis ab aliis regnis & inſulis ſive oris maritimis advenientibus: ita ut eſſet numerus copiarum ejus, 100 millia peditum, 20 millia equitum, & elephanti 32 edocti ad prælium. [*Ibid.* 28, 29, 30.] In Maccabæorum verò libro altero legimus, anno 149 (æra contractuum ſc.) perlatum eſſe ad Judam Maccabæum, contra Judæam adventare Antiochum Eupatorem, cum Lyſiâ regni procuratore, habentem copias Græcas 110000 peditum, equites 5300, elephantos 22, & falcatos currus 300. [*II Macc.* XIII. 1, 2.]

His Menelaus Pſeudo-pontifex ſe commiſcuit, falſâ ſpe ductus, dignitatem, cujus titulum tantum gerebat, ab Eupatore ſe obtenturum. [*II Macc.* XIII. 3.]

Rex Eupator mente efferatus veniebat, pejora quàm ſub patre ejus facta fuerant erga Judæos peracturus. Quibus Judas cognitis, præcepit populo, ut die ac nocte Dominum invocarent, ut ſolito præſidio iſtis aſſeſſet. Deinde communicato cum ſuis conſilio, ſtatuit exire obviam Regi; & circa Modin caſtra poſuit. [*II Macc.* XIII. 9,—14.]

Regius interea exercitus per Idumæam profectus, Bethſuram oppugnavit, adhibitis machinis: quas egreſſi Bethſurani incenderunt, & pugnaverunt viriliter. Judas autem caſtra movit ad Bethzachariam contra caſtra Regis. [*I Macc.* VI. 31, 32.] Deinde datâ ſuis veſſerâ, DEI VICTORIÆ, cum juvenibus optimis delectis invadens noctu

noctu castra hostium, usque ad ipsum Regis Prætorium; ad quatuor virorum millia & elephantem primum cum his qui superpositi fuerant, interfecit: castrisque metu ac perturbatione repletis, quum jam dies illuxisset, prosperè discessit. [II *Macc.* XIII. 15, 16, 17.]

Rex verò summo mane movit castra impetu Bethzachariam versus: & comparans se ad prælium, elephantis efferendis uvæ & mororum succum ostendi iussit. Singulis verò belluis (per phalanges distribuis) tuendis, milleni probè armati pedites & 500 equites sunt tributi: in turribus ligneis quas unaquæque ferebat erant 32 milites, præter Indum qui ducebat eam. Erátque egregius armorum apparatus: ita ut Sole radios in clypeos aureos æneósque vibrante, vicini colles resplenderent. [I *Macc.* VI. 33, — 41.]

Judá & exercitu ejus prælium ineunte, ceciderunt ex castris Regis 600 viri. Tum Eleazar cognomento Savaran (vel Avaran potius, Judæ frater; I *Macc.* II. 5.) conspicatus elephantem thorace regio loricatum & reliquis belluis eminentiorem; indèque Regem illi insidere existimans; illuc cursu, cæsis hinc & inde hostibus, pervenit: & supponens se ei occidit illum; ipsèque simul pondere illabentis bestię oppressus interiit. Videntes autem Judæi potentiam Regis, & impetum copiarum, deflexerunt ab eis. [I *Macc.* VI. 42, — 47.]

Rex ad Bethsuræ obsidionem reversus, modò agebatur in fugam, modò collisus abibat cum damno. Judas verò ad obsessos mittebat res necessarias. Quarum rerum arcana hostibus renunciavit Rhodæus è Judæorum exercitu: sed quæstione habitâ prehensus atque in carcerem conjectus est. Tum Rex secundò cum Bethsuranis sermonem habuit, & ad deditonem eos inflexit. [II *Maccab.* XIII. 19, — 22.] Pacèque factâ, egressi illi sunt ex urbe: eo quòd non esset ibi alimentum ad obsidionem tolerandam; terrâ tum, ob annum sabbaticum, vacante à frugibus. Rex verò, Bethsurâ captâ, præsidium ibi constituit ad servandum eam. [I *Macc.* VI. 49, 50.]

Inde Hierosolymam Rex ascendens, contra montem Sionem & Sanctuarium castra posuit dies multos: statuitque illic balistas & machinas tormentaque ad ignem & lapides jaculandos, nec non scorpiones ad tela jacienda & fundas. Quorum machinis obsessi alias opposuerunt machinas, & repugnârunt dies multos. Verùm cibaria illis deerant, eo quòd septimus annus esset; & qui manserunt in Judæâ ex gentibus residua repositorum consumpserant. Sed & residui erant in Sanctuario viri pauci; quia prævalebat eis fames, & dispersi erant quisque in locum suum. [I *Maccab.* VI. 51, — 54. *Joseph. lib. 12. cap. 14.*]

Interim Philippus, quem Antiochus Epiphanes filio suo Eupatori tutorem testamento reliquerat & regni negotiis sub eo præfecerat, (ex Ægypto reversus) è Perfide & Mediâ cum copiis quas Epiphanes ibi reliquerat (I *Macc.* III. 37.) ad jus suum, à Lysiâ occupatum, vi recuperandum profectus est. [I *Macc.* VI. 55, 56. II *Macc.* XIII. 23.]

Quum hoc audisset Lysias, Regi ducibusque exercitus persuasit, ut, (quia deficerent indies, & alimenta essent illis pauca, & locus quem obsidebant munitus, & regni negotia illis incumbent) pacem cum uni-

uni-

universâ Judæorum gente facerent, & ut patriis legibus sicut antea uti illis liceret statuerent. [I Macc. VI. 57, 58, 59.]

Rex & principes à Lyfiâ persuasi, miserunt ad obsessos qui pacem facerent, atque eorum desiderijs sese accommodantes pacta conventa juramento confirmârunt. Illis deinde è munitione exeuntibus, ingressus Rex montem Sionis, sacrificium obtulit, Templum honoravit, & locum humaniter tractavit. Verùm brevi post, quum munitionem loci attentius considerâsset, violato juramento, mandatum dedit ut murus circumquaque dirueretur. [Ibid. 60, 61, 62. cum II Maccab. XIII. 23.]

Rex Maccabæum vel (ut Græcus fert contextus, & Syrus meus habet Interpres) Hegemonidem potius ducem sui exercitus reliquit à Ptolemaide ad Gerrenos usque. [II Macc. XIII. 24.] sive ad Ægyptum usque; cujus terminus Gerrus mons à Ptolemæo constituitur.

Veniente Rege Ptolemaidem, Ptolemaidenses (quorum infestum in Judæos animum historia I Macc. XII. 48. satis testatur) graviter ferebant pacta cum Judâ inita: & indignantes, volebant irritum facere foedus. Sed accedens ad tribunal Lysias, re commodè defensâ, tumultum sedavit & benevolos cives reddidit. [II Macc. XIII. 25, 26.] Josephus, in fine libri 14 Antiquitatum, Hasmonæorum principatum, usque ad captam ab Herode Hierosolymam & occisum Antigonum, annos 126 duravisse ait; vel, ut apud eundem, libro ejusdem operis 17. cap. 8. habet Herodes, uno anno minùs. Contigit verò illud anno ab hoc tempore 126°. Ut ab hoc inter Antiochum & Maccabæum inito pacis foedere Hasmonaici principatus initium deductum fuisse videatur.

3842

4.

Ab autumno coepit annus æræ Contractuum, quâ 2ⁱ libri Maccabæorum Collector utitur, CL.

Antiochus Eupator, cum tutore Lyfiâ, festinans Antiochiam, [I Macc. VI. 63. II Macc. XIII. 26.] Menelaum Pontificem captivum secum abduxit: [Joseph. lib. 12. cap. 15.] quem ut facem totius belli Judaici & malorum omnium incentorem Lysias ipsi detulerat. Ille, Regis mandato, Berrhœam Syriæ missus, ibique in turrim cinere operam conjectus, dignum vitâ suâ exitum sortitus est. [II Maccab. XIII. 4, —8.]

Impio Menelao, Berrhœæ (ut apud Josephum pag. 421. rectè est scriptum; non autem, ut pag. 700. perperam, Beryti) anno post occupatum primùm ab eo Pontificatum 10° necato, alterum non minùs improbum Rex substituit, Alcimum sive Jacimum dictum; Sacerdotem quidem ex Aaronis progenie, sed alienum à Pontificum cognatione: Lyfiâ suadente ut transferret eum honorem in aliam familiam. [Joseph. Antiquit. lib. 12. cap. 15. & lib. 20. cap. 8.]

Onias, Oniæ III Pontificis filius videns summum Sacerdotium Alcimo datum, in Ægyptum profectus est: ibique in Ptolemæi Philometoris & Cleopatrz ejus conjugis amicitiam se insinuans, ab eis postea obtinuit, ut in Heliopoliticâ præfecturâ Deo templum instar Hierosolymitani extruerent, ipsùmque illic Pontificem constituerent. Ita in Operis Antiquitatum Judaicarum locis jam citatis rem narrat

Jose-

Josephus: quod in opere de Bello Judaico (lib. 1. cap. 1. & lib. 7. cap. 37. al. 30.) prius scripserat retractans; Oniæ fugam hanc & Templi Ægyptiaci extructionem vivente Antiocho Epiphane contigisse.

Hoc verò tempore inter Ptolemæum Philometorem & fratrem ejus juniorem Ptolemæum Euergetem II. summæ exarserunt inimicitia: quas ut pro viribus componerent, à Senatu Romano ad legatos suos, Cn. Octavium, Sp. Lucretium & L. Aurelium missæ sunt litteræ. [*Polyb. legat. 107.*] Postquam enim simul pacificè per sex annos regnavissent; Philometori minor frater regnum abstulit. [*Porphyr. in Græc. Euseb. Scaligeri, pag. 54. & 225.*]

Ille, regno spoliatus, petendi auxilii gratiâ cum paucis admodum servis, squalore oblitus, Romam profectus est. [*Valer. Maxim. lib. 5. cap. 1.*] Qui pedestri itinere ad Urbem pergens, à Demetrio Seleuci filio agnitus est. Is insperato casu commotus statim paratâ veste regiâ cum diademate & equo aureis ornato phaleris, stipatus suis famulis, Ptolemæo obviam processit; eique vicesimo sexto ab Urbe lapide occurrit. Quem postquam comiter salutavit, hortari cœpit, ut ornatus regiis insignibus eo quo par erat comitatu Romam ingredi vellet; ne fortè despectui haberetur. Sed Ptolemæus prolixam quidem in se Demetrii voluntatem multùm laudavit: cæterùm tantum abfuit ut quidquam eorum quæ sibi offerebantur acciperet, quin potiùs eum rogavit, ut in aliquo ex perviis opidis unâ cum Archiâ subsisteret. [*Diodor. Sicil. in Excerpt. Valesii, pag. 322.*]

Romam deinde veniens, in hospitium Alexandrini pictoris se contulit. Id postquam Senatui relatum est, accersito juvene, quàm potuit accuratâ excusatione usus est, quòd nec Quæstorem more majorum obviam misisset, nec publico eum hospitio excepisset: eaque non suâ negligentia, sed ipsius subito & clandestino adventu facta dixit. Et illum è Curiâ protinus ad publicos penates deduxit; hortatusque est, ut depositis sordibus adeundi ipsius diem peteret. Quintiam curæ habuit, uti munera ei quotidie per Quæstorem darentur. His gradibus officiorum jacentem ad regium fastigium erexit: effecitque ut plus spei in auxilio populi Rom. quàm metus in suâ fortunâ reponeret. [*Valer. Max. ut supr.*]

Cn. Octavius & Spurius Lucretius Romanorum legati ad Ariarathem Cappadocum regem venientes, de controversiâ quam cum Galatis habebat eum allocuti sunt. Quibus ille paucis rem omnem exponens, in eorum judicio facilè se acquieturum dixit. Cæterùm de Syriæ rebus pleraque omnis fuit ejus oratio, quòd sciret eò pergere Octavium. Ostendit igitur legatis, & regni illius quàm incertus esset status, & quanta sibi cum illis necessitudo intercederet qui rerum ibi potirentur. Pollicitus item est illis, cum copiis se eos comitaturum, & paratum intentumque ad omnem occasionem futurum, donec absque omni periculo ex Syriâ essent reversi. Legati ubi significassent quàm grata sibi esset hæc Regis benevolentia & propensus animus; in præsentia quidem ejus comitatu opus sibi non esse dixerunt: in posterum verò si quâ in re præsidio opus haberent, illi se absque ullâ cunctatione significaturos; quem inter verè ami-

cos populi Romani numerarent. [*Polyb. legat. 108.*]

Turbas verò illas in Syriâ ortas rex Eupator, Lysias tutoris sui operâ, brevi compescuit. Cùm enim Antiochiam rediens, Philippum ibi dominantem invenisset; cum oppugnavit, & urbem vi cepit. [*I Macc. VI. 63.*] atque Philippum in potestatem suam redactum interemit. [*Joseph. lib. 12. cap. 15.*]

b.

Tres Romanorum legati, Octavius, Lucretius & Aurelius, prout in Syriam venientes, in mandatis à Senatu acceperant, elephantos interficiendos & naves concremandas curârunt, cæteraque ex Romanorum utilitate administrârunt. Quod non ferens quidam Leptines, Cn. Octavium legationis principem (qui primus in familiam suam, è quâ Cæsar Augustus postea prodit, Consulatum attulit) Laodiceæ, dum ungitur in gymnasium, suâ manu interemit: jure cæsum illum, neque sine numine deûm id esse factum, affirmans. Lysias Eupatoris tutor (qui præcipuus populi contra Romanos concitator credebatur) Octavium sepeliit: statimque legatos Regis nomine Romam misit; qui id facinus purgarent; ejusque conscium Regem non fuisse ostenderent. [*Polyb. legat. 114. & 122. Cicero, Philippic. 9. Appian. Syriac. pag. 117. Zonar. ex Diene.*] Marcio & Scipione Consulib. cædem hanc contigisse, confirmat Julius Obsequens in libro de Prodigis.

4552 162

Erat tum apud Syros Isocrates quidam grammaticus, ex eorum numero qui recitationes publicas habere solent: loquax ostentator, & ipsis quoque Græcis exosus; ut quem Alcæus in commissionibus urbanitate dictorum laceßere atque irridere fuerit solitus. Iste quum in Syriam venisset, ingenia Syrorum habens despectui, non continens se intra professionis fines, etiam de publicis rebus verba facere & sententiam suam pronuntiare cœpit. Non solum enim jure Cnæum occisum fuisse dicebat, sed cæteros quoque populi Romani legatos esse jugulandos adjiciebat, ut ne unus quidem relinqueretur superstes qui cladis nuntium Romam adferret: quò tandem illi desinerent superbè adeo imperare aliis, & hanc impudentem dominandi licentiam usurpare. [*Polyb. legat. 122.*]

Romani, missis legatis Canuleio & Quinto, Ptolemæum Philometorem in regnum restituerunt, & cum juniore fratre Euergetâ reconciliârunt: cã inter eos regni partitione decretâ; ut Philometor Ægypto & Cypro, Euergetes Cyrenis potiretur: idque pactum sacris rite peractis, fide datâ invicemque acceptâ firmatum est. Quod tamen ut rescideret, Euergetes Romam properavit: quò & legatum Philometor misit Menithyllum Alabandensem, ut patrocinium suæ causæ ageret & adversus Euergetam certamen pro se susciperet. [*Polyb. legat. 113. & 114. Liv. lib. 46. Zonar. ex Diene.*]

Ariarathe Cappadociæ rege mortuo, filius ejus Ariarathes cognomento Philopator hæreditario jure regnum ejus accepit: qui patris exequiis omni magnificentiæ genere celebratis, Romam legatos ad ad amicitiam cum populo Romano renovandam misit. Hic primùm Mithradates, adultus postea paterno nomine Ariarathes dictus est. Regnum adeptus, amicos ac duces subditosque omnes debitâ sollicitudine

tudine complexus, omnium ordinum benevolentiam sibi conciliavit. Cùmque Græcis litteris esset imbutus, & philosophiæ operam navaret, factum inde est ut Cappadocia, olim Græcis ignota, tunc eruditus fuerit receptaculum. [*Liv. lib. 46. Diodor. Sicul. in Bibliothecâ Phottii, cod. 244. & Excerptis Valesii, pag. 325.*]

c. A veris initio cœpit annus regni Græcorum CLI, cujus in primo libro Maccabæorum usus est.

Legati Ariarathis novi Cappadociæ regis Romam venientes, Senatui hortabantur, ut Regem qui publicè privatimque universis Romanis cupiebat benevolentiam suam complecteretur. Senatus verò non solum amicitiam societatemque petitam renovavit, sed etiam laudato Regis animo comiter legatos excepit: postquam Tiberius (Gracchus, de quo ad ann. Mundi 3838 dictum) ab Asiaticâ legatione reversus, de hujus Regis & patris ipsius animo erga populum Romanum, atque in universum de eorum regno, multa benigna retulisset. [*Polyb. legat. 109.*]

Rhodii, legatis suis Cleagorâ & Lygdami Romam missis, ut Lyciam & Cariam sibi pari atque antea jure possidere liceret petierunt. [*Id. legat. 110.*]

Quum in Cariatâ Calyndenses à Cauniis defecissent, ac postea obsidionem eorum aggressi essent Caunii, illi principio quidem à Cnidiis auxilia poposcerunt; quorum adventu aliquamdiu hostibus restiterunt: sed mox de exitu belli anxii, legationem ad Rhodios miserunt, se suamque urbem illis dedentes. Rhodii terram marique auxilio missis, urbem obsidione liberarunt, eamque sibi traditam acceperunt. Mox & Senatus ejus possessionis retinendæ jus & potestatem illis concessit. [*Id. legat. 111.*]

Rex Cappadociæ Ariarathes, ex legatis Romam reversis benevolentiam Romanorum se nactum intelligens, in tuto jam sibi regnum esse collocatum persuasus, diis suis Charisteria sacrificavit & duces suos convivio excepit. Deinde legatos Antiochiam ad Lysiam misit, ut sororis & matris (Antiochidis, filiæ Antiochi Magni) ossa reciperet. Quam de re discedentibus legatis mandata dedit, cum postulatis precibusque conjuncta: ex postulatione de cæde Octavii superfedendum sibi existimans, (quantumvis iniquo animo eam ferret;) ne si Lysiam irritaret, voti sui compos fieri non posset. Quum autem, permittente Lysia, reportatæ reliquæ ad eum fuissent; magnifico apparatu illas suscepit, & summo studio juxta patris tumulum posuit. [*Id. legat. 112.*]

Postquam Ptolemæi fratres regnum sunt partiti, venit Romam Ptolemæus junior, ut institutam cum fratre partitionem redderet infectam: quod diceret, non sponte se, sed difficultatibus temporum necessariò cedentem, id fecisse quod jussus erat. Petebat igitur à Senatu, ut Cyprum sibi adjudicaret: nam etiam sic, longè deteriore suam portionem futuram portione fratris. Contrà verò legatus à Philometore missus Menithyllus, dicebat quod ipsi Romanorum legati Canuleius ac Quintus suo testimonio confirmabant: Ptolemæum nempe juniorem non solum Cyrenen sed etiam vitam fratris operâ retinere; omnium animis ab eo adeo alienatis, ut pro magno benefi-

cio concessum sibi, præter spem suam & omnium opinionem, Cyrenæ regnum acciperet. Quibus omnibus contradicente Ptolemæo; Senatus, partim quòd partitionem non planè peractam animadvertet, partim quòd divisum regnum cuperet, (ut si res ferret divisum facilius quàm unitum in suam potestatem redigeret) postulata junioris accepit. Et legatos protinus misit, Titum Torquatum & Cn. Merulam, cum mandatis; ut pacem inter fratres conciliarent, & juniori Cyprum traderet. [*Id. legat. 113.*]

Quum Romam de Cn. Octavii cæde nuntius esset allatus, & Antiochi Eupatoris legati quos Lyfias miserat Romam venissent, & multa differuissent quòd cædis ejus conscium Regem non fuisse ostenderent: Senatus legatos remisit, nullâ prolatâ sententiâ, quia mentem suam prodere omnino nolebat. [*Id. legat. 114.*] Octavio verò statuam in Rostris poni jussit. [*Cicero, Philippic. 9.*]

Demetrius Seleuci filius hoc nuntio percussus, Polybium (historicum) accersens, cum eo deliberavit, deberétne iterum de suis rebus cum Senatu agere: qui cum monuit ne bis in eundem lapidem impingeret, sed auderet ipse aliquid regno dignum; ad fugam cum hoc modo obscure hortatus. Ille tamen Apollonii familiaris sui, hominis quidem minimè mali sed admodum juvenis, consilium secutus in Curiam venit, & ut saltem necessitate liberaretur manendi Romæ pro obside oravit, quandoquidem regnum Antiocho Eupatori firmassent. Cum nihilominus Senatus in sententiâ permaneret, Demetrius cum Diodoro primùm (homine vafro, qui recens è Syriâ venerat, & ipsum olim educaverat) deinde cum Polybio, de fugâ suâ deliberavit. Menithyllus Ptolemæi Philometoris legatus, operâ Polybii (cum quo arcta illi familiaritas intercedebat) particeps consilii factus, reditum suum parare præ se ferens, Carthaginensium navem sacram, quæ Tyrum navigatura erat & diis patriis Carthaginensium primitias de more allatura, ad vecturam palàm conduxit. Paratis omnibus, Demetrius suum illum educatorem Diodorum in Syriam præmisit; qui omnes ibi rumusculos colligeret, & quis populorum esset sensus exploraret. Ipse paucos itineris socios futuros assumens, apud quendam ex amicis cum eis coenavit; reliquos Anagniam amandavit, quòd postredie venationis causâ se dicebat esse venturum. [*Polyb. legat. 114.*]

Æger tum in lecto decumbens Polybius, veritus ne juvenis Demetrius, extractâ in tempus longius computatione, occasionem evadendi amitteret; quum jam tenebresceret, breve pittacium obfignatum ad eum misit, in quo gnomæ istæ erant descriptæ.

Ὁ δρῶν τὰ μᾶλλον, οἴχεται φόρων
Εἰς ὃ φέρεται νύξ. τοῖς δὲ πολέμοις τί, πλοῖον.

Τόλμα τί, κινδύνοσε, παρά τ' ἀποτυχῆσαι,
Ἐπιτυχε. πάντα μᾶλλον ἢ σπύλον ὄρεον.

Cunctaris? illuc nempe tendis, ô miser,
Ubi atra nox. Fortuna fortes adjuvat.

Aude, periclitare, age quid. non feceris;
Aut feceris. prius omnia quàm te deseris.

addito

adito & Epicharmi dicto illo (à Polybio, lib. 3. pag. 768. & Cicerone, ad Attic. lib. 1. epist. 16. laudato) Νῆφε, ἔ μέρυνοσ ἀμσῆν' ἀρθεα ταύτα τῶν φρεσῶν. *Sobrius esto; nemini fidem habendam memento: hi sunt nervi prudentiæ.* Quibus lectis ille, cognito & quò præcepta ista spectarent & à quo sibi mitterentur, extemplo nauseabundum se simulans, convivio simul cum amicis excessit: & consilium suum Nicanori comitibusque ipsius aperiens, noctu ad ostium Tiberis Ostiam progressus est. Menithyllus verò illos præcedens nautis significat, novi aliquid à Rege se accepisse; cujus gratiâ oporteat ut ipse quidem adhuc in urbe hæreret, sed juvenes probatissimæ fidei ad illum mitteret, qui de fratre omnia ei sint renuntiaturi. Exeunte tertiâ noctis vigiliâ Demetrius adest cum octo sociis, quinque famulis & tribus pueris: quos cum Menithyllus nauclero, qui rem totam ignorabat, diligenter commendasset; cum primâ luce vela faciunt. [*Id. ibid.*]

De ejus discessu nihil Romæ cogitatum ante diem quartum; quo sollicitè quæsitus non comparuit. Die quinto Senatus eâ de re est habitus: cum quidem Demetrius, sextum jam agens ab exitu ab urbe diem; ad fretum Siculum pervenerat. Abeuntem Patres persequendum non duxerunt: quòd persuasum haberent multum jam itineris ab eo esse confectum. Post paucos deinde dies Tiberium Gracchum, Lucium Lentulum & Servilium Glauciam, qui res in Græciâ inspicerent: deinde in Asiam transgressi, quid moliretur Demetrius observarent; animos item aliorum regum explorarent, & controversias eorum cum Galatis disceptarent. [*Ibid.*]

Interea Demetrius defertur in Lyciam: unde ad Senatum scripsit se non contra patruelem Antiochum, sed contra Lysiam proficisci, & Octavii necem ulturum esse. Cùmque Tripolim Syriæ celeriter sibi adjunxisset, tanquam à Senatu ad regnum occupandum missus, (de fugâ enim ejus nemo cogitabat) & Apameâ portus, comparatis copiis Antiochiam contendit: ibique puerum & Lysiam amicè obviam egressos (Romanorum enim meru armis abstinerant) interfecit. [*Zonar. ex Dione.*] exceptusque secundo omnium favore in Syriâ regnum adeptus est. [*Fustin. lib. 34. cap. 3. Appian. Syriac. pag. 117, 118.*]

Anno regni Græcorum 151^o Demetrium Seleuci filium, egressum Româ, cum viris paucis in urbem maritimam (Tripolim sc. Phœnicæ) venisse, & regnare ibi cœpisse; ingressoque eo regiam majorum suorum (Antiochiam ad Daphnem, regni Syriaci metropolim) comprehensos & militibus Antiochum & Lysiam, illius jussu occisos ab eis fuisse, in I *Maccab.* VII. 1.—4. legimus. Et in II *Maccab.* XIV. 1, 2. *Μῆ τρίτην χρόνον*, sive anno tertio (ab initio Antiochi Eupatoris, vel à Templi repurgatione per Judam Maccabæum factâ; cujus utriusque in X capitis initio facta fuerat mentio) Judæ innotuisse, ad Tripolis portum appellentem, cum multitudine validâ & classe obtinuisse regionem, occiso Antiocho & tutore ejus Lysia. Antiocho verò Eupatori annos regni duos assignat Josephus (lib. 12. cap. 16.) & Eusebius in Chronico: licet à Porphyrio (in *Græc. Euseb. Scalig. pag. 228.*) & Severo

Severo Sulpicio (*Histor. sacr. lib. 2.*) unus tantum annus & 6 menses illi adscribantur.

Demetrius Heraclidâ (quem ærario apud Babylonios præfecerat Antiochus Epiphaneus) ejecto, & fratre ejus Timarcho (quem idem Babylonis satrapam constituerat) ut rebelle occiso, qui alioquin etiam Babylonis præfecturam malè administraverat, à Babyloniis primùm *Soteris* cognomentum adeptus est. [*Appian. Syriac. pag. 118.*]

d.

Alcimus (qui ab Antiocho Eupatore summum sacerdotium obtinuerat, sed à populo non receptus quòd temporibus confusionis sub Antiocho Epiphane sponte se inquinavisset; II *Macc. XIII. 3.*) Pontificatum sibi à Demetrio Sotere confirmari desiderans, cum Israelitis impiis & apostatis sui similibus Regem adiit. Quibus populares suos & inprimis Hasmonæos accusantibus, quòd Regis amicos excidissent & ipsos in exilium pepulissent; motus eorum precibus Demetrius, Bacchidem Mesopotamiæ præfectum, virum sibi amicum & fidum, unâque cum eo Alcimum (cui Sacerdotium firmavit) cum multis copiis in Judæam misit. Quòd cum illi venissent, Judam Maccabæum cum fratribus verbis pacificis circumvenire conati sunt: quibus tamen hi nullam fidem adhibuerunt. [*I Maccab. VII. 5, — 11.*]

Tum convenit ad Alcimum & Bacchidem congregatio Scribarum, in quibus primi Hasidæi fuerunt, qui requirebant ab eis pacem. Dicebant enim: *Sacerdos ex semine Aaronis venit cum copiis istis, qui non afficiet nos injuriâ.* Sed postquam credidissent se ei, impius ille Sacerdos, contra pactum juratum, comprehensos ex eis 60 occidit die uno. Eòque accommodat Historicus effatum illud, *Psal. 79. (al. 78.) 2. 3. Carnes sanctorum tuorum & sanguinem eorum effuderunt circa Hierosolymam, nec fuit eis qui sepeliret.* Quâ perfidiâ terri multi, ex Urbe aufugerunt [*Ibid. 12, — 19.*]

Bacchides Hierosolymâ profectus, castra posuit in Bezeth sive Beth-zetha: & mittens comprehendit multos ex iis qui ab ipso transfugerant, & aliquos è populo; quos mactatos projecit in magnum puteum. Deinde committens regionem Alcimo, relquit cum eo copias auxiliares, & ad Regem rediit. Ad Alcimum verò, omni studio ut Pontificatum firmum sibi faceret contendentem, congregati sunt omnes qui turbabant populum suum: qui obtinentes terram Juda, fecerunt plagam magnam in Israël. Egressus igitur Judas Maccabæus in omnes fines Judææ per circuitum, ultionem de transfugis illis sumpsit, eosque ita coercuit, ut intra præsidia se tenentes regionem amplius non invaderent. [*Ibid. 19, — 24.*]

Ptolemæus junior ex Italiâ in Græciam veniens, strenuorum adprime militum manum ibi conduxit: inter quos etiam Damasippum Macedonem assumpsit; qui post jugulatos in opido Macedonia Phaco concilii assessores, cum uxore & liberis è Macedoniâ aufugerat. Ptolemæus in Peræam oppositam Rhodiis continentem inde profectus, ibique à populo exceptus hospitio, Cyprum navigare constituit. Torquatus verò cæterique Romanorum legati, ubi viderunt magnam mercenariorum militum vim ab eo coactam, Senatus mandata in memoriam revocaverunt; quibus sine armis eum reducere jubebantur.

Tan-

Tandemque persuaserunt ei, ut postquam Sidam usque militem met-
cenarium adduxisset, missos omnes faceret, & ab adeundâ Cypro ab-
stineret; darétque operam ut in Cyrenaicis finibus cum possent con-
venire. se interim Alexandriam profecturos, & Regis voluntatem ad
ea quæ ab ipso poscebantur inclinatuos, & ad fines illos ei occursum, ip-
sumque Regem secum adducturos. Flexit hæc oratio juniorem Pto-
lemæum, effecitque ut de Cypro occupatione desperans, conductiti-
um militem dimitteret; atque ipse in Cretam rectâ abiret, unâ cum
Damasiippo, & Cn. Merulâ, qui fuit unus ex numero legatorum.
Dein quum milites mille in Cretâ conduxisset, inde profectus Li-
bynam venit, & ad Apim portum tenuit. [*Polyb. legat. 115.*]

Torquatus interim & Titus Alexandriam delati, persuadere conati
sunt seniori Ptolemæo, ut redire in gratiam cum fratre veller, eique
Cyprum concederet. Sed Ptolemæo quædam pollicente, quædam
negligenter audiente, atque hoc modo tempus extrahente, junior fra-
trum castris in Libynâ ad Apim positus, ut convenerat, ægerrimè fe-
rens nihil secum eâ de re fuisse actum; Cn. Merulam Alexandriam
misit, tanquam per hunc & Torquatum quod cupiebat esset effecturus.
[*Id. ibid.*]

3843
4.

Hipparchus Bithynus, Plinio nunquam satis laudatus, qui annume-
merare posteris stellas est ausus ac sidera ad normam expandere, orga-
nis excogitatis, per quæ singularum loca atque magnitudines signa-
ret; [*Plin. lib. 2. cap. 26.*] in libro *ἱστορίας ἀστρονομίας* τῆς *ἑβδόμης* καὶ
ἑκτοῦ ἀριθμοῦ ἐπιπέδων, anno 17 tertiz Periodi Calippicæ, Ægyptiaci men-
sis Mesori die 30 (Septembris Juliani 27) circa Solis occasum Æqui-
noctium autumnale à se observatum fuisse scripsit. [*Ptolem. lib. 3.
cap. 2.*]

Ab hoc autumno cœpit annus æræ Contractuum CLI, in secundo
libro Maccabæorum usurpatæ. Quo (ita enim & Græci habent codi-
ces & Syrus noster interpret; ubi Latina editio annum legit CL) Al-
cimus ad regem Demetrium venisse scribitur, afferens ei coronam
auream, & palmam, ac præterea ramos, qui Templi esse putabantur.
[*II Macc. XIV. 3, 4.*] Ille enim videns invaluisse Judam Maccabæum
& Hasidæos qui erant cum eo, ac per eos accessum sibi esse oclusum
ad sanctum altare; captâ opportunitate, illos ut authores tumul-
tum & turbatores communis pacis in Judæâ, apud Regem atrociter
accusavit: se summo Sacerdotio, majorum suorum gloriâ, spoliatum
esse graviter conquestus, & quamdiu Judas vivat, nunquam quieto
regno potiturum Demetrium esse dicitans. Quod cum & cæteri amici,
in Judam infensissimi. confirmassent: accensus Demetrius, Nicanorem
unum ex principibus suis illustribus, qui elephantorum præfectus
fuerat & maximus inimicus Israël, ducem in Judæam misit; man-
dans ut Judam è medio tolleret, comites ejus (Hasidæos) dispergeret,
& Alcimum summum Templi sacerdotem constitueret. Gentes
verò quæ Judæ metu ex Judæâ fugerant, miscobant se gregatim
Nicanori; Judæorum miseria proprias felicitates existimantes.
[*II Macc. XIV. 3, — 14. cum I Macc. VII. 25, 26.*]

Judæi, audito Nicanoris adventu & accessione gentium, conspersi
terrâ

terrâ Deo supplicaverunt. Post congressum verò Simonis fratris Judæ & Nicanoris ad Dessai vicum. Nicanor auditâ Judæ & sociorum ejus in patriâ propugnandâ fortitudine, belli aleam tentare meruit. Misit igitur Posidonium & Theodotum & Marthiam, qui darent fidem atque acciperent: cùmque res diu agitata fuisset, cum populo Judas rem communicavit; qui concorde sententiâ conventionibus annuit. Et præstito die, quo privatim Judas & Nicanor unâ venirent; viros armatos opportunis locis disposuit Judas, ut auxilio essent ipsi, si qua vis contra fidem pararetur. Sed pacifico inter eos sermone habito, foedus tandem Rege inconsulto est initum. Hierosolymis aliquamdiu moratus Nicanor, turbas gregarias quas antè coegerat dimisit; ita familiariter cum Judâ vivens, ut etiam uxorem ei ducere persuaserit. [II *Macc.* XIV. 15, — 25.]

Ut unius in alterum benevolentiam & conventiones factas vidit sceleratissimus Alcimus, tertio ad Demetrium venit; & Nicanorem ut consilia à regis rebus aliena agitantem, detulit. Cujus calumniis ille accensus, de conventionibus ad Nicanorem graviter se eas ferre scripsit; & ut citò Maccabæum vinctum mitteret Antiochiam jussit. Et licèt iniquè ferret Nicanor, quòd res compositas facturus esset irritas, quum nullam injuriam Maccabæus fecisset; quia tamen non erat unde resisteret Regi, opportunum tempus observabat, ut stratagemate illud perficeret. [*Ibid.* 26, — 29.]

Dum Ptolemæus Philometor, legatos Romanorum miris blanditiis sibi concilians, per 40 dies, nullâ re perfectâ, invitos magis quàm volentes Alexandriae detinet; à fratre juniore Euergetâ Cyrenenses defecerunt, & civitates cum ipsis conspirârunt: Ptolemæo illo Ægyptio conscio, quem Euergetes, quum Romam navigationem institueret, universo regno præfecerat. Hæc ubi Euergetæ nuntiata, & mox addito, Cyrenenses sub signis exercitum jam habere, metuens ne dum imperio Cyprum cupit adjicere, etiam Cyrenem amitteret; omnium aliarum rerum curam insuper habens, relicta Api, ubi portum tenebat, ad magnam quem vocant Catabathmum navigavit, Cyrenen inde petiturus. Sed cùm in Catabathmo locorum angustias à Libynis & Cyrenensibus reperisset occupatas; dimidiam militum partem navibus impositam loca angusta circumnavigare jussit, darèque operam ut hostes nec opinantes ex improvise invaderent: ipse cum alterâ parte exercitus fronte eos aggressus, superare montem conabatur. Cùmque Libynæ metu perculsi, quòd utrinque peti se viderent, stationes deseruissent; Rex non liberè tantum adscensu est potitus, sed etiam subjectam quatuor turrium munitionem, ubi magna erat aquarum copia, in potestatem redegit. [*Polyb. legat.* 115.]

Inde septem castris solitudinem emensus est; militibus qui sub Mochyrino erant maritimo itinere illum comitantibus. Cyrenenses, illo appropinquante, aciem eduxerunt; pedites ad octo millia, equites ad quingentos. Ex iis enim quæ Philometor Alexandriae gesserat animadversâ ejus voluntate; quum cernerent nihil regii Euergetæ inesse, sed tyrannicè omnia ab eo administrari: ut suâ sponte se illi subjicerent, inducere

inducere in animum non poterant. Itaque inito cum eo prælio, victoriam reportarunt. [*Id. ibid.*]

b.

Judas Maccabæus videns Nicanorem minùs familiariter secum agere, & solitam conversationem asperiores exhibere, cogitans non ex bono esse austeritatem istam, congregatis non paucis suorum comitum, se ab illo occultavit. [*II Macc. XIV. 30.*]

Veniens Nicanor Hierosolymam cum copiis multis, Judam dolosis verbis ad colloquium pellexit. Cùmque salutarent alter alterum pacificè, parati erant hostes Judam abripere. Quod quum Judæ innotuisset; territus faciem ejus ampliùs noluit videre. Cognoscens itaque Nicanor detectum esse consilium suum; processit obviam Judæ ad pugnam juxta Capharsalama. Ubi ceciderunt ex parte Nicanoris quasi quinque millia virorum: reliqui verò fugerunt in civitatem Davidis. [*I Macc. VII. 27. — 32.*]

His ita gestis, ascendit Nicanor in montem Sion: cui obviam processerunt è loco sancto quidam è Sacerdotibus & è Senioribus populi; salutaturi ipsum cum pace, & demonstraturi ei holocaustum quod offerebant pro Rege. Sed is subsannavit eos; & tradi sibi Judam imperavit. Illis autem dicentibus cum juramento se nescire ubi locorum ille esset: protendens dexteram in Templum juravit, nisi traderetur Judas ejusque copiæ in manus ejus, se quum rediturus esset in pace domum Dei incensurum & altare suffosurum, & illustre Templum Libero patri ibidem ædificaturum. Sacerdotes verò ingressi steterunt ante altare & Templum, flentisque Deum orabant ut Nicanoris minas redderet irritas, ejusque blasphemias ulcisceretur. [*I Macc. VII. 33. — 38. II Macc. XIV. 31. — 36.*]

Ad Nicanorem delatus est Rhazis Senator Hierosolymitanus, qui ob benevolum in cives suos affectum *Pater Judæorum* est appellatus. Sublato igitur illo putans se maximum malum Judæis illaturum; misit milites supra 500 qui eum comprehenderent. Qui quum turrim in quâ is erat occupaturi in januam aulae vim facerent, ignemque ad incendendas fores adferri juberent; gladio se petiit, & quum præ festinatione vulnus sibi inflixisset non lethale, è muro seipsum dedit precipitem: deinde cursu petram quandam præruptam assecutus, jamque planè exanguis effectus, protulit intestina, & ambabus manibus ea projiciens in turbas, vitâ est defunctus. [*II Macc. XIV. 37. — 46.*] De quo consulendus B. Augustinus, in epist. 61. ad Dulcitium, & lib. 2. contra Gaudentium, cap. 23.

Cùm Nicanor intellexisset Judam abesse Hierosolymis, & in partibus Samariæ versari, egressus Hierosolymis castra locavit in Bethoron; ubi copiarum incrementum ex Syriâ illi occurrit. Judas verò castrametatus est in Hadassâ (30 stadiis ab hoste distante) cum tribus virorum millibus. Cùmque daret operam Nicanor ut pugnaret die Sabbati, & à quibusdam Judæis qui eum ex necessitate sequebantur amicè moneretur, ut diei illi ejusque auctori Deo debitum honorem deferret; monitores, cum summâ in Deum blasphemiam, superbè reject. Maccabæus verò suos ex Lege & Prophetis consolabatur: & præterea revocans eis in memoriam certamina quæ perfecerant, &

K

quod

quod ipse habuerat insomnium de Oniâ (qui fuerat summus Sacerdos, ejus nominis III) pro populo Judæorum orante & Jeremiâ prophetâ gladium aureum sibi tradente illis enarrans, animos eorum excitabat. Unde orationibus & firmâ in Deum fiduciâ illi armati, die 13^o mensis 12ⁱ Adar in hostes irruerunt. Ubi quum primus ipse Nicanor cecidisset in prælio, reliqui abjectis armis suis fugerunt. Quos Judæi persecuti unius diei itinere ab Hadafâ usque dum venitur Gazeram, claxerunt post eos tubis classicum sonantibus. Et egressi ex omnibus vicis Judææ circumvicinis ad fugientium hostium cædem convolarunt: ita ut non minus 35 millibus gladio ceciderint, ne uno quidem ex universo exercitu superstite relicto. Dein acceperunt spolia prædâque: & caput Nicanoris atque manus cum humero amputârunt & detulerunt Hierosolymam. Ubi capite in summâ arce suspenso, & dextrâ quam superbè in domum Dei extenderat; linguam etiam impij abscindi jussit Judas, & minutatim avibus dari. Statueruntque omnes decreto communi, ut quotannis celebritas haberetur die illo 13^o mensis 12ⁱ, Syrâ linguâ Adar dicti, die uno ante diem festi Mordecai. [I Macc. VII. 39, — 49. II Macc. XV. 1, — 37. Joseph. lib. 12. cap. 17.]

Hic terminatur secundi Maccabæorum libri continua historia: in quâ quinque librorû Jasonis, Judæi Cyrenensis, Breviarium cõprehenditur.

Post cædem Nicanoris Judæa dies paucos à bello quievit. [I Macc. VII. 50.] Ita quibus Judas Maccabæus, quum de Romanorum potentia & humanitate erga afflictos omnes audivisset, quantumque sibi ab eis Demetrius timeret didicisset, Eupoleum Johannis & Jasonem Eleazari filium legatos suo fratrumque & Reipublicæ Judæorum nomine Romam ad Senatum misit: ut societate & amicitia cum populo Romano inita, à regis Demetrii & imperij Græcorum gravi jugo liberarentur. [c. VIII. 1. 17, 18, 31, 32.]

Cn. Merula ad Evergetem Alexandriâ reversus, nuntiavit ei nihil eorum quæ à fratre ejus Philometore fuerant postulata potuisse impetrari: quod diceret pactis esse standum quæ facta essent ab initio. Quibus auditis, Evergetes Comanum & fratrem ejusdem Ptolemæum Romam legatos cum Merulâ proficisci jussit; qui de iniquitate fratris & contemptu erga populum Romanum cum Senatu agerent. Quibus in itinere etiam Titus Torquatus, Cn. Merulæ in legatione collega, occurrit; & ipse, re infectâ, Alexandriâ dimissus. Eodem quoque tempore à Philometore Menithyllus Alabandensis legatus ad Senatum missus est. [Polyb. legat. 116. & 117.]

Audiens Demetrius cecidisse Nicanorem & copias ejus in prælio, Bacchidem & Alcimum secundò in Judæam misit, & dextrum cornu, sive præstantiorem sui exercitus partem, cum eis. Qui profecti viâ quæ ducit in Galgala, castra posuerunt in Mæsaloth (al. Massaloth) quæ est in Arbelis: eâque occupatâ, peremerunt homines multos. [I Macc. IX. 1, 2.]

c. Mense primo anni regni Græcorum 152, castra moverunt versus Hierosolyma (ut Judam Maccabæum ibi quærerent;) indeque Bercan (vel Beerzath, ut in Arundelliano habetur codice) profecti sunt cum

20 mil-

20 millibus peditum & 2 millibus equitum. Judas verò castra posuit in Eleasâ, habens 3000 viros electos secum: qui hostium multitudine territi cum deseruerunt, 800 tantum in castris relictis. Cum paucis hisce ingentem Bacchidis exercitum ille adortus, à mane pugnavit usque ad vesperam: fugatòque dextro cornu, in quo ipse erat Bacchides, fugientes persecuti sunt ad Azotum montem usque. Sed qui in sinistro erant cornu Judam & eos qui cum eo erant consecuti, Judam fortiter dimicantem interemerunt, eoque cadente cæteri fugerunt. Unde tollentes Jonathan & Simon Judam fratrem suum, sepeliverunt eum in sepulchro patrum suorum in Modin: luxitque eum univèrsus Israël dies multos. [I Macc. IX. 3,—22.] Cecidit autem Judas Maccabæus anno post excessum patris Mattathiae 6.

Post mortem Judæ emerferunt iniqui in omnibus terminis Israël, qui ejus metu prius latitaverant: & magnâ fame eodem tempore ingruente, tota ferè regio cum ipsis Bacchidi se submisit, ut victu commodius frueretur. Bacchides verò impios istos præfectos constituit regionis; qui Judæ Maccabæi amicos passim conquistos ad ipsum excrucianos & illudendos adduxerunt. Fuitque afflictio magna in Israël, qualis non fuerat. ex quo die non est visus Propheta inter eos. [I Macc. IX. 23,—27.]

Interim legati à Judâ Maccabæo Romam missi, cum populo Romano pacem & societatem inierunt: foedusque in tabulis æreis inscriptum est; ut Judæi Romanis, & Romani Judæis mutua auxilia contra communes hostes exhiberent. Ad Demetrium etiam regem à Senatu missæ sunt litteræ, ne gentem Judæorum amplius opprimeret: alioqui se à populo amico & foederato omnem injuriam, bellum, terrâ marique gerendo, propulsaturos. [I Macc. VIII. 19,—32.] Quod spectat & illud de Judæis Justini, lib. 36. cap. 3. *A Demetrio cum descivissent, amicitia Romanorum petita, primi omnium ex Orientalibus libertatem receperunt, facile tunc Romanis de alieno largientibus.*

Hoc primum inter Romanos & Judæos foedus societatis ac amicitiae fuisse notat Josephus lib. 12. Antiquit. cap. 17. quod aliis expressum verbis ibi habetur; hæc etiam commentitiâ adjunctâ ἰστοροφῆ. *Scriptum est hoc Senatusconsultum ab Enpolemo Johannis filio & Fasone Eleazari (Judæorum sc. legatis) sub Pontifice quidem Fuldâ, duce verò Simone fratre ipsius. quasi Judâ superstite alius imperator fuisset quàm ipse Judas; aut si fuisset, non Jonathan potius futurus ille fuisset, quàm Simon, qui post illius demum mortem ducatum est consecutus. Nam quod paulo antè à Josepho est scriptum, Alcimo defuncto populum communibus suffragiis Pontificatum Judæ tradidisse, manifesti erroris ex I Maccab. IX. 54 55, 56. convincitur; ubi post Judæ excessum vitâ functum fuisse Alcimum clarissimè ostenditur. Ipseque Josephus, errore postea agnito, Jacimo sive Alcimo nullum omnino successisse, retulit, sed per totum septennium Hierosolymam Pontifice caruisse. [Antiquit. lib. 10. cap. 8. pag. 701.]*

Longâ inter legatos utriusque Ptolemæi altercatione in Curiâ habitâ, quum Titus & Cnæus (qui ad eos à Romanis legati missi fuerant) suo testimonio atque favore omni ac studio causam Evergetæ

d.

sublevarent; decrevit Senatus, ut intra dies quinque Menethyllus Philometoris legatus Româ excederet, & ut foedus quod cum Philometore erat tolleretur. Legatos etiam Publium Apustium & Caium Lentulum ad Evergetam miserunt: qui extemplo Cyrenam profecti, nuntium eorum quæ gesta fuerant magnâ diligentia ad eum pertulerunt. Ille confestim novâ spe inflatus milites conduxit, & animum atque mentem omnem ad consilia de Cypro occupandâ transtulit. [*Polyb. legat. 117.*]

Amici omnes Judæ Maccabæi convenientes, fratrem ejus Jonathanem (cognomento qui Apphus dictus est) ejus loco Ducem elegerunt. Quo cognito, Bacchides quærebat eum occidere. Id quum Jonathani & Simoni fratri ejus, omnibusque qui cum eo erant innotuisset, fugerunt in desertum Thecoæ; & castrametati sunt ad aquam fossæ Asphar. Misit verò Jonathan fratrem suum Johannem (cui Gaddis cognomen fuit) cum militum manu, rogatum Nabataeos Arabas amicos suos, ut apud ipsos impedimenta sua deponeret, quæ multa erant. Quibus in itinere occurrerunt filii Jambri ex Medabâ; & incursum in eos facto, Johannem cum sociis occiderunt, prædâque omni collectâ abierunt. Neque tamen diuturna fuit horum prædonum lætitia. Cùm enim didicissent Jonathan & Simon filios Jambri sponsam ducere è Nadabath filiam cujusdam ex magnatibus Chananæorum, cum pompâ magnâ multoque optimatum comitatu, surrexerunt ex insidiis, factoque in eos impetu, ad 400 occiderunt, & reliquis ad montem fugientibus, spolia eorum omnia acceperunt. Sumptâque ultione de sanguine fratris sui, ad Jordanis palustria redierunt. [*I. Macc. IX. 28, — 41. Joseph. lib. 13. cap. 1.*]

Jonathanem insecutus Bacchides, venit die Sabbathi ad ripas Jordanis cum exercitu multo. Commissoque prælio, extendit Jonathan manum suam, ut feriret Bacchidem; sed ictum ille caute declinavit: ceciderunt tamen ex militibus illius eo die circiter 1000 (vel 2000, ut habet Josephus) viri. Jonathan, tantæ multitudini imparem se esse videns, cum suis in Jordanem insiliit, & in ulteriorem ripam tranavit: nec eum hostis persequi conatus est. Hierosolymam verò reversus Bacchides, ædificavit urbes minutas in Judæâ, & munitionem quæ est in Jerichunte, & Emmaum, & Beth-horon, & Bethel; & Thannatha Pharathon, & Tephon, muris celsis, & portis, & vestibibus: posuitque præsidia in eis, ut inde factis excursibus nocerent Israëlitis. Munivit quoque urbem Bethsuram, & Gazaram, & arcem Hierosolymitanam: posuitque in eis milites & comæatum. Acceptisque filios principum regionis obsides, collocavit in arce Hierosolymis in custodia. [*I. Macc. IX. 43, — 53. Joseph. ut supr.*]

Cùm ex Zadiadis minoris Armeniæ regis filiis Mithrobuzanes ad Ariarathem Cappadociæ regem confugisset: regno illius imminens Artaxias majoris Armeniæ rex (quem Antiochus Epiphanes devicerat) legatione ad Ariarathem missâ hortatus eum est ut secum consentire vellet, & altero è duobus fratribus, quem penes se habebat, interfecto Sophenam partiretur. Sed Ariarathes, qui multum ab hujusmodi fraude abhorrebat, legatos graviter objurgavit; litterisque ad Artaxiam

am

am datis monuit ut ab eiusmodi scelere abstineret: Mithrobuzanem verò in regnum paternum reduxit. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. H. Valer. pag. 325.*]

3844

a. Ariarathes Romanorum legatos Tiberium Gracchum, Lucium Lentulum & Servilium Glauciam, in Cappadociâ regiè excipit. [*Polyb. legat. 119.*] Eò Demetrius Soter Menocharem misit, ut de regno suo confirmando cum Romanorum legatis serid ageret [*Id. legat. 120.*] Sororis quoque suæ (Persei Macedonum regis viduæ) nuptias Ariarathi regi obrulit: quas ille, Romanorum offensam veritus, respuit. [*Diodor. Sicul. legat. 24. Justin lib. 35. cap. 1.*]

b.

Postquam Menocharis ad Demetrium Antiochiam venisset, & sermones quos cum Romanorum legatis habuerat illi exposuisset; existimans Rex supra omnia necessarium suis rebus esse in præsentia, ut legatos illos omnibus modis sibi adjungeret & placaret, relictis rebus, ad eos misit primùm in Pamphyliam, deinde iterum Rhodum, quidvis se facturum in gratiam Romanorum promittens, donec perfecit ut Rex ab illis salutaretur. Tiberius enim, qui ex animo illi cupiebat, plurimùm illum adjuvit ad impetrandum quod cupiebat, & ad jus regni ei conciliandum. [*Polyb. legat. 120.*]

4554 160

Leptines, qui Cn. Octavium Romanorum legatum Laodiceæ occiderat, Demetrium regem adiens, oravit, ne cæde Cnæi moveretur, neve propterea in Laodice nos gravius quicquam iret consultum: ipsum enim se Romam profecturum, & Senatui probaturum, diis volentibus id à se admissum. Indèque, quia sponte suâ atque alacris ibat, sine vinculis & custodibus Romam ductus est. Isocrates contra Grammaticus, qui loquacitate suâ hoc sibi infortunium accersivit, simulac nomen ejus fuit delatum, mente captus est atque in totum alienatus: ubi verò etiam collum sibi bovis circumdari vidit & vincula admoveri, cibum rarò samere cœpit corporisque cultum penitus aspernari. [*Polyb. legat. 122.*]

c.

Anno regni Græcorum 153 mense 2^o, murum atrii interioris, (atrium Populi ab atrio Gentium secernentem) à Zorobabele & Prophetis extructum, Alcimus dirui jussit. Sed impio Pontifici Deus os occlusit, paralyti eum percuciens, ita ut neque loqui quicquam amplius poterit neque præcepta dare ultima de domo suâ, sed cum magno cruciatu vitam finiverit. [*I Macc. IX. 54, 55, 56.*] anno post occupatum ab eo summum Sacerdotium tertio. Josephus libro 12 Antiquitat. cap. 17. quadriennium illi assignat: triennium verò in capite penultimo libri ejusdem operis 20. ubi etiam post ejus mortem per septennium Hierosolyam sine Pontifice mansisse addit. Inter anni autem 153ⁱ mensem 24^m quo mortuus est Alcimus, atque 160^m mensem 7^m quo stolam Pontificalem Jonathan induit, (*I Macc. X. 21.*) intercesserunt anni 7. & menses præterea 5.

Videns Barchides mortuum esse Alcimum, ad regem Demetrium est reversus: & quievit Judæa annos duos. [*I Macc IX. 57.*]

3845

Circa CLV Olympiadem, Ariarathis Cappadociæ regis legati Romam venerunt, coronam aureorum decies mille adferentes: quæ Senatui etiam significarent, quomodo Tiberium Gracchum excepisset,

& ipsorum causâ oblatas à Demetrio amicitias & sororis nuptias respuisset; & paratum ipsum esse declararent, quicquid imperarent Romani, mandatis eorum obtemperare. Cujus erga populum Romanum propensi affectus ubi Tiberii Gracchi & reliquorum legatorum consentiens testimonium est auditum; Patres coronam magni beneficii loco acceperunt & vicissim quæ plurimi apud Romanos æstimari solent dona, scipionem sellamque eburneam, illi miserunt. Atque hos legatos Senatus absque morâ ante hyemis initium dimisit. [*Polyb. legat. 119. & 121. Diodor. Sicul. legat. 24.*]

Novis Consulibus (Cn. Cornelio Dolabellâ & M. Fulvio Nobiliore) magistratum ineuntibus legatio communis Prusiæ Bithyniæ regis & Gallogræcorum de Eumene Pergami rege conquerentium in Senatu audita est. Auditus est & Attalus, quem frater Eumenes ad causam suam agenda eodem miserat. Qui non à criminationibus solum liberatus est, sed etiam honore auctus, & summâ exceptus est ac dimissus benevolentia. Quantum enim erant alienati Patrum animi à rege Eumene, quem oderant; tantum benevolentia erga Attalum præ se ferebant & studii amplificandæ ejus dignitatis. [*Polyb. legat. 119. & 121.*]

4555 159

c. Menocharis aliique legati à Demetrio Sotere Syriæ rege missi Romanam venerunt, coronam aureorum decies mille adferentes, (quam ut gratitudinis signum Rex miserat, quod obses habitus esset liberaliter) simulque Leptinem qui Cn. Octavium legatum manu suâ occiderat, & Isocratem grammaticum qui eadem patratam defenderat, adducentes. Ubi Isocrates ille mirum hominibus spectaculum præbuit. Nam & aspectus illius supra modum terribilis atque efferatus erat; ut hominis qui per annum spatium & eo amplius neque sordes, neque unguis, neque pilos purgasset: animi verò habitum oculorum species ac motus eum esse arguebant, ut qui spectaret nullius feræ occursum æquè refugeret atque illius. Leptines contra sibi semper constans, in Senatum venire paratus erat: & quum eadem à se patratam apud omnes quibuscum loquebatur fateretur; illud constanter affirmabat, nihil sibi Romanos esse nocituros. Quæ spes tandem eum non fefellit. Cùm enim per diu dubitatum esset à Patribus, quid esset opus factum; tandem & legatos suscepit Senatus & coronam accepit; homines verò qui fuerant adducti rejecit, quasi crimen id commune esset Syris omnibus. Integra enim omnia sibi servabat, ut quoties vellet vindicandi criminis potestatem haberet. Idcirco etiam Demetrio hujusmodi responsum dedit: Senatum suam illi benevolentiam impertiturum, si idoneâ ratione caverit, se in ipsius potestate futurum, sicut esset olim. [*Polyb. legat. 122. Diodor. Sicul. legat. 25. Appian. Syriac. pag. 118.*]

Orophernes, Holophernes aliis appellatus, ad Demetrium Soterem Syriæ regem profectus, se à juniore fratre Ariarathe per injuriam regno Cappadociæ pulsum conquestus est: licet hunc legitimum non fuisse filium, sed ab Antiochide reginâ suppositum vel adoptatum, ex Dione Zonaras & ex Diodoro nos (ad annum Mundi 3832) antea retulerimus. Demetrius Ariarathi propter fastiditas sororis nuptias infensus.

sus, supplicem recepit: & mille talentorum mercedem cum eo pactus, consilio & viribus suis Ariarathem, licet ab Eumene Pergami regi ad-
jutum, regno expulit. [Polyb. lib. 3. pag. 161. Liv. lib. 47. Justin. lib. 35. cap. 1. Appian. Syriac. pag. 118. Zonar. ex Dione.]

Eumenes rex Pergami moriens & uxorem Stratonicam (Ariarathis nuper regno pulsi sororem) & regnum fratri Attalo legavit. [Plutarch. in Apophibegm. & lib. αβ' φιλαδέλφιας.] quum regnasset annos 38. Succedentium enim illi fratris & filii annis (à Strabone memoratis) ex intervallo inter ipsius initium & regni Pergameni exitum (in Romanâ historiâ posito) subductis; supersunt 38. ut sub initia anni 39ⁱ ille decesserit: licet apud Strabonem 40 regni anni perperam illi tributi reperiantur. Reliquit verò Eumenes regni hæredem filium, quem ex Stratonicâ susceperat Attalum Philometorem: sed tutorem regni & filii admodum parvi natu constituit fratrem suum Attalum Philadelphum, qui regnum per annos 21 deinceps administravit. [Strabo, lib. 13. pag. 624.]

3846

4.

Secunda Æquinoctii autumnalis observatio, anno 20 tertiæ Periodi Calippicæ, Ægyptiacorum ἐπισημοῦ die primò, (Septembris Juliani 27^o) manè, sub ortum Solis, ab Hipparcho facta est. [Ptolem. lib. 3. cap. 2.]

Orophernes, pulso fratre Ariarathe, cum res summâ prudentiâ administrare, & favorem multitudinis gratiâ ac beneficiis conciliare sibi debuisset, nihil horum præstitit: sed cogendæ pecuniæ intentus, multisque per summum scelus occisis, Timotheum quidem (quem legatum postea Romam misit) quinquaginta, Regem Demetrium septuaginta talentis coronavit; reliqua 400 talenta brevi se persolutorum, ac 600 præterea additum pollicitus. Quâ re quum Cappadocibus se invisum esse cerneret, cunctos spoliare, atque principum bona in fiscum suum redigere cœpit. [Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 334.]

Idem, quum in Ioniâ esset educatus, (ut ad annum Mundi 3832 ex Diodoro est ostensum) institutis patriæ neglectis, ἡ τὰ κλέω καὶ πρην-
ταλὴ ἀσολίαν, Ionicam & artificiosam intemperantiam introduxit [Polyb. lib. 32. apud Athenæum, lib. 10. cap. 12.] Collectâ verò ingenti pecuniæ vi, 400 talenta ad incertos fortunæ casus apud Prienses deposuit: quæ ei postea fideliter ab illis sunt reddita. [Polyb. & Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 170, 173. & 334.]

c.

Quum Jonathan & sui per biennium quieti & securi in loco suo habitassent, Judæi aliquot prævaricatores Bacchidem monuerant, posse eos omnes unâ nocte comprehendi. Qui cum copiis multis profectus, clanculum epistolas omnibus sociis suis in Judæâ misit, ut Jonathanem eosque qui cum eo erant comprehenderent. Sed quum innotuisset eis consilium ipsorum, comprehensos ex hominibus regionis, qui auctores erant illius sceleris, ad quinquaginta viros interfecerunt. [I. Maccab. IX. 57. — 61.]

Postea secedens Jonathan & Simon & qui cum eo erant in Bethbasi (vel Bethalagan, ut apud Josephum est) in deserto, muros disiectos ejus restituit, & firmavit eam. Quod ut cognovit Bacchides, congre-

4556 158

congregavit universam multitudinem suam, iisque qui ex Judæa erant ut ad se venirent denunciavit: castrisque contra Bethbasin locatis, oppugnabat eam diebus multis, fecitque machinas. Jonathan vero, relicto Simone fratre in urbe, exiit in circumsitam regionem cum numero aliquo. Et percussit Odoarrhen (al. Odomera) & fratres ejus, filiosque Phasiron in tabernaculo ipsorum. Cumque coepisset obvios quosque cedere & penetrare in exercitum hostilem: Simon & qui cum eo erant egressi ex urbe incenderunt machinas. Ita pugnantibus illis contra Bacchidem, contritus est ab illis: qui conatus suos in irritum cecidisse dolens, iram convertit in viros impios qui expeditionis hujus ipsi authores fuerunt, & occidit ex eis multos, deliberavitque abire in terram suam. Id ubi cognovit Jonathan, misit ad eum legatos de pace cum eo componenda, & de captivis reddendis quos ex Judæa ille ceperat. Quod libenter accipiens Bacchides, spondit se malum Jonathani non procuraturum ullo dierum vitæ suæ: reversusque est in terram suam, nec unquam posthac Judæam cum exercitu repetiit. Ita sublato ex Israël bello, habitavit Jonathan Miemashi (in tribu Benjaminica;) coepitque judicare populum, & delevit impios ex Israël. [*Ibid.* 62, —73.]

3847

Tertia Æquinoctii autumnalis observatio, anno 21 tertiæ Periodi Calippicæ, Ægyptiacorum *εναγρηδίων* die primo, (Septembris Juliani 27^o) in meridie, ab Hipparcho facta est. [*Ptolem. lib. 3. cap. 2.*]

Ariarathes regno pulsus, Romam supplex veniens, Sextum Julium Consulem adiit; convenientem calamitati in qua versabatur speciem præ se ferens. Venerat & Demetrii legatio, cujus princeps Miltiades; & ad excusanda quæ objiceret Ariarathes instructus, & ad criminandum illum odiosè. Orophernes quoque legatos miserat Timotheum & Diogenem; ut coronam Romam afferrent, & amicitiam atque societatem renovarent: præcipuè autem ut in judiciali contentione defenderent facta à suis, & Ariarathem accusarent. Et quidem Diogenes & Miltiades tum in privatis congressibus speciem majorem ostentabant (utpote plures cum uno, atque omnibus rebus florentes cum afflicto & misero compositi) tum etiam ubi ad res exponendas ventum, longè superiores fuerunt. Quum enim quidvis dicere & ad omnia respondere, spretâ veritate auderent; atque adesset nemo qui mendacia eorum confutaret; visi sunt quod volebant efficere. [*Polyb. legat. 126.*] Demum verò à Senatu Ariarathes, quia Populi Romani amicus & socius appellatus erat, unâ cum Oropherne, ut fratre, regnare jussus est. [*Appian. Syriac. pag. 118. Zonar. ex Dione.*]

4557 157

Cum Ptolemæus Evergetes Cyprum occupare conaretur, pugna ibi cum seniore fratre Philometore commissâ, superatus est. Cumque Philometor illum in urbe Lapitho obsessum ad extremam necessitatem compulisset, capto demum pepercit; tum ob innatam clementiam ac germanitatis vinculum, tum metu populi Romani. Nec verò veniam duntaxat illi indulgit, sed foedus quoque cum eo percussit; quo Cyrenarum regnum illi restituit, & pro Cypro urbes quasdam cum certo quotannis frumenti modo concessit: suamque ei filiam collocaturum promisit. Ita bellum inter fratres, cum ad maximam animo-

rum

rum alienationem atque extrema pericula adductum fuisset, repente humanissimis conditionibus terminatum est. [*Polyb. & Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 197, 334, 337. Liv. lib. 47. Zonar. ex Dione.*]

Orophernes cum res suas valde imminui cerneret, stipendium mercenariis quamprimum solvere constituit; ne forte negato stipendio seditionem concitarent. Cæterum pecuniæ inopiâ tum coarctatus, templum Jovis sub monte Ariadnes positum, quod ab ultimis temporibus inviolatum fuerat, spoliavit; atque ita stipendia quæ militibus debebat cuncta persolvit. [*Diodor. in Excerpt. Valesii, pag. 337.*]

Attalus Eumenis frater & in regno Pergameno successor, Orophernem & Demetrium Soterem ex Cappadociâ prorsus expellens, Ariarathem in integrum restituit. [*Polyb. ibid. pag. 169. Zonar. ex Dione.*]

Demetrius Soter Archiæ 500 talenta obtulit, ut Cyprum ipsi proderet: aliis quoque emolumentis & honoribus illi promissis, si hanc ipsi operam navaret. Quod Archias quum efficere esset paratus, à Ptolemæo (Philometore) deprehensus & in judicium adductus, funiculo veli quod aulæ prætendebatur se suspendit. [*Polyb. in Excerpt. Valesii pag. 170. & apud Suidam, in voc. ἀρτείων & ἀρσαγγελία.*]

Ariarathes in regnum Cappadociæ restitutus, à Priensibus 400 talenta, quæ Orophernes apud illos deposuerat, repetiit. Cui rectè ab illis est responsum; quamdiu Orophernes in vivis esset, nemini alteri se eam pecuniam reddituros, nisi ipsi qui eam deposuerat. Ariarathes tamen immisissis prædatoribus agrum Priensem vastare cœpit; adjuvante Attalo, & ob suam cum Priensibus privatam similitudinem eum incitante. Et cum magna cædes hominum simul ac pecorum passim fieret, & ad ipsas civitatis portas quidam trucidarentur; tamen Prienses succurrere nequaquam poterant. Cum igitur legationem ad Rhodios misissent, tandem ad præsidium Romanorum confugerunt. Sed Ariarathes cuncta quæ dicerentur parvi faciebat. Et licet Prienses Oropherni depositum fideliter reddidissent; ab Ariarathe tamen ob illud malè multati, gravissimis tamen calamitatibus injustè vexati sunt. [*Polyb. in Excerpt. Valesii, pag. 173.*]

3848

Inter Attalum & Prusiam Venatorem Bithyniæ regem inimicitias ortis; Andronicum Attalus, Nicomedem & Antiphilum Prusias legatos ad Senatum, Senatus verò Publium Lentulum ad causam eorum cognoscendam legatum misit. Quum primam verò Prusiæ impressionem narraret Andronicus, dictis illius non movebantur Romani: sed in suspicionem veniebant, Attalum, quod cuperet ipse Prusiam adoriri, occasiones belli præparare & criminationibus eum antevertere. Dein Prusiæ legatis testantibus, ejusmodi nihil esse factum; multo adhuc minus fidei habebant iis quæ de Prusiâ nuntiabantur. Mox verò magis magisque re omni exploratâ, Senatus incertus quantum his nuntiis tribuere fidei deberet, L. Apuleium & C. Petronium legatos miserunt, ad invisendum quo loco Regum illorum res essent. [*Polyb. legat. 128.*]

4558 156

3849

Prusias victo Attalo Pergamum ingressus, cum sumptuoso sacrificii apparatu Æsculapii templum adiit: mactatisque victimis cum

L

per-

perlitâisset, tum quidem in castra est reversus. Postridie verò, consilio ac spe capiendi Attali frustratus, copiis ad Nicephorium (sub Pergami mœnibus situm) adductis, templa omnia vastare, delubra ac statuas Deorum spoliare ac diripere cœpit. Postremò & ipsum Æsculapii simulacrum, insigni artificio à Phylomacho (vel Phylomacho) fabricatum, humeris suis impositum abripuit; cui pridie libaverat, hostiâsque & vota obtulerat. Inde exercitum Elæam traduxit; & tentatâ urbis obsidione cùm nihil proficeret, (eo quòd Sosander Attali collataneus cum præsidio militari urbem ingressus, impetum ipsius repellebat) Thyatira navibus contendit. Porrò inter redeundum fanum Dianæ, quod est in Hierâ come, vi illatâ spoliavit; Apollinis quoque Cynii delubrum circa Temnum non spoliavit solum, sed etiam igni tradidit: atque his peractis, domum rediit. Ex pedestribus verò ejus copiis plerique fame ac sanguinis profluvio perierunt. Nec dissimilis casus navales copias afflixit: quippe ingenti tempestate in Propontide subito excitatâ, naves pleræque mari absorptæ sunt unâ cum ipsis militibus ac remigibus; nonnulli in terram ejecti sunt naufragi. [*Polyb. & Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 169. 170. & 337. cum Suidâ in voc. Πρωϊας.*]

Attalus à Prusia victus fratrem Athenæum cum Pub. Lentulo proficisci iussit, ad declarandum Senatui quod acciderat. [*Polyb. legat. 128.*]

Quum hi. sub exitum hyemis in Senatu ea quæ fecerat Prusias exposuissent; statim cum prædicto Lentulo legatos mittere Patres decreverunt C. Claudium Centonem, L. Hortensium & C. Aurunculeium: datis mandatis, ut Prusiam bellum cum Attalo gerere prohiberent. [*Id. legat. 129.*]

P. Scipione & M. Marcello Consulib. Athenienses ad Senatum Populûmque Romanum tres illius ætatis nobilissimos philosophos legatos miserunt; Carneadem Academicum patriâ Cyrenæum, Diogenem Stoicum natione Babylonium, & Critolaum Peripateticum: ut multam 500 talentorum propter Oropi vastationem, iudicio Sicyoniorum sed authoritate Romani Senatus eis impositam, remitti impetrarent. Et in Senatum quidem introducti interprete usi sunt Cæcilio (vel C. Acilio potius) Senatore: sed antè ipsi seorsum quoque quisque ostentandi gratiâ magno conventu hominum differuerunt. Tum admirationi fuisse aiunt Rutilius & Polybius philosophorum trium sui cuiusque generis facundiam. Violenta enim & rapida Carneades dicebat, scita & teretia Critolaus, modesta Diogenes & sobria. Addit Clitomachus in historiâ suâ Græcè scriptâ, cùm Carneades (cujus ipse Clitomachus auditor fuit) & Stoicus Diogenes ad Senatum in Capitolio starent, A. Albinum qui tum prætor erat jocantem dixisse. *Ego tibi, Carneade, prætor esse non videor, quia sapiens non sum; nec hac urbs, nec in eâ civitas.* atque illum respondisse: *Huic Stoico non videris.* Audito verò Carneade, Cato Censorius quàm primùm legatos censuit dimittendos: quoniam illo viro argumentante, quid veri esset haud faciliè discerni posset. Ut verò in urbe nomen increvit horum philosophorum, & Romani adolescentes reliquarum voluptatum & oblectamentorum obliti quasi fanatici

4559 155

fanatici raperentur ad philosophiam; Cato, veritus ne iuventus eò converteret studium, atque eloquentiæ gloriam rebus gerendis & disciplinæ militari anteferet, censuit omnes philosophos ab urbe honestâ specie ablegandos: atque quum venisset in Senatum, inculpavit Patres quòd legati, qui persuadere facilè quidvis valerent, diu illic sine responso sederent. Quare primo quoque tempore aliquid esse censuit de legatione statuendum & decernendum: quò hi ad ludos literarios regressi, apud Græcorum filios differerent; Romana autem pubes conferret se, ut antè, ad obtemperandum legibus & magistratibus. [*Cicero in Lucullo, & Tusculan. quest. lib. 4. & lib. 2. de Oratore. Plin. lib. 7. cap. 30. Plutarch. in Catone maiore. A Gellius, lib. 7. cap. 14. eumque secutus Macrobius, lib. 1. Saturnal. cap. 5.*]

3850

Quo tempore Senatus Q. Opimium Consulem ad gerendum bellum adversus Oxybios Ligures miser, (de quo in Legatione 134 Polybius) junior Ptolemæus (Euergetes) Romam venit. Qui ut in Senatum ingressus est, fratrem Philometorem cœpit accusare, auctorèque eum dicere insidiarum quibus fuerat attentatus. Simulque vulnere cicatrices oculis spectandas exhibens, multis deinceps verbis rei atrocitatem exaggerando, ad miserationem sui flectere animos hominum conabatur. Sed & senioris Ptolemæi legati aderant, Neolaidas & Andromachus; qui ad criminationes omnes fratris responderent. Verùm istorum Senatus ne admittere quidem ad aures orationem voluit: ad eò mentes omnium accusationibus fratris erant occupatæ. His igitur extemplo Romam iussis facessere, legati quinque sunt decreti, inter quos erant Cn. Merula & L. Thermus; & singulis quinqueremes attributæ. Datum iis negotium fuit, ut cum juniore Ptolemæo profecti, in insulam Cyprum eum restituerent. Scriptum etiam ad socios Græcos & Asiaticos; licere illis Ptolemæum in recuperatione Cypri adjuvare. [*Polyb. legat. 132.*]

4560 154

Legati Romani ad Prusiam venientes, Senatus nomine illi denuntiârunt, ne Attalo Romanorum amico sociòque bellum inferre pergeret. Quùmque ille parere gravaretur, legati rigidè mandârunt ei, aut pareret Senatui, aut ad disceptandum veniret cum mille equitibus ad confinia: ubi & Attalum expectare aiebant cum totidem aliis. Ille, contemptâ paucitate quæ erat circa Attalum, sperans eum posse à se opprimi, præmisit legatos, quasi secuturus cum mille suis: sed concitato universo exercitu, venit tanquam ad prælium. Attalus & legati præmoniti diffugerunt: ille etiam iumenta Romanorum relicta comprehendit, & Nicephorium expugnatum diruit, templa quoque incendit in eo; deinde Attalum (cum Romanorum legatis) intra Pergamum compulsus oppugnavit. [*Appian. in Mithridaticis, pag. 172.*]

Quum Hortensius & Aurunculeius Pergamo Romam reversi renuntiâssent, quanto contemptui Senatus mandata Prusias habuisset, qui violato foedere adversus ipsos & Attalum Pergami inclusos omnem vim atque injuriam esset expertus: Patres irati, & indignatione facinoris commoti, decem extemplo legatos decreverunt, in quibus L. Anicius & C. Fannius & Q. Fabius Maximus; eosque statim cum mandatis miserunt, ut bello finem imponerent, & Prusiam

pro injuriis bello illatis poenas Attalo pendere cogere. [*Polyb. legat. 133.*]

Dum adhuc esset hyems, Attalus magnum exercitum coëgit: quum & Ariarathes & Mithradates ejus focii copias ipsi tum equestres tum pedestres, duce Demetrio Ariarathis filio, submisissent. In his apparatibus dum occupatur Attalus, legati Romani venientes cum Quadis convenerunt; & de omnibus rebus cum eo locuti, ad Prusiam rectâ sunt profecti. Eò ut ventum, voluntatem Senatus seriò illi declarârunt. Prusias ex iis quæ imperabantur nonnulla facturum se pollicitus, de plerisque negabat. Itaque Romani legati pertinaciâ illius offensi, amicitia & societati ipsius renuntiârunt: atque exemplo omnes eo relicto ad Attalum pergere coeperunt. Tum verò Prusias poenitentia ductus, orans obsecransque legatos aliquandiu secutus est: & quum nihil proficeret, domum reverfus, in summâ consilii inopiâ versabatur. Interim Romani Attalo auctores sunt, ut cum exercitu in regni finibus manens, ipse quidem bello neminem laceffat, sed urbes suas ac pagos ab injuriâ defendat. Ipsi in varias partes divisi, partim Romam properant, ad significandum Senatui regis Prusie pertinaciam: partim in Ionia regionem tendunt; quidam ad Hellepontum, & vicinos Byzantio tractus. Quorum omnium unum idemque erat propositum, ut ab amicitia & societate Prusie homines revocarent; Attalo verò benevolentiam cunctorum conciliarent, & quibus possent cunque modis cum adjuvarent. [*Id. legat. 135.*]

Athenæus postea frater Attali classem adduxit navium testarum 80. quarum quinque triremes Rhodiorum erant, quæ ad bellum Creticum fuerant missæ, viginti Cyzicenorum, septem & viginti Attali, reliquæ aliorum sociorum. Is directo cursu in Hellepontum, quoties aliquam præterveheretur earum urbium quæ Prusie parebant, crebras excensionem faciens, agrum illarum populabatur. [*Id. legat. 136.*]

Senatus, auditis legatis qui à Prusia redierant, tres alios continuo misit, Appium Claudium, Lucium Oppium, & Aulum Posthumium. Hi in Asiam ubi venerunt, bello finem imposuerunt; & ut Reges ambo in hujusmodi conditiones consentirent; pervicerunt. *Prusias ut Attalo 20 naves testas confestim tradat. Talenta 500 intra 20 annorum spatium pendat. Agrum uterque ut possideat, quem ante inchoatum hoc bellum obtinebat. Item ut Prusias damna sarciat agris illata Methymnorum, Egiesium, Cumæorum, & Heracleotarum: centumque illis talenta solvat.* Hoc fœdere istis scripto, Attalus copias suas & navales & terrestres domum reduxit. [*Id. ibid. 173.*] Prusias verò, cum se ob nimiam sævitiam subditis exosum, & Nicomedem filium valde ab eis amatum animadverteret; filium suspectum Romam misit, ut ibi degeret. [*Appian. in Mithridatic. pag. 173.*]

Antiochenis à Demetrio Sotere deficientibus, Orophernes initâ cum eis pactione, pellere ipsum regno, à quo fuerat restitutus, consilium cepit. Quo cognito, Demetrius vitæ quidem ejus, ne Ariarathes metu fraterni belli liberaretur, pepercit; ipsum autem comprehensum,

hensum, vincitum Seleuciæ custodiri iussit. Nec Antiocheni indicio territi, à defectione destiterunt. Itaque adjuvantibus & Ptolemæo rege Ægypti, & Attalo rege Asiæ, & Ariarathe Cappadociæ, bello à Demetrio lacesitis, subornant quendam fortis extremæ juvenem, qui Syriæ regnum velut paternum armis repeteret: & ne quid contumeliæ deesset, nomen ei *Alexandri* inditur, genitûsque ab Antiocho rege dicitur. Tantum odium Demetrii apud omnes erat, ut æmulo ejus non vires regiæ tantum, verumetiam generis nobilitas consensu omnium tribueretur. [*Justin. lib. 35. cap. 1.*]

Iste Alexander, *homo ignotus & incertæ stirpis*, in epitome libri 52 Liviani fuisse dicitur. Ἀντιόχου τῷ Ἐπιφανοῦς υἱὸς ὑποβληθεὶς, *Antiochi Epiphaniis filius suppositivus*, ab Athenæo. [*lib. 5. cap. 10.*] Ὑδὸν ὀρθοῦσθαι τῷ Σελευκίῳ γένος, *falsò in Seleucidarum gentem se ingerens*, ab Appiano. [*in Syriac. pag. 31.*] *adolescens Rhodi educatus. Antiochi se esse filium falsò dicitans*, à Severo Sulpicio. [*Histor. sacr. lib. 2.*] Straboni [*lib. 16. pag. 751.*] *Balas*; Josepho [*lib. 13. cap. 8.*] *Balles*, cognominatus.

Hunc, unâ cum Laodice (Antiochi Epiphaniis filiâ) fervente adhuc ætate Heraclides (quem ærario Babylonico Antiochus Epiphanes quondam præfecerat) Romam secum duxit. Qui dum in Urbe commoratur, magnæ fortunæ speciem ostentavit; vestrè agens omnia, & consultò tempus extrahens, ut Senatum ad ea quæ moliebatur flecteret. [*Polyb. legat. 138.*]

3851

Attalus Eumenis regis filius (cujus nomine patruus Attalus Pergamenum regnum administrabat) puer admodum, Romam venit; ut Senatui se commendaret, & amicitiam hospitilque jus, quod patri fuerat cum populo Romano, renovaret. Hic à Senatu & paternis amicis singulari humanitate susceptus, accepto responso ex animi sui sententiâ, honoribusque affectus qui puero id ætatis conveniebant, post paucos dies domum est reversus: omnibus Græciæ civitatibus, per quas iter faciebat, summo studio & magnificentiâ eum excipientibus. [*Id. legat. 140.*]

Adfuit & Romæ per id tempus Demetrius (Nicator postea dictus; Demetrii Soteris in Syriâ tunc regnantis filius:) qui modico paratu, ut puer, exceptus, in patriam denuo se contulit. [*Id. ibid.*]

Heraclides diuturniore morâ Romæ factâ, in Senatum unâ cum Laodice & Alexandro (Balâ) venit. Ibi primò adolescens pauca est locutus: postulavitque ut meminissent Romani amicitiae & societatis quæ Antiocho parenti suo cum illis fuisset, deinde ut maximè quidem in recuperando suo regno se adjuvarent, sin id minùs vellent, redire saltem sibi in Syriam permitterent, neque eos impedirent qui ad paternum regnum obtinendum opem sibi ferre essent parati. Mox Heraclides sermonem excepit: & postquam laudes ac merita Antiochi pluribus exposuisset, adjectâ criminatione Demetrii (Soteris;) postremò subiecit, æquum justumque esse, ut adolescentulo huic & Laodice, qui sunt legitima stirps Regis Antiochi, reditus in patriam concedatur. Sed eorum omnium quæ dicebat iste, nihil quicquam placebat sanæ mentis hominibus: qui & fictam eam esse commentitiâque

4561 153

fabulam intelligebant, & Heraclidem palàm abominabantur. At vulgus Senatorum quos præstigiis suis Heraclides sibi conciliaverat, in eam sententiam omnes consenserunt, ut hujusmodi Senatusconsultum scriberetur. *Quòd Alexandro & Laodice Regis filiis, qui amicus sociusque Populi Romani fuit, in Senatu verba facientibus, Senatus ut in Patris regnum velut postliminio reverterentur permisit; & ferre ipsis opem, uti postulaverunt, decrevit.* Hâc arreptâ occasione Heraclides, militem extemplo conduxit, & multos viros illustres sibi adjunxit: dein Ephesum veniens, bellum quod moliebatur sedulò apparare cœpit. [*Id. ibid.*]

c. Anno regni Græcorum 160, Alexander (Balas) pro Antiochi Epiphanis filio sese venditans, Ptolemaïdem (Phœnicie urbem) à militibus qui eam tenebant præsidio sibi proditam occupavit. [*I Macc. X. 1. Joseph. lib. 13. cap. 3.*] Nam mores Demetrii, ut parùm comis & superbi admodum, illi oderant. Inclusus enim in regium quoddam castellum munitum quatuor turribus, non procul situm ab Antiochiâ, neminem admittebat: & omisâ Reipublicæ curâ, segnis degebat in otio. [*Joseph. ibid.*]

Demetrius Soter, audiens Alexandrum Ptolemaide receptum regnare ibi cœpisse; congregavit copias multas, ut procederet obviam ei in prælium. [*I Macc. X. 1, 2.*] Sed consideratis incertis belli casibus, duos filios (Demetrium Nicatorem & Antiochum Sidetem; qui & Syriæ regnum ambo postea obtinuerunt) cum magno auri pondere Cnidum ad hospitem suum ablegavit; ut belli periculis eximerentur, & si ita fors tulisset, paternæ ultioni servarentur. [*Liv. lib. 57. Justin. lib. 35. cap. 2.*]

Misit quoque ad Jonathanem Demetrius epistolas, quibus pacem cum eo renovavit; deditque ei potestatem congregandi copias & arma comparandi, ut belli adversus Alexandrum gerendi socius ipsi esset: obsides quoque, qui erant in arce, jussit ei tradi. Quibus litteris publicè Hierosolymæ à Jonathane lectis; qui in arce erant, timore percussi tradiderunt ei obsides, quos ille parentibus ipsorum reddidit. [*I Macc. X. 3, — 9.*]

d. Hâc occasione prudenter usus Jonathan, habitavit Hierosolymæ; cœpitque ædificare & instaurare eam. Et extruendos curavit muros & montem Sionis per circuitum ex lapidibus quadratis ad munitiorem. Fugeruntque alienigenæ qui erant in munitiombus quas extruxerat Bacchides; & abiit unusquisque in terram suam: Bethsuræ tantùm quidam ex apostatis & Legis desertoribus remanserunt; eratque hoc ipsis per fugium. [*Ibid. 10, — 14.*]

Audierat interea rex Alexander promissiones, quas missis litteris Demetrius fecisset Jonathani: ideòque & ipse per litteras amicitiam & societatem ejus quæsit; constituitque eum summum Sacerdotem gentis suæ, utque amicus Regis vocaretur concessit, simulque purpuram ei misit & coronam auream. [*Ibid. 15, — 20.*]

3852 Jonathan sacram stolam induit septimo mense anni 160 regni Græcorum, in festo Tabernaculorum. [*I Macc. X. 21.*] post mortem fratris Jonathanis anno 9º. non quadriennio, ut apud Josephum [*lib. 13. cap.*

cap. 5.] legitur. Eâ enim ratione, ante annum Græcorum 164 vitâ non excessisset Jonathan: contra Maccabaicæ historiæ veritatem. [I Macc. IX. 3, 18, 54.] Qui error ex alio illo, de Judâ in Pontificatu Alcimo succedente, est prognatus: quem ab ipso Josepho postea agnitum fuisse ostendimus; Jacimo sive Alcimo mortuo neminem successisse, sed per integrum septennium civitatem sine Pontifice mansisse, clarissimè proficiente. [lib. 20. cap. 8.] Quo septennio, cum quinque insuper mensibus, demum completo; Jonathan nunc, Hasmonæorum primus, ex Sacerdotali quidem Jehojaribi sed non ex Pontificiâ Jaddi (cujus Onias hæres hoc tempore in Ægypto cum Ptolemæo Philometore degebat) familiâ, summi Sacerdotii munere functus est.

Demetrius Soter, dolens, ad Alexandri partes inclinatos fuisse Judæos; remissionis debitorum & tributorum omnium (quibus gens miserè à Macedonibus hætenus oppressa fuerat) & amplissimorum donorum prolixâ pollicitatione, eorum ambivit amicitiam. Verùm tam profusa promissorum copia hoc ipso parum probabilis Jonathani & populo Judaico visa est; quòd ab homine proficisceretur, qui rebus ipsis docuisset se eos odisse, nihilque eorum præstiturum si à præsentī necessitate liberaretur. Eo itaque repudiato, acquieverunt Alexandro, qui primus cum illis de pace egerat; atque illi deinceps socii in bello semper fuerunt. [I Macc. X. 22, -47.]

Andriscus quidam Adramyttenus, ultimæ sortis homo, Persei postremi Macedonum regis se filium ferens, & mutato nomine Philippus vocatus, quum Macedoniam turbare conatus à nemine curaretur; in Syriam ad Demetrium Soterem (cujus soror Perseo nupta fuerat) spe auxiliū impetrandi se contulit. Fabulam autem hujusmodi finxit. Ex pellice se Perseo rege ortum, traditum educandum Cyrthesæ cuidam esse: ut in belli casus, quod ille cum Romanis ageret, aliquod velut semen stirpis regiæ extaret. Perseo demortuo, Adramytti se educatum usque ad duodecimum annum ætatis patrem esse credentem, à quo educaretur; ignarum generis fuisse sui. affecto deinde eo, cum prope finem vitæ ultimum esset, detectam tandem originem suam: falsæque matri libellum datum signo Persei regis signatum, quem sibi traderet cum ad puberem ætatem venisset; obtestationesque ultimas adjectas, ut res in occulto ad id tempus servarent. Pubescenti libellum traditum: in quo relictī sibi duo thesauri à patre dicerentur. tum scientem mulierem subdititium se esse, veram stirpem ignoranti edidisse genus: atque obtestatam, ut prius quàm ad Eumenem maneret res, Perseo inimicum, excederet iis locis; ne interficerentur. Ob hoc mendacium à Demetrio rege comprehensus, & Romam missus; cum neque Persei filium esse constaret, & alioqui nihil insigne haberet, per contemptum neglectus est. [Liv. lib. 48. & 49. Zonar. ex Dione.]

3854

Alexander Balas, tam è milite qui in Syriâ à Demetrio defecerat quàm ex Arrali, Ariarathis, Jonathanis & præcipuè Ptolemæi Philometoris copiis auxiliariis, magno exercitu contracto, cum Demetrio congressus est. Et sinistrum quidem Demetrii cornu oppositam sibi aciem terga coëgit vertere: hærentesque diu fugientium vestigiis eti-

4564

a m

am castra eorum diripuerunt. At dextrum cornu in quo Demetrius ipse pugnabat, compulsus est loco cedere. Reliquis verò effusè fugientibus, Demetrius fortiter decertans alios hostium occidit, alios non sustinentes ipsius imperum persequens, abreptus est in cœnum quoddam profundum & transitu difficile: ubi prolapsus equo, omni effugio destitutus, à circumfusâ accurrentiû coronâ jaculis confixus est. At ille etiam pedes generosè repugnabat; donec crebris vulneribus confectus succubuit. [I Macc. X. 48, 49 50. Joseph. lib. 13. cap. 5. Justin. lib. 35. cap. 1. Appian. Syriac. pag. 131.] Atque ita Demetrius, cum annos 12 regnum Syriæ tenuisset, cæteris regibus in ipsum conspirantibus, vitam simul cum regno amisit: inquit Polybius. [lib. 3 pag. 161.] Quem (ut qui Demetrium ipse bene noverat) in duodenario annorum regni numero Porphyrius, [in Græc. Euseb. Scalig. pag. 228.] Eusebius & Severus Sulpicius sunt secuti: licet 11 tantum Josephus illi assignaverit.

Post mortem Demetrii (qui liberos post se Demetrium & Antiochum reliquit) paulo ante Achaicum bellum, Cometes effulsit, non minor Sole. Primò igneus ac rubicundus orbis fuit, clarumque lumen emittens, quanto vinceret noctem. Deinde paulatim magnitudo ejus districta est, & evanuit claritas: novissimè autem totus intercidit. [Seneca, Natural. question. lib. 7. cap. 15.]

Quum Ptolemæi Philometoris præcipuè operâ (testante Appiano) Alexander Demetrium vitâ pariter & regno ita exuisset; missis ad Ptolemæum legatis, filiam ejus matrimonio sibi jungendam expetiit. Quo libenter annuente, Ptolemæus cum filiâ suâ Cleopatrá (foeminâ ad Syriaci regni exitium natâ) ex Ægypto egressus venit Ptolemaidem, anno regni Græcorum 162 (desinente.) Ubi inter Alexandrum & Cleopatram celebratæ sunt nuptiæ, ut inter reges fieri solet, magnificè. [I Macc X. 51, —58.]

Ad has nuptias ab Alexandro invitatus Jonathan, duobus illis regibus amicisque eorum aurum & argentum ac dona plurima dedit: & invenit gratiam coram illis. Conveneruntque improbi quidam ex Israël, ut accusarent eum. Quibus tantum absuit ut Alexander rex attenderet, ut Jonathanem purpurâ indui juberet, & sedem ei apud se tribueret; & principibus suis præciperet, ut cum eo in mediam Ptolemaidem exeuntes promulgarent, ne quis illi obloqueretur neque molestiam illi crearet de ullo negotio. Quod videntes accusatores, diffugerunt omnes. Rex verò honore affecit eum, & conscripsit eum inter primos amicos, & ducem (copiarum in Judæâ) eum constituit & (in palatio suo) *μερὸ ἀρχῶν*. Et reversus est Jonathan Hierosolymanam cum pace ac lætitiâ [Ibid. 59, —61.]

Onias, Oniæ III Pontificis filius, qui profugus Alexandria degebat apud Ptolemæum Philometorem, de recuperando Pontificatu Hierosolymitano (ad Hasmonæorum familiam translato) nullâ jam spe relicta, æternam sibi memoriam parare volens, regi Ptolemæo & Cleopatraz reginæ (sorori pariter ipsius & conjugi) per supplicem libellum significavit se, dum bello illis variis in regionibus operam navaret, animadvertisse apud Cœlesyriam & Phœniciam & Leontopolim

in

in Ægypti præfecturâ Heliopolitanâ, aliisque in locis Judæos præter decorum habere templa, & ideo malè inter eos convenire. rogare igitur, ut templum quod apud castrum agrestis Bubastis invenit, nulli sacratum numini jamque collapsum repurgare sibi liceat, & aliud ejus loco Deo maximo extruere ad Hierosolymitani illius similitudinem, pari etiam modo & mensurâ: ut Judæi qui Ægyptum incolunt illic convenientes, quo magis alerent mutuam concordiam, eo Regum usibus commodiùs inservirent. Nam & Esaiam vatem prædixisse, quòd erit Domino Deo altare in Ægypto, & alia multa de eo loco prophetavisse. [*Joseph. lib. 13. cap. 6.*]

In quibus observandum illud primò: non quum primùm in Ægyptum ad Philometorem & Cleopatram Onias se contulit, novi Templi structuram illum fuisse aggressum; sed posteaquàm illis strenuam in bellis tum Ægyptiacis tum Syriacis navasset operam. Philometorem enim & Cleopatram totum suum regnum Judæis committentes, militiæ totius duces Oniam & Dositheim Judæos constituisse, in libro 2 contra Apionem [*pag. 1064.*] Josephus confirmat. Deinde, vaticinium illud Esaiæ, quo ad sacrilegam suam ambitionem statuminandam abusus est Onias, ad spirituale Christi Domini nostri regnum spectare. Locus est, in Esaiæ cap. XIX. 18, 19. *Tempore illo erunt quinque civitates in terrâ Ægypti loquentes linguâ Canaan, & jurata Domino exercituum: civitas destructionis dicitur unaquaque. Tempore illo erit altare Domino in mediâ terrâ Ægypti, & titulus Domino juxta terminum ejus.* Ubi pro *הררר ער* civitate destructionis, ob maximam literarum similitudinem, *הררר ער* olim legebatur, id est, *πόλις ἡλίου*, ut interpretatus est Symmachus. Quomodo & Hieronymus reddidit: *Civitas Solis vocabitur una.* Et Chaldæus Paraphrastes, utrâque lectione conjunctâ: *Civitas Solis, quæ destruetur.* Quâ occasione fortasse & *ἡλιουπολιτῶν νομῶν* Oniam elegisse, in quo Templum suum construeret, conjicit Scaliger.

Onias igitur, impetrato loco in agro Heliopolitano, 180 stadiis à Memphi distante Templum ibi extruxit, Hierosolymitano minus & non peræquè opulentum; cum turri simili, ingentibus faxis 60 cubitis erectâ. Altaris autem fabricam secundùm patrium imitatus est: & donariis similiter exornavit, præter candelabri confectioem. Candelabrum enim non fecit, sed informatum aureum lychnum tanquàm jubaris lumine radiantem de aureâ catenâ suspendit. Totum verò circa templum spatium cocto latere circumdedit, faxeas portas habente. Concessit autem Rex etiam multum agri modum, ac pecuniæ redditus: ut & Sacerdotibus esset copia ad multa quæ Dei cultus desideraret. Invenit autem Onias & Judæos quosdam sibi similes, (*ὅτι Ὀνίας λεγομένων χωρῶν κατοικούντας*, apud Josephum lib. 14. Antiquit. cap. 14. & lib. 1. Belli cap. 7.) & Sacerdotes & Levitas, qui illic divinum cultum frequentarent. [*Joseph. lib. 7. Belli cap. 37. cum lib. 13. Antiquit. cap. 6.*]

In *Mishnâ* tamen, *tract. מנחות* cap. 13. §. 10. Sacerdotes qui ministrabant templo Oniæ, eodem, & meritò quidem habentur loco, quo Sacerdotes excelsorum: quibus (ex II Reg. XXIII. 9.) non concessum fuerat offerre holocausta super altare Domini quod fuerat Hierosoly-

mis; sed tantum ut azymos panes comederent (instar Sacerdotum immundorum) in medio fratrum suorum.

Alexandriæ inter Judæos & Samaritas de factis ipsorum seditio est exorta, illis Hierosolymitanum, his Garizitanum templum juxta Mosis præscripta contendentibus esse legitimum: provocatumque est ad Ptolemæum Philometorem regem & amicorum ejus confessum, ut ab his causa audiretur, & utrius partis causidici succumberent, morte mulctarentur. Patrocina batur Samaritis Sabbæus cum Theodosio, Judæis Andronicus Messalami filius: juraveruntque per Deum & Regem, quod ex lege probationes allaturi essent, & rogaverunt Regem ut necaret eum qui jusjurandum non servasse deprehenderetur. Rex, multis amicis in consilium adhibitis, causam audivit: & Andronici rationibus persuasus. Hierosolymitanum templum ex sententiâ Mosis fuisse conditum pronuntiavit; Sabban verò & Theodosium ad dicit supplicio. [*Joseph. lib. 13. cap. 6*]

Apud Philometorem in Ægypto Aristobulus Judæus tum claruit, Peripateticus philosophus: qui ad eundem Regem explanationum in Mosem commentarios scripsit. Ex quorum ad eum Præfatione insignis habetur citatus locus à Clemente Alexandrino lib. 1. Stromat. & Eusebio in Evangelicæ Præparat. lib. 13. cap. 7. qui & ibi, & in operis ejusdem lib. 8. cap. 3. longiora alia ex eisdem commentariis fragmenta producit.

3855

Bellum Punicum III. cœpit: in quo Mithridates Evergetes, qui Ponticorum regum primus amicitiam cum populo Romano inivit, naves aliquot auxiliares contra Carthaginenses suppeditavit. [*Appian. in Mithridatic. pag. 176.*] Ad hoc bellum administrandum ambo Consules sunt missi, Manilius cum exercitu, & Marcius Censorinus cum classe: quibus secretò mandatum est, ne prius à bello desinerent quàm dirutâ Carthagine. [*Liv. lib. 19. Appian. in Libyc. pag. 42.*]

4565 249

Andriscus sive Pseudo-philippus, Româ clâm se subducens, contracto exercitu, totam Macedoniam aut voluntate incolentium aut armis occupavit, & regni insignia assumpsit; Olympiadis CLVII. anno 3. Cùmque Thessaliam invadere armis atque occupare vellet, per Romanorum legatos auxiliis Achæorum ea defensa est. [*Liv. lib. 49. & 50. Vellei. Patercul. lib. 1. Porphy. in Græc. Euseb. Scalig. pag. 229*]

Prusias Venator rex Bithyniæ, postquam cognovit filium suum Nicomedem Romæ gratiosum esse, mandavit ei ut à Senatu peteret, remitti sibi quod supererat pecuniæ debitæ Atralo: & addidit ei Menam, ut simul legatione fungeretur. Cui clâm mandatum dedit, si impetraverit remissionem pecuniæ, ut Nicomedi adhuc parceret: sin minùs, Romæ illum interficeret. [*Appian. in Mithridatic. pag. 173.*] eâ ratione consulere studens minoribus filiis, quos ex novercâ ejus susceperat. [*Fustin. lib. 34. cap. 4.*] quorum unus, ejusdem cum patre nominis, pro superiore ordine dentium unum os continens æqualiter extentum habuisse dicitur; nec ad speciem deforme, neque ad usum ullâ ex parte incommodum. [*Liv. lib. 50. Valer. Maxim. lib. 1. cap. ult. Plin. lib. 7. cap. 16.*]

Cum legato suo Menâ Prusias cercuros aliquos misit & duo mil-
lia

lia militum. Ad contradicendum illi, Andronicus ab Attalo legatus missus, demonstravit multam Prusiae impositam minorem fuisse quam rapinam. Quum igitur nec multa remitteretur Prusiae, & Nicomedem Romae Menas videret esse in pretio; inops consilii nec occidere eum ausus est, nec reverti in Bithyniam. Ita morantem convenit non invitam juvenis: conspiraruntque in Prusiam, ascito in societatem Andronico; ut is regi suo Attalo persuaderet Nicomedem in Bithyniam deducere. Congressi igitur in Bernice opidulo Epiri, noctu conscensa nave quid agendum esset collocuti sunt; & diversi discesserunt eadem nocte. Manè verò Nicomedes exscendit navem purpurâ & diademate ornatus more regio: cui mox Andronicus occurrit, & Regem appellatum deducebat eum 100 quos circa se habebat militibus. Menas verò simulabat se tum primum sensisse Nicomedis praesentiam, & circumcursans ea duo quae habebat militum millia, ut sagaciter applicarent se ad eum qui futurus esset potior hortatus est: monens, Prusiam senem esse, Nicomedem juvenem; Bithynos illum aversari, hunc optare; Romanorum optimates juvenem diligere, & Andronicum jam ejus satellitem promittere ab Attalo auxilium, rege vicino Bithynis & latè regnante & Prusiae hoste vetere. Ad hæc memorabat crudelitatem Prusiae; detegens ejus in omnes patrata facinora, & inde odium publicum. Ut verò & hos milites animadvertit abhorreere ab ejus sceleribus, statim ad Nicomedem adduxit; & secundus Regem eum appellavit post Andronicum, stipavitque duorum millium satellitio. [*Appian. ut supr. pag. 173, 174.*]

Attalus, promptè excepto juvene, Prusiam jussit filio civitates aliquot ad inhabitandum & agros ad victum attribuere. Respondit ille, mox ei daturum se universum regnum Attali; in cujus gratiam & antè invasisset Asiam. Hæc locutus, misit Romam qui accusarent Nicomedem & Attalum, citarentque ambos in judicium. [*Id. ibid. pag. 174.*]

Nicomedes, Phaëllonis (sive Phaënnidis potius) Epirotidis oraculo fretus, quod suis ex commodis ipse interpretabatur, hortatu Attali bellum patri Prusiae fecit. [*Zosim. histor. lib. 2.*] Illo igitur & Attalo, cum suis, mox in Bithyniam profectis; Bithyni ad eos paulatim defecerunt. Prusias verò nemini se credens, & sperans Romanos se crepturos ex insidiis, à Diegyllè Thrace socero suo 500 Thracas impetravit; quibus solis commisit corporis sui custodiam, & in arcem Nicææ se inclusit. [*Appian. Mithridatic. pag. 174.*]

3856

Romæ prætor urbanus non statim ad Senatum adduxit legatos Prusiae, Attalo gratificans: & postquam tandem introduxit, jussus à Senatu legatos eligere qui bellum compescerent, elegit tres; quorum unus saxo quondam in caput percussus foedas cicatrices præfererat, alter pedibus ægor erat, tertius ingenio socors & usque ad stultitiam simplex habebatur. Quos irridens Cato Censorius (qui paulo post ætatis suæ anno 85 vitam finiit) legationem dixit mitti à populo Romano, quæ nec caput nec pedes nec cor haberet. [*Id. ibid. Liv. lib. 50. Plutarch. in Catone majore.*]

Legati profecti in Bithyniam, jusserunt partes ab armis discedere.

Nicomede autem & Attalo simulantibus se authoritati Senatûs cedere, Bithyni subornati negabant se posthac ferre posse immanitatem Prusiæ; maximè postquam deprehensi ab eo fuissent molestè ferre illius imperium. Sic legati, quia nondum hæ querelæ ad Senatûm pervenerant, abierunt infecto negotio, Prusiâ, desperatâ ope à Romanis, quibus fretus nulla paraverat auxilia, migravit Nicomediam, ut hæc munitâ hostem inde arceret: sed opidani, Rege prodito, portas aperuerunt. Prusiam religione fani Jovis se tutantem confoderunt quidam inmissi à Nicomede. [*Appian. Mithridatic. pag. 174. 175.*] Ab ipso filio Nicomede Prusiam ad aram Jovis confugientem occisum fuisse narrat Diodorus Siculus. [*in Photii Bibliotheca, cod. 244.*] ab Attalo interfectum Strabo, [*lib. 13. pag. 624.*] à filio, adjuvante Attalo, Livius, [*lib. 50.*] à subditis suis cælum ex Dione refert Zonaras. Tantum enim Bithynorum in eum fuisse odium narrat Polybius; [*in Excerpt. Valesii, pag. 174. & Suid. in Ippoc.*] ut omnes impetu effuso non ad defectionem modò, sed ad pœnas etiam de eo sumendas ferri cœperint.

Andriscus sive Pseudo-philippus in Macedoniâ Romanum prætorum Juventium contra se missum cum legione vicit; eumque, cum maximâ clade totius Romani exercitus, interfecit. Inde facta in Thesaliam imperu, majorem partem ejus vastavit, & Thraces sibi adjunxit. [*Liv. lib. 50. Florus, hister. lib. 2. cap. 14. Eutrop. lib. 4. Zonar. ex Dione. Oros. lib. 4. cap. 22.*] Postea ad sævitiam & tyrannicam insolentiam conversus, opulentissimum quemque per summum scelus ac confictas calumnias necavit: plurimos quoque amicorum è medio sustulit. Erat enim naturâ ferus ac crudelis; ac præterea in congressu familiari superbus; postremò cupiditate atque omni scelere contaminatus. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 342.*]

Apud Syros Alexandro Balâ in ganeo & lustris socorditer jacente, amicus ejus Ammonius regnum administrabat. Per quem & amici omnes Regis, & Laodice regina (Antiochi Epiphaniis filia,) & Antigonus Demetrii filius, sunt occisi. [*Liv. lib. 50. cum Josepho, lib. 13. cap. 8. & Athenæo, lib. 5. cap. 10.*]

Anno regni Græcorum 165°, Demetrius major natu Demetrii Soteris filius, annos pûbertatis egressus, auditâ Alexandri luxuriâ, (quem insperatæ opes, & alienæ felicitatis ornamenta, velut captum inter scortorum greges desidem in regiâ tenebant) cum multis mercenariis militibus quos à Lathene Cretensi acceperat solvens ab eâ insulâ trajecit in Ciliciam. Cujus rei nuncio Alexander vehementer territus, mox è Phœniciâ properavit Antiochiam, ut res ejus ante Demetrii adventum in tuto constitueret. Antiochiæ verò præfecturam ille Hieraci ac Diodoto (qui & Tryphon, I Macc. XI. 39.) tradidit. [*I Macc. X. 67, 68. Joseph. lib. 13. cap. 8. Justin. lib. 35. cap. 2. Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii pag. 346.*]

Demetrio adjunxit se Apollonius (cognomento Daus Josepho dictus) Cœlesyriæ præfectus: quem exercitus sui ducem ille constituit, ad Judæos, qui in fide Alexandro datâ persistebant, debellandos. Apollonius igitur magno congregato exercitu, quo plerosque ab Alexandro

4566 148

xandro traduxit ad Demetrium, Jamniae castrametatus, Jonathanem Judæorum ducem ac Pontificem ad certamen secum in loco campestri in eundem thraſonicè provocavit. Quo commotus Jonathan cum decem virorum millibus profectus est Hierosolymâ: cui & frater Simon occurrit, in auxilium ipsius. Castra verò ponentes ad Joppem excluderunt Apollonii præſidiarii qui ibi erant. Sed oppugnatione terri cives, apertis januis deditionem fecerunt. [I *Maccab.* X. 69, —76.]

Ut audivit Apollonius Joppen amiſſam, cum ter mille equitibus & pedestribus copiis (quas octo millium fuisse Josephus ait) Azotum profectus est: relictis in insidiis mille equitibus, ut cum Jonathan persequens Apollonium prætergressus esset insidiarum locum, illi à tergo exurgerent, & Apollonius conversis copiis instaret à fronte, sicque Judæi utrimque cæderentur. Ut autem Jonathan prætergressus locum agnovit insidiatores emergere & castra ejus circumire; jussit suos consistere & jacula securis excipere, dum equites & telis & viribus ad vesperam usque jaculando fatigati essent. Tum demum Simon copias suas contra pedites eduxit; quos & contrivit, fugavitque. Equites quoque sparsi per campum fugerunt Azotum; & ingressi sunt Bethdagon fanum idoli sui salutis causâ. Sed Jonathan incensâ Azoto cum urbibus circumvicinis, accepit spolia eorum: fanum quoque Dagonis eosque qui eò confugerant absumpsit igne. Fueruntque qui gladio ceciderant cum iis qui incendio perierant ad octo millia virorum. Inde movens Jonathan, ad Ascalonem castra posuit: cujus cives honorificè cum receperunt. Sieque reversus est Jonathan victor Hierosolymam cum exercitu prædâ & spoliis onusto. Quæ ubi regi Alexandro innotuissent, perrexit honorare Jonathanem: misitque ei fibulam auream, ut cognatis regis dari mos erat, & dedit ei Accaronem (Philistæorum urbem) cum territorio ejus, hæreditatis jure possidendam. [*Ibid.* 77, —89.]

Carthaginenses, quum ex Hipponensi consilio Pifone consule superiores discessissent, legatos in Macedoniam ad Andriscum, vulgò creditum Perſei filium, miserunt, hortantes ut in bello contra Romanos gnæviter perſisteret: neque enim à Carthagine pecunias & naves illi defuturas. [*Appian. in Libyo. pag. 67.*]

A Romanis Q. Cæcilius Metellus *Prætor* (non *Consul*, ut apud Florum & Latinum Achaicorum Pausaniæ interpretem legitur) contra Andriscum maximo cum exercitu missus, in Macedoniam venit. Ibi illis quos ad res Asiæ inspicendas Senatus miserat persuasit, ut priusquam transmitterent, cum ducibus Achaicorum congressi, edicerent, ut bellum contra Lacedæmonios susceptum aliquantisper intermitterent. Et mandata illi quidem ad Damocritum & Achaos detulerunt, eum jam illi contra Lacedæmonios exercitum ducerent. Quare cum nihil solâ oratione contra Achaicorum perſicaciam profecturos intelligerent; in Asiam perrexerunt. [*Pausan. in Achaicis. pag. 218.*]

Macedoniam Metello ingresso, Attalus classe auxilium venit. Quâ ille usus, Andriscum de maritimâ orâ sollicitum longius progredi vetuit. Qui paulo extra Pydnam producto exercitu, ab equitatu victor,

peditum Romanorum timore recessit; atque exercitum in duas partes divisit, quarum unam ad populandam Thessaliam misit, alteram sibi reservavit. Quâ contemptâ, Metellus in aciem descendit; ac qui primi occurrerunt, pulsus, reliquos subegit. Andriscus cum in Thraciam refugisset, collecto exercitu cum Metello signa contulit; ac sociis suis fuis, ipse à Byzæ regulo Thraciæ ad quem confugerat proditus, in Metelli potestatem venit. Alexander etiam quidam Persei filium se professus, contractâ manu, regionem Nesto flumini vicinam occupavit: quem Metellus usque in Dardaniam est persecutus. [*Strabo, lib. 1. 13. pag. 624. Vellei. Paterc. lib. 1. Florus, lib. 2. cap. 14. Zonar. ex Dione.*] Ita Pseudo-philippo, 25 millibus ex militibus ejus occisis, devicto & capto, à Romanis recepta Macedonia est. [*Entrop. lib. 4.*] Spurio Posthumio & L. Pisone Consulib. [*Ful. Obsequens, de prodigiis.*] Olympiadis CLVII anno 4^o (desinente) [*Porphyr. in Græc. Euseb. Scaligeri, pag. 229.*]

3857

P. Cornelius Scipio Consul, cum suis & quinque Sidsensium navibus quas Mithridates Ponticus miserat, navale prælium cum Pœnis ante muros Carthaginis iniit. [*Appian. Libyc. pag. 75, 76.*]

4567 147

Aradii, exitium Marathensibus (in Phœniciâ) molientes ad Ammonium qui regno (Syriæ, sub Alexandro Balâ) tum præerat secreto miserunt. Et oblati ei 300 talentis, ut Marathum ipsis traderet persuaserunt: Ammonius verò Isidorum ad Marathenses misit; verbo aliud præ se ferentem, reverâ autem ut urbem ipsis creptam Aradii traderet in mandatis habentem. Marathenses in Regis gratiâ superiores Aradios videntes, militibus regiis in urbem minimè receptis, ex civibus ætate maximè provestis decem clarissimos, cum vetustissimis quæ in urbe habebantur Deorum simulachris, supplices ad Aradum insulam ablegarunt: ut Aradiorum in se iram placarent. At Aradii animis arrecti & concitati, communes supplicationis leges contempserunt; & Deorum religione insuper habitâ, statuas eorum confrugerunt & contumeliosè conculcarunt. Et cum legati à turbâ lapidibus peterentur, ægrè Senatorum quorundam operâ est effectum, ut salvi in carcerem ducerentur. Qui cum quiritantes, & supplicum religionem & sacrosanctum legatorum jus contestarentur; à quibusdam audacissimis juvenibus necati sunt. At auctores hujus sceleris statim in concionem progressi, detractis interemptorum annulis, litteras tanquam à legatis ad populum Marathensem miserunt, quibus significabant Aradios propediem auxilia missuros esse: eo consilio ut Marathenses, admisis Aradiorum militibus, rati eos revera sibi auxilio adesse, ignari interciperentur. Et cum navigia omnia ademissent privatis, ne quis eam fraudem Marathensibus indicare posset; quidam nauta non alienus à Marathensibus, eorum vicem miseratus, cum in proximo freto commeari esset solitus, adempto navigio, noctu id fretum eudacter enavit, octo circiter stadiorum intervallo, & Marathensibus Aradiorum insidias detexit. Unde Aradii, cum consilia sua explorata esse intelligerent, ab hujusmodi per litteras fraude destiterunt. [*Diodor. Sicul. legat. 29. & in Excerptis Valesii, pag. 349, 350.*] Vi autem apertâ Marathum aggressi; urbem captam diruerunt, & agrum ejus

3858

ejus forte inter se diviserunt. [Strabo, lib. 16. pag. 753.]

Quarta Æquinoctii autumnalis observatio, anno 32 tertiæ Periodi Calippicæ, Ægyptiacorum ἐπισημασμένων die 3^o (Septembris Juliani 27^o incunte) mediâ nocte, ab Hipparcho facta est: anno à morte Alexandri 178^o, vel 177^o desinente potius; 178^o post biduum inituro. [Ptolem. lib. 3. cap. 2.]

Anno ejusdem periodi Calippicæ eodem, à morte Alexandri 178^o, Ægyptiaci mensis Mechir die 27^o, (Martii Juliani die 24^o) manè, Æquinoctium vernum exactissimè à se observatum fuisse scribit Hipparchus. [Id. ibid.]

Cn. Cornelio Lentulo & L. Mummiō Consulib. Carthago diruta est. [Vellei. Paterc. lib. 1.] Quâ occasione Scipio, vices rerum humanarum considerans & similem aliquando Romæ ipsius casum futurum reformidans, carmen illud protulit:

Ἐοσεῖται ἡμάρῳταν ποτ' ὀλωλῆν Ἴλιον ἰσθῆ,
καὶ Πριάμῳ, καὶ λαὸς ἑυμελίῳ Πριάμοιο.

Et Priamus Priamique ruat plebs armipotensis:

ut ipsemet præceptorī suo Polybio, qui tunc aderat remque in historiâ suâ retulit, confessus est. [Appian. in Libyc. pag. 82.]

L. Mummius Consul, à Senatu ad bellum Achaicum conficiendum missus, cum paucis venit in castra: & Metello (qui peracto bello Macedonico Achaicum tunc administrabat) cum suis copiis in Macedoniam amandato, ad Isthmum ipse substitit, donec universum agmen eoëgisset. Fuit militum numerus, equites 3500, peditum 23 millia. Præstò fuerunt Cretenses sagittarii: & è Pergamo, quæ supra Cæcum est, ab Attalo missam manum adduxit Philopœmen. Consul, victo ad Isthmum Diæo (postremo Achæorum Prætorē & Achaici motus authore primo) tertio post pugnam die Corinthum ingressus urbem direptam, tubâ præcunte, funditus evertit. [Liv. lib. 52. Vellei. Paterc. lib. 1. Justin. lib. 34. cap. 2. Florus, lib. 2. cap. 16. Pausan. in Achaicis, pag. 221. Oros. lib. 5. cap. 3.] Olympiadis CLVIII (ita enim in Plinio legendum est, non CLVI) anno tertio, Urbis conditæ (secundùm Varronis supputationem) DCVIII. [Plin. lib. 34. cap. 2.]

Polybius ex Africâ ad succurrendum patriæ advolans, nobilissimorum artificum tabulas Corinthi in solum projectas vidit, ac milites super iis talis ludentes: quarum duas in Historiâ suâ nominat, Herculem Deianiræ tunicâ excruciatum, & Bacchum ab Aristide Thebano pictum; de quo nonnulli parœmiam illam dictam putant, Οὐδὲν ὄρεος ἢ Διόνυσον, Nihil ad Bacchum, Aristidis sc. [Strabo, lib. 8. pag. 381.] Quam Bacchi tabulam cum in prædâ vendendâ VI. M. sester-tium (vel 102 talentis; ut est apud Plinium, lib. 7. cap. 38. & lib. 35. cap. 10.) ab Attalo rege emptam L. Mummius intellexisset; pretium miratus, suspicatusque aliquid in eâ virtutis quod ipse nesciret, revocavit tabulam. Attalo multum querente, & Romæ in Cereris delubro posuit. [Plin. lib. 35. cap. 4.] Harum enim rerum tam rudis ille fuit, ut quum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si

ca s

4568 146

eas perdidissent, novas eos reddituros. [*Vellei. Patere. lib. i.*] Donaria igitur & reliqua ornamenta, quæ admiratione videbantur dignissima, Romam sunt asportata: quæ verò minoris erant pretii, Attali auxiliorum duci Philopœmeni donata, & Pergamum delata sunt. [*Pausan. in Achaic. pag. 221.*]

Ptolemæus Philometor, maximis copiis & terrestribus & navalibus coactis, ex Ægypto in Syriam venit: per speciem juvandi Alexandrum Balam generum suum, revera autem ut regnum Syriacum illi ereptum suo adjungeret. Cùmque Alexandri jussu excepissent eum civitates omnes pacificè; præsidarios milites specie auxilii in unaquaque collocavit. [*I Macc. XI. 1, 2, 3.*]

Ut prope Azotum venit Ptolemæus, ostenderunt ei templum Dagonis incensum, ipsamque Azorum & suburbana ejus destructa, & à Jonathane in bello cælorum atque exustorum acervos quos in viâ ipsius aggerant. Sed invidiosè illis quæ fecerat Jonathan narrantibus, Rex siluit. Jonathan verò magnifico cum apparatu Regi ad Joppen occurrens, benignè ab eo exceptus est. Qui Regem inde ad Eleutherum usque fluvium comitatus, rediit Hierosolymam. [*Ibid. 4, -7.*]

Ptolemæus potitus urbibus maritimis usque ad Seleuciam maritimam (ad Orontis fluvii ostia positam;) cogitabat de Alexandro pessimè. Apud Ptolemaidem enim per Ammonium structas sibi fuisse infidias; cùmque ad supplicium deposceretur, Alexandrum dedere illum noluisse, conquerebatur. Ablatam igitur ab Alexandro filiam suam Cleopatram Demetrio Soteri in matrimonium dedit: in regnum paternum restituere eum promittens. [*Ibid. 8, -12. cum Josepho, lib. 13. cap. 8. & Livio, lib. 52.*]

Antiocheni propter Ammonium, à quo plurimis affecti fuerant incommodis, Alexandrum deseruerunt. Ammonius, amictu foemineo quærens latebras, cæsus est. Ptolemæus Antiochiam ingressus, & à civibus rex consalutatus, duo capiti diademata circumposuit, Asiæ (sive Syriæ) & Ægypti. Sed Ægypti imperio se contentum fore dicitans, Antiochenis persuasit ut Demetrium reciperent; pollicitus eum majorem rationem habiturum recentis eorum beneficii, quàm odiorum quæ illis cum patre ejus Seleuco intercesserant. [*Joseph. ut supr. cum I Macc. XI. 13.*] Atque ita Antiocheni, veterem patris offensam novis meritis correcturi, se ei tradiderunt. Milites quoque paterni, favore juvenis accensi, prioris sacramenti religionem novi regis superbiæ præferentes, signa ad Demetrium transtulerunt. [*Justin. lib. 35. cap. 2.*]

Alexander tum in Ciliciâ erat. [*I Macc. XI. 14.*] ubi consulto Apollinis Sarpedonii oraculo, responsum accepisse fertur; cum ut lo cum caveret, qui biforme spectaculum protulisset. Quod quidem civitatem Arabiæ Abas (in quâ paulo post occisus ille est) spectavisse putabatur: ubi Heras quædam, patre Diophanto è Macedoniâ & matre Arabissâ genita & Samiadi cuidam nupta, mutato sexu in virum tum transit & paternum Diophanti nomen assumpsit. [*Diodor. Sicul. fin. lib. 32. in Photii Bibliothecâ, cod. 244.*]

3859

Quinta Æquinoctii autumnalis observatio, anno 33 tertiæ Periodi Calippi-

Calippicæ, Ægyptiacorum ἐπαγομένων 4^o (Septembris Juliani 27^o) manè, ab Hipparcho facta est. [*Ptolem.lib.3.cap.2.*]

Alexander ex Ciliciâ validum secum ducens exercitum, Syriam invasit, & agrum Antiochemum rapinis atque incendiis vastavit. Cui occurrens Ptolemæus unâ cum genero suo Demetrio ad Oenoparam fluvium prælio eum vicit. Ille cum quingentis suorum in Arabiæ civitatem Abas è pugna fugit, ad Arabiæ dynastam quem Maccabaicæ historiæ scriptor *Zabdiel*, Josephus *Zabelum*, Diodorus Siculus *Dioclem* nominat. At qui cum Heliade duces à parte Alexandri steterant, pacto cum Demetrio inito, de proprio commodo legationem adornantes, dolo Alexandrum necaverunt. In superiore verò prælio fortè accidit, ut equus Ptolemæi consternatus barritu elephanti eum excuteret, prostratumque aggressi hostes vulneribus in caput inflictis in periculum extremum adducerent; ni ereptus esset interventu satellitum: attamen per integrum quatrimum sopitis sensibus, nec loqui potuit, nec loquentes intelligere. Alexandri verò caput Zabdiel Arabs recisum misit ad Ptolemæum: qui die quintâ demum respirans à vulneribus & ad se reversus, jucundissimo sibi rumore simul & spectaculo capitis ac mortis Alexandri pavit animum ac oculos. Die verò postea tertio, inter curationem, dum ossa medici terebrare contendunt, & ipse expiravit. [*I Macc.XI.14, — 18. Polyb.in Excerpt. Valesii, pag. 194. Diodor. Sicul. ut supra. Liv.lib.52. Strabo, lib.16. pag. 751. Joseph.lib.13.cap.8.*]

Alexandri Balæ regno, post cædem Demetrii Soteris quinquennium Josephus tribuit: [*lib.13.cap.8.*] à quo menses 5 circiter detrahendos censemus; ut ex Maccabaici scriptoris autoritate, hujus & Philometoris exitus synchronismus appareat. Post Alexandri verò mortem, solus Syriæ regnum obtinuit Demetrius Demetrii Soteris filius, anno regni Græcorum 167^o, (*I Macc.XI.19.*) qui, quòd alienum à familiâ suâ vicisset, idem cum primo Seleuco, regiæ stirpis authore, *Nicanoris* sive *Nicatoris* cognomentum accepit. [*Appian. Syriac. pag. 131.*]

Mortuo Ptolemæo Philometore, milites quos ille in arcibus & urbibus Syriæ præsidio reliquerat, ab iis qui erant in iisdem munitio- nibus (procurante Demetrio) occisi sunt. [*I Macc.XI.18.*] Cæteros quoque Ptolemæi milites malè mulctabat Demetrius; oblitus & auxilii & affinitatis, quæ per Cleopatraz nuptias recens intercesse- rat. Illi verò perosi hominis ingratitude, receperunt se Alexan- driam; elephantis tamen in ejus potestate relictis. [*Joseph.lib.13. cap. 8.*]

In Ægypto Cleopatra, nuper defuncti Philometoris soror & con- jux, favore principum adjuncta, filio suo paternum regnum asserere ni- tebatur. [*Joseph.lib.2. contra Apion. pag. 1064. Justin.lib.38. cap.8.*] Verùm hujus conatibus Ptolemæus minor Philometoris frater, qui Cyrenis regnabat, Evergetes II. & Physcon dictus, per legatos inde vocatus obstitit. Adversus eum Onias (qui Templum in præfecturâ Heliopolitanâ condiderat) bellum pro Cleopatraz suscipiens, ad ur- bem Alexandrinam parvum Judæorum deduxit exercitum, cum esset

illic Thermus præfens Romanorum legatus : ut in suo adversus Judæos commentario Apion Grammaticus retulit. [*Joseph. ut supr.*]

Physcon verò, ut litem hanc omnem terminaret, ipsam Cleopatram sororem natu majorem communi fratri nuptam sibi nubere cõegit. [*Valer. Maxim. lib. 9. cap. 1.*] Ac statim ubi Alexandriam ingressus est, fautores pueri trucidari jussit. Ipsum quoque die nuptiarum, quibus matrem ejus in matrimonium recipiebat, inter apparatus epularum & solennia religionum, in complexu matris interfecit: atque ita thorum sororis, cæde filii ejus cruentus, ascendit. Post quod non minor in populares, qui cum in regnum vocaverant, fuit. Siquidem peregrinis militibus licentiã cædis datã, omnia sanguine quotidie manabant. [*Justin. lib. 38. cap. 8.*] Multos etiam calumniatus tanquam saluti suæ insidiosos crudelibus suppliciis extinxit: alios, varias commentus causas, in exilium misit, ademptis facultatibus. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 350.*]

Jonathan, congregatis his qui erant in Judæã & multis fabricatis machinis, arcem Hierosolymitanam oppugnavit. Quod quum à viris iniquis & osoribus gentis suæ Demetrio Nicatori esset renunciatum; iratus Rex scripsit Jonathani, ut omissã obsidione veniret sibi obviam quã celerrimè Ptolemaidem ad colloquium. At ille, non solumã obsidione, dedit se periculo, veniens ad Regem cum Senioribus & Sacerdotibus, ac muneribus, quibus placavit Regem: causamque suam ita egit, ut Rex calumniatoribus rejectis eidem principatum Sacerdotii confirmaverit, ac præcipuum inter amicos locum tribuerit. Jonathan denique pollicitus dare Regi 300 talenta, obtinuit ab eo immunitatem toti Judææ, & tribus Toparchiis ei. adjectis, (quarum etiam in *I. Maccab. X. 30.* facta est mentio) Apherimæ sc. Lyddæ & Ramathæ, ab omnibus decimis & tributis quæ Regibus pendi consueverant. Quæ de re Regis litteræ ad Lathenem (qui cum Cretensibus auxiliariis Demetrium ad regnum perduxit) cognatum & patrem ab ipso dictum, conscriptæ extant. [*I. Macc. XI. 20. — 37.*]

Demetrius videns ditionem suam pacatam, neque quicquam sibi obsistere, retentis peregrinis militibus quos ex Cretã & aliis insulis coegerat, domesticos ac veteranos omnes dimisit: ob quod hostes illi facti sunt omnes milites patrum ipsius. [*I. Macc. XI. 38.*] ut qui soliti essent ab aliis ante eum regibus etiam pacis tempore stipendia accipere; ut alacriores fierent ad subeundã, quoties opus esset, pericula. [*Joseph. lib. 13. cap. 8.*]

Eam alienationem militum à Demetrio animadvertit quidam ex Alexandri Balæ ducibus *Diodotus*, qui postea Rex factus *Tryphonis* nomen sibi assumpsit. Natus hic Secoanis castello Apamiensium, educatus Apamiæ est. [*I. Macc. XI. 39. Strabo, lib. 16. pag. 752. Liv. lib. 52. & 55. Joseph. lib. 13. cap. 9. Appian. Syriac. pag. 132.*] Hic igitur ad Elmalchuelem Arabem profectus, qui nutriebat Antiochum Alexandri Balæ puerulum, indicavit ei quæcunquẽ fecerat Demetrius Nicator, & inimicitias quas exercebant cum eo milites: atque assiduus apud eum erat, rogans ut traderent ipsi puerulum, reducendum ad regnum patris sui. Cùmque Arabs difficilem se illi hinc præberet: mansit illic

illic dies multos. [I Maccab. XI. 39, 40.]

Demetrius Nicator interim, ab omni immunem periculo se esse credens, omnes qui in bello adversari ejus partibus fuerant inusitatis suppliciiis è medio sustulit, Lathene homine scelerato ac temerario, qui universo regno præpositus erat, juvenem assentionibus corruptum ad nefaria crimina quotidie incitante. [Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 346.]

3860

Jonathan, missis ad Demetrium legatis, rogavit ut præfidiarios milites ex arce Hierosolymitanâ & aliis munitionibus amoveret; quòd Israëlitas bello premerent. Quibus ille respondit non solum postulata se facturum; sed etiam gloriosum Jonathanem cum gente suâ effecturum, cum opportunum foret; nunc verò, quum milites sui omnes ab eo defecissent, auxilium militare se ab eo postulare. Cui Jonathan quamprimum obsecutus, tria millia virorum fortium misit Antiochiam: quos Rex excepit cum gaudio. [I Macc. XI. 41, —44.]

Externis copiis (quibus magis fidebat quàm suis) firmatus Demetrius, Antiochenis arma adimi jussit. Quæ illi non solum tradere recusarunt, sed quasi centum & viginti millium concursu in mediam civitatem facto, Regis vitam petierunt: eoque in regiam fugere compulso, vias urbis occuparunt, & eum oppugnare sunt aggressi. Sed ad ejus auxilium Judæi omnes pariter convenerunt & dispersi per urbem ad centum millia eo die occiderunt: incensaque urbe, captisque spoliis multis, Regem liberaverunt. Tunc abjectis armis pacem cum Rege cives fecerunt: gloriamque adepti Judæi coram Rege & omnibus qui erant in regno ejus, reversi sunt Hierosolymam cum spoliis multis. [I Macc. XI. 45, —52. cum Diodoro Siculo, in Excerpt. Valesii, pag. 346.]

Maximâ partem urbis Antiochenæ incendio consumptâ, multisque ob seditionem hanc capite damnatis, bonisque eorum in fiscum regium redactis; permulti ex civibus odio ac metu Demetrii è patriâ profugi, per omnem Syriam passim vagabantur, opportunum vindictæ locum tempusque observantes. Interim Demetrius cunctis invidus, cædibus atque exiliis & bonorum publicationibus nihilominus sæviebat; patris sui crudelitatem longo intervallo superans. [Diodor. ibid. pag. 349.] Mentitusque omnia quæcunque Jonathanis dixerat, alienatus ab eo est, & affixit eum graviter. [I Macc. XI. 53.] bellum quoque minatus, nisi redderet tributa omnia quæ Judæorum gens solita erat prioribus regibus pendere. [Joseph. lib. 13. cap. 9.]

Diodorus, qui & Tryphon, tandem ex Arabiâ cum Antiocho puerulo, ex Alexandro Balâ & Cleopatrá Ptolemæi Philometoris filiâ genito, qui & Θεός sive Divus cognominatus est, in Syriam reversus, regnum illi, diademate capiti imposito, asserebat. Ad quem confluentibus copiis omnibus quas Demetrius exauctoraverat, aperto bello Demetrium adortus est; eumque prælio superatum Seleuciam fugere compulit. Diodorus verò captis illius elephantis, Antiochiam obtinuit. [I Macc. XI. 54, 55, 56. cum Livio, lib. 52. Josepho, lib. 13. cap. 9. & 12. init. & Appian. Syriac. pag. 132.]

Tum Antiochus (vel ejus potius nomine Diodorus) missis ad Jonathanem

thanem litteris & legatis, Pontificatum ei confirmavit, quatuor Toparchias (ad tres illas in fine superioris anni nominatas, Ptolemaide fortasse adjectâ; ex *I Macc. X. 30, 30.*) concessit, & in regionum amicorum numerum eum cooptavit. Misitque ei vasa aurea in ministerium, & dedit ei potestatem bibendi ex vasis aureis & gestandi purpuram & habendi fibulam auream. Simonem quoque fratrem ejus regiarum copiarum ducem constituit, à tractu Tyri usque ad fines Ægypti. [*I Macc. XI. 57, 58, 59.*] Jonathan verò lætus tot collatis in se per Antiochum beneficiis atque honoribus, & ipse suos legatos ad eum simul & Tryphonem misit; amicum se & socium professus, gesturumque unâ bellum contra communem hostem Demetrium: multa de ejus ingratitude questus, quòd pro beneficio injuriam sibi reposuisset. [*Joseph. lib. 13. cap. 9.*]

Diodotus, à regibus abalienatâ Syriâ, Coracesio castello Ciliciæ belli arce usus est; & Cilicibus, ut societates piraticas inirent, author fuit. [*Strabo, lib. 14. pag. 688.*]

Demetrius Laodiceæ moratus convivii celebrandis, atque hujusmodi luxu segne otium terebat: ac nihilominus multos interim injuriâ afficiebat; calamitatibus suis nullatenus prudentior factus. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 353.*]

Quo tempore Ptolemæus Evergetes II. sive Physcon ex solenni Ægyptiorum more apud urbem Memphim in palatio inaugurabatur, natus est ei filius ex reginâ Cleopatrá (suâ & fratris Philometoris sorore simul & conjugè:) quâ re supra modum exhilaratus, puerum Memphitem nominavit, quòd sibi in urbe Memphi solenne sacrum peragenti natus esset. Dum verò natalitia pueri celebrat, à solitâ crudelitate nequaquam desciscens, Cyrenæos quosdam, qui cum in Ægyptum deduxerant, interfici jussit; quòd paulo liberius ob Irenem pellicem eum objurgâssent. [*Id. ibid. pag. 354.*]

Cùm Jonathani permissum esset ab Antiocho, collectis etiam à Syriâ & Phoeniciâ militibus, bellum contra Demetrii duces gerere, festim urbes trans Jordanem fluv. sitas peragravit: congregatisque ad eum omnibus copiis auxiliariis Syriæ, Ascalonem profectus est; ubi ei obviam processerunt cives honorificè. Cùmque Gazam inde venientem cives exclusissent, obsedit urbem Jonathan, & suburbana ejus incendit ac deprædatus est. Eâ clade acceptâ Gazentes pacem postulârunt, datisque obsidibus impetrârunt. Jonathan verò obsidibus Hierosolymam missis, totam regionem peragravit, Damascum usque. [*I Macc. XI. 60, 61, 62. Joseph. lib. 13. cap. 9.*]

Principes Demetrii in Cades Galilææ urbem venerunt; ut Jonathanem abstraherent à Syriæ negotiis, laturum opem Galilæis suæ ditionis hominibus. Quibus ille occursurus, fratrem suum Simonem in Judæâ reliquit: qui Bethsuram acriter multis diebus oppugnavit, & ad deditionem tandem compulsi; ejectoque inde Demetrii præsidio, suum ibidem collocavit. [*I Macc. XI. 63, — 66. & XIV. 7, 33. Joseph. lib. 13. cap. 9.*]

Jonathan autem & exercitus ejus castra habebant ad aquam Genesareth, & manè venerunt in campum Afor: ubi Demetrianorum exercitus

ercitus eis occurrit, quum insidias prius in montibus collocavisset. Quæ cum se in conspectum dedissent, veriti Judæi ne in medio intercepti contrucidarentur, in fugam se dederunt: ita ut penè omnes Jonathanem in periculo desererent; præter Mattathiam filium Absalomi & Judam filium Chalphi præcipuos copiarum militarium duces, cum quinquaginta virorum fortium manu. Jonathan verò, humiliter exorato divino auxilio, reversus cum paucis illis ad prælium, hostes fugavit. Quâ fugâ à Judæis qui Jonathanem deseruerant animadversâ, & ipsi reversi, fugientes hostes ad sua ipsorum castra Cadesum usque sunt persecuti. Et ceciderunt ex alienigenis eo die ad ter mille viri: & Jonathan reversus est Hierosolymam. [I Macc. XI. 67, — 74. *Joseph. ut supr.*]

Jonathan, videns res suas bene procedere, Numenium Antiochi & Antipatrum Jasonis filium legatos Romam misit; qui confirmarent & renovarent amicitiam & societatem cum Judâ Maccabæo prius initam. [I Macc. XII. 1, 16.] Quibus etiam mandavit, ut in reditu Lacedæmonios inviserent, eosque cognationis ac pristini foederis cum Oniâ III. Pontifice initi admonerent: datâ in eam rem epistolâ; in quâ populus Judaicus, inter alia, declarat, in signum perseverantis amicitiae se eorum ut fratrum in solennibus sacrificiis & precibus indefinenter recordari. [Ibid. 2, 5, — 18. *Joseph. lib. 13. cap. 9.*]

Audiens Jonathan revertisse duces Demetrii cum exercitu multo majore quàm antea, ad bellum sibi inferendum, movit Hierosolymâ, obviamque illis processit in regionem Amathitin in extremis Chananæ finibus. Cùmque ad 50 stadia prope hostem castra posuisset, misit qui res hostium & munitiones specularentur. Qui cum quosdam captivos adduxissent; indicantes quod ex improvise hostis vellet eos aggredi: præcepit Jonathan suis, ut essent in armis parati ad pugnam per totam noctem; disposuitque circum castra excubias. Quod cum audissent adversarii, timore percussi, per castra sua crebris ignibus excitatis (qui Judæos fallerent) noctu clam profugerunt: quos manè frustra insecutus est Jonathan, quum jam Eletherum fluvium illi trajecissent. Flexo igitur in Arabiam itinere, Zabadaeos (vel Nabataeos, ut apud Josephum legitur) percussit, cepitque spolia eorum: motisque inde castris venit Damascus; & peragravit totam regionem illam, Demetrianos inquirens & persequens. Nec quievit interea frater ejus Simon, sed expeditione susceptâ Ascalonem usque & vicinas munitiones, inde declinans Joppen occupavit. Audivit enim cives Demetrianis munitionem tradere voluisse: posuitque ibi præfidiarios milites, ut custodirent eam. [I Macc. XII. 24, — 34. *Joseph. lib. 13. cap. 9.*]

Legati Judæorum ingressi Senatam, renovârunt amicitiam & societatem cum Romanis: qui & litteras eis dederunt ad sociorum singulorum præsides, ut eos cum pace in Judæam deducerent. [I Macc. XII. 3, 4.] In reditu verò, Lacedæmonii & comiter eos exceperunt, & decretum publicum de amicitia atque societate tradiderunt. [*Joseph. ut supr.*] cujus exemplum in I Maccab. XIV. 22, 23. aliâ occasione ita recitatur. *Numenius Antiochi filius & Antipater Jasonis filius legati Iudæo-*

rum venerunt ad nos, renovatum eam quam nobiscum habebant amicitiam. Et placuit populo excipere viros illos honorificè, referrique exemplum verborum eorum in acta publica, ut horum monumentum habeat populus Spartiatarum.

Reversus Jonathan Hierosolymam congregavit seniores populi, & consilium cum eis cepit de extruendis munitiombus in locis quibusdam opportunis Judææ, deque erigendis muris Hierosolymæ, & de erigendo muro alto ac magno inter arcem & civitatem; ut nemo ex urbe commeatus eò posset adferre. Et convenerunt ad reparandam civitatem: cumque appropinquasset opus novum ad murum veterem residuum in parte orientali, ubi erat torrens Cedron, refecerunt locum Chaphenatha vocatum. Simon verò digressus in partes Judææ alias, ædificavit Adida in Sephelâ sive planitie, munivitque eam portis & vestibus. [I Macc. XII. 35, — 38.]

3861

Anno æræ contractuum 169°, regnante Demetrio, Judæi Hierosolymitani & Palæstini ad Judæos Ægyptienses scripserunt, de celebrando festo Tabernaculorum mensis Chasleu. [II Macc. I. 7, 8, 9.] id est, festo Encæniorum Maccabaico; quod ad formam festi Tabernaculorum Mosaiici mensis Tisri est peractum. Vid. supr. ann. Mund. 3840. a.

Cum statuisset Tryphon occupare pupilli sui Antiochi regnum, & timeret ne Jonathan pro defensione regii adolescentis arma sumeret; ad eum comprehendendum cum copiis Beth-sanem (Græcis Scythopolim dictam) venit. Eò cum 40 millibus virorum electorum obviam illi processit Jonathan. Territus Tryphon, nec ausus manus in illum immittere, excepit illum honorificè, & commendavit eum omnibus amicis suis, deditque ei munera: præcepit etiam militibus suis ut ipsi obedirent quemadmodum sibi. Suasit deinde Jonathani, ut dimisso exercitu cum paucis viris delectis secum iret Ptolemaidem: quam se illi daturum, ut & reliquas munitiones reliquasque copias, est pollicitus. Cui ille credens, mille tantum milites secum retinuit; duobus millibus in Galilæam, cæteris verò omnibus in Judæam dimissis. Sed ubi ingressus est Ptolemaidem, Tryphonis jussu clausis portis, comprehensus est Jonathan, & omnes qui cum eo intraverant interfecti sunt. Neque mille virorum strage contentus Tryphon, misit exercitum & equites in Galilæam, qui illa duo millia paulo antè dimissa perderent. Verum quum accepta clades illis innotuisset, paraverunt se ad prælium. At Tryphonis milites rati sibi cum desperatis rem fore, reversi sunt ad suos. Atque ita Jonathanis milites cum pace in Judæam venerunt: & universi Israëlitarum persecuti sunt acceptam cladem luctu magno. [I Macc. XII. 39, — 52.]

Congregavit deinde Tryphon exercitum copiosum, ut veniret in Judæam & attereret eam. Vidensque Simon populum territum, ascendit Hierosolymam; & convocato populo, operam suam ad ejus defensionem obtulit. A quo dux ille electus, loco Judæ & Jonathanis fratrum suorum, congregavit omnes viros bellatores, & acceleravit perficere muros Hierosolymæ, & munivit eam circumcirca. Expendit pecunias multas de suo; armavitque viros exercitus gentis suæ,

suæ, & dedit eis stipendia. [I Macc. XII. 53, 54. XIII. 1, — 10. XIV. 31, 32.]

Idem quoque, misso Jonathanæ Absalomi filio cum exercitu idoneo Joppæ, eiecit eos qui erant in urbe, & mansit ipse in eâ. Eandemque muniens, ex eo portu aditum fecit ad insulas maris. [I Macc. XIII. 11. & XIV. 5, 34.] Unde hoc Judæos usos fuisse navali, notavit etiam Strabo. [lib. 16. pag. 759.]

Tryphon movit Ptolemaide cum exercitu Judæam invasurus, Jonathanem secum habens in custodia: Simon vero castrametatus est in Adidâ è regione campi. Videns autem Tryphon Judæos ad prælium paratos, finxit Jonathanem à se detentum propter debitum centum talentorum argenti: quæ si mitterentur, & simul duo filii ejus obsides, ne dimissus vincula sua ulcisceretur, eum dimissum iri liberum spondit. Sed quum Simon & pecuniam & filios fratris ad eum misisset; fidem illè fefellit. [Ibid. 2, — 19.]

Postea cum venisset Tryphon ad invadendam regionem circumflexit iter ad viam quæ ducit Adoram (vel Doram Idumææ urbem; ut est apud Josephum): Simone cum exercitu ubique eum cœcitate. Qui autem in arce Hierosolymitana erant miserunt ad Tryphonem legatos, qui urgerent eum ut celeriter ad ipsos veniret per desertum mitteretque ipsis commeatum. Sed quum parasset Tryphon universum equitatum suum ad iter; propter nivem, quæ multa eâ nocte ceciderat, eò venire non potuit. Itaque mutato itinere pervenit in Galaatidem; cumque appropinquasset Bascamæ (vel Bascæ) occidit Jonathanem, qui sepultus est ibi. Tryphon vero, eò occiso, in Syriam rediit. [Ibid. 20, — 24. Joseph. lib. 13. cap. 11.] Jonathan autem Judæ Maccabæo fratri superstes vixit annos 17 & 7 menses circiter; & per annos 9. cum uno aut altero mense summum Pontificatum gessit.

Simon missis nuntiis accepit ossa Jonathanis fratris sui; & sepelivit ea in Modin urbe majorum suorum: luxeruntque eum omnes Israëlitaë dies multos. Et extruxit Simon super sepulchrum patris sui & fratrum suorum monumentum insigni altitudine, ex lapide candido in omnem partem polito: erexitque recto ordine septem pyramidas, patri & matri & quatuor fratribus. His addidit & porticum ex magnis columnis *μυραλιδου*: quibus arma & naves sculptas superposuit, quæ ab omnibus mare navigantibus spectarentur. [I Macc. XIII. 25, — 30. Joseph. lib. 13. cap. 11.] Quod magnificentissimum sepulchrum in Modin ad sua usque tempora duravisse confirmat Josephus &, in libello *de τῶν πατριῶν ὀνομασιῶν*, Casariensis Eusebius.

Romani ac Spartani quum audivissent mortuum esse Jonathanem, valde sunt contristati: Sed quum per legatos à Simone missos intellexissent eum loco fratris factum esse Pontificem, & obtinere regionem urbisque quæ in eâ sunt; scripserunt ad eum tabulis æreis ad renovandum cum eò amicitiam & societatem, quam pacti fuerant cum Judæ & Jonathanæ fratribus ejus. [I Macc. XIV. 16, 17.] Et Romani quidem Judæos amicos & socios & fratres appellarunt, obviamque processerunt legatis Simonis honorificè. [Ibid. 40.] Litterarum vero quas per legatos Spartiæ remiserant (quibus & responsi ad Jonathanem

4571 143

nem antea missi exemplum inseruerant) hæc erat inscriptio. *Spartiatarum magistratus & civitas Simoni Sacerdoti magno, & senioribus reliquaque populo Judæorum fratribus, Salutem.* [Ibid. 20, — 23.] Lætarque sunt & Romanorum & Spartiatarum litteræ coram ecclesiâ Hierosolymis. [Ibid. 19.]

Antiochus Theos, Alexandri Balæ filius, à Diodoto sive Tryphone tutore suo per fraudem occisus est: corruptis quidem medicis, qui cum calculi dolore consumi ad populum mentiti dum secant illum, occiderunt. Tryphon verò à patriâ suâ exorsus, Apamiâ cum Larissâ, Casianis, Megarâ, Apolloniâ, & cæteris urbibus circum vicinis, primum potitus est; indeque progressus, reliquam Syriam invasit, regni-que diadema sibi imposuit, fecitque plagam magnam in terrâ. [I Maccab. XIII. 31, 32. cum Livio, lib. 55. Strabone lib. 16. pag. 752. & Justinio, lib. 36. cap. 1.]

Tryphon ex privato Rex ita factus, per Senatus Romani sententiam principatum suum confirmare maturavit. Auream igitur Victoriâ, decem millium aureorum pondus habentem, Romanis per legatos misit: credens, tum ob doni pretium, tum quòd felix esset Victoriæ augurium, Regem se ab illis appellandum. Verùm Senatus versutiâ spes ejus hæc elusa est. Acepto enim donario, pro Tryphonis nomine, Regii pueri per dolum ab eo occisi titulum inscribi jussit. [Diodor. Sicul. legat. 31.] Quo nihil ille tamen deterritus, nummos cudendos curavit, quorum adhuc aliqui extant. ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΡΥΦΩΝΟC & ΤΡΥΦΩΝΟC ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC ΒΑΣΙΛΕΥΣ inscriptionem præferentes. Regnum enim occupare ausus, & Regis appellationem, & pro veteri Diodoti novum Tryphonis nomen, cœpit sibi assumere. [Appian. Syriac. pag. 132.]

Sarpedon copiarum Demetrii dux, à Tryphonis exercitu cui Ptolemaidis incolæ se adjunxerant, superatis, cum suis militibus in mediterraneam regionem secessit. Sed dum victores Tryphoniani per oram maritimam inter Ptolemaidem & Tyrum iter facerent, repente ad ingentem altitudinem elatus maris fluctus, in terram irruens, alios in pelagus abreptos, alios in locis concavis relictos suffocavit; ac deinde recedens, cum mortuorum cadaveribus ejectos acervatim pisces multos detexit. Quam calamitatem cum Sarpedonis milites intellexissent, eò celeriter reversi, hostium quidem strage lætati sunt, pisces verò abunde multos collegerunt, & ante portas Ptolemaidis (ubi pugna commissa fuerat) Ποσειδῶνι Τροπαιῖα sive Neptuno Aversori sacrificaverunt. [Strabo, lib. 16. pag. 758. & Athenæus, lib. 8. cap. 2. ex Possidonii Stoici Historiâ.]

Simon, Judæorum Dux & Pontifex, instauravit munitiones Judææ, circummuniens eas turribus altis & muris magnis & portis & vestibibus; posuitque annonas in munitionibus. Præ aliis verò urbibus Bethsuram muniendam curavit, quæ in finibus Judææ, ubi fuerant arma hostium antea; posuitque illic præsidium Judæorum. [I Mac. XIII. 33. XIV. 7, 33.]

Adhæc Simon, actus Tryphonis meras rapinas fuisse videns, per electos viros coronam auream ad Demetrium Nicatorum regem misit:

fit : rogans, ut tributorum remissionem Judææ concederet. [I Macc. XIII.34,37. XIV.10,33.]

Audiens Demetrius Simonis legatos honorificè à Romanis fuisse exceptos, atque à Judæis Sacerdotibusque Principatum & Pontificatum ipsi & posteris fuisse concessum; confirmavit & ipse ei Pontificatum, fecitque eum unum ex amicis suis. [I Maccab. XIV. 38,——41.] Epistolam quoque ad illum misit, ita inscriptam. *Rex Demetrius Simoni Pontifici & amico Regum, & Senioribus gentique Judæorum, Salutem.* in quâ, pace cum illis factâ & omnium præteritorum errorum ἀμνηστία promissâ, priora omnia pacta (Jonathani indulta, I Macc. XI.32,——37.) confirmavit, munitiones quas extruxerant illis concessit, tributa omnibus & rerum vœnalium vectigalia Hierosolymitanis remisit. Atque ita, anno regni Græcorum 170 sublatum est jugum Gentium ab Israël: cœpitque populus in syngraphis & contractibus scribere; *Anno primo, Simone Pontifice magno & stratego ac duce Judæorum.* [I Macc. XIII. 35,——42. Joseph. lib. 13. cap. 11.]

In illis diebus Simon Gazæos, qui mortuo Jonathane rebellaverant, obsedit &, per helepolim concussâ & expugnatâ turre, ad deditiorem compulit. A civibus verò misericordiam ejus suppliciter implorantibus ille flexus, non delevit eos, sed ejecit ex urbe: & domibus ab idolis & omni immunditiâ purgatis, hymnis Deum celebrans urbem ingressus est; collocatisque ibi veris Dei cultoribus, munivit eam, & ædificavit sibi in eâ domum, in quam subinde se conferret. [I Macc. XIII.43,——48.]

3862

Sexta Æquinoctii autumnalis observatio, anno 36 tertiæ Periodi Calippicæ, Ægyptiacorum ἐπισημοσύνην die 4, (Septembris Juliani 26) vespere sub Solis occasum, ab Hipparcho facta est. [Ptolem. lib. 3. cap. 2.]

Alexandra Judæorum postea regina, nunc nascitur: siquidem annos 73 illa vixerit; ut apud Josephum legitur, libri 13. Antiquitat. capite ultimo; & in 33º capitulo Judaicæ Historiæ, quæ Arabicè, secundi libri Maccabaici titulo. ad calcem Bibliorum Parisiensium πωλυγλωττων excusa extat. Hæc ab Eusebio in Chronico, Epiphanio in hæresi 29 Ναζωραίων, Hieronymo in Daniel. cap 9. & 11. atque Severo Sulpicio in sacr. histor. lib. 2. *Salina* etiam appellatâ reperitur. Quod Eusebius, uti solet, à Julio Africano; ille à Justo Tiberiensis, vel alio aliquo antiquo rerum Judaicarum scriptore hausisse videtur.

Quum altero jam anno præsidiarii arcis Hierosolymitanæ omni comœatu exclusi fame enecarentur, dedere se coacti sunt. Quibus inde ejectis, mundavit Simon arcem ab idolorum inquinamentis: ingressusque est in eam die 23º mensis 2º (Ijar,) anno regni Græcorum 171º, cum ramis palmarum, cinyris, cymbalis, nablis, hymnis & canticis. Constituitque quotannis agitari diem illum cum lætitiâ: quòd hoste liberati essent, qui Israëlitis Templum adeuntibus tantopere nocuerat. Et munivit arcem, & montem Templi, cui illa imminerat, ad securitatem tum regionis tum civitatis: habitavitque ipse ibi cum suis. [I Macc. XIII 49;—53. & XIV. 7,36,37.]

4572 142

Videns

O

Videns Simon filium suum Johannem (Hyrcanum postea cognominatum) virum fortem esse, copiarum omnium ducem eum constituit: & habitavit in Gazaris, [I Macc. XIII. 54.] in sinibus Azoti, ubi hostes prius habitaverant: pro quibus Judæos Simon ibi collocavit. [XIV. 7, 34.] Gadari videlicet illâ, quam Judæos suam fecisse dicit etiam Strabo. [lib. 16. pag. 759.]

Demetrio Nicatori ex Cleopatrá Ptolemæi Philometoris filiâ natus est filius Antiochus, ab adunco naso Grypus cognominatus. Siquidem 45 annos vixit; ut habet Josephus. [lib. 13. cap. 21.]

3863

Anno 37° tertiæ Periodi Calippicæ, Nabonafari 607°, mensis Ægyptii Tybi die 2°, (Januarii Juliani 27° deficiente) horis 2 ante mediam noctem, Eclipsis Lunæ in Rhodo ab Hipparcho est observata. [Ptolem. lib. 6. cap. 5.]

4573 141

Cùm à Demetrii Nicatoris imperio passim civitates deficerent, ad abolendam segnitæ maculam ille bellum Parthis inferre statuit. Parthis tum imperabat Mithridates Pampatii regis filius, communi Parthicorum regum cognomine Arsaces & Arsacides dictus, ipsoque Arsace proavo suo, regni Parthici conditore, (à quo cognomentum illud ad successores omnes est traductum) non minor; quippe qui Parthicum imperium ab oriente usque ad Indum fluvium, ab occidente usque ad Euphratem virtute suâ propægavit. [Fustin. lib. 36. cap. 1. & 41. cap. 5, 6. Oros. lib. 5. cap. 4.] Quod quomodo ab eo effectum fuerit, priusquam ad Parthicam Demetrii expeditionem accedamus, non abs re fuerit exponere.

Eodem ferme tempore quo in Parthis Mithridates, in Bactris Eucratides, magni uterque viri, regna inierunt. Sed Parthorum fortuna felicitior, ad summum hoc duce imperii fastigium eos perduxit. Bactriani autem per varia bella jactati, non regnum tantum verumetiam libertatem amiserunt. Siquidem Sogdianorum & Arachatorum & Dranganitanorum Indorumque bellis fatigati, ad postremum ab invalidioribus Parthis, velut exsanguis, oppressi sunt. [Fustin. lib. 41. cap. 6.] Victorque Arsaces sive Mithridates ad Indiam usque progressus, regionem in quâ Porus olim regnaverat, gentisque omnes quæ inter Hydaspem fluvium & Indum jacent, nullo negotio subegit. [Diodor. Sicul. in Excerpt. Valestii, pag. 358. Oros. lib. 5. cap. 4.] Fuerunt autem Bactrii illi Græcorum reliquæ, qui à Syriæ regibus Seleuci Nicatoris successoribus Bactrianam abalienantes, etiam Arianam obtinuerunt & Indiam: non modò Pattalenam occupantes, sed & reliquam oram maritimam, & quod Tessariosti dicitur ac quod Sigertidis regnum. Quin & majorem Indiæ partem quàm ipsum Alexandrum & Macedones illos subegisse, in Parthis suis affirmat (sed contra aliorum sententiam) Apollodorus: addens etiam, Eucratidem in eâ mille urbes sub se habuisse. [Strabo, lib. 11. pag. 516. & lib. 15. pag. 686.] Multa verò Eucratides bella magnâ virtute gessit: quibus attritus, quum obsidionem Demetrii regis Indorum pateretur, cum 300 militibus 60 millia hostium assiduis eruptionibus vicit; quintoque mense liberatus, Indiam in potestatem redegit. Unde quum se reciperet, à filio quem socium regni fecerat in itinere interfectus est:

est: qui non dissimulato parricidio, velut hostem non patrem interfecisset, & per sanguinem ejus currum egit, & corpus abjici insepultum jussit. Dum hæc apud Bactros geruntur, interim inter Parthos & Medos bellum oritur. Cum varius utriusque populi casus fuisset, ad postremum victoria penes Parthos fuit. His viribus auctus Mithridates, Mediæ Bacasin præponit: ipse in Hyrcaniam proficiscitur. Unde reversus, bellum cum Elymæorum rege gessit: quo victo, hanc quoque gentem regno adjecit; imperiumque Parthorum à monte Caucasu, multis populis in ditionem redactis, usque ad flumen Euphratem protulit. [*Fustin. lib. 41. cap. 6.*] Victo enim Demetrii Nicatoris præfecto, Babyloniam urbem finisque ejus universos victor invasit. [*Oros. lib. 5. cap. 4.*]

Græci & Macedones superiorum satrapiarum, novi Parthorum populi superbiam indignè ferentes, ad Demetrium Nicatorem crebras miserunt legationes: pollicentes, si ad eos veniret, se illi dedituros & cum eo contra Arsacem Persidis ac Mediæ regem dimicatuuros. Quâ spe ille accensus, properavit ad illos; & anno regni Græcorum 172^o copias suas congregans, in Mesopotamiam venit, & hanc & Babyloniam & Mediam simul occupaturus; cogitans se, superiorum satrapiarum auxiliis semel auctum, faciliè Tryphonem è regno Syriæ exturbaturum. Magnâ verò alacritate ibi exceptus, quum & Persarum & Elymæorum Bactrianorumque auxiliis juvaretur, multis præliis Parthos fudit. Ad postremum tamen ab uno ex Arsacis principibus ad comprehendendum eum missò pacis dissimulatione deceptus atque insidiis circumventus, amisso exercitu, vivus in potestatem hostis venit; traductusque per ora civitatum, populis qui desciverant in ludibrium favoris ostensus, ac deinde custodiæ mancipatus est. [*I Macc. XIV. 1, 2, 3. Joseph. lib. 13. cap. 9. fin. Fustin. lib. 36. cap. 1. & lib. 38. cap. 9.*] Addit Georgius Syncellus ferro vincitum fuisse custoditum, indeque *Siderita* cognomentum postea obtinuisse.

Arsaces verò in tantam regni amplitudinem evehctus, haudquam ad luxum ac superbiam (quod plerisque principibus usu venire solet) se contulit: sed clementiâ in subditos, fortitudine adversus hostes est usus. Cùmque plurimas gentes imperio suo subjecisset, ex singulis collecta optima quæque instituta Parthis communicavit. [*Didorus Sicul. in Excerpt. Vales. pag. 361.*] Demetrio etiam in Hyrcaniam missò non cultum tantum regium benignè præstitit, sed & filiam in matrimonium dedit; regnumque Syriæ, quod Tryphon occupaverat, restitutum promisit. [*Fustin. lib. 36. cap. 1. & lib. 38. cap. 9.*] quanquam Demetrium in Phraatæ (Mithridatis fratris & successoris) regiâ vixisse, ejusque sororem Rhodogunam in matrimonium duxisse, scribat Appianus. [*in Syrias. pag. 132.*]

Anno regni Græcorum 172^o, mensis (6ⁱ) Elul die 18^o, Pontificatus Simonis anno 3^o (desinente, à morte sc. fratris Jonathanis, post quam Pontificatum ille suscepit, deducto) in congregatione magnâ Sacerdotum & populi principumque gentis & seniorum regionis, scriptura publica est edita: in quâ & insignia ejus in gentem Judaicam merita recensentur, & jura Majestatis ipsi & posteris ejus concessa: ut esset

corum Imperator, & summam inspectionem haberet in præpositos operibus & factis tectis Templi, in præfectos Toparchiis, in exercituum ductores & præfectos munitionibus. Item ut sacrorum curam haberet, utque obediretur ei ab omnibus; & ut scriberentur sub nomine ejus omnes syngraphæ in regione, & ut indueretur purpurâ aurumque gestaret. nec liceret ulli ex populo aut Sacerdotibus rescindere quicquam horum, aut contradicere iis quæ ab illo dicerentur; aut cogere conventum in regione sine illo, aut indui purpurâ ornarive fibulâ aureâ. Quæ cum recepisset Simon, placuit ei Pontificatu fungi, esseque imperatorem & ethnarcham Judæorum ac Sacerdotum, & præesse omnibus. Tum scripturam hanc poni jusserunt in tabulis æreis, easque columnis appendi in porticibus Templi, in loco conspicuo; atque exempla ejusdem poni in Templi gazophylacio, ut inde haberet Simon & filii ejus. [I Macc. XIV. 26, — 49.]

3864

Milites Tryphonis mores pertæsi, defecerunt ad Cleopatram Demetrii Nicatoris uxorem, quæ tum in Seleuciâ cum liberis se incluserat. Misit verò illa ad Demetrii (mariti sui captivi) fratrem Antiochum; conjugium suum & regnum ei offerens. Quod fecit illa, partim amicorum suavisu, partim quòd timeret ne Seleucienses quidam urbem Tryphoni traderent. [Joseph. lib. 13. cap. 12.]

4574 140

Antiochus hic, Demetrii Soteris filius; apud Josephum [lib. 7. Antiquit. cap. 12. & lib. 13. cap. 16.] à religione Pius; & [lib. 13. cap. 12.] paterno cognomento Soter dictus reperitur; apud Trogum Pompeium [in Prolog. lib. 39.] & Eusebium [in Chronico,] Sidetes vel Sedetes: sive à venatione (quæ Syris טרף est, & cui summè illum deditum fuisse Plutarchi Problemata indicant) cognomentum illud acceperit, sive ab urbe Sideni, ex quâ ad Tryphonem obsidendum profectum illum fuisse scribit Georgius Syncellus. In Asiâ priùs educatum, & cum seniore fratre Demetrio Nicatore apud Cnidium hospitem à Demetrio Sotere patre depositum fuisse refert Justinus. [lib. 35. cap. 2. & 36. cap. 1.] Rhodi de captivitate fratris, & quid secutum esset, cum didicisse, refert Appianus. [in Syriac. pag. 132.] atque ex insulis maris. Regis assumpto titulo, litteras cum Simoni Sacerdoti summo & Ethnarchæ totique genti Judæorum, in I Maccab. XV. 1, 2. legimus.

In hisce litteris, de hostibus suis ille questus, ostendit se ad ultionem sumendam paratum; ne fortè Regis nomen frustra usurpasse videretur. Inde, conciliandi Simonis causâ, confirmat ei immunitates & privilegia ab aliis Regibus concessa; & jus monetæ propriâ notâ cudendæ adjicit. Hierosolymam quoque cum Sanctuario ab omni regiâ jurisdictione liberam esse decernens, plura etiam majoraque se collaturum cum regnum obtineret promittit. [Ibid. 3, — 9.]

3865

Numenius Antiochi filius & alii legati, ad renovandam cum Romanis amicitiam & societatem à Simone pontifice populoque Judæorum missi, Romam venerunt: clypeum aureum magnum ponderis mille minarum secum afferentes. Quo accepto, Lucii Consulis litteræ ad Reges & provincias eis sunt traditæ: ut nihil in Judæos intentarent mali, neque auxilium ferrent pugnantibus adversus eos; & si quando trans-

4575 139

transfugæ ex Judæâ ad eos venirent, Simoni Pontifici eos traderent secundum patriam legem puniendos. [I Macc. XIV. & XV. 15.—21.]

Lucius iste L. Calpurnius Piso fuit, L. Popili Lænatis (in Hispaniam contra Numantinos missi) collega: quorum Consulatus apud Valerium Maximum, lib. 1. cap. 3. hæc occurrit mentio. *P. Cornelius Hispanus* prator peregrinus, *M. Popilio Lænate*, *L. Calpurnio Consulibus* edito Chaldaeos intra decimum diem abire ex Urbe atque Italiâ iussit: levibus & ineptis ingeniis, fallaci siderum interpretatione, questuosam mendacis suis caliginem injicientes. quanquam in suâ editione Stephanus Pighius, pro *Lucii* prænomine, *Cnei* ex Fastis Consularibus Cassiodori, contra codicum fidem hic substituerit.

Reges, ad quos missæ sunt hæc litteræ, quinque fuerunt: Ptolemæus Evergetes II. sive Physcon Ægypti, Demetrius Nicator (licet captivus apud Parthos jam detentus) Syriæ, Attalus Philadelphus Asiæ Pergamenæ, Ariarathes Cappadociæ, & Arsaces sive Mithridates Parthiæ. Civitates, regiones & insulæ, 19. Sampsama, (vel, ut in Latino habetur, Lampfacus) Sparta, Delus, Myndus, Sicyon, Caria, Samus, Pamphylia, Lycia, Halicarnassus, Rhodus, Phafelis, Coos, Sida, Aradus, Gortyna, Cnidus, Cyprus, & Cyrene. [I Macc. XV. 16, 22, 23.]

Anno regni Græcorum 174^o, Antiochus Sidetes in terram patrum suorum reversus est. [Ibid. 10.] ubi in matrimonium Cleopatram uxorem fratris recepit: [Fustini. lib. 36. cap. 1.] quod Rhodogunam regis Parthorum filiam Demetrius duxisset, indignatam. [Appiani. Syriac. pag 132.] Regnavitque dehinc Antiochus annos 9. [Porphyr. & Euseb.]

Transseuntibus ad Antiochum omnibus copiis, paucæ cum Tryphone remanserunt: qui ita derelictum se videns, Doram (urbem Phœnicæ maritimam) fugâ se recepit. Quod eum persecutus Antiochus, tum terrestribus peditum 120 & equitum 8 millium, tum navalibus copiis urbem ita arctè circumfedit, ut neminem ex eâ egredi vel in illam ingredi sineret. [I Macc. XV. 10.—14.]

Interea Numenius ejusque comites Româ venerunt; litteras ad Reges & provincias, earumque exemplum ad Simonem Pontificem scriptum, secum ferentes. [Ibid. 15, 24.]

Antiocho arctâ obsidione & crebris insultibus Tryphonem in urbe Dorensi prementi, misit Simon delectorum virorum duo millia, cum argento & auro & multis instrumentis bellicis. Quæ ille accipere noluit: sed omnia quæ prius cum eo pactus fuerat rescindens, alienabatur ab eo. Unde ad Simonem misit Athenobium, ut Gazaram & Joppen & arcem Hierosolymitanam ab eo repeteret, & tributa locorum extra fines Judææ ab eo possessorum exigeret; aut pro illis 500 talenta argenti, & pro damnis illatis tributisque urbium alia talenta 500 postulare: bellum minitans, nisi imperata fierent. [Ibid. 25, —31.]

Veniens Athenobius amicus regis Hierosolymam, ut vidit Simonis magnificentiam, abacum multo auro argentoque instructum, & reliquum domesticum apparatus, obstupuit; & verba Regis ei retulit.

tulit. At Simon se aliena negavit opida possidere, sed sua ab hostibus injustè detenta legitimi belli jure recuperavisse: pro Joppe verò & Gazaris, ex quibus gravia damna ab hostibus populus passus fuerit, centum talenta obtulit. Ille cum irâ ad Antiochum reversus, renunciavit ei quæ audierat & viderat: neque minore irâ Rex excaudit; videns sibi non obtemperari, nec objectam vim timeri. [*Ibid.* 32,—36.]

Tryphon interim conscendens navem fugit in aliam Phœniciaë maritimam urbem Orthosiada. [*Ibid.* 37.]

Tum constituit Antiochus Cendebæum præfectum regionis maritimæ; datisque ei pedestribus & equestribus copiis, mandavit ei ut extrueret Cedronem (vel, ut Latinus codex habet, Gedorem; de quâ Josu. XV. 58.) & bellum Judæis inferret: ipse autem Rex persequabatur Tryphonem. [*Ibid.* 38, 39.]

Cendebæus Jamniam adveniens, cœpit Judæam invadere & captivum ducere populum & occidere: extructâque Cedrone (vel Gedore,) collocavit ibi equites & copias peditum, qui excursionibus vias Judææ infestarent; quemadmodum præceperat ei Rex. [*Ibid.* 40, 41.]

3866 Ascendens Johannes (Hyrcanus) de Gazaris nuntiavit Simoni patri suo quæ à Cendebæo gerebantur: qui senio jam fractus, duobus senioribus filiis suis Judæ & Johanni belli curam commisit. Illi delectis ex regione 20 millibus bellatorum & equitibus profecti sunt contra Cendebæum, & pernoctârunt in opido natali suo Modin. Inde mane surgentes profecti sunt in campum, ubi eis occurrit copiosus adversariorum exercitus: sed interjectus erat torrens inter ipsos. Johannes prior vadum ingressus est, ducemque populus celeriter secutus est: quem ita divisit, ut equites in medio peditum positi, eos protegerent, & vicissim protegerentur ab ipsis, contra ingentem adversariorum equitatum. Clanxeruntque sacris tubis, fusoque Cendebæo & ejus exercitu ceciderunt ex illis faucii multi; ex residuis verò alii in munitionem quam Cendebæus extruxerat, alii aliò fugerunt. Quos Johannes persecutus est (fratre ejus Judâ vulnerato) usque ad turres quæ in agris Azoti, circiter duo hominum millia occidit: succensisque turribus illis, incolumem in Judæam reduxit exercitum. [*I Macc.* XVI. 1,—10.]

Tryphon postremò ad populares suos Apameam se recepit. Quo tempore contigisse videtur quod de eo Frontinus. [*libro 2. Stratagem. cap. 13.*] per totum iter fugientem pecuniam sparsisse, eâque sectantes Antiochi equites moratum, effugisse. Apameâ verò vi captâ interfectum esse Tryphonem, triennio post captum à Parthis Demetrium, Josephus significat. [*lib. 13. cap. 12.*] Ab Antiocho magno cum labore tandem interfectum, Appianus; [*Syriac. pag. 132.*] in quodam castello inclusum, ad mortem sibi consciscendum adactum fuisse, scribit Strabo. [*lib. 14. pag. 668.*] Ex Orthosiâ fugatum, in ignem insipientem perisse, refert Georgius Syncellus.

In Ægypto militiæ præfectus Hierax, cum & rei bellicæ scientissimus, & in congressibus admodum popularis ac præterea eximiâ animi magnitudine esset, Ptolemæi Physconis imperium sustinuit. Nam cum

4576¹³⁸

cum Ptolemæus pecuniæ inopiâ premeretur, militésque stipendiis fraudati deficere ad Galæstem parati essent, ipse ex suâ pecuniâ numero militibus stipendio seditionem pacavit. Regem verò ipsum Ægyptii prorsus despiciebant, cum viderent & in sermonibus puerilem, & effusum in foedissimas libidines, & ob intemperantiam effœminato corpore esse. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. H. Valesii, pag. 361, 362.*]

In Asiâ Pergamenchâ, Attalum Philadelphum fratrem Eumenis longo orio & pace dissolutum Philopœmen amicorum unus gubernabat: ita ut Romani subinde per jocum quærent ex his qui ex Asiâ navigabant, Réxne apud Philopœmenem aliquid posset. [*Plutarch. in lib. An seni sit gerenda Respub.*] Nec tamen Attalus filiorum suorum ulli regnum relinquere voluit; sed Eumenis fratris filio, cujus tutela ipsi commissâ fuerat, virilem ætatem adepto vivus didema imposuit Regisq; nomen detulit. [*Id. in Apophthegmat. & in lib. Σει φιλαδέλφιας.*]

Post mortem patris Attali, Attalus Philometor cognominatus, quem ex Stratonicâ filiâ Ariarathis Cappadocum regis Eumenes sustulerat, per quinquennium regnum Pergamenum obtinuit. [*Strabo, lib. 13. pag. 624.*]

Hic acceptum regnum cædibus amicorum & cognatorum suppliciiis statim foedavit; nunc matrem anum, nunc Beronicen sponsam maleficiis eorum necatam confingens. [*Justin. lib. 36. cap. 4.*] Cumque ex paternis amicis potissimos ac nobilissimos insidiarum adversus se suspectos habuisset, cunctos è medio tollendos sibi esse statuit. Delectos igitur ex barbaris stipendiariis cruentissimos quosque & pecuniæ avidissimos in cellis quibusdam palatii abscondit, moxque accersitis in regiam ex omni amicorum numero iis quos maximè suspectos habebat, cunctos barbarorum ministerio interfecit; ac confestim liberos uxoresque eorum eodem supplicio affici mandavit. Cæteros verò amicos, qui aut militaribus copiis aut civitatibus præerant, partim per fraudem & insidias sustulit, partim comprehensos cum omni familiâ obruncavit. Itaque cum ob crudelitatem non subditis modò sed etiam finitimis omnibus invisus esset; cuncti ex ejus ditione rerum novarum desiderio erecti erant. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 370.*]

3867

Post hanc scelestam violentiæ rabiem, squalidam vestem sumpsit, barbam capillosque in modum reorum summisit, non in publicum prodire, non populo se ostendere, non domi lætiora convivia inire, aut aliquod signum sani hominis habere: prorsus ut poenas pendere manibus interfectorum videretur. [*Justin. lib. 36. cap. 4.*]

Attalus dimissâ regni administratione, hortos fodiebat, gramina seminabat, & noxia innoxiiis permiscebat, eaque omnia veneni succo infecta velut peculiare munus amicis mittebat. [*Id. ibid.*] Neque tantum hyoscyamum & helleborum, sed etiam cicutam & aconitum & dorycnium ipse in hortis regis seminabat & plantabat: liquorésque & semina & fructus horum elaborabat cognoscere, ac suo quæque tempore colligere. [*Plutarch. in Demetrio.*] Libros quoque de agri-
culturâ

4977 137

culturâ eum scripsisse, à Varrone [*de re rustic. lib. 1. cap. 2.*] Columellâ, [*lib. 1. cap. 1.*] & Plinio, [*lib. 18. cap. 3.*] docemur.

Antiochus Sidetes civitates, quæ initio fraterni imperii defecerant summâ industriâ persecutus est; domitâsque rursus regni terminis adjecit. [*Fustin. lib. 36. cap. 1.*]

3868

Ptolemæus Evergetes II. sive Physcon multos Alexandria civis, qui eum in regnum vocaverant, jugulavit; & non paucos eorum qui cum fratre ipsius (Philometore, quo cum similitates habuerat) pubescentes adoleverant in exilium egit. Cædisque licentiâ peregrinis militibus datâ, omnia sanguine quotidie manabant. [*Fustin. lib. 38. cap. 8. Athenæus lib. 4. cap. 24. fin.*] Ipsam quoque sororem ac conjugem Cleopatram, filiâ ejus virgine per vim stupratâ & in matrimonium adscitâ, repudiavit. Quibus rebus territus populus in diversa lapsus est, patriâque metu mortis exul reliquit. Solus igitur in tantâ urbe cum suis relictus Ptolemæus, cum regem se non hominum sed vacuarum ædium videret, edicto peregrinos sollicitavit. [*Fustin. ibid.*] Atque hinc urbes insulâsque replevit grammaticis, philosophis, geometris, musicis, pædagogis, pictoribus, medicis, & aliis multis artificibus; qui ob inopiam ea docentes quæ scirent, multos viros eximios effecerunt. Cumque jam, ob continuos bellorum motus qui Alexandri successorum temporibus exarserunt, ἰγνυδιοναυδία defecisset ac exolevisset; hâc occasione disciplinarum omnium renovatio rursus facta est. [*Athenæus, ut supra.*]

4578 136

P. Scipio Æmilianus (qui eversâ Carthagine cognomentum *Africani* obtinuit) Spurius Mummius & L. Metellus, legati à Romano Senatu ad inspicienda sociorum regna & urbes & res eorum componendas missi, Ægyptum, Syriam, Asiam, Græciam, sedulò perlustrârunt. [*Cicero, in Somnio Scipionis. Strabo, lib. 14. pag. 669. Fustin. lib. 38. cap. 8. Plutarch. in Apophthegmat. Athenæus, lib. 6. cap. 8. & lib. 12. cap. 27.*] Nobilem hanc legationem P. Scipionem ante censuram obivisse, scribit in *Lucullo* Cicero; post censuram & paulo ante secundum Consulatum eam contigisse, idem in Scipionis Somnio significat: post duos verò Consulatus, totidémque sue præcipue gloriæ triumphos, Carthaginiensem & Numantinum, legatione hâc eum functum fuisse affirmat Valerius Maximus. [*lib. 4. cap. 3.*] Polybius, qui Numantinum bellum peculiari opere (ut ex Ciceronis lib. 5. ad familiar. epist. 12. notum est) descripsit, etiam hujus legationis meminit; (ut ex Athenæo, lib. 6. cap. 8. & Suidâ in voce βάρβαροι collato cum Diodori Siculi legat. 32. intelligimus:) non aliâ ad operis instituti rationem occasione magis accommodatâ, quàm quòd legatione illâ peractâ, Scipio ad finem bello Numantino imponendum missus fuerit. Eâque ob causam, è tribus variantibus sententiis mediam nobis hâc amplecti libuit.

Scipio in legatione hâc ex amicis non *Cainm Laliium* (ut in vitiatis Aurelii Victoris de viris illustr. cap. 58. exemplaribus legitur) sed *Panatinum philosophum*, unum omnino comitem secum assumpsit. [*Cicero, in Lucullo. Plutarch. in Apophthegmat. & libello de philosophando cum Principib. ex historiâ Posidonii.*] Cui *Posidonius Stoicus* ab Athenæo

[*lib. 12.*]

[*lib. 12. cap. 27.*] perperam adiungitur; ætate (ut suo loco apparebit) longè posterior. Servos *quinque* solos secum Scipio duxit, testibus Possidonio & Polybio; (ex quibus corrigendus & Valerius Maximus qui *septem*, & Aurelius Victor qui *duos* illi assignant:) atque de his uno in peregrinatione mortuo, alium nolens emere, domum scripsit, ut alius sibi in illius locum Româ mitteretur. [*Athena. lib. 6. cap. 8. Plutarch. in Apophthegmat.*] Itaque cum per socios & exteras gentes iter faceret, non mancipia ejus, sed victoriæ numerabantur: nec quantum auri & argenti, sed quantum amplitudinis pondus secum ferret, æstimabatur. [*Valer. Maxim. lib. 4. cap. 3.*]

3869

Peregrinis edicto Ptolemæi Evergetæ Alexandriam confluentibus, legati Romanorum eò appulerunt. [*Justin. lib. 38. cap. 8.*] Ubi cum Scipio navi egressus capite veste cooperto procederet, circumstantes Alexandrini rogaverunt ut retereret faciem, desiderioque ejus videndi captis spectandam præberet: vocemque & plausum eò impetrato sustulerunt. [*Plutarch. in Apophthegmat.*]

Rex verò legatis obvius procedens, ridiculus Romanis fuit. Erat enim & vultu deformis, & staturâ brevis, & saginâ ventris non homini sed belluæ similis. Quam sceditatem nimia subtilitas perlucidæ vestis augebat; prorsus quasi astu inspicienda præberentur, quæ omni studio occulanda pudibundo viro erant. Sic enim, ex Trogo Pompeio, Justinus [*lib. 38. cap. 8.*] hominem depinxit: quem ex Possidonii Stoici Historiarum libro 7^o ita nobis exhibuit Athenæus, [*lib. 12. cap. 27.*] Natali Comite interprete. *Corpus ob delicias crassitudine corruptum fuerat, & à ventris magnitudine, quem circumdare difficile erat omnino. Ob quæ vestem talarem manicas ad talos usque habentem induerat: neque unquam pedestris incedebat, nisi propter Scipionem. Cujus ambulationem cum Rex ob ignaviam & molliciem corporis ægrè magno nisu æquaret, Scipio Panætio in autem insulstravit. Fam nunc Alexandrini fructum nostræ peregrinationis ceperunt, qui propter nos Regem viderint deambulantem.* ut in Apophthegmatibus refert Plutarchus. Ex quo perspicitur, quàm rectè Dalechampius Athenæi interpres verba illa, *οἰσῆναι μὲν ἐν τῷ ποταμῷ, εἰ δὲ ἄλλοι ἐκ τῆς πόλεως, reddiderit: Pedibus ille nunquam ex regiâ prodibat, sed perpetuò scipione subnixus.*

Rex opulentis convivis legatos excepit, & circumducens ostendit eis tum palatia tum reliquam regiam gazam. Illi autem virtute præstantes, cibus quidem modicis & ad sanitatem conducentibus usi, opulentum illum apparatus, ut qui animum simul & corpus corrumpere, contemnebant: obiter verò & quasi nullius pretii essent intuentes ea quæ à Rege in admiratione habebantur, quæ consideratione suâ digna erant accuratè observabant; urbis situm & amplitudinem, & quæ circa Pharam erant peculiaris. Memphin deinde navigantes, regionis bonitatem, Nili opportunitates, urbium multitudinem, infinitas incolarum myriadas, Egypti munitionem, totamque regionis excellentiam, quàm bene ea esset ad imperii & securitatem & magnitudinem comparata, considerabant. Mirati denique Egyptum incolentium multitudinem & locorum commoditates, maximum in eâ imperium constitui potuisse censebant, si idoneos Dominos regnum

illud nactum fuisset. Deinde, rebus Ægypti lustratis, in Cyprum, atque inde in Syriam sunt profecti. [*Diodor. Sicul. legat. 32.*]

Mithridati Euergetæ regi Pontico natus est Mithridates ille magnus, qui *Dionysius* sive *Bacchus* cognominatus est; & *Eupator*. Unde & urbi à se conditæ *Eupatoria* nomen dedit. [*Appian. in Mithridatic. pag. 176. & 251.*] In urbe verò Sinopenſi & natus & educatus est: quam idcirco in eximio honore ille habuit, caputque totius regni fecit. [*Strabo, lib. 12. pag. 545.*]

Quo genitus Mithridates est anno, ingens Cometes effulſit. [*Fuſſin. lib. 37. cap. 2.*] non alius profectò quàm ille, cujus in Naturalium quæſtionum lib. 7. cap. 15. Seneca ita meminit. *Attalo regnante, initio Cometes apparuit modicus: deinde ſuſtulit ſe diffuditque, & uſque in æquinoctialem circulum venit; ita ut illam plagam cæli, cui lactea nomen eſt, in immenſum extentus aquaret.* Mithridati enim, cum Eutropio [*lib. 6.*] & Oroſio, [*lib. 6. cap. 5.*] qui Livium ſequi ſolent, annos vitæ 72 tribuimus. Si enim, cum Appiano, [*pag. 249.*] annos tantùm 68 aut 69 vixiſſe dixiſſemus: poſt extinctum Attalum, non eo regnante, Cometes ille apparuiſſet.

Simon Judæorum Pontifex & ethnarcha, circumiens Judææ civitates & adminiſtrationis earum curam gerens, unâ cum filiis ſuis Mattathiâ & Judâ Jerichuntem descendit anno regni Græcorum 177º, menſe undecimo, qui Sabat vocatur. Ibi excepit eos Ptolemæus Abubi filius, Simonis Pontificis gener, in Doc caſtello quod munerat. Hic à ſocero ſuo Jerichuntinæ provinciæ præpoſitus, cum divitiis abundaret, proprio nomine imperium regionis obtinere cupiebat. Simonem igitur cum filiis lauto convivio excipiente illo in præſidiariâ domo, ubi largiùs illi bibiſſent, ficarii quos abſconderat armati cum eo ingreſſi, Simonem & duos filios & quosdam ex famulis ipſius perfidè trucidârunt. [*I Macc. XVI. 11, — 17.*] Simonem inſidiis generi ſui Ptolemæi in convivio cæſum fuiſſe, quum octo omnino annos Judæis præſuiſſet, refert Joſephus. [*lib. 13. cap. 14.*] Nos, poſt mortem fratris Jonathanis, per annos 8 & menſes 3 circiter, ſummo Pontificatu functum illum fuiſſe, ex Maccabaicâ Hiſtoriâ colligimus.

Ptolemæus ſtatim de perpetrato ſcelere Antiochum Sidetem regem certiore fecit; petens ab eo exercitum in auxilium, ut ei regionem & urbes Judæorum in manus traderet. [*I Macc. XVI. 18.*] Quæ tam ſubita enunciatio patrati criminis, promiſſioque tradendæ regionis, non levem ingerit ſuſpicionem totum hoc facinus non ignaro Rege fuiſſe ſuſceptum; & ab eodem dignitatem quam iſte proditor ambiebat illi in pretium ſcleris priùs fuiſſe promiſſam: quemadmodum in Annalium ſuorum Epitome obſervat Jacobus Salianus. Quò & illud ſpectat, quod in Prologo libri 36i Trogi Pompeii legitur: *Antiochum, interfecto Hyrcano, Judaos ſubegiffe.* filii Hyrcani nomine, pro patris *Simonis*, per errorem ſubſtituto. ſicut vice verſâ Eufebius in Chronico, ſubactæ ab Antiocho illo Judææ hiſtoriam tangens, eum *ad conditiones Pontificem Simonem compulſiſſe* ſcripſit: patris *Simonis*, pro filii *Hyrcani* nomine poſito.

Miſit

4579 135

Misit & alios sicarios perfidus Ptolemæus Gazaram, ut incautum Johannem (Hyrcanum) è medio tollerent: & Chiliarchos (Judaicæ militiæ sub Johanne duces) per litteras ad se accersivit, magnorum munerum pollicitatione eos ad se alliciens. Et alios misit qui occuparent Hierosolymam & montem Templi. Præcurrens autem quidam Gazaram, nunciavit Johanni perisse patrem & fratres ipsius, nec non missos esse qui ipsum quoque occiderent. Quo tam tristi nuncio etsi consternatus est animo, meditatum tamen sicariorum scelus avertit, & occidit eos. Atque ita Pontifex est factus post patrem suum. [*I Macc. XVI. 19.—24.*]

Hic primus liber Maccabæorum desinit, XL annorum historiam complexus. Quam Josephus deinde continuans, à narratione parum probabili ducit initium. Ait enim, Johannem Hyrcanum maturè in urbem refugisse, & à populo receptum esse; excluso Ptolemæo, per aliam portam ingredi volente. Johannem sacris operatum, eduxisse contra Ptolemæum exercitum, eumque in arce Dagon supra Jerichuntem sitâ obsedisse. Quam cum expugnare niteretur, Ptolemæum Johannis matrem & fratres duos, quos intus detinebat, in mœnia productos flagris acerrimè cædi jussisse, minitantem eisdem præcipientes dare nisi ab oppugnatione desisteretur. Eorum commiseratione motum Johannem, ilicò in primis conatibus elanguisse: ac licet forti mater animo, filio ne molliretur affectibus, sed ultionem de proditore persequeretur, suadere non cessaret: nihilominus quoties eam verberari conspiciebat, toties materno victum affectu, oppugnationis impetum remittere coactum esse. Donec superveniente anno Sabbatico, quo Judæis cessare ab operibus sicut die septimo moris est; liberatus à bello Ptolemæus, occisis Hyrcani matre ac fratribus, fugit ad Zenonem cognomento Corylam, qui urbis Philadelphiæ tum erat tyrannus. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 2. & lib. 13. Antiquit. cap. 14. 15.*]

Quæ omnia, ex personarum, temporis, & loci consideratione in 6 Annalium suorum tomo Sallianus multiplicis vanitatis coarguit. [*ad ann. Mundi 3919. §. 5, 6, 7. & 390 §. 5, 6.*] ubi rectè etiam monet; anno Sabbatico belli administrationem, aut obsidiones urbium, aut propugnationes, nusquam in lege Domini Judæis fuisse prohibitas. Cui & nos hoc addimus: præsentem quidem annum, revera fuisse Sabbaticum; non tamen post, sed 4 mensibus ante Simonis eadem illum cœpisse, ineunte videlicet æræ Contractuum anno CLXXVII. ut ex annorum Sabbaticorum serie, ad hæc usque tempora ab ipsis Judæis retentâ, apparet.

Anno 43 tertiæ Periodi Calippicæ, mensis Ægyptii Mechir die 29 (Juliani Martii 24 ineunte) post mediam noctem, Æquinoctium vernum ab Hipparcho est observatum. [*Ptolem. lib. 3. cap. 2.*] Et desinente eodem ejusdem Periodi anno, Solstitium æstivum ab eodem est observatum. [*Id. ibid.*]

Antiochus Sidetes, anno regni sui 4 (desinente) & Hyrcani primo (ineunte) in Judæam duxit exercitum; vastatisque agris, Hyrcanum in urbem Hierosolymitanam compulit: eamque septenis castris cinxit,

toto scilicet exercitu in septem partes diviso, ad obstruendos omnes aditus excessusque obsessorum. [*Joseph. lib. 13. cap. 16.*]

Scipio Africanus & cæteri Romani legati, plurimas orbis partes peragrantes, summo omnium studio & favore ubique excepti sunt. Ubi controversiis componendis operam dantes, hos quidem inter se reconciliabant, alios ut æqua concederent suadendo inducebant; impudenter verò resistentes necessitate compellebant, & quorum causæ judicatu erant difficiles ad Senatum remittebant. Atque ita cum Regibus & populis versati, antiquâ inter omnes amicitia & societate renovatâ, domum reversi sunt; his quos invisebant legatos Romam mittentibus, & Senatum quod tales ad se viros allegassent collaudantibus. [*Diodor. Sicul. legat. 32.*]

Obsidio Hierosolymitana, propter firmitatem mœnium & propugnantium fortitudinem, diutius protracta est. Postremò ad septentrionalem muri partem, quâ planior erat aditus, excitationis centum turribus quæ surgebant usque ad tertiam contignationem, impositisque in eas cohortibus, quotidie Antiochus tentabat mœnia: duplicique fossâ longâ simul & latâ cinctis Judæis præclusit omnem exitum. Illi contra crebrò excursantes, si fortè negligentius custodiri castra offenderent, afficiebant hostem clade aliquâ: quod si paratos ad resistendum invenirent, recipiebant se in tutiora facilè. [*Joseph. lib. 13. cap. 16.*]

Hyrchanus, postquam cognovit sibi obesse suorum multitudinem, quod inutiliter absumerentur ad victum necessaria, infirmiore turbam ejecit extra mœnia; solis retentis qui ob vigorem ætatis ad pugnam erant idonei. Antiochus autem exclusos vetabat progredi: ita ut miserabiliter circum mœnia oberrantes inedia conficerentur. [*Id. ibid.*]

3870

Cùm supervenisset festum Scenopegiæ, miseratione suorum exclusi illi rursus in urbem recepti sunt. Antiochus etiam rogatus ut gratiâ festi septem dierum inducias concederet, non illud modò illis indulfit, sed etiam tauros auratis cornibus, & pocula tam aurea quàm argentea omni aromatum genere referta, usque ad portas cum pompâ deduxit: traditisque Judæorum sacerdotibus victimis, & epulo exercitui præbito, in castra rediit. [*Id. ibid. cum Plutarcho, in Apophthegmatib.*]

Cùm sub occasum Pleiadis delati imbres obsidentibus aquam (cujus penuriâ antè laborabant) abundè suppeditarent, & anno Sabbatico jam finito Judæis à semente faciendo cohibitis certissimum famis periculum immineret: Hyrchanus, consideratâ Antiochi æquitate & pietate, legatos ad eum misit, rogantes ut liceat sibi patriis vivere legibus. Regis verò amicorum plures illi suadebant, ut violenter urbem dirueret, & totam Judæorum gentem ut infociabilem & institutis à reliquis omnibus discretam internecone deleret; vel saltem ut leges eorum dissolveret, & vitæ institutionem mutare cogeret. Sed Rex, ut erat magnanimus moribusque mansuetus, horum consilio rejecto & Judæorum pietate comprobatâ imperavit ut obsessi arma sibi traderent, Urbis muros destruerent, vectigalia Joppes cæterarumque

rúmque extra Judæam urbium solverent, & insuper præsidium recipere: promittens pacem eis se daturum his conditionibus. Assenserunt illi ad omnia, excepto præsidio; quòd vitarent exterorum consuetudinem. Quod ne reciperent, maluerunt Regi dare obsides & inter eos ipsius Hyrcani fratrem, atque 500 talenta insuper; quorum 300 mox repræsentata sunt. Dejectaque mox loricâ quæ imposita erat moenibus, soluta est obsidio, & Judæi à criminationibus liberati. [*Joseph. ibid. cum Diodoro Siculo, lib. 34. in Bibliothecâ Photii, cod. 244.*]

Hyrcanus aperto sepulchro Davidis, qui olim regum omnium fuerat ditissimus, tria millia talentorum inde abstulit: quibus pecuniis fretus, primus Judæorum alere peregrina coepit auxilia. Ita Josephus: [*lib. 1. Belli cap. 2. lib. 3. Antiquit. cap. 12. & lib. 13. cap. 16. & lib. 16. cap. 11.*] de quo videnda censura Saliani, tomò 6^o Annalium; ad annum Mundi 3921. §. 8, 9.]

Anno Hyrcani primo Matthias cognomento Aphlias, Simonis Pselli filius, Sacerdos è vice Joaribi, ex Jonathanis summi Pontificis filiâ Matthiam cognomento Curtum suscepit, Josephi historici avum; ut ipse initio libri de Vitâ suâ indicat.

P. Africano & C. Fulvio Consulibus. servile bellum in Siciliâ ortum est. [*Liv. lib. 56. Fulvius Obsequens, de prodigiis.*] Cujus belli initium fuit Eunus servus quidam Syrus in urbe Apameâ natus vir magicis incantationibus & circulatoriis præstigiis deditus. Hic Deorum in somnis primùm deinde & vigili apparentium, afflatu res futuras se didicisse simulabat. Cùm autem in multis vaticinationibus mendax comperiretur, interim tamen casu eventus verè prædictionibus ejus responderent, & falsa quidem ejus vaticinia nemo coargueret, vera autem cum applausu diligenter notarentur: hominum opinio de eo indies augebatur. Postremò, fanatico furore simulato, dum Syriæ deæ cæremonias jactat & eam sibi in somnis apparentem regiam dignitatem promississe fingit, ad libertatem & arma servos quasi numinum imperio concitavit: idque ut divinitus fieri probaret, in ore abditâ nuce quam sulphure & igne stipaverat, leniter inspirans, flammam inter verba fundebat. Hoc miraculum primùm duo millia ex obviis ad eum traxit: mox verò, jure belli refractis ergastulis, 40 ampliùs millium fecit exercitum. Rex deinde Eunus à servis creatus, imposito capiti diademate, & uxore (quæ & ipsa Syra erat, ejusque civis) declaratâ reginâ, ex eorum qui prudentiâ cæteris antecellere videbantur, aliquot sibi consiliarios delegit: seipsum Antiochum, socios verò suos deficientes Syros nominans. Horum prosperis successibus motus Cleon alter servus, natus in Ciliciâ haud procul monte Tauro, latrociniiis à puero assuetus, alium servorum contraxit exercitum: & nudo Euni mandato illi se submisit, sub illo ut rege imperatoris munia obiens, cùm militum priorum quinque (vel, ut in epitome Livii legitur, 70) millium haberet exercitum. Quod factum fuit 30 ferè à defectione diebus. Hoc bellum cùm opprimi à Prætoribus minimè valuisset, C. Fulvio Consuli mandatum est. [*Diodor. Sicul. lib. 34. in Photii Bibliothecâ, cod. 244. & Excerptis H. Valesii, pag. 369, 370. Liv. lib. 56.*

4580 134

Florus, lib. 3. cap. 19.] Hocque exemplo, tum aliis nonnullis in locis similis fervorum facta est defectio, tum in Delo insulâ. [*Diodor. ut supr.*] in quâ tanta mancipiorum erat officina, ut eorum myriadas uno die & accipere posset & distrahere. ut etiam proverbium extiterit: *Mercator appelle navim, expone, omnia illicò vendideris.* [*Strabo, lib. 14. pag. 668.*]

Scipio Africanus, Consulum alter, ad Numantinum bellum conficiendum in Hispaniam profectus est. Quò magnificentissima dona ad eum ex Asiâ regem Attalum misisse, in Ciceronis oratione pro Dejorato legimus: quæ Africanus acceperit, inspectante exercitu. Cui simile de Antiocho Sidete, in Livii libri 57ⁱ epitome hoc ipso tempore memoratum reperitur. *Scipio amplissima munera sibi ab Antiocho rege Syria missa, cum celare aliis imperatoribus Regum munera mos esset, pro tribunali accepturum se esse dixit: eaque omnia referre quæstorem in publicas tabulas jussit; ex iis viris fortibus munera se daturum profectus.*

3871

Attalus, ultimus Asiæ Pergamenæ rex Philometor dictus, cum ærariæ artis fabricæ se tradidisset, cæterisque fingendis & ære fundendo procedendoque delectaretur; matri sepulchrum facere instituit: cui operi intentus, morbum ex Solis fervore contraxit, & septimo die decessit. [*Fustini. lib. 36. cap. 4.*]

4581 133

Eudemus Pergamenus Attali testamentum Romam attulit; & Pergamenum diadema regium atque purpuram Tiberio Graccho tribuno plebis tradidit. [*Plutarch. in Tib. Graccho.*] In testamento scriptum fuerat: **POPULUS ROMANUS BONORUM MEMORUM HÆRES ESTO.** In bonis autem Regis ipsum etiam regnum populus Romanus connumerans, provinciam non bello & armis, sed testamenti jure retinebat. [*Florus, lib. 2. cap. 20.*] cum testamento Attali regis Asia ita legata populo Romano fuerit, (si tamen legata) ut libera esse deberet. [*Liv. lib. 59.*] Romani certè de *simulato impio testamento* accusantur in Mithridatis ad Affacem epistolâ, apud Salustium libro Historiarum 4^o. neque jure eos factos Attali hæredes, occultè notat ipse Horatius; ut observavit Acron ad illud Odæ 18 libri 2ⁱ Carminum,

— neque Attali

Ignotus hæres regiam occupavi.

Tiberius Sempronius Gracchus gratiam populi pretio appetens, latâ lege agrariâ quæ ab ipso *Sempronia* est dicta, censoriam Asiæ locationem constituit; ut agri nempe illius à Populi Romani censoribus locarentur: atque ambitiosè ad populum legem promulgavit; ut civibus, qui Semproniâ lege agrum accipere deberent, pecuniâ Attali advectâ, ad agrum colendum instrumentumque rusticum divideretur. De urbibus verò quæ regni Attali fuissent, negavit quicquam ad curam Senatus pertinere; sed de iis ad concilium se populi relaturum. [*Cicero, Verrin. 2. Liv. lib. 58. Plutarch. in Tib. Graccho. Oros. lib. 5. cap. 8.*] Sed cum in Comitibus tribunitiis eâ ætate habitis, ut ipse tribunus plebis subsequenti anno permaneret, auctore P. Cornelio Nasicâ Pontifice Max. in Capitolio occisus est. [*Appian. Bell. Civil. lib. 1. pag. 358.*] Scævola & Pifone Consulibus. [*Ascon. Pedian. in Ver-*

3872

Verrin. 2.] eâdem ætate, quâ & Attalus mortuus est.

Aristonicus mentitus regis stirpis originem, ut ait Velleius Paterculus, reverà Eumenis regis filius & Attali defuncti frater, non iusto tamen matrimonio, sed ex pellice Ephesiâ citharistæ cuiusdam filiâ genitus, velut paternum regnum Asiam invasit: urbésque regibus parère consuetas, partim faciliè sollicitavit, paucas quæ metu Romanorum tradere se ei nolebant, vi recepit. [*Liv. lib. 59. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 4. Strabo, lib. 14. pag. 646. Florus, lib. 3. cap. 20. Justin. lib. 36. cap. 4. Plutarch. sub fin. Vita T. Q. Flaminii. Appian. Bell. civil. lib. 1. pag. 360. & Mithridatic. pag. 212. Eutrop. lib. 4.*]

Leucas opidulum ad defectionem primùm ille pertraxit. Inde autem est eiectus, cum eum Ephesii apud Cumam navali pugná vicissent. [*Strabo, ut supr.*]

Profectus Aristonicus in mediterranea, celeriter multitudinem pauperum & servorum ad libertatem evocatorum coëgit, quos Heliopolitas appellavit. [*Id. ibid.*] Servi enim ob sævitiam dominorum ei se adjunxerunt; multasque urbes maximis cladibus affecerunt. [*Diodor. Sicul. in Excerptis Valesii, pag. 362.*] Ac primùm Thyatira invasit Aristonicus, deinde Apolloniadem occupavit, pòst alia adortus est castella. [*Strabo, ut supr.*] Myndum, Samon, Colophonem, vi cepit. [*Florus, lib. 2. cap. 20.*]

Contra eum statim urbes copias miserunt; & Nicomedes rex Bithyniæ, Ariarathes Cappadociæ, Pylæmenes Paphlagoniæ, & Mithridates Ponti, Romanis adversus eum auxilia tulerunt. Quinque deinde Romani legati advenerunt. [*Strabo, ut supr. cum Justino, lib. 37. cap. 1. & Eutropio, lib. 4.*]

Anno 38^o, sub rege Euergetâ (II. sive Physcone; à tempore quo simul cum fratre Philometore regnare cœpit, regni ipsius epochâ deductâ, de quâ suprâ ad ann. Mund. 3835.) Jesus filius Sirach Hierosolymitanus in Ægyptum veniens, ibique commoratus, librum avi sui Jesu, Græcis *Panareton* & *Ecclesiasticum* dictum, ex Hebræo sermone in Græcum transtulit: ut ipse in Versionis suæ Prologo indicat. Quem librum etiam Hebraicum se vidisse refert Hieronymus in epist. 115. prænotatum; *Parabola Jesu filii Syrach.*

P. Rupilius, ex publicano Siculo Consul factus, bellum servile in Sicilia confecit. [*Liv. lib. 59. Ascôn. Pedian. in 4. Verrinano. Valer. Maxim. lib. 2. cap. 7. & lib. 6. cap. 9.*] Taurominium obsidens, Comanum Cleonis fratrem ex urbe fugientem cepit; & demùm arce à Sarapione Syro proditâ, fugitivos omnes in urbe repertos, cruciatus prius affectos præcipitavit. Inde Ennam profectus, cum Cleonem Imp. urbe egestum, ac heroicâ quâdam fortitudine, præliatum vulneribus confodisset, eam quoque urbem proditione cepit. Eunus autem defectorum rex, assumptis sexcentis, ad loca quædam prærupta fugâ se recepit. Et cum præ timiditate in quasdam speluncas confugisset, unâ cum quatuor ex suis inde extractus, & in carcerem coniectus, in magnam pediculorum vim resoluta corpore, apud Morgantiham dignum suis temerariis ausis nactus est vitæ exitum. [*Diodor. Sicul. lib. 34. in Photii Bibliothec. cod. 214.*]

4582 132

Anno

3873

4583 131

Anno Antiochi Sidetæ 8^o, ad horam 10 matutinam, mensis Peritii sive Februarii die 21^o, Antiochia in Syriâ terræ motum passa est: quantum ex Johannis Malelæ Antiocheni Chronico colligere possumus.

L. Valerio Flacco & P. Licinio Crasso Consulib. rogatus est populus, quem contra Aristonicum bellum gerere placeret. Crassus Consul & Pontifex maximus Flacco suo in Consulatu collegæ & flamini Martiali multam dixit, si à sacris discessisset. Quam multam populus remisit: Pontifici tamen flaminem parère iussit. At ne tum quidem populus Romanus ad privatum detulit bellum; quanquam erat Africanus, qui anno antè de Numantinis triumphaverat: sed consuli potiùs Crasso, quàm privato Africano bellum gerendum dedit. [*Cicero, in Philippicâ XI.*] Atque ita Pontifex maximus, quod nunquam antea factum erat, extra Italiam profectus est. [*Liv. lib. 59.*]

Antiochus Sidetes contra Phraatem, qui fratri Arsacidæ sive Mithridati in regno Parthico successerat, cum exercitu profectus est; fratrem suum Demetrium Nicatorem repetens. Hunc bis retractum à fugâ Phraates ad uxorem Rhodogunam & liberos in Hyrcaniam remisit; nec misericordiâ motus, nec respectu cognationis: sed quòd Syriæ regnum affectans, usus esset Demetrio adversus Antiochum fratrem, prout res vel tempus vel fortuna belli exegisset. Antiochus igitur occupandum bellum ratus, exercitum, quem multis finitimorum bellis induraverat, in Mediam adversus Parthos duxit. [*Fustin. lib. 38. cap. 9, 10. & lib. 42. cap. 1. Liv. lib. 59. Athenæus, lib. 10. cap. 12. & lib. 12. cap. 19. Appian. Syriac. pag. 132.*]

Sed luxuriæ non minor apparatus, quàm militiæ fuit. Quippe octoginta (centum habet Orofius, *lib. 5. cap. 10.*) millia armatorum, secuta sunt CCC (Orofio, CC) millia lixarum. Ex quibus coquorum, pistorum scenicorumque major numerus fuit. [*Fustin. lib. 38. cap. 10.*] Antiochus verò quotidie convivarum turbas catervatim ita excipiebat, ut præter ea quæ in mensis absolvebantur & acervatim tollebantur, convivarum quisque auferret intactam & integram carnem volucrum, quadrupedum, marinorum piscium, jam præparatam, quibus omnibus plaustrum oneraretur: deinde è melle concreto dulciarium opus multum, coronasque multas è thure ac myrrhâ, insertis ac inculcatis aureis lemniscorum fasciis, quæ explicatæ hominis altitudinem æquarent. [*Posidonius Apamæus, Historiar. lib. 14. apud Athenæum, lib. 5. cap. 9. & lib. 12. cap. 19.*] Ejus cæcam & amentem luxuriam exercitus imitatus, magnâ ex parte aureos clavos crepidis subjectos habuit; argenteaque vasa ad usum culinæ comparavit: & tabernacula textilibus sigillis adornata statuit. Avaro potiùs hosti præda optabilis, quàm ulla ad vincendum strenuo mora. [*Valer. Maxim. lib. 9. cap. 1. & Fustin. lib. 38. cap. 10.*]

Advenienti Antiocho multi Orientales reges occurrere, tradentes se regnâque sua, cum execratione superbiæ Parthicæ. Nec mora congressioni fuit. Antiochus tribus præliis victor, cum Babyloniam occupasset, magnus haberi cœpit. Itaque omnibus ad eum populis deficientibus, nihil Parthis reliqui præter patrios fines fuit. [*Fustin. lib. 38. cap. 10.*]

In

In hac expeditione Johannes Hyrcanus Judæorum Pontifex & ethnarcha Antiochum secutus est cum auxiliis: de quo in universali suâ Historiâ hoc retulit Nicolaus Damascenus. *Antiochus erecto trophæo ad Lycum fluvium, ubi Indatem Parthorum ducem prostraverat, ibi hæsit per biduum ob preces Hyrcani Iudæi: quod in id tempus fortè quedam Iudæorum solennis festivitas inciderat, per quam non licebat eis iter facere.* Pentecostę enim instabat post Sabbatum: quo tempore Judæis iter facere nefas habetur. [*Ioseph. lib. 13. cap. 16.*] Johannes deinde, victis Hyrcanis, indeque Hyrcani adeptus cognomen (uti Eusebio in Chronico, & Severo Sulpicio in libro 2^o sacrę Historiæ, est visum) cum gloriâ domum reversus est.

P. Crassus, cùm in Asiam ad Aristonicum regem debellandum consul venisset, tantâ curâ Græcæ linguæ notitiam animo comprehendit, ut eam in quinque divisam genera per omnes partes ac numeros penitus cognosceret. Quæ res maximum ei sociorum amorem conciliavit, quâ quis eorum linguâ apud tribunal illius postulaverat, eadem decreta reddenti. [*Valer. Maxim. lib. 8. cap. 7. Quintilian. lib. 11. cap. 2.*]

Cùm idem circumfidere oppugnareque Leucas opidum pararet, opusque esset firmâ atque procerâ trabe quâ arietem faceret, quo muros ejus opidi quateret: scripsit ad magistrum ἀρχιτέλωρ Moleatensium sociorum amicorumque populi Romani, ut ex malis duobus, quos apud eos vidisset, uter major esset eum mittendum curaret. Tum magister ἀρχιτέλωρ, comperto quamobrem malum desideraret, non uti iustus erat majorem, sed, quem esse magis idoneum aptioremque faciendo arieti facilioremque portatu existimabat, minorem misit. Crassus eum vocari iussit, & quum interrogasset cur non quem iusserat misisset, causis rationibusque quas dicitabat spretis, vestimenta detrahi imperavit, virgisque multum cæcidit; corrumpi atque dissolvi officium omne imperantis ratus, si quis ad id quod facere iustus est non obsequio debito, sed consilio non desiderato respondeat. [*A. Gell. lib. 1. cap. 13.*]

3874

Antiochus Sidetes exercitum suum, propter multitudinem hominum, per civitates in hyberna divisit: quæ annonæ exactione & militum injuriis ab illo alienatæ sunt. [*Justin. lib. 38. cap. 10.*] ubi præ aliis Athenæus Antiochi dux per singula hospitia gravi insolentiâ est usus. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 374.*]

P. Crassus Asiæ Proconsul, licet & suis & regum Bithyniæ, Ponti, Cappadociæ, & Paphlagoniæ maximis copiis adjutus, extremo tamen anni tempore inordinatâ acie prælium conferens victus est, exercitu post plurimam cædem in fugam acto. Ipse verò juxta Leucas à Thracibus, quorum magnum numerum Aristonicus in præsidio habebat, inter Eleam & Smyrnâ insidiis exceptus, in hostium potestatem venit. Sed ille memor & familiæ & Romani nominis, virgulam quâ ad regendum equum usus fuerat in custodis sui Thracis oculus direxit: qui vi doloris accensus, latus Crassi ficâ confodit. Ita ille excogitato genere mortis, effugit & dedecus & servitutum. Caput ejus Aristonico oblatum est; corpus Smyrnæ sepultum. [*Liv. lib.*

lib. 59. Vellei Paterc. lib. 2. Strabo, lib. 14. pag. 646. Valer. Maxim. lib. 3. cap. 2. Florus, lib. 2. cap. 20. Justin. lib. 36. cap. 4. Jul. Obsequens, de prodigiis. Entrop. lib. 4. Oros. lib. 5. cap. 10.]

M. Perpenna Consul, qui successor Crasso veniebat, audita illius morte & exercitus Romani clade, raptim in Asiam pervolavit: atque Aristonicum recenti victoriâ feriatum improvise bello adortus, nudatum omnibus copiis in fugam vertit. Cùmque Stratonicem urbem, ad quam ille confugerat, obsidione cinxisset; fame ad deditionem compulit, captumque in vinculis habuit. [*Liv. Patercul. Strabo. Florus, Justin. Entrop. Oros. ut supra; cum Valer. Maximo, lib. 3. cap. 4.*]

4584 130

Blosius Cumanus, qui post Tiberii Gracchi cædem (quem tanti ille fecit, ut si Capitolio faces subdere ille præcepisset, id exequi sibi turpe non ducturum professus fuerat) Româ ad Aristonicum in Asiam se contulit; cùm res ejus labefactatas cerneret, seipsum interemit. [*Plutarch. in Tib. Graccho.*]

Ante captum Aristonicum, Apollinis Cumani simulachrum la chrymavisse per quadriduum Romæ nunciatum est: quo prodigio aruspices territi, cùm id simulachrum in mare putavissent esse projiciendum, Cumani senes intercesserunt. Tum verò peritiores acciti aruspices responderunt, Græciæ hinc portendi exitium, unde simulachrum deductum esset. Sacrificatura tum à Romanis, donaque in templo posita. [*Jul. Obsequens, de prodigiis. Augustin. de Civit. Dei, lib. III. cap. XI.*]

Phrygia à Romanis recepta est. [*Jul. Obsequ. ibid.*]

Phraates Demetrium Nicatorum in Syriam ad occupandum regnum cum Parthico præsidio mittit; ut eo pacto Antiochus ad sua tuenda à Parthiâ revocaretur. Interim quoniam viribus non poterat, insidiis Antiochum ubique tentabat. [*Justin. lib. 38. cap. 10.*]

Cùm gravari se annonæ exhibitione & injuriis militum civitates, per quas Antiochus exercitum in hyberna diviserat, ægrè ferrent, ad Parthos deficiunt; & die statuta omnes apud se divisum exercitum per insidias, ne invicem ferre auxilia possent, aggrediuntur. Quæ cùm nunciata Antiocho essent, auxilium proximis laturus, cum câ manu quæ secum hyemabat progreditur. [*Id. ibid.*]

In Antiochi tabernaculo hirundines nidum fecerunt: quo prodigio neglecto, prælium ille commisit. [*Jul. Obsequens, de prodigiis.*] Et quidem adversus Phraatem, quem in itinere obvium habuit, fortius quàm exercitus ejus dimicavit: ad postremum tamen metu suorum desertus est. [*Justin. ut supra.*]

Primus author fugæ & Antiochi defertor Athenæus fuit: qui delatus ad pagos quosdam quos in hospitibus vexaverat, ab omnibus recto exclusus est; cunctisque alimenta ei negantibus, huc illuc per regionem vagabundus, tandem fame interit. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 374, 377.*]

Ipsam verò Antiochum in prælio hoc à Parthis occisum, Julius Obsequens, [*lib. de prodigiis,*] Justinus, [*lib. 38. cap. 10. & 39. cap. 1.*] Josephus, [*lib. 13. cap. 16.*] Eusebius, [*in Chronico,*] & Orosius, [*lib. 5. cap.*

cap. 10.] memorant. Victum sibi ipsi manus intulisse, refert Appia-
nus. [in Syriac. pag. 132.] Rebus malè gestis, è loco quodam se præ-
cipitem dejecisse, refert Ælianus. [lib. 10. de Animalib. cap. 34.] Recen-
tiores nonnulli, cum reliquiis exercitus ad Templum Nannææ in Per-
sida concessisse, & quum illud expilare vellet, à sacerdotibus intus la-
pidibus fuisse obrutum autumant; cum Ruperto Tuitiensi, [lib. 10. de
victoriâ verbi Dei, cap. 6. 16. & 24.] hunc illum Antiochum esse exi-
stimantes, cujus mentio fit in epistolâ Judæorum Hierosolymitano-
rum ad fratres Ægyptienses, II Maccab. I. 10. — 17.

Cùm Antiochum interemptum sepeliret Arsaces, (ita communi
Parthicorum regum nomine Phraates est appellatus) hæc dixisse
eum author est Posidonius Apamenus, libro Historiarum 16°. [apud
Athenæum, lib. 10. cap. 12.] bibacitatem illius arguentem. *Fefellit te,
Antioche, vinum & audacia: sperabas enim magnis poculis regnum te
Arsacis ebibiturum.*

Postquam exsequias Phraates regio more Antiocho fecisset, filiam
Demetrii, quam secum Antiochus adduxerat, captus amore virginis,
uxorem duxit. Poenitere deinde dimissi Demetrii cœpit: ad quem
retrahendum cùm turmas equitum festinatò misisset, Demetrium hoc
ipsum metuentem jam in regno dimissi invenerunt; frustra que omnia
conati, ad regem suum reversi sunt. [Justin. lib. 38. cap. 10.]

Antiocho in Parthiâ cum exercitu deleto, frater ejus Demetrius,
obsidione Parthorum liberatus ac restitutus in regnum, cùm omnis
Syria in luctu propter amissum exercitum esset, non aliter affectum se
ostendit, quàm si Parthica ipsius ac fratris bella (quibus alter captus,
alter occisus erat) prosperè gessisset. [Id. lib. 39. cap. 1.]

Post Antiochum Judæi nullum Macedonum regem tulerunt: do-
mesticisque imperiis usi, Syriam magnis bellis infestaverunt. [Id. lib.
36. cap. 1.] Syriæque & Phœnicia non pauca subegerunt. [Strabo,
lib. 16. pag. 761.] Hyrcanus enim post Antiochi cædem defecit à Ma-
cedonibus: jamque nec ut subditus, nec ut amicus ullam illis ferebat
opem ampliùs. Quamprimùm verò de morte Antiochi audivit, ad
urbes Syriæ duxit exercitum; ratus id quod erat, inventurum se eas
vacuas propugnatoribus. Medabam igitur (de quâ I Maccab. IX. 36.)
non sine labore sexto demum mense vi cepit: deinde Samegam, cum
vicinis pagis. [Ioseph. lib. 13. cap. 17.]

Phraates interea, cum inferre bellum, in ultionem tentati ab An-
tiocho Parthici regni, Syriæ statuisset, Scytharum motibus ad sua
defendenda revocatur. Nàmque Scythæ in auxilium Parthorum ad-
versus Antiochum Syriæ regem mercede sollicitati, cùm confecto jam
bello supervenissent, & calumniâ tardiùs lati auxilii mercede frau-
darentur, dolentes tantum us itineris frustra emensum, quum vel sti-
pendium pro vexatione vel alium hostem dari sibi poscerent, super-
bo responso offensi, fines Parthorum vastare cœperunt. [Justin. lib. 42.
cap. 1.]

Phraates, cùm adversus eos proficisceretur, ad tutelam regni reli-
quit Himerum quendam patriâ Hyrcanum, pueritiæ sibi flore concii-
liatum: qui tyrannicâ crudelitate, oblitus & vitæ præteritæ & vicarii
officii,

officii, Babylonios, multasque alias civitates importunè vexavit. [*Id. ibid.*] Plurimos enim Babylonios, levibus de causis servituti addictos, cum omni familiâ in Mediam distrahendos misit. Forum quoque & nonnulla delubra urbis Babyloniorum igni tradidit, ac pulcherrimâ quæque urbis loca evertit. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valefii, pag. 377.*] Hujus Himeri, apud Babylonios & Seleucienfes tyrannidem obtinentis, meminit etiam in 26^o Historiarum libro Posidonius Apatenus. [*apud Athenæum, lib. 11. cap. 4.*] ubi narrat, Lyfimachum Babylonium cœnâ illum unâ cum trecentis aliis excipientem, sublatis mensis, cuique trecentorum argenteum quatuor minarum poculum, quo singuli libaverant, dono præbuisse.

In Ægypto Ptolemæus Evergetes II. five Physcon, quum post fratris Philometoris excessum annos 15 regnavisset, (ut Diodorus Siculus, in Excerptis Valefii, pag. 350. indicat) jam etiam populo peregrino, quem Alexandriam acciverat, ob nimiam ejus crudelitatem invisus, incensâ à civibus regiâ, cum Memphite filio, quem ex sorore Cleopatrá susceperat, & cum uxore ejusdem Cleopatráe filiâ, clam in Cyprum profugit. Cùmque Cleopatrá, sorori & repudiatæ ipsius conjugi, regnum à populo datum esset: ille, contracto mercenario exercitu, bellum sorori pariter ac patriæ intulit. [*Liv. lib. 59. Ful. Obsequens, de prodigiis. Justin. lib. 38. cap. 8. Oros. lib. 5. cap. 10.*]

3875

Johannes Hyrcanus Sicima cepit & Garizim, atque templum Cuthæorum diruit, post annos 200 quàm à Sanaballetæ illud extractum fuerat. [*Josèph. lib. 13. cap. 17.*]

M. Perperna Aristonicum Attalicâque gazas, hæreditarias populi Romani, navibus impositas Romam deportari curavit. Quod ægrè ferens successor ejus Manius Aquilius Consul, ad eripiendum Aristonicum Perpernae, veluti sui potiùs triumphii munus esse deberet, festinatâ velocitate contendit. Sed contentionem mors Perpernae diremit; qui rediens, apud Pergamum correptus morbo diem obiit. [*Strabo, lib. 14. pag. 646. Valer. Maxim. lib. 3. cap. 4. Justin. lib. 36. cap. 4. Eutrop. lib. 4. Oros. lib. 5. cap. 10.*]

Aquilius Consul Asiatici belli reliquias confecit, mixtis veneno fontibus ad deditioem quarundam urbium. Quæ res ut maturam, ita infamem fecit victoriam. [*Florus, lib. 2. cap. 20.*]

4585 129

Asiaticorum plerique, qui per quadriennium Aristonico contra Romanos opem tulerunt, metu compulsi ad officium redierunt. [*Sylla, apud Appian. in Mithridatic. pag. 212.*] Atque ita Lydia sedes antiqua regnorum, Caria, Hellepontus, ac Phrygiæ, in potestatem populi Romani junctâ deditioem pervenerunt. [*Sext. Rufus in Breviario.*]

Massilienses pro Phocensibus conditoribus suis, quorum urbem Senatus & omne nomen (quòd & tunc Aristonici, & antea Antiochi Magni bello, infesta contra populum Romanum arma tulerant) deleri jusserat, legatos Romam deprecatum miserunt: veniâque his à Senatu obtinuerunt. [*Justin. lib. 37. cap. 1.*]

Mithridati Evergetæ regi Ponti, præmium dati adversus Aristonicum auxilii, Phrygia major à Romanis concessa est. [*Id. ibid. & lib. 38. cap. 5.*] Quam tamen Manius Aquilius largitionibus corruptus,

illi

illi dedisse credebatur. Unde & Mithridate mortuo filio, ejus pupillo (de quo ipse apud Trogum Pompeium conqueritur) Phrygia à Senatu adempta, libera & sui juris facta est. [*Appian. in Mithridatic. pag. 177. & 208. & lib. 1. Bell. civil. pag. 362, 363. cum Justin. lib. 38. cap. 5.*]

Aquilius cum decem legatis Attalicam ditionem in provinciæ formam redûctam tributariam fecit; Asiãque, communi continentis nomine eam appellavit. [*Strabo, lib. 13. pag. 624. & lib. 14. pag. 646.*]

Ariarathes rex Cappadociæ in bello contra Aristonicum occidit, sex relictiis filiis ex Laodice susceptis: quibus à populo Romano, ob patris merita, Lycaonia & Cilicia datæ sunt. Sed Laodice, timens ne non diutinam regni administrationem adultis filiis potiretur, quinque parricidiali veneno necavit: unum parvulum sceleri matris cognatorum custodia eripuit; qui post necem Laodices (nam propter crudelitatem, eam populus extinxerat) solus regno potitus est. [*Justin. lib. 37. cap. 1.*]

Johannes Hyrcanus Idumææ urbes cepit; Adora & Marissam: subjugatisque omnibus Idumæis, edixit ut circumciderentur, nisi malent è propriis pelli sedibus. At illi amore patriæ admiserunt & circumcisionem & reliquam juxta Judaicos ritus vivendi formulam: atque ex eo primùm tempore inter Judæos censerì cœpti sunt. [*Ioseph. Antiquit. lib. 13. cap. 17. & lib. 15. cap. 11. pag. 531. cum lib. 4. de Bello, cap. 15. al. cap. 6.*] Idumæos Strabo Nabatæos fuisse, per seditionem autem inde ejectos Judæis se adjunxisse, & eorum leges amplexos fuisse refert; [*lib. 16. pag. 760.*] indèque Herodem Judæorum regem ἀνδρα ἰδυμαίων, virum indigenam fuisse affirmat. [*ibid. pag. 765.*] cùm tamen Idumæum, id est, Semi-judæum (apud Iosephum, lib. 14. Antiquit. cap. 27. pag. 501.) illum fuisse dixerit Antigonus. Licet enim Idumæos Hebræorum gentem fuisse, Stephanus Byzantinus [*in voc. Ἰδυμαίων.*] scripserit: hanc tamen differentiam inter Idumæos & Judæos, ex Ptolemæi (illius fortasse qui procurator Herodis fuit, apud Ioseph. lib. 16. Antiqu. cap. 11.) libro primo de rege Herode, in lib. de verborum differentiis notavit Ammonius Grammaticus. *Judæi sunt, qui naturâ ita fuerunt ab initio. Idumæi verò non Judæi fuerunt ab initio, sed Phœnices & Syri; à Judæis autem superati, & ut circumciderentur & in unam cum eis gentem coirent & iisdem legibus subderentur adapti, Judæi sunt nominati:* non generis utique, sed religionis & instituti ratione habitâ. Nam & alii homines, qui secundùm eorum statuta vivunt, *Judæorum* nomen gerunt, quanquam alienigenæ: ut in libro 37^o Romanæ Historiæ notavit Dio. Atque hinc ab Hebræis, Herodis & posterorum regnùm מלכות הגרים *Profelytorum* (non, ut à Munstero in Seder Olam minore, & Scaligero in Judaici Computi Spicilegio, libro 7. de Emendat. tempor. est redditum, *Hagarenorum*) dictum reperitur. Apud Judæos verò, *Profelyti justitia* sive *justi* (ut eos appellabant) quales ab hoc tempore Idumæi sunt habiti, in suorum loco & numero semper censebantur.

Ptolemæus Physcon arcessitum maximum à Cyrenis filium, ne cum Alexandrini contra se regem crearent, interfecit. Tunc populus

statuas & imagines ejus detraxit. [*Iustin. lib. 38. cap. 8.*] Quod factum studio sororis Cleopatrz existimans, cum eam aliter injuriã afficere non posset, filium Memphitem quem ex eã susceperat, liberalis formæ optimæque spei puerum, in conspectu suo occidi jussit: protinusque caput ejus & manus & pedes præcisos & in cistã chlamyde operatos satelliti tradidit Alexandriam portandos, & cum natalis Cleopatrz ageretur matri inter epulas pro munere natalitio offerendos. Quæ res non reginæ tantum, verumetiam universæ civitati, acerba & luctuosa fuit: tantumque mœrorem festivissimo convivio intulit, ut regia omnis repentino luctu incenderetur. Verso igitur studio principum ab epulis in exsequias, membra lacera populo ostendunt, & quid sperare de rege suo debeant, filii cæde demonstrant. [*Id. ibid. Diodor. Sicul. in Excerptis Valesii, pag. 374. Liv. lib. 59. Julius Obsequens, de prodigiis. Valer. Maximus, lib. 9. cap. 2.*]

Idem Ptolemæus, cum animadverteret quanto sui odio patria teneretur, timori remedium scelere petivit: quoque tutius plebe trucidatã regnaret, frequens juventute gymnasium armis & igni circumdedit, omnesque qui in eo erant partim ferro partim flammã necavit. [*Valer. Maxim. ibid.*]

Phraates exercitum Græcorum, quem bello Antiochi captum superbe crudeliterque tractaverat, in bellum secum adversus Scythas duxit: immemor prorsus, quod hostiles eorum animos nec captivitas minuerat, & insuper injuriarum indignitas exacerbaverat. Itaque cum inclinatam Parthorum aciem vidissent, arma ad hostes transtulere; & diu cupitam captivitatis ultionem, exercitus Parthici & ipsius Phraatis regis cruentã cæde, exsequuti sunt. [*Iustin. lib. 42. cap. 1.*]

In hujus locum Artabanus, patruus ejus, rex Parthorum substituitur. Scythæ autem contenti victoriã, depopulatã Parthiã, in patriam revertuntur. Sed Artabanus bello Thogariis (vel Tocharis, populo Scythici generis) illato, in brachio vulneratus, statim decedit: filio Mithridate Magno (qui cum Ortoadiste Armeniæ rege bellum postea gessit) successore relicto. [*Id. ibid. cap. 2.*]

Anno 50 tertiæ Periodi Calippicæ, mensis Ægyptii Epiphi die 16^o, (Augusti Juliani die 5^o) horis æquinoctialibus 6 ante meridiem, in Rhodo insulã Hipparchus observavit Solem in grad. 8. minut. 35. Leonis; Lunam in grad. 12. minut. 2. Tauri. [*Ptolem. lib. 5. cap. 3.*]

3876

Anno eodem 50, mensis Ægyptii Phamenoth die 1^o, (Martii Juliani die 23^o) circa occasum Solis, Æquinoctium vernum ab Hipparcho est observatum. [*Id. lib. 3. cap. 2.*]

4586 128

Anno eodem observavit idem, stellam quæ in corde Leonis est distare à puncto Solstitii æstivalis grad. 29. minut. 50. [*Id. lib. 7. cap. 2.*]

Hegelochus Ptolemæi Physconis dux, missus adversus Marfyam Alexandrinorum ducem, vivum eum cepit, copiasque ejus internecione delevit. Adducto autem in conspectum Regis Marfyã, cum cuncti acerbissimis suppliciis eum protinus extinctum iri crederent, Ptolemæus præter spem illi pepercit. Jam enim præteritæ crudelitatis poenitere eum cœperat; & infensum sibi vulgus conciliare hujus-

modi

modi clementibus factis cupiebat. [*Diodor. Sicul. in Excerptis Valesii, pag. 377.*]

Finito luctu orbitatis, Cleopatra regina, cum se fratris Physconis bello urgeri videret, auxilium à Demetrio Nicatore rege Syriæ genero suo (Cleopatra enim Demetrii uxor hujus Cleopatræ & Philometoris erat filia) per legatos petiit; pretium auxilii regnum Ægypti ipsi promittens. Cujus potiundi spe ille allectus, Ægypto bellum intulit & Pelusium oppugnavit. [*Fustin. lib. 38. cap. 9. & lib. 39. cap. 1. Porphyrius, in Græcis Eusebians. Scaligeri, pag. 227.*]

3877 Johanni Hyrcano natus est filius Alexander Jannæus, Judæorum postea Rex: qui annos 49. vivendo exegit. [*Joseph. lib. 13. cap. 23. fin.*] Hic mox natus, emosus patri factus est. Deum enim in somnis sibi apparentem Hyrcanus de successore rogavisse dicitur; sollicitus de Aristobulo & Antigono, quos præ cæteris diligebat fratribus. Deo verò Jannæi hujus characteres ostendente, contristatus pater quòd is in omnia ejus bona esset successurus, in Galilæâ educari eum voluit, neque unquam dum viveret in conspectum suum admisit. [*Id. ibid. cap. 20.*]

Circa hoc tempus, Simoni Dosithei, Apollonio Alexandri & Diodoro Jasonis filio, legatis ab Hyrcano & Judæorum populo de amicitia & societate cum Romanis renovandâ missus, à Fannio Marci filio prætoris urbano Senatus datus est, VIII. Id. Februar. qui, ut annus Romanus tum agebatur, in Novembrem Julianum incurrit. Editumque Senatusconsultum est, ut Joppe & portus, Gazaræque & fontes, atque urbes reliquæ per Antiochum Sidetem præter Senatus decretum ablatae, restituantur. Neve militibus regiis liceat per regionem ipsorum aut subditorum iter facere: & ut eo bello per Antiochum ætentata, præter decretum Senatus, fiant irrita; utque legati à Senatu missi reddi curent quidquid Antiochus abstulerat, & pretium agrorum æstiment qui eo bello vastati sunt. Et ut litteræ commendatitiæ legatis dentur ad reges & liberos populos, quo tutius possint reverti in patriam. Mandatumque est Prætori Fannio, ut ex publicâ pecuniâ legatis numeraret viaticum, ad sumptus in reditu necessarios perferendos. [*Joseph. lib. 13. cap. 17.*]

Anno à morte Alexandri 197, Nabonafari 621, mensis Ægyptii Pharmuthi die 11^o, (Maii Juliani die 2^o) ante meridiem horis æquinoctialibus 5. minut. 20. Hipparchus in Rhodo insulâ observavit Solem in grad. 7. minut. 45. Tauri; Lunam in grad. 21. minut. 40. Piscium. [*Ptolem. lib. 5. cap. 5.*]

Anno eodem, mensis Ægyptii Payni die 17^o, (Juliani Julii die 7^o) post meridiem horis æquinoctialibus 3. minut. 20. observavit ibidem Hipparchus Solem in grad. 10. minut. 54. Cancræ; Lunam in grad. 21. minut. 40. Piscium. [*Id. ibid.*]

Anno Hyrcani Pontificatus & etharchiæ nono, Judæorum legati, Alexander Jasonis, Numenius Antiochi Alexander Dorothei filius, philalam & clyptum ex auro, æstimationis aureorum 50 millium, argumentum veteris cum populo Romano societatis, ad Senatum attulerunt: acceptisque litteris ad liberas civitates ac reges, ut per regiones

eorum

4587 127

eorum atque portus securè possent iter facere, domum reversi sunt. Hujus Senatusconsulti exemplum apud Josephum extat, libro 14 Antiquit. cap. 16. loco planè alieno. Cùm enim per litteras Julii Cæsaris impetratum fuisse decretum Josephus dixisset, quo Hyrcano II. moenia Hierosolymæ à Pompeio diruta restituere esset permissum; nescio quâ incuriâ, hoc pro illo Senatusconsultum substituit, quod ad refectionem murorum Hierosolymitanorum nihil omnino attinebat. Et hæc tamen ille acta fuisse ait *Hyrcani Pontificatus & ethnarchia anno nono, mense Panemo*: quum *Idibus Decembris* (in Septembrem Julianum & Hyperberetæum Macedonicum tunc incurrentibus) decretum hoc editum fuisse Acta ipsa confirmant: & si in Hyrcani II. gratiam Cæsar illud obtinuisset, 27^{us} potius quàm 9^{us} Hyrcani annus assignandus tum fuisset, imò neque ethnarchiæ ullus; quippe quâ privatum omnino à Gabinio cum fuisse, solo Pontificatus munere relicto, ut in 10 ejusdem libri capitulo ipse Josephus indicat. Ad *primi* igitur Hyrcani annum 9. ista sunt referenda, quando respublica Judaica libera populi Romani societate fruebatur; non ad *secundi*, sub quo, devicta & tributaria facta, illi serviebat.

Absente rege Demetrio Nicatore, Antiochenses primi, propter ejus superbiam, quæ conversatione Parthicæ crudelitatis intolerabilis facta erat, mox Apameni, cæteræque Syriæ civitates exemplum secutæ, ab illo defecerunt. [*Justin. lib. 39. cap. 1.*] Quâ defectione auditâ, Demetrius ex Ægypto in Syriam redire coactus est.

Cleopatra Ægyptia regina, hoc orbata præsidio, opibus Ægypti navibus impositis, ad filiam Cleopatram Syram & Demetrium generum in Syriam profugit. [*Justin. ut supra.*]

Cùm Demetrius ex æquo tam Syris quàm militibus propter mores improbos esset invisus; ad Ptolemæum Physconem miserunt, rogantes ut aliquem ex Seleuci genere eis daret, quem possent regem sibi constituere. [*Joseph. lib. 13. cap. 17.*] Ad quos juvenem quendam Ægyptium ille misit, Protarchi negotiatoris filium, qui regnum Syriæ armis peteret: compositâ fabulâ, quasi per adoptionem Antiochi regis receptus in familiam regiam esset; nec Syris quemlibet regem aspernantibus, ne Demetrii paterentur superbiam. [*Justin. lib. 39. cap. 1.*] Ut filium *Alexandri* (Balæ scilicet, qui Antiochi Epiphanis filius censebatur) missum fuisse, & ipsum *Alexandrum* dictum, atque à Syris, quòd Ptolemæi *emptum* mancipium haberetur, *Zabinam* cognominatum, refert Porphyrius. [*in Grec. Euseb. Scalig. pag. 227.*] Sanè *בנין* Syris *emptum* & *redemptum* significat: cujusmodi vel emptionis vel redemptionis memoriam subdititium hunc regem in nummis suis retinere non puduit, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΖΕΒΕΝΝΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ inscriptionem adhuc præferentibus.

3878

Quum novus Rex cum ingentibus auxiliis ab Ægypto missis, advenisset: etiam Antiochi Sideris à rege Parthorum interfecti reliquiæ, in loculo argenteo ad sepulturam in Syriam remissæ pervenisse; & cum ingenti studio civitatum & ipsius regis Alexandri exceptæ fuisse dicuntur. Quæ res illi magnum favorem popularium conciliasse fertur; omnibus non fictas in eo, sed veras lachrymas existimantibus. [*Justin. lib. 39. cap. 1.*]

Præ-

Prælio circa Damascum commisso, Demetrius Nicator vincitur : & quum undique circumstantibus malis premeretur, refugiens è pugna ad Cleopatram uxorem in Prolemaidem, ab eâ exclusus est. Ab uxore igitur filiisque desertus, & cum paucis servulis relictus, Tyrum religionem templi se defensurus petiit. [*Id. ibid. cum Iosepho & Porphyrio, in locis supra citatis.*]

Illuc ingredi prohibitum, cum navem ingrederetur, trucidatum fuisse, quatuor post reditum è Parthiâ regni annis exactis, tradit *Porphyrius*. Navi primùm egredientem, præfecti jussu interfectum, *Iustinus*. Ab inimicis captum & multa passum, vitam ibi finivisse, *Iosephus*. Ab uxore Cleopatrá interemptum fuisse, *Livius* [*libro 60.*] & *Appianus*. [*in Syriac pag. 132.*] Et eâ certè consciâ, Tyri occisum illum fuisse, admodum fir verisimile : & vel, ab eâ, vel ab Alexandro Zebiná, Tyrios ob hoc factum libertatem & *αὐτονομίαν* obtinuisse. Ab hoc enim anno novam temporum suorum epocham illos deduxisse, tum ex Eusebii Chronico liquet, ubi cum 2º anno Imp. Probi, qui Julianæ Periodi est 4990, copulatur Tyriorum annus 402. tum ex Judicio Tyrio, 9º actioni Concilii Chalcedonensis inserto ; ubi annus post Consulatum Flavii Zenonis & Posthumiani, qui ejusdem Periodi est 5162, æræ Tyriorum 574 numeratur. Urbs verò Tyriorum, in Inscriptionibus à Grutero editis pag. MCV. τ̄ ἱερᾶς καὶ ἀσίδυ καὶ αὐτονόμου μητροπόλεως Φοινίκης elogio celebrata reperitur.

Alexander Zebina regnum consecutus, societatem iniit cum Johanne Hyrcano Pontifice : ejusque temporibus res Hyrcani maximis successibus sunt auctæ. [*Ioseph. lib. 13. cap. 17.*]

Manius Aquilius Proconsul ex Asiâ III Idus Novembris (qui in Julianum Augustum tum incurrebat) triumphavit : ut ex fragmentis Tabularum triumphalium marmorearum colligitur. De quo Mithridates, in epistolâ ad Arsacem (apud Salustium, Historiarum libro 4º) Romani, *simulato impio testamento, filium Eumenis Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more per triumphum duxere*. A Manio Aquilio ductum illum in triumpho, capite poenas dedisse, Velleius Paterculus significat. [*lib. 2. cap. 4.*] Romæ enim in carcere jussu Senatus strangulatus est. [*Strabo, lib. 14. pag. 646. Eutrop. lib. 4. Orof. lib. 5. cap. 10.*]

Manius Aquilius, repetundarum reus corruptis iudicibus, elapsus est. [*Appian. Bell. Civil. lib. 1. pag. 362, 363.*]

879

M. Plautio Hypsæo & M. Fulvio Flaccø Consulib. Locustarum ingentia agmina in Africâ à vento in mare dejecta, fluctibusque ejecta odore intolerabili Cyrenis, mortifero vapore gravem pestilentiam fecerunt pecori : hominumque 800 millia consumpta tabe proditum est. [*Iul. Obsequens, de prodigiis ; cum P. Orofio. lib. 5. cap. 11.*]

4589 125

Dorylao Pontico, Tactico sive exercitus ordinandi perito, à Mithridate Evergetæ rege Ponti in Cretam ad peregrinos conducendos milites misso, bellum ibi Cnosiiis adversus Gortynios est obortum. Dorylaus à Cnosiiis dux creatus, bellum celeriter & feliciter confecit. Summisque ab eis adfectus honoribus, cum paulo post de cæde Mithridatis audivisset, ibi cum familiâ suâ mansit : matris Strabonis

Geographi proavus. [*Strabo, lib. 10. pag. 477, 478. & lib. 12. pag. 557.*]

3880

Anno æræ contractuum 188°, Judæi Palæstini, Senatúsque Hierosolymitanus & Judas, celebraturi Encænia repurgati Templi 25 die mensis Challeu, scripserunt ad Aristobulum magistrum Ptolemæi (Physconis) ex regio genere Sacerdotum Aaronico, & Judæos Ægyptienses, ut & ipsi idem facerent. [*II Maccab. I. 10, 18.*] Quem *Judam*, Rypertus Tuitiensis [*lib. 10. de victoriâ verbi, cap. 15.*] Judam Essenum illum esse existimat; quem post annos 19. Antigoni (Johannis Hyrcani filii) præsentaneam cædem prædixisse, neque in varicinis suis falli solitum fuisse, refert Josephus. [*lib. 13. cap. 19.*] *Aristobulum* verò Clemens Alexandrinus [*lib. 5. Stromat.*] & Eusebius Cæsariensis [*tum in lib. 8. Preparat. Evangelic. cap. 3. tum in Chronico*] Judæum illum sectæ Peripateticæ philosophum fuisse censent, de quo suprâ ad finem anni Mundi 3854. à nobis facta est mentio.

Seleucus Demetrii Nicatoris filius, injussu matris Cleopatæ sumpto diademate, regnavit in Syriâ ann. 1. [*Liv. lib. 60. Porphy. in Græc. Euseb. pag. 227.*]

4590 124

Alexander Zebinas, cum ab eo illustrissimi duces Antipater & Clonius & Æropus defecissent, urbemque Laodiceam occupassent, eos tandem expugnavit. Cæterum singulari animi magnitudine in captos usus, omnibus pepercit. Erat quippe ingenio leni ac placido, & in congressu ac sermonibus mirabili comitate: quapropter ab omnibus non mediocriter amabatur. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valerii, pag. 377.*]

3881

Mithridates Evergetes Ponti & minoris Armeniæ rex, Sinope dolo familiarium necatus, uxorem & liberos successores reliquit. Verum è duobus filiis natu major Mithridates cognomento Eupator totum regnum sibi vendicavit. [*Strabo, lib. 10. pag. 477. cum Justin. lib. 37. cap. 1.*] Modico enim interlapso tempore matrem, regni consortem à patre destinatum, dum carcere vincam tenet, violentiâ istâ & temporis diuturnitate confecit. Ita *Mennon*. [*in Excerptis Photii, cap. 32.*] Mithridatem verò extremâ pueritiâ regnum fuisse ingressum, matre veneno interfectâ, in Historiâ suâ retulit Salustius. [*apud Servium, in lib. 6. Æneid.*]

Undecim annorum fuisse Mithridatem, quum patri in regno succederet, *Strabo*; tredecim fuisse, *Mennon* affirmat. Nos medium annum duodecimum assumpsimus; *Entropium* secuti, qui regnavisse illum annis 60, vixisse 72 tradidit: licet 56 tantum regni annos *Plinius* [*lib. 25. cap. 2.*] illi tribuat; & *Appianus* 57. *Vide suprâ ann. Mundi 3868.*

Quemadmodum eo quo genitus est Mithridates anno, ita & eo quo regnare primùm cœpit, stella cometes, & noctu & interdiu, 70 diebus ita luxit, ut coelum omne conflagrare videretur. Nam & cauda illius quartam partem coeli (sive 45 gradus superioris hemisphærii) occupavit; & fulgore sui, Solis nitorem vicit: & cum ostiretur occumberetque, quatuor spatium horarum consumebat. [*Justin. lib. 37. cap. 2.*]

In

In Syriâ, Cleopatra filium Seleucum, vel quòd injussu suo diade-
ma sumpisset, sive metuens ne ille patris Demetrii necem ulciscere-
tur, sive eodem furore gerens omnia, sagittâ confixum interemit.
Alterum deinde filium ex Demetrio susceptum Antiochum Grypum,
quem Athenas educandum miserat, regem hætenus constituit; ut
nomen regis penes filium, vis autem omnis imperii penes matrem ef-
set. [*Liv. lib. 60. Justin. lib. 39. cap. 1. Appian. Syriac. pag. 132.*] Deme-
trio verò matris insidiis sublato fratrem juniorem Antiochum succes-
sisse Olympiadis CLXIV anno 2^o, notavit Porphyrius: [*in Græc. Euseb. Scalig. pag. 227.*] qui non Grypum solùm sed etiam *Philometorem*
vocatam eum fuisse addit; quod posterius cognomentum à Josepho
quoque illi tributum fuisse videmus. [*lib. 13. cap. 20.*]

3882

Alexander Zebinas tumens successu rerum, spernere jam etiam
Ptolemæum, à quo fuerat subornatus in regnum, superbâ insolentiâ
cœpit. Itaque Ptolemæus, reconciliatâ sororis Cleopatrarum gratiâ,
destruere Alexandri regnum, quod odio Demetrii viribus suis acqui-
sierat, summopere instituit. Misit igitur ingentia Grypo auxilia, & fi-
liam Tryphænam Grypo nupturam; ut populos in auxilium nepotis,
non societate tantùm belli, verum etiam affinitate suâ sollicitaret. Nec
res frustra fuit. nam cum omnes Grypum instructum Ægypti viri-
bus viderent, paulatim ab Alexandro deficere cœperunt. [*Justin. lib. 39. cap. 2.*]

Alexander cum parùm fideret multitudini, tum ob vulgi imperiti-
am rerum bellicarum tum ob ingenium leve & rerum novarum avi-
dum, acie quidem dimicare noluit: sed collectis regis thesauris, ac
spoliatis templorum donariis, noctu in Græciam fugere constituit.
Verùm quum Barbarorum quorundam ministerio Jovis fanum diri-
pere conatus esset; deprehensus, minimùm abfuit quin cum toto
exercitu illicò confoderetur. Tamen fugâ elapsus, Seleuciam versùs
contendit. Sed Seleucienses, jam ante ejus adventum compertâ sa-
cilegii famâ, ei portas clausurunt. Eâ igitur spe frustratus Alexan-
der Pisidium petiit; ab orâ maritimâ nusquam recedens. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 378.*]

Prælio verò tandem inter Antiochum Grypum & Alexandrum Ze-
binam factò, victus Alexander Antiochiam profugit. Ibi inops pe-
cuniæ, cum stipendia militibus deessent, templo Jovis solidum ex au-
ro Victoriæ signum tolli jussit, facies Jovis sacrilegium circumscri-
bens: nam *Victoriam commodatam sibi ab Jove esse dicebat*. Interjectis
deinde diebus, cum ipsius Jovis aureum simulachrum infiniti ponde-
ris tacitè evelli jussisset, deprehensusque in sacrilegio concursu multi-
tudinis esset in fugam versus; magnâ vi tempestatis oppressus, ac de-
sertus à suis, à latronibus capitur; perductusque ad Grypum, inter-
ficitur. [*Justin. lib. 39. cap. 2.*] In pugna cum Grypo cæsum cum oc-
cubuisse, Josephus; [*lib. 13. cap. 17.*] cladem exercitus non ferentem,
4^o anno Olympiadis CLXIV, veneno seipsum sustulisse, refert Por-
phyrius. [*in Græc. Euseb. Scalig. pag. 227.*]

Quum Cleopatra filii sui Antiochi Grypi de Alexandro Zebina
reportatâ victoriâ inferiorem dignitatem suam factam doleret, veni-

4591

123

4592

122

4594

120

enti ab *exercitatione* (an ab *exercitu*?) poculum veneni obtulit. Sed Grypus, præcitis jam antè insidiis, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipsam jubet; abnuenti instat. Postremùm prolato indice eam arguit; solam defensionem sceleris superesse affirmans, si bibat quod filio obtulit. Sic victa regina, veneno quod alii paraverat, extinguitur. Partâ igitur regni securitate, Grypus octo annis quietem & ipse habuit & regno præstitit. [*Justin. lib. 39. cap. 2. cum Appiano, in Syriac. pag. 132.*]

3883

Jubilæus XXVII.

L. Opimio Consule, anno quo C. Gracchus (Tiberii frater) Tribunus plebem seditionibus agitans interemptus est, ea coeli temperies fulsit; ut vina tunc genita ad sua usque tempora 200 ferè annis duravisse confirmet Plinius, in speciem redacta mellis asperi. [*Plin. lib. 14. cap. 4. & 14.*] Eodem quoque anno, circa Solem arcus apparuit. [*Id. lib. 2. cap. 29.*]

4593

121

3888

a.

Ptolemæus Evergetes II. sive Physcon, annis post fratris Philometoris excessum 29. mortuus est. [*Ptolem. in Regum Canone. Clem. Alexandria. lib. 1. Stromat. Euseb. Chronia. Epiphani. de Ponderib. & mensur. Hieronym. in cap. 9. Danielis.*] tribus filius post se relictis: uno expellice suscepto, Ptolemæo Apione, cui Cyrenarum regnum testamento reliquit; [*Justin. lib. 39. cap. 5. cum Appiano in Mithridatic. pag. 255.*] duobus ex Cleopatrá, prioris Cleopatráe sororis ipsius ac conjugis filiâ, genitis. quorum junior Alexander: senior verò à Ptolemæo in Regum Canone, ut & Porphyrio, Eusebio, Hieronymo & Epiphanio, Soter; à Strabone, [*lib. 17. pag. 795.*] Trogo Pompeio, [*Prolog. lib. 39. & 40.*] Plinio, [*lib. 2. cap. 67. & lib. 6. cap. 30.*] Josepho, [*lib. 13. cap. 18.*] & Clementi Alexandrino, [*lib. 1. Stromat.*] Lathurus vel Lathyrus; Athenæo [*lib. 6. cap. 6.*] & Pausaniæ in Atticis, Philometor est dictus. quod postremum cognomentum (*Philopatrem* ab Athenæi interprete Natale Comite perperam redditum) per irisionem illi datum notavit Pausanias. Neque enim regum quisquam fuit unquam ex omnibus, quem majori mater odio persecutus fuerit. [*Pausan. Attic. pag. 7.*]

4597

117

Physcon moriens regnum Ægypti Cleopatráe uxori & alteri ex filiis, quem illa legisset, reliquit: videlicet quasi quietior Ægypti status, quàm Syriæ regnum esset, quum mater altero ex filiis electo, alterum hostem esset habitura. [*Justin. lib. 39. cap. 3.*] Illa Alexandrum natu minorem sibi obsequentiore fore existimans, ut eum Ægyptii regem acciperent suadebat. Sed quum repugnante plebe id assequi nequisset; majorem Lathurum (quem in Cyprum à patre ablegandum procuraverat) eligere coacta est: quæ simul cum eo in Ægypto decem regnavit annis. [*Id. ibid. Pausan. in Attic. pag. 7, 8. Porphyrius, in Grec. Euseb. Scalig. pag. 225.*]

b.

Cleopatra, prius quàm regnum Lathuro daret, uxorem ademit: compulsùmque repudiare charissimam sibi sororem Cleopatram, minorem sororem Selenem ducere jussit; non materno inter filias iudicio, cum alteri maritum eriperet, alteri daret. [*Justin. ut supra.*]

4598

116

3890

Cum octo jam annis solus & quietus regnum Syriæ Antiochus Grypus obtinisset, natus illi est æmulus regni frater ipsius Antiochus

4600

114

Cyzice-

Cyziceus, eadem matre genitus, sed ex Antiocho Siderâ patris susceptus: quem cum veneno tollere voluisset, ut maturius armis cum eo de regno contenderet excitavit. Hic à matre Cleopatrá ob metum Demetrii Nicatoris (prioris mariti, quem deseruerat) Cyzicum missus, à Cratero eunucho educatus est: indeque *Cyziceni* cognomen tum est adeptus. [*Fustin. lib. 39. cap. 2. Appian. Syriac. pag. 132. Porphyr. ut supr. pag. 227. Joseph. lib. 13. cap. 17.*] Grypus verò audito quòd frater ipsius copias contra se apud Cyzicum colligeret, omiſſâ expeditione quam in Judæos suscipere instituerat, contra fratris adventum se paravit. [*Joseph. ibid.*]

3891

Cleopatra fratris sui Ptolemæi Lathuri quondam uxor, sed à matre Cleopatrá Ægypti reginâ (ut dictum est) divortio viri dimissa, Cyziceno in Syriâ nupsit: ei que ne nudum uxoris nomen afferret, exercitum Cypri sollicitatum, velut dotalem, ad maritum deduxit. Par igitur viribus fratris Cyzicenus, prælium committit, ac victus in fugam vertitur, Antiochiâque venit. Tunc Antiochiâ Grypus, in quâ erat Cyziceni uxor Cleopatra, obsidere cœpit: quâ captâ, Tryphæna uxor Grypi nihil antiquius quàm sororem Cleopatram requiri iussit; non ut captivæ opem ferret, sed ne effugere captivitatis mala posset, quæ sui æmulatione in hoc potissimum regnum invaserit, hostique sororis nubendo hostem se ejus effecerit. Tum peregrinos exercitus in certamina fratrum adductos, tum repudiatam à fratre, contra matris voluntatem, extra Ægyptum nuptam accusat. At Grypus uxorem à suscepto scelere revocare conatus, contra morem ait esse bellorum, ut post victoriam sæviatur in foeminas, præsertim in sanguine conjunctas, qualis Cleopatra; quæ illi soror, sibi confobrina, liberisque communibus matertera sit. Quibus tot necessitudinibus sanguinis, superstitionem templi quoque adiecit, quò obdita profugerat: concludens, neque occisâ illâ se virium quicquam Cyziceno dempturum, nec servaturum redditâ. Tryphæna contrâ, rata non misericordiæ hæc verba sed amoris esse, milites in templum immisit, qui Cleopatram simulacrum deæ amplexantem truncatis manibus confoderunt: ne scilicet minus sorores inter se, quàm fratres pugnare viderentur. [*Fustin. lib. 39. cap. 3.*]

4601 113

Cleopatra Ægypti regina, harum sororum mater, anno hoc regni 4^o, minorem filium Alexandrum Cypri regem factum eò misit: ut per eum majori Lathuro unâ secum regnanti formidolosior esset ipsa. [*Pausan. in Attic. pag. 7, 8. Porphyr. in Græc. Euseb. pag. 225.*]

3892

Alexander Jannæus, anno ætatis 16^o, ex uxore Alexandrâ filium suscepit Hyrcanum: quem, nuncio de Actiacâ Cæsaris victoriâ accepto, quum 80 ætatis annum excessisset, è Herodes medio sustulit. [*Joseph. lib. 1. ca. 9.*] Unde colligimus, Alexandram hanc, ab Ecclesiasticis scriptoribus (ut ad annum Mundi 3862 suprâ est notatum) *Salinam* etiam appellatam, à *Salome* illâ Aristobuli uxore diversam fuisse, quam Græci *Alexandram* nominabant; quæque, marito mortuo, fratrem ejus Alexandrum hunc Jannæum, 22 tum annos natum, (regnasse enim 27, vixisse 49 annos tradit Josephus) Regem illius loco constituit; uti apud Josephum [*lib. 13. cap. 20.*] legitur.

R 3

Repe-

Repetitâ inter fratres Antiochos, Cyzicenum & Grypum, prælii congressione; victor Cyzicenus uxorem Grypi Tryphænam, quæ paulo antè sororem interfecerat, cepit; ejusque supplicio uxoris manibus parentavit. [*Justin. lib. 39. cap. 3.*] fratremque regno expellens; pro eo Syris imperavit. [*Appian. Syriac. pag. 132.*] Et Grypus quidem imperio exutus, Aspendum secessit: indeque *Aspendii* cognomentum est adeptus. Regnum verò suscepit Cyzicenus, ab anno primo Olympiadis CLXVII. [*Porphyr. in Græc. Euseb. pag. 227.*]

4602 112

3893

Anno 2º ejusdem Olympiadis, Aspendo rediens Antiochus Grypus Syriam obtinuit: Cyzicenus verò, diviso imperio, Coelefyriâ potitus est. [*Id. ibid.*]

4603 111

Antiochus Cyzicenus recens regnum adeptus, ad crapulas ac luxum & instituta longè à Regibus aliena se contulit. Mimis enim atque histrionibus, circulatoribus denique cunctis supra modum deditus, eorum artes summo studio perdiscebat: operam quoque neurospasticæ dedit, maximumque studium posuit in movendis per se animalium simulachris quinque cubitorum magnitudine, auro argentoque tectis, atque in aliis hujuscemodi machinamentis. Quinetiam intempestivis venationibus addictus erat: ac sæpenumero cum uno aut altero famulo noctu clam egressus, apros, leones ac pardos venabatur. Nec rarò cum feris bestiis temerè congressus, in gravissima discrimina salutem suam adduxit. [*Diodor. Sicul. lib. 35. in Excerptis Valesii, pag. 385.*] De alterius fratris Antiochi Grypi luxu, videnda quæ ex Polidonii Apameni Historiarum libro 28º. refert Athenæus, lib. 5. cap. 9. & lib. 12. cap. 19.

3894

Bellum quo duo hi fratres se mutuo atterebant Johanni Hyrcano occasionem præbuit, ut securè frueretur Judææ proventibus, & ingentem pecuniarum vim inde congereret. Et Cyziceno vastante fratris regionem, quum Grypo Hyrcanus nihil ab Ægypto auxilii venire cerneret, sed tam ipsum quàm ejus fratrem multas clades accipere ex mutuis inter se certaminibus: utrumque facilerè despexit. [*Joseph. lib. 13. cap. 17.*]

4604 110

Ad oppugnandos igitur Samaritas, Syriæ regibus subjectos, duxit ille exercitum: infensus eis propter injurias Marissenis (Idumæis paulo antè sub ejus ditionem redactis) colonis Judæorum & sociis illatas. Cùm Samariam igitur urbem munitissimam fossâ & duplici muro per 80 stadia cinxisset, obsidioni præfecit filios Antigonom & Aristobulum: quibus urgentibus & fame premente eò necessitatis adducti sunt Samaritæ, ut coacti vesci cibus insuetis homini, postremò Antiochi Cyziceni opem imploraverint. [*Id. ibid. cap. 18.*]

3895

Cyzicenus ad ferendum Samaritis auxilium properè adveniens, ab Aristobuli militibus victus est: & insequentibus eum fratribus usque Scythopolim, ægrè evasit. Quo eodem die Hyrcanus pontifex solus in Templo odorama adolens vocem audiisse fertur, nunciantem filiorum recentem de Antiocho victoriam. A quâ illi reversi, Samaritas rursus intra moenia compulerunt, & ab eodem Antiocho iterum auxilium petere coegerunt. [*Id. ibid.*]

Antiochus Cyzicenus, accitis à Ptolemæo Lathuro circiter sex
-arma-

4605 109

armatorum millibus, quos ille invitâ matre Cleopatrá (nondum ab eâ regno deturbatus) miserat, primùm vagabatur per ditionem Hyrcani latrocinabundus cum Ægyptiis; non audens quidem apertè Marte decernere, quòd esset impar viribus, existimans tamen se vastandis agris effecturum ut Hyrcanus obsidionem Samariæ solveret. Sed postquam multos è suis amisit exceptos hostium insidiis, profectus est inde Tripolim; Callimandro & Epicrati ducibus demandato bello Judaico. Ex his Callimander audaciùs quàm prudentiùs cum hoste congressus, profligatis suis & ipse inter alios cecidit. Epicrates autem pecuniâ corruptus, Scythopolim & alia quædam opida manifestè Judæis prodidit: nec quicquam Samaritis obsessis profuit. Atque ita Hyrcanus, integro anno in oppugnatione exacto, non contentus urbem capere, etiam solo eam æquavit. [*Id. ibid.*]

Seleucienfes qui ad Antiochiam Syriæ sunt (*ἀντιοχειαῖοι* adepti) hinc tempora sua dinumerârunt. [*Fasti Siculi, anno 4. Olympiad. 167.*]

3896

Hyrcanus è sectâ Phariseorum, quorum discipulus & summus fautor fuerat, præcipuis ad convivium invitatis, cujusdam ex eis Eleazari contumeliâ offensus, qui matrem captivam tempore Antiochi Epiphanis servitutem serviisse falsò illi exprobraverat, & ob convitium illud non ita indignè atque ille expectabat à reliquis exceptum, contra totam sectam à Jonathane Sadducæo irritatus, ab eorum partibus ad Sadducæos transiit. Pharisei verò traditiones multas à majoribus per manus acceptas populo commendabant, quæ non sunt scriptæ inter leges Mosaicæ: quibus idcirco auctoritatem Sadducæi abrogabant, dicentes oportere eas tantùm servari quæ scripto continentur. Atque hinc magna inter utrosque exorta est controversia; cum ditiores starent à Sadducæorum partibus, Pharisei cæteræ multitudinis uterentur favoribus. Cùm Hyrcanus igitur, Phariseorum constitutionibus abrogatis, earum observatores pœnis afficeret, seditio orta est: quam licèt ille tum sedaverit, inde tamen factum est, ut & ipse & ejus filii in vulgi odium incurrerent. [*Joseph lib. 13. cap. 18.*]

4606 108

3898

Johannes Hyrcanus mortuus est: quum per annos 29 summo functus fuisset Sacerdotio: ut ex Josepho refert Eusebius, lib. 8. Demonstrat. Evangelic. cap. 2. & illum Latine vertens, in commentariis ad 9. caput Danielis, repetit Hieronymus. licèt in nostris libris, & in antiquâ quoque Rufini versione, Josephus illi nunc 33. [ut in *lib. 1. Belli, cap. 3.*] nunc 31. [ut in *lib. Antiquitat. 13. cap. 18. & lib. 20. cap. 8.*] annos attribuat. Obiit pater ejus Simon anno regni Græcorum 177^o, mense 11^o, Sabat; [*I Maccab. XVI. 14.*] circa Februarium sc. anni Periodi Julianæ 4579. uxor verò ejus Alexandra (uti postea videbimus) circa Novembrem anni ejusdem Periodi 4644. Interstitium est annorum 65, & mensum ferè 2. Unde detractis annis 37. regno filiorum & uxoris ejus à Josepho assignatis, relinquuntur Hyrcano anni tantùm 28. & menses 9, circiter.

4607 107

Johannem hunc primi libri Maccabæorum recentiorum nonnulli, sine justâ aliquâ ratione, scriptorom fuisse existimant: & ab alio aliquo postrema hæc illius verba adjecta fuisse fingunt. *Cætera rerum Johannis & bellorum ejus, & strenuorum factorum ejus quæ præclarè gestit,*

fit, *structuræque murorum* (Hierosolymitanorum, Antiochi Sidetis jussu dejectorum) quos extruxit, & ædificiorum ejus; ecce scripta sunt in commentariis Pontificatus ejus, ex quo factus est Pontifex post patrem suum. quarto illo, ut videtur, Maccabæorum libro, quem Græcè ex Hebraico translatum, Lugduni in Santis Pagnini apud Prædicatores Bibliothecæ sanctæ; ita incipientem. Καὶ μὲν ὁ ἀρχιερεὺς ἄντιον ἄντιον. Et postquam occisus est Simon, factus est Joannes filius ejus summus Sacerdos pro eo. Ex quo & Josephus sua hausisse putatur: qui Hyrcanum tres maximos simul honores habuisse notat; Principatum gentis, Pontificatum, & Prophetiam. Ex divinis enim colloquiis tantam futurorum præscientiam nactum illum fuisse affirmat, ut duos majores natu è suis liberis non diu paterni principatus compotes fore prædixerit. [*Joseph. lib. 2. Belli, cap. 3. & lib. 13. Antiquit. cap. 18.*]

De turri, quam Antonianam Herodes postea appellavit, ab eo ædificatâ, & stolâ cum reliquo Pontificio ibi repositâ, in lib. 20. Antiquit. cap. 6. ita etiam scripsit idem. *Hyrcanus Pontifex ejus nominis primus, extructâ prope Templum turri, degebat in eâ majorem temporis partem: & quoniam hanc stolam habebat in suâ custodiâ, quâ nemo præter illum utebatur, recepturus privatum habitum, eò loci illam deponebat. Quem morem etiam filii ejus observârunt, atque eorum posteri.* Post hujus verò excessum, lapillos qui erant in pectorali Pontificis & sardonichem in dextro illius humero: (quorum emicatione voluntas Dei populo Judaico significari solebat) irato Deo propter legum suarum prævaricationem, fulgorem emittere desiisse, significat idem, [*lib. 3. Antiquit. cap. 9.*] annis 200 ante Antiquitatum Judaicarum libros hos à se compositos; quos anno imperii Domitiani 13^o (id est, Periodi Julianæ 4807) se absolvisse, in fine Operis ipse indicat.

Post Hyrcanum filiorum natu maximus Judas, alio nomine Aristobulus dictus & Philellen. (à familiaritate & consuetudine cum Græcis sive ethnicis) cognominatus, Principatum simul & Pontificatum per unum tantum annum obrinuit: primusque omnium post reditum à captivitate Babylonicâ, diademate sibi imposito, principatum in regni formam transtulit. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 3. Antiquit. lib. 13. cap. 19. & lib. 20. cap. 8.*] licet Strabo illius fratrem & successorem Alexandrum primum pro Sacerdote se Regem fecisse scripserit: [*lib. 16. pag. 762.*] non habitâ ratione Aristobuli; quod is fortasse post assumptum diadema parum vixerit.

Aristobulus fratrem suum secundum Antigonum, quem præ aliis diligebat, in regni societatem assumpsit: tres verò reliquos victos custodiæ tradidit. Matrem etiam conjecit in carcerem principatus æmulam (nam illam Hyrcanus rerum dominam reliquerat:) eoque crudelitatis processit, ut fame necaret in vinculis. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 3. & lib. 13. Antiquit. cap. 19.*]

In Ægypto Cleopatra, cum gravaretur socio regni filio Ptolemæo (Lathuro,) populum in eum incitavit: [*Iustin. lib. 39. cap. 4.*] Ex omni enim eunuchorum numero, quos amantissimos sui esse putabat, saucios

cios in concionem produxit; Ptolemæum infimulans, & infidias sibi fecisse, & eunuchos vulneribus foedâsse. Quâ re Alexandrini commoti, non multum abfuit quin Ptolemæum impetu facto opprimerent: sed cum ille navi se è periculo proripuisset, haud ita multo post è Cypro reversum Alexandrum regem appellaverunt. [*Pausan. in Atticis, pag. 8.*]

Antequam abiret ille in exilium, Selenem uxorem mater Cleopatra illi abstulit; eo indignius, quod duos ex eâ filios jam haberet. [*Iustin. lib. 39. cap. 4.*] Alexander verò à matre arcesitus, & Ægypti rex in locum fratris constitutus, 8^{um} tum regni sui Cyprii numerabat annum, cum mater Cleopatra regni sui Ægyptii numeraret 11^{um}. [*Porphy. in Grac. Euseb. Scalig. pag. 225.*] Hunc, non minus quam patrem Phisconem, multâ saginâ obesum evasisse notat Athenæus, lib. 12. cap. 27, ubi ex Posidonio Apameno, in Historiarum libro 47^o hunc de eo locum profert. *Ægypti rex invisus populo, familiarium assentionibus excecatus, in multis verò deliciis vivens, ne ambulare quidem poterat, nisi duobus suffultus incederet. At in saltationibus quæ epulis adhibebantur, nudus ille pedibus è lectis superioribus desiliens, exercitatis concitatius & agilius corpus saltando movebat.*

Aristobulus, illato bello Iturææ, magnam ejus partem Judææ limitibus adjecit; habitatoribus ejus comminatione exilii coactis circumfisionem cæterosque Judaicos ritus admittere. Quod ex Timagene historico hisce verbis confirmat Strabo. *Hic vir æquus fuit, & Judæis multis in rebus commodus: nam & ditionem eorum auxit, & partem Ituræorum eis attribuit, devinctam circumfisionis fœdere.* [*Joseph. lib. 13. cap. 19.*]

3899

Cum Antigonus magnificè reverteretur è bello, quo tempore populus Judæorum solenne Tabernaculorum festum celebrabat; accidit ut Aristobulus rex ægrotans in turri quæ post Antonia est cognominata decumberet, frater verò Antigonus interfuturus sacris, splendidissimè ornatus ascenderet in Templum, potissimum pro salute regis vota facturus. Monitus Aristobulus à malevolis delatoribus ut ab infidiis illius sibi caveret, satellitibus in loco quodam obscuro & subterraneo juxta turrinam illam collocatis mandavit, ut si quidem sine armis frater veniret, nemo eum attingeret; sin verò armatus, trucidarent: præmisit tamen ad eum qui rogaret, ut inermis veniret. At Salomé regina & cæteri illi malevoli nuncio persuaserunt ut contraria diceret, cupere Regem ita uti erat illum armatum videre. Fortè Judas quidam, sectæ Essenæ, rerum futurarum vaticinatione apud suos celebris, Antigonum in turri Stratonis eo ipso die periturum prædixerat: cum aliam ipse Stratonis turrim nesciret, præter eam, quæ postea Cæsarea dicta est, & 600 stadiis Hierosolymis aberat. Ubi igitur incolumem Antigonum eâ die ad Templum accedentem vidisset, mortem sibi optabat; metuens ne falsi convinceretur, hætenus pro vero prophetâ habitus. Sed paulo post Antigonum in loco illo subterraneo interfectum audiit, qui eodem nomine quo maritima Cæsarea, Stratonis turris appellabatur. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 3. & lib. 13. Antiquit. cap. 19.*]

4608 106

Aristobulo confestim sceleris poenitudine morbus ingravescebat, ita ut postremò crescentibus doloribus sanguinem vomeret. Eum quidam è ministris foras efferens eo ipso in loco ubi Antigoni interfecti cruore terra foedata fuerat fortè collapsus, Aristobuli sanguinem effudit. Quo cognito, Aristobulus Dei vindictam justam agnoscens, cum maximis animi & corporis cruciatibus vitâ excessit. [*Id. ibid.*]

Post Aristobuli obitum Salôme ejus uxor, quam Græci Alexandram nominant, solatis ejus fratribus quos in vinculis ille habuerat, Alexandrum Jannæum ætate cæteros præcedentem atque modestiâ regem constituit. Ille verò regno potitus, alterum fratrum insidiantem sibi interfecit, alterum contentum privatâ & otiosâ vitâ in honore habuit. [*Joseph. lib. 13. cap. 20.*] qui Absolomus dictus, à Pompeio post annos 42 Hierosolymis captus est. [*Id. lib. 14. cap. 8.*]

Alexander Jannæus constitutis rebus imperii, prout sibi visum est conducere, ad Ptolemaidem duxit exercitum: & eum prosperè pugnáset, victos intra moenia compulit, eosque obsessos oppugnare aggressus est. In Syriâ eo tempore duo fratres, Philometor sive Grypus & Cyzicenus, mutuis cladibus suas vires atterentes, Ptolemaidensium periculum negligebant. Zoilus tyrannus, qui ex Regum discordiâ occasione captatâ Stratonis tutrim & Dora occupaverat, obsessis aliquam sed exiguam opem attulit. Ptolemæus Latharus, à matre Cleopatrá Egypti regno ejectus, Cyprum obtinebat. Atque ad hunc Ptolemaidenses missis legatis, orabant ut auxilio veniens ex Alexandri manibus periclitantes eriperet. Qui eum ei spem fecissent, quòd delatus in Syriam habiturus esset Gazæos & Ptolemaidenses in suis partibus, simulque Zoilum & Sidonios multosque alios adjuutores; clatus promissis, navigationem parabat. [*Id. ibid.*]

Interim Demetrius, qui plurimum apud suos cives autoritate pollebat, persuasit Ptolemaidensibus ut mutarent sententiam: conducibilis esse dicens incertam cum Judæis bellum aleam subire, quam in certissimam servitutem accito domino se dedere; & insuper non præsens solum bellum sustinere, sed majus etiam ab Ægypto imminens. Cleopatram enim non permissuram Ptolemæum vires sibi parare: è vicinâ, sed contra eos venturam cum valido exercitu: dare enim reginam operam, ut illum etiam è Cypro ejiciat. [*Id. ibid.*] Neque eum hîc suffellit opinio. Cleopatra enim exultantem filium bello persecuta, non solum Cypro illum expulit, sed etiam ducem exercitus sui, quòd vivum eum è manibus dimisisset, interfecit: quanquam Ptolemæus verecundiâ materni belli, non viribus minor ab insulâ recesserit: si Justinum hîc audire libeat. [*lib. 39. cap. 4.*]

Ptolemæus igitur, cognitâ in itinere Ptolemaidensium mutatione, nihilominus cursum continuavit: & cum appulisset ad Sycaminum, eò loci copias exposuit; quæ constabant, connumeratis peditibus & equitibus, circiter 30 millibus. His adductis ad Ptolemaidem, & castris ibi positis, cum neque legatos ejusmittere, neque verba audire vellent, in magnam conjectus est solitudinem. Postquam verò Zoilus ad eum & Gazæi venerunt, petentes auxilium contra Judæos & Alexandrum agros ipsorum vastantem; Ptolemaidis obsidio,

4609 105

3900

obsidio, metu Ptolemæi, soluta est. [*Joseph. lib. 13. cap. 20.*]

Alexander Jannæus, reducto domum exercitu, cœpit astu agere; clàm Cleopatram contra Ptolemæum vocans, apertè verò amicum ejus & socium se simulans. Quin & 400 argenti talenta daturum se pollicitus est; si ille vicissim in gratiam ipsius Zoilum tyrannum tolleret, & agros ejus Judæis attribueret. Quod quidem Ptolemæus libenter præstitit: sed postea comperto quòd ille clàm ad matrem ipsius Cleopatram misisset, foedus cum eo initum dissolvit. [*Id. ibid.*]

Quum Mario, ad expeditionem adversus Cimbros se accingenti, Senatus auxilia ex transmarinis nationibus accersendi potestatem dedisset; ad Nicomedem Bithyniæ regem, de mittendis auxiliariis copiis, ille scripsit. Respondit Nicomedes, Bithynos à publicanis in servitutem majori ex parte abstractos variis in locis detineri. Indèque Romæ Senatusconsultum prodit, ne quis ingenuus ex populi Romani sociis in provinciâ ullâ servituti addiceretur; & ut præpositi provinciarum eorum manumittendorum curam susciperent. [*Diodor. Sicul. lib. 38. in Bibliothecâ Photii, cod. 244.*]

Ex observatâ primùm diligenter, deinde verò neglectâ à Licinio Nervâ Siciliæ prætore decreti hujus executione, ortum est secundum bellum servile Siculum: in quo defectores regem sibi quendam Salvium aruspicem atque tibicinem creaverunt; cui Tryphonis nomen postea dederunt. [*Id. ibid. cum Dione, in Excerptis Valesii, pag. 633, 634.*]

C. Mario & C. Flacco (vel Flavio potiùs) Consulib. horâ diei terriâ, Solis defectus lucem obscuravit. [*Fal. Obsequens, de prodigiis.*] Quam totalem ferè solis eclipsim anno hoc Periodi Julianæ 4610, die 19 Julii, calculus Astronomicus nobis exhibet.

Ascalonitæ (ἀσκαλωνίται obtentâ) hinc tempora sua dinumerant: ut in Fastis Siculis, ad Olympiadem CLXIX. est annotatum; consentiente etiam Eusebii Chronico, in quo, cum 2° anno Probi Imperatoris (in annum Periodi Julianæ 4990 incurrente) annus æræ ipsorum 380 copulatur.

Ptolemæus Lathurus ad oppugnandam Ptolemaidem, quæ portas ei clauserat, ducibus cum parte exercitus relictis, qui & eam tandem expugnârunt, ipse cum reliquis copiis ad vastandam ac domandam Judæam se contulit. Quo intellecto, Alexander Jannæus & ipse ex suâ ditione collegit circiter 50 vel (ut quidam scriptores malunt) 80 millia; & cum his hosti ivit obviam. Ptolemæus verò ex improvviso adortus sabbato Asochim Galilææ urbem vi cepit; & circiter decem captivorum millia, præter aliam multam prædam, abduxit. Deinde aggressus & Sephorim non longè inde distantem, multis desideratis abiit conficturus cum Alexandro Jannæo: cui occurrit ad Jordanem fluvium, juxta Asophon, à fluvio non longè diffitum. Habebat autem Alexander in primâ acie pugnare solitos octies mille, quos Hecatontamachos appellabat, gestantes æratos clypeos: cui opposita prima Ptolemæi acies, æquè æratis scutis usa, cum cunctantior esset ad prælium, urgente Philostephano tactico fluvium transiit ad quem castra Judæi habebant. Alternante verò

4610 104

subinde victoriâ, tandem Ptolemæi milites Judæos profligatos eo-
usque infecuti sunt interficiendo, donec lassatis manibus ferrum quo-
que hebesceret. Ferunt 30 (vel 50, ut in suis scriptis Timagenes retu-
lit) Judæorum millia in eo prælio cecidisse: cæteros partim captos,
partim fugâ servatos incolumes. Ptolemæus verò quum post victo-
riam longè latèque excurrisset, vespere in quosdam Judæorum vicos
se recepit: quos ubi vidit refertos pueris & mulieribus, mandavit
militibus ut promiscuè jugulatos & in frustra concisos, in lebetes
ferventes membratim conjicerent; ut qui effugerent è prælio hostem
crederent humanis vesci carnibus, & eo major terror intuentibus in-
cuteretur. Cujus crudelitatis Strabo & Nicolaus Damascenus in hi-
storiis suis meminerunt. [*Joseph. lib. 13. cap. 20. & 21.*]

3901

Cleopatra Ægypti regina videns augeri filii Lathuri potentiam,
subjectâ Gazæorum urbe & Judæorum regione impunè pervastatâ,
non permittendum duxit ut ille magis cresceret: maximè cum circa
Ægypti portas observaretur, & immineret ejus imperio. Quapro-
pter continuò tam navales quàm terrestres excivit copias: quarum
supremum regimen penes Chelciam & Ananiam Judæos esse voluit,
Oniæ illius qui templum in Heliopolitanâ præfecturâ ædificaverat
filios. [*Id. ibid. cap. 18. & 21.*] Ex horum enim sententiâ reginam
gessisse omnia, etiam testimonio hoc ex Strabonis Cappadocis histo-
riâ deprompto Josephus comprobat. *Plerique enim qui prius nobiscum
venerunt in Cyprum, quive post à Cleopatrâ illo missi sunt, confestim de-
ficebant ad Ptolemæum [Lathurum.] Soli verò ex Oniæ parte Judæi con-
stanter manserunt in officio: eo quòd cives eorum Chelcias & Ananias
apud reginam essent in pretio.*

4611 103

Cleopatra bonam divitiarum suarum partem, cum nepotibus &
testamento, apud Coum insulam deposuit; jussòque Ptolemæo Ale-
xandri filio cum magnâ classe Phoenicen appellere, & deficientibus
ad se ejus regionis incolis, pervenit Ptolemaidem; unde exclusa,
oppugnationem ejus urbis instituit. Interea alterum ex illius ducibus
Chelciam, dum circa Coelesyriam Lathurum persequitur, mori con-
tigit. Lathurus verò, relictâ Syriâ, properavit in Ægyptum; spe-
rans ex improvîso occupaturum se præsidii vacuum: sed opinione
suâ frustratus est. [*Joseph. lib. 13. cap. 21.*]

Ægestani & Lilybetani fugitivi in Siciliâ regem sibi constituerunt
Athenionem quendam pastorem, genere Cilicem: qui fingebat Deos
per astra futurum se universæ Siciliæ regem præsignificare; ideòque
oportere tam ipsi regioni quàm animalibus & fructibus qui in eâ essent
tanquam propriis parcere. Hic tamen à Tryphone accersitus, illi ut
Regi se ut exercitus Imperatorem subjecit. [*Diodor. Sicul. lib. 36. ut
supr. cum Cicerone in Verr. lib. 2. Floro, lib. 3. hist. cap. 19. & Diane, in Ex-
cerpt. Valesii, pag. 637.*]

3902

Cleopatra auditis filii Lathuri conatibus, & quòd ei tentanti Ægy-
ptum non ex sententiâ successerat, missâ eò parte exercitus omnino
eum ex eâ regione expulit. Atque ita rursus ille ex Ægypto ejectus,
apud Gazam hyemem exegit. [*Joseph. lib. 13. cap. 21.*]

4612 103

Interim Cleopatra Ptolemaidem, cum ejus præsidiariis, expugnat.

Eò

Eò Alexander Jannæus cum muneribus venit ; atque ita exceptus est, ut dignum erat hominem à Lathuro afflictum, nec aliud habentem refugium. Cùmque quidam amicorum reginæ suaderent, ut illam quoque regionem occuparet, nec sineret tantam bonorum Judæorum multitudinem unius viri parere nutibus : Ananias contrarium consuluit, iniquum facinus esse dictitans, si hominem & reginæ *συμμαχόν* & ipsius Ananiæ cognatum suis facultatibus exueret. Sic enim fore ut, illatâ huic injuriâ, omnes ubique gentium Judæos à se alienaret. A quo persuasa Cleopatra & ab injuriâ inferendâ tunc abstinuit, & societatis foedus cum Jannæo apud Cœlesyriæ urbem Scythopolim postea renovavit. [*Id. ibid.*]

Alexander Jannæus liberatus metu periculi quod à Ptolemæo Lathuro hætenus impendebat, expeditionem in Cœlesyriam suscepit ; & Gadara obsedit. [*Id. ibid.*]

L. Licinius Lucullus à Senatu contra servos defectores missus, cum 17 millium ex Italis, Bithynis, Thessalis, Acarnanibus & Lucanis collecto exercitu, in Siciliam venit. Cui cum 40 millibus occurrens Athenio Cilix, amissis 20 eorum millibus ipse multis affectus vulneribus inter mortuos delitescens evasit. [*Diodor. Sicul. ut supra.*]

Syriam Judæi & Arabes terrestribus latrocinii infestârunt. Mari Cilices piraticum bellum moverunt, quod in Ciliciâ Romani per Antonium gesserunt. [*Prolog. lib. 39. Trogi.*] Marcus verò Antonius (orator, M. Antonii trium viri avus) tum prætor, pro consule ad hoc bellum missus, & complures Athenis dies propter navigandi difficultatem commoratus, homines doctissimos Mnesarchum, Carneadem & Menedemum ibi differentes, sicut in Asiâ postea Metrodorum Scepsium, audiit. In provinciam deinde veniens, à Byzantiis ad-
jutus, cum maritimis prædonibus bellum feliciter gessit : in quo tamen præfectum suum M. Gratidium amisit. [*Cicero, in lib. 1. & 2. de Oratore ; & in Bruto. Liv. lib. 68. Corn. Tacit. lib. 12.*] Quò referendum Julii Obsequentis illud, ad Consularum C. Marii & Q. Lucretii : *Pirata in Sicilia (leg. Ciliciâ) à Romanis deleti.* & Livianæ epitomæ lib. 68. *Antonius prætor in Sicilia (legend. item, Ciliciâ) maritimos prædones persecutus est.* De quibus & triumphâsse eum, docet Pighius, in 3^o Annalium tomo, ad ann. Urbis DCLI. fin.

Periodus Calippica quarta incipit.

Alexander Jannæus Gadara post decem mensium obsidionem cepit. [*Joseph. lib. 13. cap. 21.*]

Mario Consule & Catulo, A. Licinius Archias poëta Antiochenus, qui bellum Mithridaticum Græco carmine postea descripsit, (cujus & complura in Græco Anthologio leguntur Epigrammata) Romam venit : ubi Ciceroni à primâ pueritiâ princeps & ad suscipiendam & ad ingrediendam rationem studiorum extitit. [*Cicero, pro Archiâ poëtâ.*]

C. Marius Consul in Galliâ cum Cimbris dimicaturus, differebat prælium, quasi ex oraculis quibusdam victoriæ pariter tempus & locum captaret. Namque mulierem quandam Syram, Martham nomine, quæ ferebatur edere vaticinia, læticiâ vestem magnâ circumducebat

bat veneratione, & sacra illius monitu faciebat. Quam Senatus pridem, quum de his differere vellet & prænuntiaret venientia, repulerat. [*Plutarch. in Mario.*]

Eâdem penè tempestate Battaces sive Batabaces, Matris magnæ Idææ sacerdos, Pessinunte Phrygiæ Romam adventavit; & in Senatu iussu Deæ suæ adesse se dixit, victoriam populo Romano magnamque belli gloriam nuntiaturum: adjiciens etiam, Sacra Deæ polluta esse, atque idè Romæ publicè expiari debere. Ferebat autem vestem aliâque corporis ornamenta nova & nunquam Romanis visa; coronamque auream magnitudine inusitatâ & stolam floribus intextam & inauratam, regio sanè splendore. Itaque è rostris ad populum verba faciens, & ad superstitiosum cultum eos incitans, hospitii publicis & diversoriis exceptus est: sed ab Aulo Pompeio tribuno plebis coronam ferre est prohibitus. Ab altero autem tribuno deductus in rostra, & de templi expiatione interrogatus, superstitiosum sanè responsum reddidit. Pompeius verò, cùm circulatorem ac impostorem eum appellâset, & cum indignitate ex rostris depulisset, simulatque dimissâ concione domum regressus est, febre vehemènti corripit: unde paulo post mutus factus est, anginæque doloribus supra modum vexatus, post diem tertium (vel, ut alii, septimum) exspiravit. Quod divinâ quâdam providentiâ, ob Sacerdotem ipsâque Deam injuriosè habitam, contigisse multi interpretabantur. Superstitionibus enim mirum in modum dediti Romani sunt. Quare Battaces sacræ stolæ indutus ornamento, amplioribus à viris multis & foeminis hospitii exceptus, Romæque discedens cum pompâ dimissus est. [*Id. ibid. & Diodor. Sicul. lib. 36. in Photii Bibliothecâ, cod. 244.*]

Servus Servilii Cæpionis Matri Idææ se præscindens, trans mare exportatus est, ne unquam Romam reverteretur. [*Fulius Obsequens: ut supra.*]

3903

Alexander Jannæus Amathunte potitus est, castro omnium quæ ad Jordanem sita sunt munitissimo: ubi Theodorus Zenonis filius res suas charissimas deposuerat. At Theodorus repentè superveniens, & proprias res recuperavit, & impedimenta Alexandri diripuit, Judæorumque decem millia interfecit. Verùm Alexander receptis post cladem viribus, aggressus maritimas regiones, Raphiam cepit, & Anthedonem quæ postea ab Herode Agrippias nominata est. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 3. & lib. 13. Antiquit. cap. 21.*]

Contra Athenionem Cilicem, qui in Siciliâ mortuo Tryphone servorum fugitivorum Rex factus est, Manius Aquilius, C. Marii in quinto Consulatu collega, Imperator missus ita se fortiter gessit, ut defectores illustri prælio superaverit. Quinetiam cum ipsorum rege Athenione confertâ manu heroico certamine inito, eum tandem superavit. Ad quem deprehendendum dum multitudo contendit, interrixantium manus præda lacerata est. [*Diodor. Sicul. ut supr. Florus, lib. 3. cap. 19.*]

Ptolemæus Lathurus Gazâ relicta in Cyprum recessit, & mater ejus Cleopatra in Ægyptum. [*Joseph. lib. 13. cap. 21.*] cujus crudeli-

tate

4613 101

tate in Lathurum terrius filius minor Alexander, eam reliquit: periculoso regno securam ac tutam vitam anteponeus. Cleopatra vero timens, ne major filius Lathurus ab Antiocho Cyziceno ad recuperandum Egyptum auxiliis iuvaretur, ingenia Antiocho Grypo auxilia, & Selenon uxorem nupturam hosti prioris mariti, misit: Alexandrumque filium per legatos in regnum revocavit. [*Fustini. lib. 39. cap. 4.*] Atque hinc bella illa civilia inter reges Syriæ sunt orta, quorum in libro 68. Livius meminit.

3904

C. Mario & L. Valerio Consulibus fugitivos in Sicilia præliis trucidatos fuisse, in libello de prodigiis notat Julius Obsequens. Aquilius enim Proconso reliquias defectorum, quorum decem milia adhuc superfluerant, bello persecutus in potestatem suam redegit; atque ita bello servili secundo, cum annos propemodum quatuor duravisset, finem imposuit. [*Diodor. Siculus super.*] Quibus in bellis plus quam centum servorum myriadas periisse, affirmat Athenæus. [*lib. 6. cap. 7.*]

C. Marius tum sexto Consul, L. Apuleii Saturnini tribuni plebis præcipuam operam usus, Q. Metellum Numidicum in exilium egit: qui Rhodum profectus, ibique philosophiæ studiis se dedit, legendo & audiendis magnis viris vacabat. [*Cicero, in Pisonem, & pro Sextio. Liv. lib. 69. Plutarch. in Mario. Appian. Bell. Civil. lib. 1. pag. 367, 369.*]

4614 100

A Mithridate Romanæ legati cum magnâ pecuniæ vi venerunt, Senatam largitione corrupturi. Quod animadvertens Saturninus tribunus plebis ordini Senatorio inimicissimus, occasionem jam adversus eos nactum se existimans, magnâ legationem consumetiâ affectit. Senatoriis legatos adversus eum incitantibus, & conjunctam suam ipsis operam offerentibus, hanc illi Saturnino de illatâ injuriâ intenderunt. Quâ occasione, ob violata legatorum jura quæ Romanis sacrosancta semper sunt habita, in præsens vitæ discrimen Saturninus adductus, à populo præter omnem spem non modò liberatus sed iterum etiam Tribunus plebis renunciatus est. [*Diodor. Sicul. legat. 34.*] Verum novam mox seditionem turbo ille pacis concitans, hoc ipso anno C. Mario VI. & Valerio Flacco consulibus interemptus est. [*Cicero, in 8^a Philippicâ, & pro Rabirio. Appian. Bell. civil. lib. 1. pag. 369, 370. Orof. lib. 5. cap. 17.*]

3906

Cum de restituendo Q. Metello in omnibus concionibus per integrum biennium sermo assidue fieret, ejus filius Q. Metellus barbâ & capillo submisso sordidatus, veste squalidâ forum circuibat, stensque, & ad singulorum civium genua advolutus, flagitabat ut patrem ab exilio revocarent. At populus, cum spem reditus contra leges exulibus proponere minimè vellet, tamen miseratione ac precibus adolescentis commotus, Q. Metellum ab exilio revocavit, ac filium, ob singularem erga patrem affectum ac sollicitudinem, *Pium* cognominavit. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valefi, pag. 390.*] Patrem verò Smyrnæ exsulavisse, & Calidiâ deinde rogatione revocatum quum ludis fortè litteras in theatro accepisset, non prius eas legere dignatum fuisse quam spectaculum finiretur, in libro de viris illustribus cap. 62. scribit Aurelius Victor.

4616 98

C. Marius

C. Marius, non sustinens revertentem aspiceret Metellum, in Capadociam & Galatiam navigavit: verbo, ut vota Matri magnæ Idææ persolveret; reipsâ, ut novorum bellorum semina excitaret. Quapropter à Mithridate, quem apparebat arma tum moliri, cum omni officio & honore exceptus, his tamen verbis laceffendum eum putavit. *Aut enitere, Rex, ut plus possis quàm populus Romanus, aut obsequenter fac imperasa.* Quo dicto obstupuit Mithridates; ut qui nomen crebrò, libertatem linguæ Romanæ tunc primùm audivisset. [*Plutarch. in Mario.*]

Alexander Jannæus infensus Gazæis, quòd Ptolemæum Lathurum contra se in auxilium accivissent, & urbem eorum oppugnavit & agrum depopulatus est. Interim Apollodotus eorum dux noctu, cum duobus millibus conductitiorum militum & decem millibus quæ ex opidanis armaverat, erupit in castra Judæorum. Et quamdiu nocturna erat pugna superiores erant Gazæi, hostibus Ptolemæum ad eos venisse suspicantibus: sed quamprimùm dies illuxit & rei veritas apparuit, Judæi se conglomerârunt, & impetu factò in opidanos circiter mille ex eis interfecerunt. Attamen ne sic quidem quamvis gravante inopiâ voluerunt cedere, parati quidvis potiùs perferre quàm ab hoste subigi: & addebat illis animum Aretas rex Arabum, auxilii spem (licèt vanam) ostentans. [*Joseph. lib. 13. cap. 21.*]

3907

Lysimachus fratri Apollodoto invidens, quòd apud Gazæos tam gratosus esset, occiso eo collegit manum militum, atque ita urbem Alexandro Jannæo tradidit. Qui primò pacatus introgressus est: deinde immisit in opidanos militem, permissâ sæviendi licentiâ. Ac passim Gazæi trucidabantur: nec tamen illi moriebantur inulti; sed repugnantes inuasoribus, non pauciores Judæos interimebant. Alii verò desolatas priùs ædes incendebant, ne hostis prædâ potiri posset; quidam etiam suismet manibus uxores ac liberos contrucidabant, ne in captivitate abstraherentur. Senatores autem numero 500 in Apollinis ædem confugerant: fortè enim Senatus habebatur, quum hostis intromissus est. Alexander verò etiam his jugulatis, & diruptâ insuper urbe, réversus est Hierosolyma, anno postquàm castra ad Gazam admovebat. [*Id. ibid.*]

461797

Eodem ipso tempore etiam Antiochus Grypus occisus est Heracleonis insidiis, cum vixisset annos 45: regnâisset verò 29. [*Id. ibid.*] vel 26. potiùs, ut in fragmento Porphyrii legitur: quorum undecim solus regnaverit, quindecim diviso cum Cyziceno imperio; mortuus ipse anno 4^o Olympiadis CLXX. [*in Græc. Euseb. Scaligeri, pag. 227.*] Quinque verò Grypus post se reliquit filios, 1. *Seleucum*: quem patri in regno successisse scribit Josephus. 2 & 3. Gemellos, ex Tryphænâ Ptolemæi Physconis regis Ægypti filiâ susceptos; *Antiochum* & *Philippum*. 4. *Demetrium Eucærum*. 5. *Antiochum* alterum, *Diomysum* cognominatum.

3908

Mithridati Eupatori, regi Pontico, natus est filius Pharnaces: qui 50 vixit annos. [*Appian. in Mithridatic. pag. 254.*]

Cn. Domitio & C. Cassio Consulib. Ptolemæus Cyrenarum rex, (Physconis ex pellice filius) mortuus hæredem populum Romanum reliquit.

461896

reliquit. [*Liv. lib. 70. Ful. Obsequens. de prodigiis Cassiodorus, in Chronico.*] Ejus regni civitates Senatui liberatas esse jussisse, testatur Livius: licet statim postea continuis tyrannidibus & bellis exagitatos Cyrenæos fuisse, Plutarchus ostendat in *Lucullo*.

3909

Anna prophetissa filia Phanuelis è tribu Aferiticâ nupta, cum marito septem annis à virginitate vixit. [*Luc. I. 36.*]

Tigranis filius Tigranes, qui Parthis datus obses fuerat, in patrum Armeniæ regnum ab iis restitutus est; quum mercedis loco 70 regionis illius convales ab eo accepissent. [*Strabo, lib. 11. pag. 532. Justin. lib. 38. cap. 3. Appian. in Syriac. pag. 118.*] ut colligitur ex anno regni 25^o cujus, ex Plutarchi *Lucullo*, infra ad annum Mundi 3934. occurret mentio.

3910

Q. Mutius Scævola Proconsul in Asiam missus, lecto sibi legato amicorum optimo P. Rutilio Rufo (quem ipsum, *Asia Proconsulem*, in *D. de orig. Juris*, non rectè facit Pomponius) hujus consilio in administrandâ provinciâ ac jure dicundo semper est usus, ejusque præcipuè operâ publicanorum injurias, quibus provinciales miserè oppressi fuerant, coercuit. Nam quotiescunque aliqui ab illis vexati eum adierant, datis iudiciis integerrimis publicanos ubique condemnabat, & condemnatos adversariis quos injuriâ affecerant in carcerem abducendos tradebat. Cùmque præterea sumptuum omnem, tum suum tum comitum, ex suâ pecuniâ ille faceret; brevi provincialium benevolentiam populo Romano conciliavit. [*Cicero, lib. 2. de Oratore. Diodor. Sicul. in Excerptis Valesii, pag. 393, 394.*]

Seleucus Antiochi Grypi filius, multis coactis copiis, Antiocho Cyziceno patruo bellum intulit. Cyzicenus ex Antiochiâ ducto exercitu, cum eo congressus prælio victus est: & quum ab equo in hostium castra abriperetur, jamjam capiendus seipsum interemit; postquam 18 regnavisset annos. Regno autem ejus potitus Seleucus, Antiochiâ recepit. [*Porphyr. in Græc. Euseb. pag. 227.*] Cyzicenum in prælio à Seleuco captum & neci traditum Josephus; [*lib. 13. cap. 21.*] cum filius Grypi bello congressum interuisse, refert Trogus. [*lib. 40. Prolog.*]

Cn. Domitio & C. Coelio Consulibus. Senatusconsultum factum est, nequis Cretensis mutuum pecuniam daret. [*Ascon. Pedianus, in argument. orat. pro C. Cornelio.*] Vid. ann. Mundi 3909. ex Dione.

Q. Mutius Scævola, quum solos novem menses Asiæ præfuisset, ne sumptui esset ærario, provinciam deposuit. [*Cicero, ad Atticum, lib. 5. epist. 17. cum Asconio Pediano, in orat. Cicer contra L. Pisonem.*] Qui Asiam tam sanctè & tam fortiter obtinuit, ut Senatus deinceps in eam provinciam ituris magistratibus exemplum atque formam officii Scævola decretò suo proponeret. [*Valer. Maxim. lib. 8. cap. 15.*] & dies festus à Græcis in honorem ejus constitueretur, quem *Mutia* Asiani nominabant. [*Ascon. Pedian. in 3^a contra Verrem, & Divinationem contra eund.*] de quibus, in Verriâ 2^a, Cicero. *Mithridates in Asia, cum eam provinciam totam occupasset, Mutia non sustulit; hostis, & hostis in cæteris rebus nimis ferus & immans, tamen honorem hominis Deorum religione consecratam violare noluit.*

T

Lega

4619 95

4620 94

Legatus tamen illius Publius Rutilius Rufus, vir summæ innocentia, qui cum illo consentiens à publicanorum injuriis Asiam defenderat, ab equitum factione (quos in exigendis vectigalibus multa præter fas actitantes ille cum Proconsule coërcuerat) in iudicium vocatus est, quasi ipse munera accepisset. Ille verò eâ fidei atque innocentia constantiâ usus est, ut die sibi ab accusatoribus dictâ, usque ad cognitionem neque capillum barbâmvē promiserit, obsoletam vestem induerit, nec insignia senatoria deposuerit, inimicos permulserit, iudices temperârît; orationem quoque à Prætorē concessam nihilo summissiorem quàm animum, (qualem nimirum bonum calumniâ appetitum ac longè plus Reipublicæ quàm suam ipsius vicem miserantem decebat) habuerit, nec quicquam splendore præteritorum annorum humilius dixerit. [*Liv. lib. 70. Asc. Pedian. in Divinat. contra Verrem. Valer. Maxim. lib. 6. cap. 4. Dio, in Excerpt. Valesii, pag. 637. Oros. lib. 5. cap. 17.*] De quo, in 1. de Oratore Dialogo, (qui post triennium in L. Marcii Philippi consulatu habitus fuisse fingitur) M. Cicero. *Cùm esset vir ille exemplum innocentia, cùmque illo nemo integrior esset in civitate neque sanctior; non modo supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatiùs quidem aut liberiùs causam dici suam, quàm simplex ratio veritatis ferebat. Paullum Cotta tribuit partium, disertissimo adolescenti, sororis suæ filio. Dixit item causam illam quâdam ex parte Q. Mutius, more suo, nullo apparatu, purè & dilucidè. Et in Bruto. Quum innocentissimus in iudicium vocatus esset (quo iudicio convulsam penitus scimus esse Reipublicam) cùm essent eo tempore eloquentissimi viri L. Crassus & M. Antonius consulares, eorum adhibere neutrum voluit. Dixit ipse pro sese, & pauca C. Cotta, quod sororis erat filius; & is quidem tamen, ut orator, quanquam erat admodum adolescens. Sed Q. Mutius enucleatè ille quidem & politè, ut solebat, nequaquam tamen eâ vi atque copiâ, quàm genus illud iudicii & magnitudo causa postulabat.*

Atque ita equites Romani, iudiciorum potestatem Gracchanis legibus nacti, Rutilium, virum non seculi sui sed omnis ævi optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum genitu civitatis, damnaverunt. [*Vellei. Patercul. lib. 2.*] Damnatus verò, quum lis pecuniâ esset æstimata, bonis protinus cessit: quo maximè declaratum est eum alienum ab objecto crimine fuisse. Multo enim minus ex universis ejus bonis redactum est, quàm ex Asiâ rapuisse ab accusatoribus dicebatur: eâque omnia iustis ac legitimis titulis ad se pervenisse demonstrabat. Ejus autem damnationis invidia in C. Marium recidit; cui viri hujus virtus gravis & molesta fuit. Quamobrem Rutilius, quum ea quæ in urbe gerebantur improbaret, nec cum ejusmodi homine versari ac degere amplius vellet, nemine cogente in exilium abiit: & profectus in Asiam Mitylenis vixit. [*Dio, ut supr. pag. 637, 638.*] Cùmque illum quidam consolaretur, & diceret instare arma civilia, ac brevi futurum ut omnes exules reveterentur: Quid tibi, inquit, mali feci, ut mihi pejorem reditum quàm exitum optares? Malo, ut patria exilio meo erubescat, quàm reditu moereat. [*Seneca de beneficiis, lib. 6. cap. 37.*] Cæterum nihilo inde plus pristina illius gloria opesque imminutæ fuere. Omnes enim Asiæ civitates legatos seces-

secessum ejus operientes obviam miserunt. Neque solum Q. Murtius; sed civitates etiam ac Reges, quotquot ejus beneficiis antehac erant usi, plurima illi donaverunt: adeo ut longè plura possideret, quàm ante exilium in bonis habuerat. [*Valer. Maxim. lib. 2. cap. 10. Dio. ut supr. pag. 638.*]

3911

Antiochus Eusebes sive Pius, Antiochi Cyziceni filius, quum meretricis cujusdam operâ, quæ formæ gratiâ illum adamaverat, Seleuci patruelis insidias evasisset, (licet Syri pietatis merito servatum illum fuisse putent, indeque Eusebis cognomentum illi tribuant) pervenit Aradum, & imposito sibi diademate Seleuco bellum intulit: quem uno prælio victum è totâ Syriâ expulit. [*Joseph. lib. 13. cap. 21. Appian. in Syriac. pag. 133.*]

462193

Seleucus fugâ delatus in Ciliciam, postquam à Mopsuestianis receptus est, cœpit ab eis tributa exigere: qui non ferentes exactionem, unâ cum regiâ & ipsum & amicos concremaverunt. [*Joseph. ibid.*] Quoniam violentus & supra modum tyrannicus fuit, Mopsuestiæ in gymnasio crematum fuisse, Appianus; [*pag. 132.*] ab Antiocho Cyziceni filio vivum exustum fuisse, Eusebius in Chronico: cum fugisset in urbem, & percepisset Mopsuestianos vivum ipsum voluisse comburere, manus sibi ipsi intulisse, scribit Porphyrius. [*ut supr. pag. 227.*]

Gemelli fratres Seleuci, Antiochus & Philippus, adductis copiis Mopsuestiam vi ceperunt, & fraternam mortem ultri eam diruerunt. Superveniens verò Cyziceni filius Antiochus Pius, prælio eos superavit. Et Antiochus quidem equo in Orontem è pugna fugiens, in flumine submersus est. Frater verò illius Philippus (ad quem nummos inscriptionem præferentes ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ refert Scaliger) & Antiochus Pius, ab anno 3^o Olympiadis CLXXI^o simul regnare incipientes; & æstimabiles copias habentes, de universo Syriæ regno obtinendo inter se decertarunt. [*Porphyr. ut supr. pag. 227.*]

3912

Ptolemæus Lathurus quartum Antiochi Grypi filium Demetrium Eucærum, Cnido accitum, regem Damasci constituit. Cui cum fratre Philippo copias conjungenti Antiochus Pius strenuè restitit. [*Joseph. lib. 13. cap. 21.*] Superatus tamen Antiochus, ad Parthos fugere coactus est. [*Porphyr. ut supr. Euseb. in Chronico.*]

462292

3913

Quum Mithridates Ponti rex Cappadociam, sublatis duobus filiis quos ex sorore ipsius Laodice Cappadocum rex (Ariarathis illius qui in bello contra Aristonicum occidit, & alterius Laodices, de quâ superius dictum, filius) susceperat, occupavisset; suo ipsius filio octo annorum puero, cui Ariarathis nomen imposuit, regno tradito & Gordio rectore ei addito: Nicomedes Philopator Bithyniæ rex timens, ne accessione Cappadociæ etiam Bithyniam finitimam ille invaderet, subornavit puerum eximiæ pulchritudinis, quasi Ariarathes tres non duos filios genuisset, qui à Senatu Romano paternum regnum peteret. Uxorem quoque Laodicen (Mithridatis sororem, quæ post mortem Ariarathis prioris mariti Nicomedi nupserat) Romam misit, ad testimonium trium ex Ariarathe susceptorum filiorum. Quod ubi Mithridates cognovit, & ipse pari impudentiâ Gordium Romam misit;

misit; qui Senatui assereret, puerum cui Cappadociæ regnum tradi-
derat ex eo Ariarathe genitum, qui bello Aristonici auxilia Roma-
nis ferens cecidisset. [*Justin. lib. 38. cap. 1, 2.*]

Galadenorum regina cum Parthis bellum gessit. In cuius auxilium 462391
vocatam Antiochum Pium Cyziceni filium fortiter in prælio dimi-
cantem occubuisse; atque ita Syriæ regnum penes duos fratres Grypi
filios, Philippum atque Demetrium Eucærum, remansisse scribit Jo-
sephus. [*lib. 13. cap. 21.*] Cum biennio, quod Philippo filio Grypi
tribuit, Seleucidarum imperium terminat Eusebius in Chronico. Sed
cum post hoc tempus, & Antiochum Pium à Tigrane regno pul-
sum fuisse, in fine Syriacorum suorum Appianus, & Philippum cum
duobus fratribus suis Demetrio Eucæro & Antiocho Dionysio Da-
masci regibus bellum gessisse & Syriæ regno positum fuisse, docet
Josephus: [*lib. 13. cap. 23. & 23.*] dicendum potius videtur, Antio-
chum Pium à Parthis (ad quos, non ut hostes, sed ut salutis perfu-
gium & præsidium cum se contulisse, Porphyrius & Eusebius confir-
mant) reversum, suam Syriæ partem quam per biennium Philippus
occupaverat recuperavisse, Philippumque ut damnum illud resarciret
de regno Damasceno ditioni suæ adijciendo cum fratribus suis De-
metrio & Antiocho contendisse (qui motus Syriæ regum illi fuisse vi-
dentur, à Livio in libro 70. enarrati) reliquamque omnem Syriam à
Cyziceni filio non possessam, sibi vendicasse. Quorum certaminum
à Philippo partim cum Antiocho Pio, partim cum fratribus suis per
octo sequentes annos habitorum tandem peracti Syri, relicti Seleuci-
dis, Tigranis Armonia regis imperio se subjecerunt: ut in libri 40 in-
itio Justinus indicat. Antiocho verò Pii cognomentum per jocum
à Syris datum Appianus (in loco citato) existimat; quod Selenen du-
xisset, quæ prius & patri ejus Cyziceno, & patruo Grypo, nupserrat:
indèque merito, divinâ ultione, à Tigrane pulsum fuisse pro-
nunciat.

Senatus Romanus, studio Regum Asiaticorum intellecto, aliena re-
gna falsis nominibus furantium, Mithridati Cappadociam, & Nico-
medi, ad solatium ejus, Paphlagoniam ademit. Ac ne contumeliâ re-
gum foret ademptum illis quod daretur aliis, uterque populus liber-
tate donatus est. Sed Cappadoces munus libertatis oblatum abruen-
tes, missis ad Romanos legatis, negabant vivere gentem suam sine
Rege posse. Quod mirati Romani, permiserunt eis ut de ipsorum cor-
pore regem suis quem vellent suffragiis crearent. Ita rex ab iis factus
est Ariobarzanes. [*Justin. lib. 38. cap. 2. Strabo, lib. 12. pag. 540.*] Ro-
manis Gordium, quem Mithridates eis commendaverat, rejicientibus.
[*Justin. lib. 38. cap. 5.*]

3914

L. Cornelius Sylla, finit à præturâ (quâ anno L. Cæsaribus & P. Ru-
tillii Consulatum præcedente functum illum fuisse, in libro Historiæ
suz 2^o Velleius Paterculus significat) quum præflect Ciliciæ, legatus
in Cappadociam missus est; specioso expeditionis titulo ad Ariobar-
zanem in regnum reducendum, revera ut multa molientem Mithrida-
tem reprimeret. Sylla igitur haud magnas secum copias adducens,
sed promptâ usus operâ sociorum, magno quidem Cappadocum sed
majore

maiore Armeniorum, qui Gordio supplicias venerant, numero interfecto, ipsum Gordium (cum intruso regulo Ariarathæ, cui rector ille à Mithridate fuerat præpositus) eiecit, & Ariobarzane[m] juxta Senatus decretum, Mithridate non contradicente, regem declaravit. [*Liv. lib. 70. Plutarch. in Syllâ. Appian. in Mithridatic. pag. 208. & lib. I. Bell. Civil. pag. 196.*]

Parthorum legati à rege Arsace missi ad Syllam venerant, et amicitiam à populo Romano peterent. [*Liv. lib. 70. Senec. Rufus in Breviario.*] quia nihil ante eam diem commercii inter utramque gentem intercessisset. Legationis illius princeps Parthus Orobazus fuit: qui cum Syllam apud Euphratem agentem convenisset, tres sedes, unam Ariobarzani, alteram Orobazo, tertiam sibi posuisse Sylla dicitur, mediisque inter deos sedens audientiam dedisse legato. Quamobrem necavit postmodum rex Parthorum Orobazum, Syllam alii prædicaverant, quod barbaros habuisset indubio; alii ut arrogantem & intempestive ambitiosum culpaverunt. Memoria quoque proditum est quendam ex comitatu Orobazi Chalcedensem, inspecto Syllæ vultu, animique & corporis hanc defunctorie observatis moribus, atque ad artis præcepta expensâ ejus naturâ, prædicasse, fieri non posse quin summus hic vir futurus esset: mirari etiam se, quemadmodum patiatur & nunc non esse omnium primus. [*Plutarch. in Syllâ: cum Velleio Paterculo, lib. 2. cap. 24.*]

Syllam Romam regressum postulavit Censorinus repetundarum; quod magnam pecuniam contra leges ex amico & socio regno cepisset. Verum ad judicium non occurrit; sed accusationem reliquit. [*Plutarch. ibid.*]

Mithridates ad societatem Romani belli quod olim meditabatur Tigranem Armeniæ regem, nihil de offensâ Romanorum sentientem, pellexit: per Gordium illi persuadens, ut Ariobarzani segni admodum, quem Romani Cappadociæ regem constituerant, bellum inferret. Et ne quis dolus subesse videretur, filiam suam ei Cleopatram in matrimonium tradidit. [*Justin. lib. 38. cap. 3.*]

3915

Mithras & Bagoas Tigranis duces, pulso Ariobarzane, qui primo eorum adventu subdatis rebus suis Romam contendit, Ariarathem in regnum deduxerunt. Atque ita per Tigranem rursus Cappadocia juris esse Mithridatis coepit. [*Id. ibid. & Appian. in Mithridatic. pag. 176.*]

Eodem tempore, mortuo Nicomede Philopatore, Senatus Romæ filium ejus Nicomedem, ex Nysâ (saltatrice à Mithridate, apud Justinum lib. 38. cap. 5. appellatâ) progenitum, Bithyniæ regem instituit. Cujus fratrem ætate majorem Socratem, & ipsum Nicomedem appellatum atque Chrestum sive Frugi cognominatum, cum exercitu contra eum misit: qui, eo pulso, regnum ipse occupavit. [*Justin. ibid. Appian. pag. 176. & 178. Memnon. in Excerptis Photii, cap. 31.*]

Quum regno pulsus Nicomedes supplex Romam venisset; decretum in Senatu est, ut & ille & Ariobarzanes in regna sua restituerentur. Legati ad hoc missi sunt, Manius Aquilius (qui servile bellum in Sicilia confecit) & M. Alcinus sive (ut in MS. legitur) M. Alcinus.

[*Justin. & Appian. ut supr.*] Jusſique adjurare, Lucius Caſſius, qui Aſiam Pergamenam cum exiguo obtinebat exercitu, & Mithridates ipſe. Verùm is propter controverſum jus Cappadociæ & Phrygiam ſibi à Romanis ablatam, nihil eos juvit. [*Appian. ibid. pag. 176, 177.*] ſed ſuis querelis quibuſdam oppoſitis, & oſtenſâ legatis pecuniæ magnitudine quam publicè privatimque tunc expendiſſet, quievit. [*Dio, legat. 30. in edit. Græcâ, vel 31. in Græco-latinâ.*] licèt ipſe in oratione quam Trogus Pompeius commemorat, & Cappadociâ filium ſuum eductum quam jure gentium victor occupaverat, & regem Bithyniæ Chreſtum à ſe in grâtiâ Romanorum occiſum fuiſſe, affirmet. [*Justin. lib. 38. cap. 5.*]

Mithridates ſocietatem cum Tigrane, bellum adverſus Romanos geſturus, junxit: pactique inter ſe ſunt, ut urbes agrique Mithridati, homines verò & quæcunque auferri poſſent Tigrani cederent. Et quantum bellum ſuſcitaret intelligens, legatos ad Cimmericos, alios ad Gallogræcos, & Sarmatas Baſtarnâſque, auxilium petitum miſit. Nam omnes has gentes, Romanum meditantibus bellum, variis beneficiorum muneribus jam antè illexerat. A Scythiâ quoque exercitum venire juſſit. [*Justin. lib. 38. cap. 3.*] omnes qui Tanaim & Iſtrum paludemque Mæotidem accolunt ad exequenda juiſſa ejus paratos habens. In Ægyptum quoque & Syriam miſit qui ſocietatem regum ei compararent. Naves ſtratas habuit 300. & alias inſuper ædificabat: accitis è Phoeniciâ & Ægypto proretis ac gubernatoribus. Paternum & ipſe regnum habuit viginti millia ſtadium patens in longitudinem; multâſque circumvicinas gentes acquiſivit, & inter eas Colchos gentem bellicoſam. [*Appian. in Mithr. pag. 178. & 180.*] Poſſedit enim regionem quæ Haly fluvio determinatur; aſque ad Tibarenos & Armenios, atque intra Halyn uſque ad Amaſtrin ac Paphlagoniæ quaſdam partes. Adjecit autem ditioni ſuæ etiam oram maritimam verſus occaſum uſque ad Heracleam: in diverſam verò partem Ponto adjecit quæ ſunt uſque ad Colchidem & Armeniam minorem. [*Strabo, lib. 12. pag. 540, 541.*] Gentes 25 ſub ditione eum habuiſſe, ſcribit A. Gellius, [*lib. 17. cap. 17.*] 22 Valerius Maximus, [*lib. 8. cap. 7.*] Quintilianus, [*lib. 11. cap. 2.*] Plinius [*lib. 7. cap. 24. & lib. 25. cap. 2.*] earumque omnium linguas percalluiſſe, neque cum ſubditis collocutum unquam fuiſſe per interpretem. Gentium quoque 22 ore locutum eum fuiſſe, in Sexti Aurelii Victoris lib. de viris illuſtrib. cap. 76. legimus: licèt pro 22, libri Manuſcripti 50 numerum hîc exhibeant.

Quum Romani legati, cum Caſſiano milite aliſque copiis è Galatiâ & Phrygiâ contractis, Nicomedem in Bithyniam, Ariobarzanem in Cappadociam reduxiſſent: ambobus mox ſuadebant, ut vicinam Mithridatis ditionem incuſſionibus vexando materiam belli quærent; oſtentantes ſpem auxilii. Neuter tamen vicinum tam potentem laceſſere armis auſus eſt: ſed urgentibus legatis, Nicomedes, qui magnam pecuniam pro reſtitutione ducibus & ipſis legatis ex pacto debebat, magnam etiam, aliâs à Romanis Aſiaticis ad uſuram acceperat, quæ tum repetebatur, invitus in ditionem Mithridatis irrupit, & uſque Amaſtrin urbem populatus eſt, nemine vetante occurrente.

462589

tève. nam Mithridates, quamvis paratas haberet copias, tamen cedebat, ut multas justasque causas belli haberet. [*Appian. Mithridatic. pag. 177. cum Livio, lib. 74. & Dione, legat. 30. vel 31.*] de quâ Romanorum injuriâ ita illum conquerentem in epistolâ ad Arsacem, libro 4^o Historiarum inducit Salustius. *Nam quid ego me appellem? quem disjunctum undique regnis & tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem, neque serviturum esse, per Nicomedem bello laceſſiverunt, scelerris eorum haud ignarum, & ea qua accidere testatum antea.*

Ubi Nicomedes cum magnâ prædâ domum rediit, Mithridates ad Romanos duces legatosque, quorum voluntate hæc facta non ignorabat, Pelopidam oratorem misit, de injuriis à Nicomede illatis expostulaturum. Cùmque Nicomedis legati culpam in Mithridatem, à quo primum injuriæ initium factum esset, conjicerent: Romani responderunt, neque placere sibi Mithridatem moleſtiâ affici à Nicomede, neque ut Nicomedi bellum inferretur passuros. Itaque Mithridates, ut apertè à Romanis læsus, misit cum magnâ manu filium Ariarathem ad occupandum regnum Cappadociæ: qui mox Ariobarzane pulso ibi regnavit. [*Appian. in Mithridatic. pag. 179. cum Livio, lib. 76. & 77. Eutrop. lib. 5. & Oroſio, lib. 6. cap. 2.*] Maltino sive M. Altinio, Romano legato, etiam ibi superato. [*Juſtin. lib. 38. cap. 4.*]

Romam Mithridates legatos misit, petens à Romanis; ut, si Nicomedem pro amico haberent, vel persuaderent, vel cogerent hominem ex æqui justique ratione secum agere: sin autem hostis ulciscendi potestatem sibi facerent. Romani non modò nihil eorum agere, quæ volebat; sed etiam minas addidere, ni Cappadociam Ariobarzani restitueret, pacemque cum Nicomede coleret. Simul legatos ipsius eo die discedere jusserunt: ac præterea prohibuerunt, nisi paruiſſet imperio, nullum ut ampliùs legatum mitteret. [*Dio, legat. 31. vel 32.*]

Interim verò Pelopidam ad Romanorum duces Mithridates ablegavit; ut eis significaret se legatos questum de illis ad Senatum miſſiſſe, & ut ibi ad causam dicendam adessent denuntiaret, nève quicquam absque communi Senatus Populique Romani decreto inciperent. Cujus oratio quum viſa illis esset insolentior, jusserunt Mithridatem abſtinere à Nicomede & Cappadociâ (sibi enim curæ fore ut mox in eam restituatur Ariobarzanes:) Pelopidam autem statim caſtris excedere, &, nisi Rex jussa faciat, non redire ampliùs. Cum hoc responſo dimiſſus est, non sine custodia, ne quem obiter corrumperet. [*Appian.*]

Statim verò Romani duces, non expectatâ ex Urbe de tanto bello Senatus aut populi ſententiâ, è Bithyniâ, Cappadociâ, Paphlagoniâ & Gallogræciâ copias contraxerunt: quibus se L. Caſſii, cum quo Aſiam obtinebat, adjunxit exercitus. Diviſiſſeque copiis, Caſſius caſtrametatus est in confinio Bithyniæ & Galatiæ. Manius Aquilius quâ tranſitus patebat Mithridati in Bithyniam, Q. Oppius in finibus Cappadociæ: ſinguli cum 40 peditum equitumque millibus. Habebant & claſſem circa Byzantium, cui Minutius Rufus & C. Popilius præerant,

erant, ad oris Ponti custodiam. Juvabat eos & Nicomedes cum peditum 50, equitum 6 millibus. [*Idem.*]

Mithridates in exercitu proprio habebat 250 peditum, 40 equitum milia, 300 naves testas, 100 dicrota, & alium apparatus pro ratione tam numerosæ militiæ. Præerant autem his copiis Neoptolemus & Archelaus duo fratres, & ipse Rex per se administrabat plurima. Inter auxilia verò Arcathias Mithridatis filius adduxerat ex Armeniâ minore 10 millia equitum: Dorylaus phalangitis (gravis peditum armaturæ) præerat, Craterus 130 falcatis curribus. [*Id.*]

Ut ad Amniam fluvium in latis campis conspexerunt se Nicomedes & duces Mithridatis (ipse enim non aderat) instruxerunt acies: Nicomedes omnes suos, Neoptolemus & Archelaus expeditos tantum & equites Arcathiæ & currus aliquot: nam phalanx adhuc erat in itinere. Diu verò alternante victoriâ, Mithridatis duces, licet militum numero inferiores, incredibili strage à falcatis curribus editâ, Nicomedem cum suis in Paphlagoniam fugere coegerunt; castrisque & pecuniis hostium sunt potiti. [*Id. cum Memnone cap. 33. & Strabone, lib. 13. pag. 562.*]

Nicomedes ita fugatus, prope Manium Aquilium castra admovit. Mithridates Scorobam montem ascendit, qui est Bithynorum & Ponticorum confinium. Ejus antecursores 100 equites Sarmatæ, cum fortè offendissent 800 Nicomedis equites, ceperunt ex eis aliquot. Manium Aquilium retrocedentem Neoptolemus & Nemanes Armenius circa primum Pachium vicum assecuti horâ septimâ, quum abiisset Nicomedes ad Cassium, coegerunt pugnare, ducentem equitum quatuor millia, peditum verò decuplum: cæsisque decem millibus, 300 vivos ceperunt. Ipse verò Aquilius, castris amissis, fugiens ad Sangarium fluvium, noctu eum trajecit, & evasit in Pergamum. [*Appian. cum Livio, lib. 77.*]

Cassius & Nicomedes, & cæteri quotquot legati Romani aderant, moverunt castra in Leontocephalen, castellum Phrygiæ munitissimum: ubi novitiam tiromum multitudinem ex opificibus aut agricolis aut plebe infimâ collectam armis exercebant, & novos ex Phrygibus delectus faciebant. Sed quum utrique pigri essent ad officium, dimissis omnibus recesserunt: Cassius cum suis copiis Apameam, Nicomedes Pergamum, Aquilius Rhodum versus. Quæ ubi audierunt oris Ponti custodes, dispersi sunt; claustris Ponti & Nicomedis navibus Mithridati traditis. [*Appian.*]

Captivos omnes in bello isto comprehensos Mithridates cum viatico ad suos remisit; ut apud hostes clementiæ opinionem sibi pararet. [*Id.*] Quæ ejus humanitas quum omnium sermonibus celebraretur, statim universæ civitates certatim se ejus partibus adjunxerunt. Itaque cernere erat legatos singularum civitatum decretis publicis cum invitantes, Deumque ac Servatorem appellantes. Adventuque Regis cognito, cuncti è civitatibus effusi in veste candidâ illum ingenti lætitiâ excipiebant. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valestii, pag. 401.*] augustiori honore quàm pro mortalium sorte Deum cum appellantes & implorantes. [*Athenæus, lib. 5. cap. 11.*] dominumque, patrem, confer-

conservatorem Asiæ, Euium, Dionysum, Nysium, Bromium, Bacchum nominantes. [Cicero, pro Flacco.] Qui Bacchi, præ aliis, titulus quamobrem illi fuerit attributus, in 1^o Symposiacorum libro Plutarchus explicat.

Mithridates igitur, in Italiam Nicomede se subducente, primo aditu occupatâ totâ Bithysiâ, obibat eam, civitates constituens & ordinans. [Memnon, cap. 33, Liv. lib. 76. & 77. Strabo, lib. 12. pag. 562. Appian, pag. 183.] Phrygiam deinde provinciam populi Romani cum ingenti exercitu intravit. [Liv. lib. 77.] ibique usus est Alexandri diversorio: factum omen putans si ubi Alexander interquievit, pernoctaret Mithridates. Atque ita & Phrygiæ reliqua, & Mysiam Asiâque Romanorum provincias recentes, percurtebat usque ad Cariam & Lyciam. [Appian, pag. 183.]

3916

Mithridates, missis circumquaque suis ducibus, subegit Lyciam & Pamphyliam aliâque usque Ioniam. [Appian, pag. 184.] Paphlagoniam quoque invasit, pulso ex eo rege amico populi Romani Pylæmene. [Eutrop. lib. 5. Oros. lib. 6. cap. 2. cum Appiano in Mithridatic. pag. 209.]

Athenionem, Athenionis Peripatetici ex servâ Ægyptiâ filium, (qui à mortuo domino hæres relictus, & Athenis in civitatem adscriptus, Aristionis assumpto nomine adolescentulos in rhetoricâ & Peripateticâ philosophiâ instituebat) legatum Atheniensis ad Mithridatem miserunt. Qui in regionum amicorum numerum receptus, litteris suis ad rerum novarum spem eos erigebat. [Athenens, lib. 5. cap. 10. & 11. ex Posidonii Apamensi historiâ.] Homo ex impudentiâ simul ac sævitiâ conflatus; qui ex Mithridatis vitis terretima quæque quasi quandam in se colluviem traxerat. [Plutarch. in Syllâ; & ejus exscriptor Dio, in Excerptis Valesii, pag. 649.]

Quum Laodicenibus Lycum fluvium acoletibus, ad quos Oppius Pamphyliae Proconsul cum equitibus & mercenario milite se receperat, per præconem Mithridates securitatem promississet, si Oppium ei dederent, mercenarios quidem dimiserunt, ipsum verò Oppium adduxerunt ad Mithridatem, præcedentibus liëtoribus in ludibrium. Eum Mithridates secum circumducebat, ostentans captivum ducem Romanum. [Liv. lib. 78. Athene. ut supr. cap. 11. Appian. pag. 184.]

Prævalentibus per Asiam Mithridatis partibus, quum urbes omnes miro quodam impetu deficerent à Romanis, Lesbii non solum seipsos sed etiam Aquilium, qui Mitylenas confugerat ibique ex morbo curabatur, Regi tradere constituerunt. Itaque lectos juvenes corporum robore præstantes ad ejus diversorium miserunt: qui facto simul impetu correptum Aquilium vinxerunt, rati pulcherrimum se munus ac Mithridati gratissimum oblaturus esse, [Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 401.] Cum Aquilio quoque alios Mithridati vinctos Mitylenæ tradiderunt, [Vellei. Patrecul. lib. 2. cap. 18.] Aquilium verò, legationis & belli hujus auctorem præcipuum, vinctum in asino Rex circumducebat; coactum suapte voce apud spectatores proclamare se esse Manium Aquilium. Idemque Manius longâ nexus catenâ, cum Bastarne quodam proceero cubitos quinque, pedes ab equite interdum trahebatur, Tandem verberibus atque omni supplicio ex-

cruciato Pergami aurum liquidum in os ejus infundi jussit Mithridates, corruptelas largitionum exprobrans Romano nomini. [*Athene. & Appian. ut supr. cum Cicerone, in Orat. pro lege Maniliâ & lib. 5. Tusculan. quest. Livio, lib. 78. & Plinio, lib. 33. cap. 3.*]

Ordinatis deinde satrapis adivit Rex Magnesium, Ephesum & Mitylenem, hilariter exceptus ab omnibus: Ephesiis etiam Romanorum effigies apud se positas tollentibus. [*Appian.*]

Eo favore civitatum exceptus Mithridates, multum ibi auri argentique, studio veterum regum, magnamque belli apparatus invenit: quibus instructus, debita civitatibus publica privataque remisit, & vacationem quinquennii concessit. [*Justin. lib. 38. cap. 3.*] *Ego ultus injurias, Nicomedem Bithyniâ expuli, Asiâque spoliis regis Antiochi recepi, & Græciâ dempsi grave servitium:* inquit ille, in epistolâ ad Arfacem; libro 4^o Historiarum Salustii.

Ex Ioniâ revertens Mithridates cepit Stratoniceam, multavitque pecuniâ, & imposuit ei præsidium: ubi conspicatus formosam virginem Monimam Philopœmenis filiam, recepit in suum gynæceum. Cum Magnetibus autem & Paphlagonibus Lyciisque, propter præsidia resistentibus, bellum continuabat. [*Appian.*] ubi Magnetes ad Sipylum montem Archelaum illius ducem incursionibus fines suos vastantem, multis ex Barbarorum agmine caesis, vulneraverunt. [*Pausan. in Atticis, pag. 18.*]

Cleopatra Ægypti regina, quam occultis insidiis filio Alexandro exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur: digna prorsus hæc mortis infamiâ, quæ etiam matrem thoro expulit, & duas filias viduas alterno fratrum matrimonio fecit, & filio alteri in exilium acto bellum intulit, alteri erepto regno exitium per insidias machinata est. [*Justin. lib. 39. cap. 4. cum Pansaniâ in Atticis, pag. 8. Athenæo, lib. 12. cap. 27. & Eusebio in Chronico.*] Regnaverat autem ille, simul cum matre, annos 18. [*Porphyr. in Græc. Euseb. Scalig. pag. 225.*]

Ubi primum compertum est, scelere Alexandri matrem interfectam, concursu populi facto, ille civium metu aufugit. Post cujus fugam Alexandrini, missis in Cyprum legatis, seniori fratri Ptolemæo Lathuro inde revocato regnum Ægypti reddiderunt: qui per annos 8 vel (ut exactius Porphyrius tempus expressit) annos 7. & menses 6. eo deinceps potitus est. [*Justin. lib. 39. cap. 5. Pausan. Porphyr. & Euseb. ut supr.*]

Anna prophetissa filia Phanelis, marito defuncto, vidua per 84 annos in Templo (usque dum Christum in eo præsentem vidit) jejuniis ac precibus vacavit, Deo serviens nocte ac die. [*Luc. II. 37.*]

Itali defectores ad Mithridatem miserunt, ut in Italiam adversus Romanos adduceret copias: ita enim facile conjunctis copiis posse Romanorum vires deturbari. Quibus ille responsum dedit, ducturum se copias in Italiam, postquam Asiam subegisset: id enim tum agebat. Eam ob rem Italis animos despondentibus, bellum Sociale sive Marficum sopitum est. [*Diodor. Sicul. in Bibliothecâ Photii, cod. 244.*] In quo, inter externarum gentium auxilia missa populo Romano (à Livio in libro 72^o commemorata) duæ quadrirèmes te-
tæ

462688

etæ fuerunt, ab Heracleotis Ponti suppeditatæ; quarum in eorum historiâ Memnon meminit. [cap. 31.] Ab Itolorum verò partibus, inter alios, Agamemnon Cilix pirata stetit: cujus, in Excerptis Valesii pag. 393. Diodorus Siculus, & in lib. 5. cap. 18. mentionem facit P. Orosius.

Mithridates, cives Romanos per urbes Asiæ dispersos consiliis suis impedimento esse intelligens, Epheso secretas litteras satrapis omnibus civitatûmque magistratibus scripsit, ut universi ad eandem diem trigesimam invaderent armis Romanos Italosque hospites cum uxoribus, liberis, cæterisque ingenuis domesticis Italici generis, & occisos insepultos abjicerent: & bona eorum partim Regi, partim percussoribus cederent. Per præconem etiam interminatus est multam cæcos sepelientibus aut vivos celantibus; præmio proposito iis qui latitantes tollerent: pollicitus servo libertatem si herum occideret, debitori verò creditorem necanti debitæ pecuniæ dimidium. His clam ad omnes simul scriptis, ubi statuta dies venit, nullo modo explicari aut comprehendi verbis potest, quæ tunc multitudo Romanorum civium cæsa sit, quis mœror plurimarum provinciarum, quis gemitus occidendorum pariter atque occidentium fuerit; cum singuli quique aut prodere innocentes hospites & amicos, aut ipsi periclitari poenâ hospitem cogerebantur. [Appian. in Mithridatic. pag. 185, 206, 209. & 212. cum Cicerone, in Orat. pro lege Maniliâ, & pro Flacco. Memnone, in Excerpt. cap. 33. Livio, lib. 78. Velleio Patere. lib. 2. cap. 18. Floro, lib. 3. cap. 5. Eutrop. lib. 5. & Orosio, lib. 6. cap. 2.]

Ibi Ephesii è Dianæ templo ab ipsarum statuarum complexu distractos interficiebant. Pergameni eos qui in ædem Æsculapii confugerant, quum nollent abscedere, statuis hærentes sagittis configebant. Adramytheni abnatare conatos in mare persequendo necabant, simulque infantes eorum submergebant. Caunii (Antiocho devicto attributi Rhodiis, & paulo antè à Senatu juri suo redditi) Italos qui ad sacratam ejus civitatis curiam confugerant ab ipsis aris protraxerunt: cæsisque prius in conspectu matrum infantibus, ipsas deinde, & postremò earum maritos, interemerunt. [Appian. ut supr. pag. 185.] Tralliani ipsi quidem neminem occiderunt sed, ne hospitem cæde manus contaminarent scilicet, Theophilum quendam Paphlagonem virum trucem ad hoc mercede conduxerunt: qui in ædem Concordiæ conclusos tam immaniter contrucidavit, ut statuas complectentibus manus amputaret. [Id. ibid. cum Dione, in Excerptis Valesii. pag. 642.]

Apud Mitylenæos P. Rutilius Rufus exulans crudelitatem Regis in togatos, foccos & pallium assumendo, homo consularis vitavit. [Cicero, pro C. Rabirio Posthumo.] Ut Theophanis Mitylenæi, rerum Pompeii Magni scriptoris, commentum nullo modo fuerit recipiendum: qui in arce Καρῶν à Pompeio receptâ, inter alia Mithridatis arcana, Rutilii quoque orationem repertam esse prodidit, quâ ad hanc Romanorum cædem Regem ille incitaverit. [Plutarch. in Pompeio.] Eiusmodi verò vestitus mutatione & alii Romani, ut imminens periculum effugerent, tum sunt usi. [Athena. lib. 5. cap. 11.] Calaminæ

quoque in Lydiâ fluctuantes insulæ multorum civium salus fuit. [*Plin. lib. 2. cap. 95.*] Occisorum tamen uno illo die numerus 80 millium fuit. [*Memnon. cap. 33. Valer. Maxim. lib. 9. cap. 2.*] non 150, ut apud Plutarchum [*in Sylla.*] & cum secutum Dionem [*legat. 36. vel 37.*] ille relatus reperitur.

Mithridates in Coum trajecit: ubi exceptus à libentibus, Alexandri qui in Ægypto regnaverat filium, (& ipsum Alexandrum dictum,) cum multis pecuniis in Coo relictum à Cleopatrâ aviâ, & à Cois sibi deditum assumpsit educavitque regiè; & è thesauris Cleopatræ magnas divitias, artificum opera egregia, gemmas, mundum muliebrem, magnâque vim pecuniæ misit in Pontum. [*Appian. in Mithridatic. pag. 186, 252, 253. & Bell. civil. lib. 1. pag. 414.*] Præter Cleopatræ verò thesauros, etiam Judæorum 800 talenta Mithridatem inde abstulisse, ex Strabonis Historiarum libris confirmat Josephus: quæ à Judæis Asiaticis, metu belli Mithridatici, deposita in eâ insulâ fuisse existimar, ad Templum Hierosolymitanum deferenda. [*lib. 14. ca. 12.*]

Alexander, junioris Alexandri jam dicti pater, anno Ægyptiaci sui regni 19, (Cyprii, 26) ab Ægyptiis, ductore Tyrro regum cognato, prælio navali victus, unâ cum uxore & filiâ ad urbem Lyciæ Myra fugere coactus est: unde in Cyprum declinans, à Chæreâ navarcho prælio exceptus interiit. [*Porphyr. in Græc. Euseb. Scalig. pag. 225.*]

Athenio, sive Aristio, legatus ad Athenienses ex Asiâ à Mithridate remissus, tempestate Carystiam in Eubœâ delatus est: ad quem inde referendum naves longas, sellâque argenteis fultam pedibus, Athenienses miserunt; maximâ ferè parte civitatis ad eum excipiendum effusâ. Qui præfecturam urbis adeptus, sævam ibi tyrannidem exercuit; eorum qui Romanis favebant aliis occisis, aliis Mithridati traditis. Cujus tyrannidem multi fugientes, Amisum Atheniensium in Asiâ coloniam habitatum se contulerunt; ibique in civitatem recepti sunt. [*Posidonius Apamenus, apud Ashe-naum, lib. 5. cap. 11. cum Plutarcho in Lucullo, & Pausaniâ in Atticis, pag. 18.*]

Quotquot Itali evaserant ex Asiâ, Rhodi habebant receptaculum: & in his L. Cassius Proconsul Asiæ. Rhodiî mœnia portusque munierunt, & instruxerunt machinis: nonnullis Telmissensibus & Lyciis adjuvantibus. Et adventante cum classe Mithridate, suburbia diruerunt, ne hostibus essent usui: navèsq; ad pugnam instruxerunt, alias à fronte, alias à lateribus. [*Appian.*] Solâ verò navium multitudine inferiores, reliquis omnibus longè superiores erant. Namque & arte gubernatorum, & aptâ navium instructione, & peritiâ remigum, & militum fortitudine, scientiâ denique ac virtute præfectorum Rhodiî præstabant. Contrâ autem Cappadoces imperiti navalis pugnæ & inexercitati &, quæ exitii causâ solet esse, incompositi agebant. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valef. pag. 402.*]

Cappadoces navale prælium, sub oculis ac conspectu Regis sui incuntes, animorum alacritate benevolentiam suam illi approbare cupiebant. Cùmque navium duntaxat numero potiores essent, omni arte circumvenire hostium classem atque interciperè conabantur. [*Diodor.*]

odor. ibid.] Tandem verò Damagoras classis Rhodiorum præfectus post Solis occasum cum sex navibus 25 regias adortus, duas ex eis demersit, duas item alias in Lyciam compulsi: & nocte in alto exactâ reversus est. In quo certamine, navem Mithridatis suos hortantis Chia socia per tumultum impacta concussit: propèque fuit, ut ipse Rex in hostium veniret manus. Quod ille non dissimulans postea gubernatorem & proretam affecit supplicio; atque Chiis iratus est omnibus. Deinde terrestres copias, ad Mithridatem ex Asiâ navigantes in onerariis & triremibus, turbo repentinus ad Rhodum transfersus appulit. Quas turbatas adhuc tempestate dispersasque aggressi Rhodiî, partim ceperunt partim perforârunt incenderuntque; & 400 viros captivos abduxerunt. Ad extremum Mithridates, sambucâ machinâ & scalis ad urbis oppugnationem frustra admotis, victus cum ignominia à Rhodo recessit. [*Appian. cum Memnone, cap. 33. & Livio, lib. 78.*]

Obsessis deinde Pataris, cædebat Latonæ lucum ad machinas, donec minaci somnio iussus est abstinere à sacris arboribus: relictoque ad bellum in Lyciâ continuandum Pelopidâ, Archelaum misit in Græciam, ut suadendo cogendoque quotquot posset civitates ad partes suas adduceret. Ipse posthac plerasque curas committens suis ducibus, delectus habebat militum & arma fabricabat, & oblectabat se cum Stratonicensi muliere Monimâ; & pro tribunali cognoscebat causas eorum qui dicerentur insidiati ejus salutem, aut res novas moliti, aut quomodocunque proclives. [*Appian. pag. 188.*]

Archelaus præfectus Regis cum 120 millibus equitum ac peditum in Achaiam præmissus, Athenarum civitatem ab Aristione Atheniensi traditam accepit. [*Liv. lib. 78. Eutrop. lib. 5. Oros. lib. 6. cap. 2.*] Profectusque cum classe & cibariis Delum, quæ ab Atheniensibus defecerat, & alia castella expugnavit. Pecuniam quoque Apollini dicatam è Delo Atheniensibus per Aristionem misit, missis simul ad custodiam pecuniæ duobus millibus militum. [*Appian pag. 188, 189.*] Apellicon verò Teius (ut refert Athenæus, lib. 5. cap. 11.) civis Atheniensis, & Athenioni sive Aristioni illi ob sectæ Peripateticæ societatem conjunctissimus, cum cohortibus aliquot Delum celeriter profectus, negligentius circa insulam divisis custodiis, atque ad eò posteriore insulæ parte sine præsidio & vallo relicta, securus ibi commorabatur. Quâ hominis socordia & imprudentiâ intellectâ, Orobitis (sive Orbitis) exercitus Romani dux, cui Deli tutela commissa fuerat, nocte illuni expositis suis militibus, sopitos & ebrios adortus, Athenienses ac eorum commilitones pecudum more trucidavit, numero 600. vivos cepit, ad 400. præclaro illo duce Apelliconte fugâ clanculum elapso. Multos, quos in villas confugientes erat conspicatus, exussit cum ipsis ædificiis, & helepoli cunctisque aliis ipsorum machinis obsidionalibus. Deinde trophæum erexit & aram, cui hæc inscripsit:

Τὸς ἡ δανόπας ἐχθρὸς ξείνους τὰ φθ, οἱ περὶ Δῆλον
Μαργάρημοι ψυχὰς αἴλεσαν ἐν πελάγῳ.

Τῶν ἱερῶν ὅτι ἦσαν Ἀθλιῶται καραΐζον,
Κοινὸν Ἄρη Ἐασπλῆ Κατωπαδοκῶν Δέρμιοι.

*Hic peregrina jacet gens, circum littora Delis
Quæ pugnans animas perdidit in pelago.
Insula Cecropidam quum devastata tumultu est,
Illis Cappadocum juncta ubi turma fuit.*

3917

Metrophanes submissus à Mithridate cum aliâ manu militum, Eubœam & agros Demetriadis Magnesiæque, quæ civitates à factione regiâ abhorrebant, populabatur. Quem Bryttius (sive Brutius Sura, prætoris Macedoniæ Sentii legatus, ut Plutarchus indicat) aggressus è Macedoniâ cum exiguis copiis, navali pugná certavit: demersâque unâ nave magnâ & unâ hemioliâ, omnes socios navales qui in eis fuerant occidit, inspectante Metrophane. Ille verò territus fugit: quem secundo vento navigantem cum Bryttius assequi non posset, Sciathum insulam expugnavit, quæ prædonum barbarorum erat receptaculum. Quibus in potestatem redactis, servos in crucem egit, liberos abscissis manibus mulctavit. [Appian]

Ex filiis Mithridatis, unus in Ponto & Bosphoro vetus regnum usque ad solitudines super Mæotim lacum, adversante nullo, obtinebat: alter Ariarathes ingentibus copiis Thraciam & Macedoniam infestebat subigere. Duces ejus cum exercitibus alias oras domabant: quorum Archelaus princeps classe fermè totum obtinens pelagus, insulas Cycladas in ditionem redigebat, aliâsque quotquot intra Mæleam positæ sunt. [Plutarch. in Syllâ.] Eretriâ quoque & Chalcide, adeoque totâ Eubœâ, ad Mithridatis partes accedente. [Memnon, cap. 34.]

Lucius Sylla, discessum ejus urgente Consule L. Cornelio Cinnâ, 4627 87 Proconsulari potestate cum quinque legionibus & cohortibus alisque aliquot ad bellum Mithridaticum gerendum in Græciam profectus est. [Plutarch. in Syllâ. Dio, in Excerpt. Vales. pag. 642. Appian. in Mithridatic. pag. 190. & lib. 1. Bell. Civil. pag. 399.] Sedebat tum Pergami Mithridates, opes, dynastias & dominatus amicis dispertiens. Memorant, quo tempore classem Sylla ab Italiâ solvit, inter alia quæ agenti Pergami Mithridati oblata fuerunt prodigia, Victoriâ coronatam, quæ à Pergamenis supernè demittebatur machinis, quum penè attingeret caput ejus, delapsam coronam in teatro ad solum diffractam fuisse: atque inde horrore populum, Mithridatem ingenti fuisse consternatione percussum; licet omnia ei id temporis ex sententiâ procederent. [Plutarch. in Syllâ.]

Inter reliqua prodigia, quæ Mithridati adversus socios populi Romani bellum paranti apparuerunt, sub consulatu L. Syllæ & Q. Pompeii à Julio Obsequente commemorantur ista. « Stratopedo, ubi
« Senatus haberi solebat, corvi vulturem tundendo rostris occide-
« runt. In eundem locum sidus ingens coelo demissum, Iſidis spe-
« cies visâ fulmine petere. Lucum Furiarum cum Mithridates succen-
« deret, risus exauditus ingens, sine auctore. Quum aruspicum jussu

« vir-

« virginem Furius immolaret; è jugulo puellæ risus ortus turbavit
« sacrificium.

Romæ M. Cicero Moloni Rhodio dedit operam, & actori summo
causarum, & magistro. [*Cicero, in Bruto.*] Alabandensis hic è Cariâ
fuit Orator: ut infra, ad annum Mundi 3927. ex Strabone decla-
rabitur.

Sylla ingressus Atticam, missâ parte copiarum ad oppugnandum
in urbe Aristionem, ipse rectâ Piræcum petiit, ubi Archelaus præ-
fectus Mithridatis intra muros se receperat. [*Appian.*]

3918

Hyeme appetente, ad Eleusinem castrametatus Sylla, fossam à
montibus ad mare profundam deduxit. Cùmque navibus indigeret,
Rhodum misit qui eas accerferent. [*Id.*]

Athenas, longâ fame fatigatas, Sylla tandem cepit: & quidem,
ut ipse in Commentariis suis retulit. *Kalendis Martiis.* ἡτις ἡμέρα
Συμπεπῆς μέλισσας τῆς θυμῶν τῆς Ἀνθεστηριῶν. μίλιος, ἐν ᾧ καὶ τῆς
χλω ὑπομνήματα πολλῶν τῶν ἄλλων ἢ ἐπομβρίας ὀλέθρου καὶ τῆς φθορᾶς ἐ-
κείνης δράσει, ὡς τότε καὶ πᾶσι τῶν χειρῶν ἐκείνων μέλισσας τῶν κατὰ κλυομοῦ
Συμπεπῆς. inquit Plutarchus; cum mensis Anthesterionis initio,
quo Ogygii diluvii ab Atheniensibus celebrabatur memoria, diem il-
lum conferens. Utur vetò Lunaris Atheniensium Anthesterion Plu-
tarchi ætate, Juliano Martio quandoque responderit: in vitiosâ ta-
men anni ratione hoc tempore à Romanis observatâ, Kalendæ Mar-
tiæ in Posideonem potius Atticum & Julianum Decembrem incidisse
possent videri.

Rhodii, quum non possent mare, vagantibus Mithridatis classibus,
ad auxilium Syllæ ferendum trajicere, L. Lucillum virum inter Ro-
manos illustrem, unum ex Syllæ legatis, jusserunt clam navigare in
Syriam, Ægyptum & Libyam; collectisque navibus à regibus, &
civitatibus quæ exercerent rem nauticam, classem aliquam ad Rho-
diam adjungere. Ille mediâ hyeme, nihil infestum mare veritus, cum
tribus Græcis myoparonibus & dicrotis toridem Rhodiis in tantum
periculum se demisit vasti pelagi ac navium hostilium, quæ, quòd
mari potirentur, passim vagabantur frequentes. In Cretam tamen de-
currit, eamque sibi adjunxit. [*Appian. in Mithridatic. pag. 192. Plutarch.
in Lucullo.*]

462886

Aristio tyrannus & cæteri, qui urbe captâ in arcem Atheniensem
confugerant, à Curione diu obsessi, aquæ penuriâ tandem pressi de-
dere se coacti sunt. Eodémque die & momento quo tyrannum ex
arce Curio deduxit, coierunt ex sereno nubes; uade imber ingenti-
bus fusus procellis arcem aquâ implevit. Aristionem verò cum suo
satellitio, quive magistratum aliquem gesserant, aut quomodocun-
que à constitutionibus Romanorum post captam Græciam ordinatis
discesserant, affecit Sylla supplicio: cæteris dedit veniam. [*Appian.
ibid. pag. 195, 196. Plutarch in Syllâ Strabo, lib. 9. pag. 398.*] Aristionem,
qui in Minervæ templum confugerat, vi inde extractum interfici jus-
sisse Syllam, refert Pausanias. [*in Attic. pag. 18.*] Veneno à Syllâ ne-
carum cum fuisse, dicunt alii. [*Plutarch. in Syllâ.*]

Magnesia, quæ sola in Asiâ civitas in fide manserat, summâ vir-
tute

tute adversus Mithridatem defensa est. [*Liv. lib. 81.*]

Lucullus Cyrenæos continenter à tyrannis & bello exagitatos inveniens, Rempublicam eorum constituit & legibus firmavit. [*Plutarch. in Lucullo.*] Post libertatem enim à Romanis ante decennium illis donatam, Nicocratis & fratris ejus Leandri tyrannidem fuerant perpessi, & ab eâ nuper Aretaphilæ uxoris Nicocratis strenuâ operâ liberati; ut in libello de virtutibus mulierum pluribus Plutarchus ostendit. Et post decennium alterum, Cyrenæ à Romanis provincia facta est: ut infra ad annum Mundi 3928. ex Appiano declarabitur. Hoc verò tempore, Judæorum seditione agitatam fuisse Cyrenem, atque ad eam sedandam Lucullum à Syllâ fuisse missum; ex Strabonis Historiarum libris confirmat Josephus. [*lib. 14. cap. 12.*]

Dum Cyrenis cursum in Ægyptum Lucullus dirigit, piratarum incurso omnia ferè amisit navigia. Incolumis ipse tamen Alexandriam magno cum honore est delatus. Classis enim ei universa, ut Regi naviganti fieri solebat, eximie exornata processit obviam: cumque Ptolemæus (Lathurus; cui *παρμαρίν* vel adolescentis appellatio à Plutarcho parum appositè hîc tribuitur) mirificâ humanitate excepit; & quod duci extraneo ante eum delatum fuerat nemini, divertorium & coenationem ei in regiâ dedit. Impensarum verò & sumptus non quantum cæteris sed quadruplum tantum illi præbuit. Neque is tamen præter necessaria admisit quicquam: nec donum, licet missa fuerint quæ valerent 80 talentis, accepit. Dicitur autem neque Memphim adisse, neque quicquam ex celebratis Ægypti miraculis visisse: quòd feriantis hæc spectatoris & delicati essent, non, sicut ipse, qui sub dio tendentem juxta hostium præsidia reliquisset imperatorem. [*Plutarch. in Lucullo.*]

Ptolemæum regem Alexandriae Consuli Syllæ eum conciliavisse, scribit Aurelius Victor. [*de vir. illustr. cap. 74.*] At neque Consul tum Sylla fuit, sed Proconsul; neque Ptolemæus belli terrore societatem Syllæ admittere tum voluit. Naves tamen Lucullo, quæ prosequerentur eum in Cyprum, attribuit; & consensuro salutandi colendique causâ pretiosum smaragdum auro illigatum dedit. quod donum recusavit primùm Lucullus: sed ubi insculptam imaginem suam monstravit Rex, veritus est rejicere; ne, si discedere inimico animo existimaretur, insidiæ sibi mari pararentur. [*Plutarch. ut supr.*]

Lucullus cum navium manu quam in prætervehendo fecit ex opidis maritimis, repudiatis quæ sceleribus contactæ prædatoriis erant, in Cyprum trajecit. Nuntiato hostes sub promontoriis stare & ipsum captare, subduxit classem omnem, civitatibusque de hybernis scripsit & annonâ, quasi illic ver expectaturus. Inde aspirante aurâ, navibus repentè deductis, vela fecit. Interdium velis subductis & contractis navigans, noctu in altum datis, Rhodum applicuit sospes. [*Id. ibid.*]

Cinna Consul L. Valerium Flaccum collegam suum cum duabus legionibus in Asiam misit, ut provinciæ præesset & bellum contra Mithridatem gereret. Eum rei militaris imperitum comitatus est naus ex senatoribus C. Fimbria, vir non contemnendæ authoritatis apud milites:

milites : quem Flacci *legatum* Livius, Aurelius Victor & Orosius, *ὑποστράτηγος* Dio, *quaestorem* Strabo, *praefectum equitum* Velleius Paterculus appellat. Datum his à Senatu mandatum est, ut Syllam, si partes Senatus tueretur, adjuvarent ; sin minus, cum ipso prius manus conferrent. E Brundusio verò trans mare illis navigantibus, multæ naves tempestate contractæ sunt ; & præcursorias earum incendit novus à Mithridate submissus exercitus. [*Memnon. cap. 36. Liv. lib. 82. Strabo, lib. 13. pag. 594. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 24. Dio, in Excerpti. Valesii, pag. 650. Appian. lib. 1. Bell. civil. pag. 396. & in Mithridatic. pag. 204. cum Orosio, lib. 6. cap. 2.*]

Dux Mithridatis Taxiles ex Thraciâ & Macedoniâ cum 100 millibus peditum, 10 equitum, curribus falcatis 90 movens, accivit Archelaum : qui commistis agminibus 120 millia hominum (plus quàm 60 millia habet Memnon) sub signis ducebant ; Thracum, Ponticorum, Scytharum, Cappadocum, Bithynorum, Galatarum, Phrygum, & aliorum è novis Mithridatis provinciis profectorum. Sylla L. Hortensio assumpto, qui 6000 ex Italiâ adduxerat, cum his ad Chæroneam congressus est, equites habens non plures 1500, pedites non minus 15000, ut habet Plutarchus ; ne tertiam quidem partem hostium numero æquans, ut Appianus. Victoriâ tamen consecutus est Sylla : cæsis millibus adversariorum 110 (vel 100, ut in Livii epitomâ legitur) & castris expugnatis. Archelaus cum non multo pluribus quàm 10 millibus Chalcidem effugit. Sylla de exercitu suo refert 14 (vel, ut alii, 15) fuisse desideratos ; quorum etiam duo sub vesperum adfuerint, falsò perisse crediti. [*Memnon, cap. 34. Liv. lib. 82. Plutarch. in Syllâ. Appian. in Mithridatic. Europ. lib. 5. Oros. lib. 6. cap. 2.*]

Audiens Sylla Flaccum, qui ex adversâ factione fuerat Consul creatus, transmare cum legionibus mare Ionium, verbo contra Mithridatem, revera contra se ; huic ut occurreret, contendit in Thessaliam. [*Plutarch.*] Cùmque Flaccus vir malus, avarus & in puniendo crudelis, exosus esset omnibus militibus ; eorum pars, præmissa in Thessaliam, ad castra Syllæ transit : reliquos Fimbria, melior Flacco dux visus & clementior, continuit ne deficerent. [*Appian. pag. 204.*]

Archelaus, quoniam Romani classe carebant, securè per insulas vagabatur, maritima populans ; Cerinthum etiam obsidere ausus, factâ ibi exscensione. Sed à Romanis quibusdam peregrinis noctu appetitus per insidias, celeriter conscensis navibus solvit inde, & rediit Chalcidem ; archipiratæ quàm bellatori similior. [*Appian. pag. 199.*]

Mithridates auditâ tantâ suorum clade territus, ut par erat ; nihilominus novos delectus habuit ex omnibus sibi subjectis gentibus. Ratusque non defore qui sibi victo, vel nunc vel per aliam occasionem, struerent insidias ; omnes suspectos colligebat, priusquam bellum denuo crudesceret. [*Appian.*]

Ac primùm Galatarum tetrarchas, & quos circa se habebat in amicorum cohorte, & qui nondum erant subditi, omnes necavit cum liberis

beris & uxoribus ; exceptis tribus fugâ servatis. Horum alios infidiis oppressit, alios unâ nocte peremit in convivio ; putans neminem eorum in fide constantem permanfurum, si Sylla veniret : confiscatisque bonis eorum, in civitates induxit præsidia, & genti satrapam Eumachum imposuit. Sed cum mox tetrarchæ qui evaserant, collectâ ex agris manu clientum, ejecerunt cum suis præfidiis è Galatia : ut Mithridates nihil ex eâ gente reliquam haberet præter pecuniam.

[*Idem.*]

Chius quoque iratus jam inde ex quo navis eorum imprudens in regiam impegerat in navali contra Rhodios prælio, primùm publicavit bonâ civium qui ad Syllam profugerant : deinde misit qui apud Chios in factionem Romanam inquirerent. Postremò Zenobius (vel, ut Memnon vult, Dorylaus) cum exercitu eò appulsus, quasi trajecturus in Græciam, muros Chiorum & munitiora loca noctu occupavit : additisque ad portas custodiis, cives in concionem vocatos arma & obsides, selectos optimatum liberos, sibi tradere compulit ; quæ omnia Erythras ille misit. Regiæ deinde venerunt litteræ duorum millium talentorum multam à Chiis exigentes : ad quam solvendam ornamenta templorum & mundum muliebrem conferre coacti sunt. Zenobius verò, causatus deesse aliquid justo ponderi, in naves, seorsum viros, seorsum mulieres ac pueros, imponendos curavit, & agris inter Ponticos divisis, & divulsos à patriâ miseros Chios in Pontum Euxinum ad Mithridatem misit. [*Id. ibid. cum Memnone, cap. 35.*]

At Heraclientes, quibus cum Chiis amicitia intercessit, Ponticas in transitu naves quæ captivos vehabant adorti, ne resistentes quidem (non enim sat virium erat) in urbem suam deduxere. Et tunc quidem largè rebus necessariis suppeditatis Chios refecerunt : postmodum verò, eximiis affectos muneribus, in patriam restituerunt.

[*Memnon, ut supr.*]

Ephesii Zenobium cum militibus accedentem jusserunt ad portam arma deponere, & cum paucis in urbem ingredi. Tulit hoc ille, & divertens ad Philopoemenem patrem Monimæ à Mithridate adamatæ, quem rex præsidem ac custodem ei civitati reliquerat, per præconem ad concionem evocavit Ephesios. Qui nihil suave ab eo expectantes, rem distulerunt in sequentem diem, & noctu congregati cohortatique se mutuo, Zenobium in carcerem trusum necaverunt : simulque muris appposito præsidio, multitudinem armatam centuriabant, fruges ex agris comportabant, & juventutem in suâ potestate retinebant. Quibus auditis Tralliani, Hypæpeni, Mesopolitæ, & quidam alii (in quibus Smyrnæi, Sardi sive Sardienses & Colophonii, ab Orofio lib. 6. cap. 4. numerantur) Chiorum calamitate perterriti, Ephesiorum exemplum imitabantur. [*Appian.*]

3919

Fimbria, cum in itinere Flaccum longo intervallo antecurrisset, maximam turbandi opportunitatem nactus, ut militum benevolentiam sibi conciliaret, eis permisit uti agros sociorum quasi hostiles vastarent, atque obvium quemque in servitutem redigerent. Quam milites licentiam libenter amplexi, intra paucos dies maximas sibi opes com-

comparârunt. Verùm hi quos spoliaverant, Consuli obviam profecti de injuriis sibi illatis graviter conquesti sunt. Qui cùm rem molestè ferret, sequi se eos jussit ut sua singuli recuperarent; ac Fimbriæ interminatus mandavit, ut quæcunque per vim ablata erant, quamprimum dominis restitueret. Sed ille culpam quidem in milites, qui hæc injussu suo præstitissent, conferebat: clàm tamen eos monebat ne mandatis parerent, néve quæ belli jure parta erant eripi sibi paterentur. Indèque cùm direpta restitui Flaccus minaciter juberet, nec milites edicto auscultarent, magnus in castris tumultus excitatus est.

[*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 406, 409.*]

Quum Sylla, Flacco occursum, ad opidum Meliteam venisset, diversis ex locis allatum est, regionem quam reliquerat à tergo ab non minore exercitu regio quàm antè conculcari. Siquidem Dorylaus, qui Chalcidem appulerat grandi classe, quâ advexerat armatorum 80 millia, qui erant in omnibus Mithridatis militibus optimè exercitati & instructi, confestim Bœotiam incurrit, atque eâ orâ positus, contendit Syllam ad dimicandum elicere. [*Plutarch. in Syllâ.*] Dorylaus hic Philæteri, fratris Dorylai Tactici (de quo ad annum Mundi 3879 est dictum) filius, unâ cum Mithridatè enutritus fuerat: ejusque convictus consuetudine Rex adèò fuit delectatus, ut ad virilem ætatem perveniens non modò ipsum ad summos honores promoverit & Comanensi in Ponto sacerdotio donaverit, sed etiam cognatos ejus Dorylai Tactici & Sterotæ mulieris Macetidis filios, Lagetam (cujus filia, matris Strabonis Geographi mater fuit) & Stratarcham, post patris eorum mortem Cnossò ad se evocaverit. [*Strabo, lib. 10. pag. 477, 478. & lib. 12. pag. 557.*]

Dorylaus cum suis 80 (ut Plutarchus & Appianus, vel 70 ut Eutropius habet & Orosius) lectissimis millibus & Archelaus (pugnam prius frustra dissuadere conatus) cum decem quæ adhuc ex prioribus copiis reliqua habebat millibus, Syllam ad Orchomenum adorti, 15 suorum millia (ut Appianus & Orosius, vel 20 ut Eutropius) amiserunt: inter quos & Diogenes Archelai filius interfectus est. Renovatâ deinde pugna, reliquæ omnes Mithridatis copię extinctæ sunt. Nam 20 millia in proximam paludem pulsa, quàm preces percussoribus suis non intellectas frustra effudissent, interempta sunt; totidèmq; alia in flumen coacta ac necata: reliqui miserorum passim trucidati sunt. [*Appian. cum Livio, lib. 82. Eutropio, lib. 5. & Orosio, lib. 6. cap. 2.*] Horum interfectorum sanguine paludes inundâsse, & stagnum cadaveribus oppletum fuisse refert Plutarchus: ita ut suo quoque ævo, annis post eam pugnam propè 200, multi barbaricè arcus, galeæ, loricarum ferrearum fragmenta & gladii, cœno reperirentur immerfa.

Archelaus ipse quum dies duos (ut apud Plutarchum Sylla dicit) vel triduo (ut in libro 5º habet Eutropius) nudus in Orchomeniorum paludibus latuisset, nactus naviculam, Chalcidem trajecit; & quicquid usquam erat copiarum Mithridatis convocavit properè. Sylla verò Bœotiam continuis defectionibus nutantem diripuit; transgressusque in Thessaliam, hævavit, Lucullum expectans cum navibus. Er quia

nihil comperti habebat de eo, fabricavit naves alias. [Appian.]
Quamquam Archelaum cum classe regiâ Syllæ se tradidisse dicat
Livius; [lib. 82.] & classem Syllam prodicione Archelai interceptisse
scribat Aurelius Victor. [de vir. illustr. ca. 76.] & privatum Syllæ cum
Archelao commercium multis suspectum fuisse constet; tum alias ob
causas, tum quod agrum privatum in Euboeâ (ubi Chalcis erat) decem
millium jugerum Cappadoci donasset. Quas tamen suspiciones omnes
in Commentariis suis ipse Sylla conatus est diluere. [Plutarch. in Syl-
lâ; & eum secutus Dio, legat. 33. vel 34.] licet altiùs hominum animis
eas infedisse, ostendant illa in Mithridatis ad Arsacem epistolâ; (in 4^o
libro Historiarum Salustii:) *Incepta mea postremus servorum Arche-
laus, exercitu prodito, impedivit.* et quod à Strabone est proditum:
Archelao illi, qui contra Syllam bellum gessit, postea à Romanis,
adeoque ab ipso Syllâ & Senatu, honorem esse habitum. [lib. 12. pag.
558. & lib. 17. pag. 796.]

Byzantium interim Flaccus venit: ubi seditionem adversus eum
Fimbria concitavit. Quum enim Flaccus militibus extra muros ten-
dere iussis ipse Byzantium esset ingressus, hæc Fimbria occasione ar-
reptâ, causari coepit Flaccum pecuniam à Byzantinis accepisse: hæc
calumniando jactans, illum in urbe genium curare, dum ipsi sub pel-
libus asperitatem hyemis tolerarent. Quibus sermonibus incensi mi-
lites, in urbem irruerunt; cæsisque nonnullis quos fortè obviam
repererant, per singulas domos dispersi sunt. [Dio, in Excerpt. Valesii,
pag. 650.]

Per Byzantinorum fines in Bithyniam progressus L. Valerius Flac-
cus, Nicææ stativa habuit. [Memnon. cap. 36.] de quo Cicero, in ora-
tione pro Flacco, hujus ipsius filio: *Idem anque idem erat tempus,*
cum L. Flacco consuli (vel jam Proconsuli potius) parum in Asia clande-
bat; Cappadocem autem illum (Mithridatem) non modo recipiebas suis
urbibus, verum etiam ultra vocabas.

Inter Fimbriam & Flacci Quæstorem lite quâdam ortâ, quum ejus
arbitrè Flaccus nullam honoris Fimbriæ rationem habuisset; mina-
tus est Fimbria (ut habet Appianus) se Romam reversurum, vel
(ut apud Dionem est) minatus est Flaccus se illum Romam invitum
esse remissurum. Quâ ex causâ quum Fimbria convitiis Flaccum
onerasset, Flaccus potestatem ei ademit & successorem dedit. [Appi-
an. pag. 204. Dio, in Excerpt. Valesii, pag. 650.]

Fimbria per simultatem ita dimissus, [Aurel. Victor, de vir. illustr.
cap. 70.] ad milites qui Byzantiæ agebant abiit, eosque ut Romam
abiturus salutavit, litterasque ab eis ad familiares poposcit: injuri-
am sibi illam identidem gemens, monensque ut beneficiorum su-
orum meminissent, ac sibi met ipsi diligenter caverent; Flaccum sci-
licet ipsis insidari obscure significans. Quos quum dictis suis auscul-
tare; ac suâ causâ bene velle, Flaccum verò suspectum habere per-
spiceret; consensu suggesto eos aperte adversus Flaccum concita-
vit: atque inter cætera criminatus est, eum acceptâ pecuniâ illos
proditurum. [Dio, ut supr.]

Fimbria, Hellesponto iterum trajecto, milites ad rapinas atque
omnis

omnis generis flagitia cohortatus, pecunias extorquere à civitatibus coepit, easque inter milites dividere: qui effrahem licentiam nacti, ac spe ingentis lucri illecti, eum tanquam optimè de omni exercitu meritum diligebant. [*Diodor. Sicul. in Excerpti. Val. pag. 409.*]

Flacco classe Chalcedonem petente, absentiae illius occasione arrepta, Fimbria primùm Thermo praetori ab eo relicto fasces abstulit, quasi hunc magistratum ipse accepisset ab exercitu: deinde Flaccum indignabundam & idè revertentem coegit fugere; donec ille in aedes quasdam privati hominis refugus, nocturnis moribus transiens, primùm Chalcedonem, inde Nicomediam se proripuit, & ejus civitatis portas clausit. Sed Fimbria superveniens, occidit protractum è puteo Romanum consulem (vel consularem potius, ut eum Velleius hic appellat) & hujus belli ducem. Caput Flacci abscissum projecit in mare; truncum reliquum insepultum reliquit. [*Appian. pag. 204, 205. cum Memnone, cap. 36. & 42. Livio, lib. 82. Velleio Patere. lib. 2. cap. 24. Strabone, lib. 13. pag. 594. Auliano Vastore de viris illust. cap. 70. & Orosio, lib. 6. cap. 2.*] Nicomediam verò exercitum in praedam concessit. [*Diodor. Sicul. in Excerpti. Val. pag. 409.*]

Mithridates, misso contra eos qui ab ipso desciverant exercitu, in vi receptos saeviebat graviter. [*Appian. pag. 201.*] Expugnata ab eo urbes in Asia sunt, & crudeliter direpta provincia. [*Liv. lib. 82.*] Timens tamen aliorum defectionem, civitates Graecas libertate donabat; debitoribus remissionem per praesonem pollicens, inquilinis verò jus civitatis in suam cuique urbe, & servis libertatem: sperans fore, quod & accidit, ut oberati, inquilini, servique hoc beneficio devincti potentiam ipsius propugnarent acriter. [*Appian. ut sup.*]

Interea Mynio & Philotimus Smyrnaei, Clithenes & Asclepiodotus Lesbii (omnes familiares Regis, Asclepiodorus verò etiam dux aliquando mercenarius ejus militum): conspirarunt in Mithridatem. Cujus conjurationis ipse Asclepiodorus fuit index: & ut verbis suis fidem pararet, effecit ut Rex sub lecto quodam Mynionem audiret. Ita proditis insidiis, socii conspirationis excruciatum perierunt: sed eadem de multis suspicio suborta est. Ut verò etiam Pergameni: 80 ob similia consilia capui sunt, & in aliis civitatibus aliis, scrutatores misit Rex circa omnes populos; qui, inimicos suos quisque indicando, sustulerunt circiter 1600 homines. Accusatores verò ipsi non multo post aut à Sylla sunt affecti supplicio, aut seipos interemerunt, aut fugiendi in Pontum Mithridati se adjunxerunt comites. [*Appian. ibid. & pag. 213. cum Orosio, lib. 6. ca. 2.*]

Inter alios, Mithridatis praetor Diodorus, qui se Academicum philosophum & causidicum & rhetorem proficiebatur, senatum Adramytenorum in gratiam Regis occidit. Cùmque in Pontum cum illo abiisset: eoque postea dejecto, ut eriminum ipse inventorum dedecus evitaret, inedia seipsum confecit. [*Strabo lib. 13. pag. 614.*]

L. Lucullus, ad classem quam è Cypro, Phoeniciam & Pampyliam collegerat navibus Rhodiis additis, vastavit oras hostiles, & cum Mithridatis classe velatus est obiter. [*Appian. pag. 207, 208.*] Coos & Cnidias induxit, ut ejecto praesidio regio seuerum secum arma in

Samios. Chio regios exegit. Colophonios, comprehenso eorum tyranno Epigonio, asseruit in libertatem. [*Plutarch. in Lucullo.*] Per Murenam in Asiâ classem Mithridatis Syllæ conciliavit. [*Aurel. Victor, de viris illustr. cap. 74.*]

C. Fimbria, cæso in Bithyniâ Flacco & exercitu occupato imperator jam appellatus, (ut est apud Velleium, lib. 2. cap. 24.) civitates, alias voluntate ipsarum, alias vi sibi adjunxit. [*Memnon. cap. 36.*] Multos verò, non ex æquo & bono, sed iracundiâ & crudelitate adductus, nec dedit. Indéque, quum palos aliquot, quibus religatos homines virgis ad mortem cædere erat solitus, defigi in terram iussisset; postquam multo plures esse palos quàm damnatos animadvertit, quosdam ex circumstantibus comprehendi & ad vacuos deligari iussit, ut ne frustra statuti esse viderentur. [*Dio, in Excerpt. Valesii, pag. 653.*]

Idem cum Cyzicum tanquam amicus introisset, opulentissimos quosque variis criminationibus appetuit: duosque ex his civitatis principes capitibus damnatos, ad incutiendum cæteris terrorem, virgis cæsos securi percussit, & bona eorum publicavit, atque ita reliquos timore percussos conferre sibi integra patrimonia coëgit. [*Diodor. Sicul. ibid. pag. 409.*]

Mithridatis filius, Mithridates & ipse dictus, cum Taxile & Diophanto & Menandro ductorum præstantissimis conjunctus, & magno agmine instructus, Fimbriæ occursum. Cùmque illi numero militum superiores essent, detrimenta in conflictu Fimbria accepit. Sed cum ad flumen quoddam perventum esset, quod utrumque exercitum dividebat, imbre sub auroram fortè effuso, ex improvise Fimbria flumen transgressus, hostes in tentoriis somno gravatos ira oppressit, ut ne sentirent quidem; & magnâ strage editâ, præfectorum non multi & equites necem effugerent. [*Memnon, cap. 36.*]

Inter eos Mithridates Regis filius ex Asiâ ad Miletopolim fugatus, inde Pergamum ad patrem, unâ cum equitum comitatu, salvus evasit. Fimbria verò stationem Regis invadens, ipsum Pergamo expulit: urbéque captâ, fugientem in Pitanem insecutus, oblectum fossâ circumdare conatus est. [*Id. ibid. Liv. lib. 38. Appian. pag. 205. Plutarch. in Lucullo. Aurel. Victor. de vir. illustr. cap. 70. Oros. lib. 6. cap. 2.*]

Mithridates, premente eum ex terrâ & circumsedente Fimbriâ, mare respiciens, omnes undique contraxit & accersivit ad se classes; quod cum acri viro & victore signa conferre dubitaret. Quod advertens Fimbria, quia classe deficiebatur, misit ad Lucillum oratum classem ut adduceret, ac sibi præstò esset ad infestissimum populo Romano atque atrocissimum omnium regum capiendum. Et profectò cepisset, si Lucillus civilibus discordiis curam Reipublicæ prætulisset, eumque mari coarctare objectâ classe voluisset. Sed ille non auscultans, Mithridati copiam fecit mari elabendi & Fimbriæ deludendi exercitum. [*Plutarch. & Oros. ibid.*]

Mithridate igitur conscensis navibus Mitylenen fugiente, Fimbria provinciam obeundo mulcabat factionem Cappadocum, & agros populabatur excludentium se mœnibus. [*Appian. ut supr.*] Plurimif-
que

que civitatibus ad Romanos descendentibus, magnam partem Asiæ recepit. [*Memnon. cap. 36. Liv. lib. 83.*]

Ilienses autem oppugnati ab eo confugerunt ad Syllam : qui quum se venturum promississet, denuntiassetque Fimbriæ ut abstineret à suis dedititiis, laudavit ille jam reversos in populi Romani amicitiam ; nihil tamen interesse dicebat utri deditiorem facerent, se enim ambos juxta cives Romanos esse & ab Iliensibus oriundos. Undecimo verò die in urbem irrumpens, intra undecim dies in potestatem suam redegit se eam urbem jactabat, quam Agamemnon mille navium classe & totius Græciæ exercitu instructus non nisi ægrè decimo cepisset anno. Cui quidam Iliensium sic respondit : *Non enim erat nobis Hector, qui pro urbe propugnaret.* Obvium verò quemque nullo discrimine ille obtruncavit, & urbem prope universam incendit. Eos qui legatione ad Syllam functi fuerant necavit variis cruciatibus : ac ne à sacris quidem abstinuit ; imò nec ab iis qui in Minervæ templum confugerant, quos cum ipso fano combussit. Quin & moenia diruit : ac postredie obivit urbem, circumspiciens nunquid superesset reliquum ; effecitque ut neque area ulla relinqueretur, neque ædicula neque statua. [*Liv. lib. 83. Strabo, lib. 13. pag. 554. Appian. pag. 205. Dio, in Excerpt. Vales. pag. 653. Oros. lib. 6. cap. 2.*]

Quum Ilium, quòd tardiùs portæ patuissent, incendi Fimbria jussisset ; Minervæ templum inviolatum stetit scribit Aurelius Victor. [*de vir. illustr. cap. 70.*] quod, ut ille ait, *divinæ majestatis servatum nemo dubitavit.* At templum illud tum deslagrâsse, & inter ruinas ejus Palladium, antiquissimum illud simulachrum quod à Diomede & Ulysse belli Trojani tempore sublatum putabatur, integrum inventum fuisse, Julius Obsequens & Appianus confirmant. Quod quidem simulachrum à Fimbriâ tum indicatum, Romam postea fuisse advectum, ad librum 2^{um} Æneidos notavit Servius. quanquam non Romæ solum, sed etiam Lavinii, & Luceriæ, & Siritide, ejusmodi ostensas fuisse Minervæ imagines, quasi ab Ilio allatas, nos Strabo doceat. [*lib. 6. pag. 264.*] Præsentem verò Iliensium cladem desinente Olympiade CLXXIII. contigisse scribit Appianus : [*pag. 206.*] atque inter eam & præscam illam sub Agamemnone expugnationem, à quibusdam annos numeratos fuisse 1050. cum juxta Eratosthenis, Apollodori & Diodori Siculi rationes, ab Ilii excidio ad annum 4^{um} Olympiadis CLXXIII. (quo hæc desolatio facta est) anni intercesserint 1099.

Lucullus primùm circa Lecton Troadis regiã classẽ subitò oblatam profligavit. Iterum ad Tenedum appetentem se majore apparatu percipiens Neoptolemum, provectus est ante aciem quinqueremi Rhodiã ; cujus erat Damagoras navarchus, vir cum Romanorum cupidus tum præliorum navalium scientissimus. Incurrente magno impetu Neoptolemo imperantẽque gubernatori dirigere proram in hostem, veritus molem Demagoras navis regiæ & rostri ærai vim, non sustinuit fronte concurrere, sed navem properè circumactam detorquens inhiberi jussit ; atque ibi incurrentis ictu excepto non est
navis

navis afflicta, quòd esset partibus mari tectis illisus. Interea sociis advehentibus imperavit navem flecti Lucullus: multisque editis virtutis operibus avertit hostes, & Neoptolemum consecutus est. [*Plutarch. in Lucullo.*]

Areas Coelefyriæ rex (vocatus ad imperium à Damascenis, propter odium quo Ptolemæum Mennæum prosequerentur) in Judæam profectus cum exercitu, devicto Alexandro Jannæo apud Adida, certis conditionibus reduxit suos unde venerat. [*Joseph. lib. 13. cap. 23.*]

Cùm Romæ Cinna & Carbo in clarissimos viros impotenti dominatione sævirent, major pars nobilitatis ad Syllam in Achaiam, ac deinde post in Asiam perfugit: ita ut brevi in ejus castris species Senatus fuerit. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 23. Plutarchus in Syllâ; & ex eo Dio, in Excerptis Valesii, pag. 649.*] Orabantque eum omnes, ut periclitanti, imò jam perditæ patriæ subveniret. [*Entrop. lib. 5. Oros. lib. 5. cap. 20.*] Metella quoque illius uxor, ægrè se liberòsque neci subducens, domum ejus venit; nuntians domum & villas ejus ab inimicis incensas, oransque ut opem urbi ferret. [*Plutarch.*]

Mithridates, reputans ex quo exercitum in Græciam misit tam multos tam citò desideratos, scripsit Archelao ut faceret cum Syllâ pacem quàm honestissimis posset conditionibus. [*Appian. pag. 206.*] Æstuantibus Syllæ, ac neque patriam sustinenti afflictam deserere, neque quemadmodum decederet relicto bello Mithridatico expendenti, negotiator Deliacus Archelaus se obtulit; spem aliquam & mandata occulta ab regio duce Archelao adferens. Ea res ad eò fuit cordi Syllæ, ut ipse ad colloquium Archelai properaret. Congressi in mari sunt circa Delum, ubi templum Apollinis est. Exorsus orationem Archelaus, postulavit à Syllâ ut expeditione relicta Asianâ & Ponticâ, ad bellum civile proficisceretur: Regem ei argenti, navium, militum quantum vellet præbiturum. Excipiens Sylla hortatus est eum, Mithridatem ut relinqueret, ipse loco illius regnaret: appellaturum se eum socium & amicum Romanorum, si classem Regis sibi tradidisset. Proditionem Archelao detestante; pacis tandem cum Rege incundæ leges à Syllâ sunt propositæ. [*Plutarch. in Syllâ.*] inter quas una erat, ut præsidia locis omnibus Rex deduceret, nisi in quibus ante violatam pacem ea habuit. Quibus auditis, Archelaus continuo deducebat omnia præsidia: de cæteris conditionibus scripsit regi suo. [*Appian. pag. 207.*]

His pactis digressus Sylla, tendit per Theffaliam & Macedoniam ad Hellepontum: honorificè Archelaum secum habens. Qui cùm prope Larissam periculosum in morbum incidisset, Sylla inhibita profectio, non aliter ac si quispiam suis è ducibus & prætoribus fuisset, curam ejus habuit. Quod suspicionem auxit, haud bonâ fide ab Archelao ad Chæroneam pugnatum fuisse. [*Plutarch. in Syllâ: & ex eo Dio, legat. 33. vel 34.*]

Legati à Mithridate ad Syllam eò venientes, ne Paphlagoniæ & navium traditio pactis ullo modo comprehenderetur petebant: æquiores conditiones ab altero imperatore Fimbriâ se impetraturos fuisse adjicientes. Quibus indignabundus Sylla respondit, & Fimbriam pœ-
nas

nas daturum, & se, quamprimum attigerit Asiam, visurum num pace an bello Mithridates opus habeat. Archelaus verò Syllam obsce-
bat, ejusque prehensâ dextrâ, lachrymans iram ipsius mitigabat. Im-
petravit denique, ut ipsemet ad Mithridatem ablegaretur. Nam aut
præscriptis ab ipso legibus confecturum pacem; aut ni assentiretur ille,
vel sibi vel illi (Græca enim hîc variant) manus se illaturum. [*Plu-
tarch. & ex eo Dio, legat. 34. vel 35. Appian. pag. 207.*]

3920

Alexander Jannæus, pace cum Aretâ factâ, adversus vicinos
(sexennio ante mortem) exercitum ducens, Diam urbem vi cepit.
[*Joseph. lib. 13. cap. 23.*]

Reversus à Mithridate Archelaus, apud Philippos in Macedoniâ
Syllæ occurrit: omnia nuntians ex sententiâ esse, cupere autem ante
omnia Mithridatem ipsum convenire. Unde Sylla per Thraciam duxit
ad Cypselâ; Lucullo, qui jam cum classe ad eum venerat, Aby-
dum præmissio. E Chersoneso transitum tutum Lucullus illi præ-
buit, atque in transportando exercitu juvit. [*Plutarch. in Syllâ & Lu-
cullio. Appian. pag. 207, 208.*]

Congressus est Sylla cum Mithridate ad opidum Troadis Darda-
num. Habebat ibi Mithridates secum naves remigio instructas 200,
& terrestrium copiarum 20000; equites 6000, & curruum falcatorum
vim magnam: Sylla cohortes quatuor, & equites 200. Ibi collo-
quium est habitum, ambobus cum exiguo comitatu in campum pro-
gressis, inspectante utrinque exercitu. Quum autem Mithridates huic
obviam venisset, ac dextram porrexisset; interrogavit eum Sylla, ac-
ciperétne quibus conditionibus pepigerat Archelaus pacem? Tacente
primùm rege, ac multis deinde querelis & criminationibus utrinque
jactatis, tandem iracundâ Syllæ oratione Mithridates territus, con-
sensit in leges pacis Archelao datas. Atque ita demum salutavit eum
Sylla, ac complexu est osculatus. [*Memnon. cap. 37. Plutarch. in Syllâ;
& ex eo Dio, legat. 35. vel 36. Appian. pag. 208, 209, 210.*]

Leges verò pacis hæ fuerunt. Ut Mithridates paternis, id est, Pon-
ticis contentus, Asiâ & Paphlagoniâ abstineret; Bithyniâ Nicomedi,
Ariobarzani Cappadociâ cederet. Duces, legatos, captivos, trans-
fugas, fugitivos, & Chios cæterósque è civitatibus suis in Pontum
abstractos, dimitteret. Duo (vel, ut Memnon habet, tria) millia talen-
tûm Romanis penderet; & naves rostratas 70 (vel, ut idem Memnon
habet, 80) suis armamentis instructas Syllæ traderet. Civitati-
bus denique apud Romanos haud esset noxæ, quòd ad Roma-
nos defecissent. licèt Romani postea (contra pacis formulam)
earum multas servili jugo oppresserint. [*Memnon. & Plutarch.
ut supra; & Plutarchum exscribens Dio, legat. 33. vel 34. Appian.
pag. 207. Liv. lib. 83. Vellei. Patere. lib. 2. cap. 23.*] Atque ita bel-
lum Mithridaticum primùm, (ante annos quatuor coeptum) à
Syllâ, ne integro quidem triennio, cæsis hostium 160 millibus, re-
ceptis Græciâ, Macedoniâ, Ioniâ, Asiâ, cæterisque gentibus quas
Mithridates occupaverat, ademptâque classe & rege intra regnum
paternum compulsio, finitum est. [*Appian. lib. 1. Bell. civil. pag. 396.
cum Mithridatic. pag. 206. & 209. & 210.*]

Y

in

in Syllæ operibus clarius, quàm quòd, quum per triennium Cinnanæ Marianæque partes Italiam obsiderent, neque illaturum se bellum iis dissimulavit, nec quod erat in manibus omisit: existimavitque antè frangendum hostem quàm ulciscendum civem; repulsòque externo metu, ubi quod alienum esset vicisset, superaret quod erat domesticum. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 24. cum Plutarcho, in collat. Syllæ & Lysandri.*]

Mithridates igitur traditis Syllæ navibus & sagittariis 500, cum cæteris quæ debebantur ex foedere, reliquis navigiis in Pontum ad paternum regnum delatus est. [*Memnon. ut supra; Strabo, lib. 13. pag. 594. Plutarch. & ex eo Dio, legat. 36. vel 37. Appian. pag. 210.*] At Sylla, quum milites hanc pacem ægrè ferre sentiret; quòd grave quiddam ducerent, videre regem omnium infestissimum, qui tot millia civium Romanorum in Asiâ degentium uno die trucidari curâisset, cum opibus & spoliis abnavigantem ex Asiâ, quam totis annis quatuor prædis ac tributis colligendis exhausisset; hâc se ratione pargabat, quòd bello simul & cum Fimbriâ & cum Mithridate, siquidem ii se conjunxissent, gerendo viribus impar esset. [*Plutarch. & Dio, ibid.*]

Ex eo loco movit Sylla ad secundum à Fimbriâ stadium, qui castra juxta Thyatira habebat. Postulante verò Syllâ tradi sibi exercitum, cui ille contra leges præesset; ludens respondit Fimbria, ne ipsum quidem jam imperare legitimè. Quumque fossam Sylla duceret, milites Fimbriæ sagati præfidiis egressi salutaverunt Syllanos, & in opere faciundo propensè juverunt. [*Plutarch. ibid. Appian. pag. 210. Oros. lib. 6. cap. 2.*]

Eam mutationem cernens Fimbria, convocatis in concionem militibus reliquis, rogabat ut permanerent: qui quum negarent se bellaturos contra cives, discissâ tunicâ suppliciter prehensabat singulos. Et quum id quoque aversarentur, pluraque transfugia fierent; circumibat tribunorum tentoria, corruptisque largitione ex eis aliquot, rursus advocatâ concione jusjurandum exegit. Quumque conclamâssent Veneti, oportere nominatim ad sacramentum citari militem, ille præconem jusit nominare suos beneficiarios, & Nonium ante omnes, quorumcunque facinorum socium. Et quum ne hic quidem juraret, stricto gladio necem intentavit ei; donec coorto clamore militum territus destitit. [*Appian. ut supr.*]

Servum deinde pecuniis & spe libertatis induxit, ut pro transfuga receptus in castra Syllæ ipsum interficeret: qui parum constanter rem aggressus, & ex ipsâ trepidatione suspectus, comprehensus, omnia passus est. Tum Syllanus exercitus cum irâ & contemptu circumfistens vallum Fimbriæ, contumeliosè vocabat eum Athenionem: quo nomine aliquando fugitivorum in Sicilia quidam paucorum dierum rex fuerat. [*Id. ibid.*]

Quapropter Fimbria spe omni abjectâ, in munitionem progressus, Syllam invitavit ad colloquium. Is pro se misit Rutilium: quod maximè contristavit Fimbriam; ne colloquium quidem sibi concedi, quod non soleat negari vel hostibus. Quumque rogaret veniam, si
quid

quid peccasset per ætatis imprudentiam; Rutilius respondit, Syllam permissurum ut incolumis ad mare transeat, si velit ei Asiã, cujus ipse proconsul sit, cedere & abnavigare. Ille habere se dixit meliorem viam aliam: simulque Pergamum rediit, & ingressus templum Æsculapii, trajecit se gladio. Et quia vulnus lethale non erat, à servo impetravit operam: qui primò dominum, mox seipsum interfecit. Corpus Sylla ejus libertis ad sepulturam concessit. [*Id. pag. 211. cum Livio, lib. 83. Velleio Paterculo, lib. 2. cap. 24. Plutarcho, in Syllã, Aurelio Victore, de viris illustr. cap. 70. & Orofio, lib. 6. cap. 2.*]

Fimbriæ exercitum accedentem Sylla accepit & conjunxit cum suo: moxque Curionem jussit ut Nicomedem & Ariobarzanem in propria regna reduceret: Ad Senatum quoque perscripsit omnia; hostem se judicatum dissimulans. [*Appian. pag. 211.*]

Ilium, à Fimbriã vastatum, Sylla reformavit. [*Orof. lib. 6. cap. 2. cum Strabone, lib. 13. pag. 594.*] Idemque, Asiæ provinciam constituens, Ilienses, Chios, Rhodios, Lycios, Magnesios, aliòsque quosdam populos, vel in auxiliorum præmium, vel in solatium malorum quæ propter studium erga populum Romanum pertulerant, libertate donatos, adscripsit inter Romani populi socios. Dimissisque circa reliqua omnia opida militibus, per præconem edixit, ut quotquot mancipia libertatem à Mithridate acceperant, confestim in herilem potestatem redirent. Quod edictum quum multi contemnerent, & aliquot civitates deficerent, secutæ sunt cædes promiscuæ, tam servorum quàm ingenuorum ex variis occasionibus. Multorum quoque opidorum Asiæ diruta sunt mœnia, quorundam populis sub hastã venditis: & qui factionis Cappadociæ fuerunt vel viri vel urbes severe multabantur, præsertim Ephesii, qui per turpem adulationem donaria Romanorum cum ludibrio detraxerant. [*Appian. pag. 211.*]

Post hæc præcones per provinciam dimissi sunt, qui optimates civitatum Asiæ juberent ad certam diem coram Syllã comparere Ephesi. Qui postquam convenère, orationem ad eos pro tribunali habuit: in quã, & Romanorum in Asianos meritis & eorum in Romanos injuriis priùs commemoratis, hanc demum multam illis irrogandam pronunciavit. *Multo vos quinquennali tributo: quod jam nunc mihi representari jubeo; & insuper pecuniam insumptam in hoc bellum, & si quam præterea constitutio provincia postulat. Eam collationem ego in singulas civitates dividam, & tempus conferendi præfixam: & quos secus facere deprehendero, habeo pro hostibus.* Hæc locutus, multam in legatos distribuit, simulque misit qui eam exigent. [*Id. pag. 212, 213.*]

Eumque in finem illa Asiæ in 44 regiones facta ab eo est distributio, cujus ad L. Cinnæ IV & Cn. Papyrii II Consulatum Cassiodorus in suo Chronico meminit. Ut enim *vectigal equaliter illum descripsisse* Cicero, in epist. 1. lib. 1. ad Quintum fratrem; ita etiam *omnes Asia civitates proportionem in provincias descripsisse*, in Oratione pro Flacco, idem confirmat.

Multam publicam, viginti millia talentum Syllam Asiæ indixisse scribit Plutarchus; privatim verò domos insolentiã & vexatione flagellavisse eorum qui apud quemque diversabantur. Edixit enim ut

militi hospes apud se divertenti tetradachma in diem quaterna daret. Coenam insuper præberet ei ejusque amicis, quotquot liberet vocare. Centurio acciperet quinquaginta in diem drachmas; vestem præterea aliam quâ domi, aliam quâ in publico uteretur. [Plutarch. in Syllâ.] Publicæ verò illius mulctæ 20 millium talentorum exigendæ & signandæ monetæ munus Lucullo est injunctum: quæ allevatio quædam Syllæ acerbitalis oblata civitatibus Asiæ fuisse videbatur; quòd non modò innocentem & justum se, sed lenem etiam in tam gravi & tristi præstaret provinciâ. [Id. in Lucullo.]

At civitates inopiâ pressæ magnòque scœnere, aliæ theatra scœnatoribus, aliæ gymnasia, aut munitiones, aut portus, aut aliquid publicum oppignerabant, impudenter urgentibus militibus. Atque ita pecuniæ comportabantur ad Syllam, gemente præ calamitatibus Asiâ. [Appian. pag. 213.]

Piratæ quoque eodem tempore propalam per Asiam vagabantur penè justis classibus: quos primùm Mithridates mari immiserat, quum omnia quasi brevi amissurus vastaret; sed tum maximè creverant, non tantùm navigantibus infesti, verùm & portubus, castellis, opidifque timendi. Certè Iassus, Samus, Clazomenæ, Samothrace, præsentè Syllâ captæ sunt: & è fano Samothracio mille talentorum ornamenta ablata feruntur. At ille, sive quòd propter peccata indignos existimaret quos tueretur, sive quòd Romam propter seditiones properaret, in Græciam trajecit. [Id. ibid.]

Quum P. Rutilium Rufum, qui apud Mitylenæos exul fuerat, in patriam Sylla secum vellet reducere; in exilio, ne quid adversum leges faceret, remansit: & Smyrnam commigravit. [Valer. Maxim. lib. 6. cap. 4. Seneca, epist. 24. Quintilian. lib. 11. cap. 1. Dio, in Excerpt. Valesii, pag. 638.] Cujus urbis civis est factus. [Cicero pro Balbo.] ibique litterarum studiis intentus consenuit. [Oros. lib. 5. cap. 17.] neque in patriam redire unquam voluit. [Dio, ut supr.] De quo Seneca in lib. de Providentiâ cap. 3. *Infelix est Rutilus, quòd qui illum damnaverant, causam dicent omnibus seculis? quòd aequiore animo passus est se patriæ eripi, quàm sibi exilium? quòd Syllæ dictatori solus aliquid negavit, & revocatus non tantùm retrocessit, sed longius fugit?* et Ovidius in Ponto, lib. 1. eleg. 4.

Et grave magnanimi robur mirare Rutili,

Non usi reditus conditione dati:

Smyrna virum tenuit. —

Alexander verò Ptolemæi Alexandri nuper regis Ægypti filius, qui à Mithridate (cui à Cois deditus fuerat) ad Syllam fugiens in ejus familiaritatem receptus est, ex Asiâ in Græciam indeque Romam unâ cum eo profectus est. [Appian. lib. 1. Bell. Civil. pag. 414. Porphyri. in Græc. Ensch. Scaligeri, pag. 225. fin.]

Alexander Jannæus ad Essam sive Gerasam duxit exercitum, ubi erant Theodori filii Zenonis res pretiosissimæ: & triplici muro locum circumdans, cum demum expugnavit. [Joseph. lib. 13. Antiquit. cap. 23. collat. cum cap. 21. & lib. 1. Belli, cap. 3. & 4.]

L. Murena, ad ordinandas res in Asiâ, cum duabus Fimbrianis (sive Vale-

Vale-

Valerianis) legionibus, à Syllâ relictus est. [Appian. pag. 213.] Quò & illa Julii Exuperantii, de Syllâ, sunt referenda. Murenâ legatum suum provincia Valerianisque præfecit militibus, quos infidos bellis existimabat esse civilibus: & cum parte exercitus, injuriâ dolore commotus, ad extinguendam Marianam venit factionem. licet apud illum, velut ante cceptum à Syllâ bellum Mithridaticum, quando nullæ erant Valerianæ vel Fimbriæ legiones, non post illud demum finitum, res hæc facta memoretur.

Cum Murenâ Prætor relictus in Asiâ Quæstor est L. Lucullus; qui admirabili quâdam laude provinciæ præfuit. [Cicero, in Lucullo.] atque ita negotiis Asianis detentus, turbis Syllanis & Marianis in Italiâ minimè interfuit. [Plutarch. in ejus Vita.]

Ex Epheso cum totâ classe Sylla solvens, tertio die Piræum apulit: & mysteriis initiatus, desumpsit sibi bibliothecam Apelliconis Teii, in quâ plerique Aristotelis & Theophrasti libri erant haudum satis in vulgus noti. [Plutarch. in Syllâ.] Cùm enim Apelliconi multa suppeteret pecunia, Aristotelis bibliothecam & alias plures copiosas ille coëmerat: surreptâque è Metroo (Phrygiæ deæ templo) decretorum quæ à majoribus promulgata fuerant autographa possederat; & ex aliis civitatibus siquid esset antiquum, vel arcanum & reconditum, id omne corraferat. [Athenæus, lib. 5. cap. 11. ex Posidonio Apameno.] Tenebatur verò is librorum amore, quàm philosophiæ studio majore: indèque, quum à Nelei Scepsii posteris Aristotelis & Theophrasti libros humore & blattis vitiatos magnâ pecuniâ sibi comparâset, erosarum particularum quærens instaurationem, in nova libros transtulit exempla, lacunas non rectè implens, ediditque libros mendorum plenos. Statim verò à morte Apelliconis bibliothecam illius Sylla recepit: [Strabo, lib. 13. pag. 609.] quâ ipse suam Bibliothecam Romæ locupletavit. [Lucian. in lib. adversus indoctum.]

Mithridates in Pontum reversus, multas denuo gentes, quæ propter res ejus adversas ab illo defecerant, sub potestatem suam redegit. [Memnon, cap. 37.] initio à Colchis facto. Quibus quum bellum inferret, illi filium ejus Mithridatem sibi regem postulârunt: quo impetrato, statim redierunt sub imperium. Id Rex suspicatus factum per ambitionem filii, vocatum ad se iunxit aureis compedibus, nec multo post necavit: egregiâ hujus operâ usus in Asiâ contra Fimbriam. [Appian. in Mithridatic. pag. 213, 214.]

Agenti Athenis Syllæ quum dolor cum gravedine torpidus decubisset in pedes, Adipsum ille navigavit: ibique aquis calidis usus est, ferians simulque tempus traducens cum mimis. [Plutarch. in Syllâ.]

3921

Sylla cum exercitu Brundisium appulit, Olympiade CLXXIV. [Appian. Bell. civil. lib. 1. pag. 401.] L. Scipione & C. Norbano Consulibus. [Liv. lib. 85. Ful. Obsequens, de prodigiis. Eutrop. lib. 5.] reversus in Italiam, anno postquam inde discesserat quarto; non, post quintum annum, ut Julius Obsequens tradidit.

Ptolemæus Lathurus Thebæis ab ipso deficientibus bellum intulit. [Pausan. in Attic. pag. 8.]

L. Lucullus Mitylenæos, qui apertè a Syllanis partibus desciverant, cupi-

cupiebat reducere ad culpam agnoscendam & pœnam moderatam, quod sequuti fuissent Marium, pendendam. Quos ut insanire vidit, classe eos adortus est, fudit, atque intra muros redegit. Dum opidum obsidet, navigavit propalam die versus Eleam: verum rectè regressus, collocatis prope urbem insidiis, quievit. Ubi Mitylenæi incompositè & ferociter sicut vacua castra oppressuri eruperunt; subito in eos coortus cepit ingentem numerum. Interfecit ex iis qui pedem contulerunt quingentos; servos 6000, & immensam aliam prædam avertit. [*Plutarch. in Lucullo.*]

Mithridates adversus Bosphoranos, qui ab ejus imperio defecerant, classem parabat & magnum exercitum: aded ut ob magnitudinem apparatus mox orta sit opinio (cujus in oratione pro lege Maniliâ Cicero etiam meminit) non in Bosphoranos sed in Romanos hæc parari. Nam neque dum Ariobarzani solidam Cappadociæ possessionem reddiderat, retentis sibi locis quibusdam: & Archelaum suspectum habebat, quasi quum esset in Græciâ, plus æquo in conditionibus pacis Syllæ concessisset. [*Appian. in Mithridatic pag. 214.*]

Archelaus territus ad L. Murenam fugit; cùmque irritando, effecit ut prior Mithridati arma inferret: ut in Mithridaticis suis habet Appianus. Archelaum quoque ad Syllam (cujus in Asiâ vices Murena tum agebat) defecisse, in libro 39 Dio; & ad eundem se cum uxore liberisque contulisse, scribit Orosius. [*lib. 6. cap. 2.*] Ut Memnoni hîc ægrè fides fuerit adhibenda, qui Archelaum, non solum cum Mithridate mansisse, sed etiam in postremo bello Mithridatico strenuè partes illius propugnasse, tradidit. [*Vid. supr. ann. Mundi 3919.*]

L. Murena, triumphus ductus cupidine, bellum adversus Mithridatem renovavit. [*Liv. lib. 86. Appian. in Mithridatic. pag. 213.*] Per Cappadociam enim invasit Comana, urbem sub Mithridate maximam, & religioso opulentoque templo insignem: interfecitque nonnullos Regis equites. [*Appian. ibid. pag. 214.*]

Ad Murenam Mithridates legatos amandavit: qui cùm ipsi natione Græci essent, & vitæ genere philosophi, plus Regem culpârunt quàm commendârunt. Cùmque pacis cum Syllâ initæ leges prætererent: negavit Murena se videre ulla fœdera, nulla enim Sylla conscripserat; sed executione pactorum contentus, discesserat. Hæc locutus Murena confestim prædas agebat, ne à sacris quidem pecuniis abstinens: atque hyberna habens in Cappadociâ, illius regnum Ariobarzani magis confirmavit, & circa ingressum regni Mithridatis urbem Ecininam condidit. [*Memnon. cap. 38. Appian. pag. 214.*]

Quum mutuis Seleucidarum odiis inexpiabili bello & reges & regnum Syriæ consumptum esset; ad externa populus auxilia concurrat, peregrinosque sibi reges circumspicere coepit. Itaque cùm pars Mithridatem Ponticum, pars Ptolemæum ab Ægypto arcessendum censeret; occurreretque quod Mithridates implicitus bello Romano esset, Ptolemæus quoque semper hostis fuisset Syriæ: omnes in Tigranem regem Armeniæ consenserunt, instructum, præter domesticas vires, & Parthicâ societate & Mithridatis affinitate. Igitur accitus in regnum Syriæ, per 18 annos eo potitus est. [*Fust. lib. 40. cap. 1.*]

4631 83

cap. 1. & 2.] usque dum à Pompeio illi ademptum, Romanorum imperio est adjectum:

Horum annorum prioribus 14, Tigranis nomine Magadates cum exercitu Syriæ præfuit: donec cum exercitum in sui regis auxilium abducere coactus fuit; victoque Tigrane regnum Syriæ Antiocho Asiatico à Lucullo est datum. [Appian. in Syriac. pag. 118, 119. & 133.] Antiochus Pius interim (Asiatici pater) & Syriam ab Euphrate usque ad mare & parte etiam Ciliciæ à Tigrane exutus, in alio Ciliciæ necdum vel à Tigrane vel à Romanis occupato angulo latebat. [Appian. in Mithridatic. pag. 243. Justin. lib. 40. cap. 2.] uxor verò ejus Selene, cum duobus filiis, in Phoeniciam & parte aliquam inferioris Syriæ aliam regnabat; ut ex Josephi lib. 13. cap. ult. & Ciceronis libro 4^o in Verrem colligimus.

Mithridates & ad Senatum & ad Syllam misit, qui expostularent de Murenâ. [Appian. pag. 214.] Et ille verò & Murena, pro se quisque contra alterum legati missis, Heraclienses de auxiliis sollicitarunt. Sed quum potentia Romanorum formidabilis videretur ipsis, & Mithridatis vicinitatem etiam timerent; legati responderunt, in tantâ bellorum tempestate difficulter proprios se lares tueri, nedum aliis auxiliari posse. [Memnon, cap. 38.]

Alexander Jannæus Gaulanam & Seleuciam expugnavit. [Joseph. lib. 13. cap. 23.]

3922

L. Murena, trajecto Haly fluvio magno & tum maximè imbris tumido, 400 Mithridatis vicos incurfavit; nusquam occurrente Rege, & expectante legatorum Romam missorum reditum. Atque ita relictus prædâ Murena in Phrygiam & Galatiam reversus est. Ubi Callidius propter querelas Mithridatis Romam missus, nullum quidem Senatusconsultum ei obtulit; denunciavit tamen, omnibus audientibus, jubere Senatum ut à foederato rege absteat. Quibus dictis, mox, in conspectu aliorum, seorsum cum eo collocutus est: nec Murena quicquam de pristina vehementiâ remisit, fines Mithridatis tunc quoque incurans. [Appian. pag. 214, 215.]

Murenæ non pauci dederunt consilium, ut Sinopen invadens, de regiâ ipsâ bellum moveret: eâ enim captâ, facile etiam cætera in potestatem ventura. At Mithridates, validis hæc præfidiis communitâ, ipse bello gerendo incubuit. [Memnon, cap. 38.] Ubi Gordium igitur jussisset invadere vicos finitimos, ille mox jumenta multa impedimentaque & tam paganos quàm milites comprehendit, & castra sua Murenæ castris in adversâ ripâ opposuit. Pugnae verò neuter fecit initium, donec Mithridates venit cum majore exercitu: moxque circa fluvium commissum est magnum prælium. Ibi Rex vi transivit flumen, aliâs quoque Murenam longè superans: qui in tumulum naturâ munitum se recipiens, urgente Rege, per montanos calles properavit in Phrygiam, multis amissis vel in fugâ vel in prælio. [Appian. pag. 215.]

Hæc tam præclara acceleratâque & obiter parta victoria præpeti famâ vulgata, multos transtulit ad Mithridatem: qui & ex Cappadociâ pulsus omnibus Murenæ præfidiis, ingenti pyrâ in excelsi montis

463282

tis cacumine accensâ, Σοφιστὰς Δὴ five Jovi Bellipotentis victimas more patrio obrulit. [*Id. ibid.*]

3923

L. Cornelius Sylla, Dictator creatus, ut pristina Reipublicæ forma videretur manere, M. Tullium & Cornelium Dolabellam Consules à populo fieri permisit: licet ipse jam planè regnans illis præfuerit. [*Appian. lib. 1. Bell. civil. pag. 412.*] In quorum Consulatus initio, III Kalend. Februar. (ut ex fragmentis Triumphorum marmoreis liquet) qui dies in mensem Novembrem Julianum tum incidit, de rege Mithridate ingenti gloriâ (ut in libro 5^o habet Eutropius) triumphavit. Eique triumpho, licet magnificentiâ & raritate manubiarum regiarum grandi, major tamen species & pulchrius spectaculum accessit ab exulibus. Siquidem clarissimi viri & principes civitatis secuti sunt coronati currum Syllæ, servatorem & parentem cum appellantes; quod illius beneficio essent in patriam reduces, liberisque & conjuges recepissent. [*Plutarch. in Syllâ.*] Id quoque in Syllâ hîc laudatum; quod quum consummatâ potentiâ suâ triumphum duceret, ut Græciæ & Asiæ multas urbes, ita civium Romanorum nullum opidum vexerit. [*Valer. Maxim. lib. 2. cap. 8.*] In eo triumpho, quod ex Capitolinæ ædis incendio cæterisque omnibus delubris C. Marius filius Præneste detulerat, tredecim millia auri pondo sub eo titulo transtulit Sylla, & argenti septem millia. Idem ex reliquâ omni victoriâ pridie transtulerat auri pondo quindecim millia, argenti pondo centum & quindecim millia. [*Plin. lib. 33. cap. 1.*] Unde per biduum triumphâsse eum colligitur.

Alexander Jannæus, redactâ in suam potestatem valle quæ Antiochi dicitur & Gamalâ castello, Demetrium locorum illorum dominum multorum criminum accusatum principatu suo exiit: & tertio demum expeditionis suæ anno completo domum reduxit exercitum; magnâ alacritate Judæis eum ob res prosperè gestas excipientibus. Per hæc verò tempora & Syrorum & Idumæorum & Phœnicum urbes tenebant Judæi: ad mare, Stratonis turrem, Apolloniâ, Joppen, Jamniâ, Azotum, Gazam, Anthedonem, Raphiam, Rhinocoruram: in mediterraneis, per Idumæam regionem Adora & Marissam, & Samariâ: montes quoque Carmelium ac Itabyrium. ad hæc Scythopolim, Gadara, Gaulanitidem, Seleuciam, Gabala: & Moabiticæ urbes, Essebonem, Medabam, Lembam, Oronas, Telithonem, Zaram, Aulonem Cilicium, & Pellam; quam diruerunt, quod incolæ Judaicos ritus recipere recusarent. Possidebant & alias Syriæ non obscuras urbes, quas imperio suo noviter adjecerant. [*Joseph. lib. 13. cap. 3.*]

L. Cornelius Sylla Dictator, indignum esse censens Mithridatem foederatum bello infestari, Aulum Gabinium misit, qui seriò Murnæ denuntiaret, abstineret arma à Rege; & Mithridatem cum Ariobarzane reduceret in mutuam gratiam. In eo conventu Mithridates obside tradito Ariobarzani filio quadrimulo, eoque prætextu revertentâ eâ Cappadociæ parte quam præfidiis occupaverat, non sine auctario, convivium præbuit omnibus: proposuitque certum auri pondus his qui bibacitate, vel edacitate, diceris, cantu, cæterisque solenni-

bus

bus ludicris vincerent; cujus solus expers fuit Gabinius. [*Appian. in Mithridatic. pag. 215, 216.*]

Ita secundum Mithridaticum bellum anno tertio est finitum. [*Id. ibid.*] in quo Murena Mithridatem vehementissimè vigilantissimèque vexatum, repressum magnâ ex parte, non oppressum reliquit: ut ait Cicero in Oratione pro Murenâ filio ejus. quem & parenti suo magno hîc adjumento in periculis, solatio in laboribus, gratulationi in victoriâ fuisse, Orator adjicit. Qui etiam libro 1^o in Verrem, jussu L. Murenæ populum Milesium docet decem naves ex pecuniâ vectigali populi Romani fecisse; sicut, pro suâ quasque parte civitates Asiæ cæteras: quæ præsiidiaria classis ex foedere præbenda esset P. R. maritimis necessitatibus; ut ad eundem librum (sive orationem Verinam 3^{am}) notavit Asconius Pedianus.

L. Lucullus quæsturæ suæ tempus, Murenâ bellum in Ponto gerente, in Asiæ pace consumpsit. [*Cicero, in Lucullo.*]

Sylla Dictator Murenam ex Asiâ revocavit. [*Cicero, pro lege Manliâ.*] ei in Asiaticâ præturâ M. Thermo succedente: cujus contubernio stipendia prima C. Julius Cæsar in Asiâ fecit. [*Sueton. in Fulio, cap. 2.*] Simul verò cum Murenâ, ex quæsturâ etiam revocatum fuisse Lucullum, argumento illud est, quod Aquilio Gallo judici Romæ affederit in causâ Quintii: quam Ciceronem anno ætatis 26^o, M. Tullio & Cn. Dolabellâ Consulib. egisse, docet A. Gellius lib. 15. cap. 28. & Hieronymus in Chronico.

Alexander Jannæus, belli requiem, morbi habuit principium. Ex temulentia enim morbo contracto, triennio integro febre quartanâ laboravit: neque à castrensibus tamen officiis abstinere. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 4. & lib. 13. Antiquit. cap. 23.*]

L. Murena Romam reversus, amplissimè triumphavit. Cujus triumphum donis militaribus filius decoravit: qui sub eo imperatore meruit, & finem stipendiorum patris victoriam ac triumphum fecit. [*Cicero, pro Murenâ.*]

Mithridates otium nactus subegit Bosphorum, & genti unum ex filiis Macharem regem dedit. [*Appian. pag. 216.*]

Molo Rhetor legatus ad Senatum de Rhodiorum præmiis veniens, primus exterorum in Senatu sine interprete est auditus. Quem honorem non immeritò cepit, quoniam summam vim Romanæ eloquentiæ adjuverat. quo tempore & M. Cicero operam illi dedit. [*Cicero in Bruto. Valer. Maxim. lib. 2. cap. 2.*] quod & ante sexennium illum fecisse, suo loco notavimus.

Julius Cæsar à M. Thermo Asiæ prætore in Bithyniam ad arcesendam classem missus, desedit apud Nicomedem, non sine rumore prostratæ regi pudicitia: quem rumorem auxit inter paucos rursus dies repetita Bithynia, pecuniæ exigendæ prætextu, quæ deberetur cuidam libertino clienti suo. [*Sueton. in Fulio, cap. 2.*]

L. Cornelius Sylla Dictator plebi Romanæ inseruit ex proscriptorum servis florentissimum quemque ætate ac viribus, plusquam decem mille, donatos prius libertate civitatèque, & Cornelios vocatos de patroni nomine; ut inter plebeios haberet in Urbe semper ad iussa

parata decem millia. [Appian. lib. 1. Bell. civil. pag. 413. & 416.] Inter hos à Syllâ civitate donatos Alexandrum Polyhistorum fuisse, Servius in Æneid. 10. indicat. Et quidem Romæ Syllæ temporibus fuisse Alexandrum Polyhistorum, & libertate donatum, & Cornelium cognominatum, (licet à patrono Cornelio Lentulo, cui venditus, cuiusque pædagogus factus fuerit) confirmat etiam Suidas, in Ἀλεξάνδρου τοῦ Μιλήσιου. Milesium enim appellat ille Grammaticum hunc Crætetis discipulum: quem Stephanus Byzantinus patre Asclepiade in urbe minoris Phrygiæ Coryæo natum, de omnigenis rebus libros 42 scripsisse asserit. De quo videndus Eusebius, libro 9^o. Præparat. Euangelic. cap. 17. ubi complura ex libro quem de Judæis ille scripsit recitat.

Thebæos tertio à defectione anno Ptolemæus Lathurus in potestatem suam redactos tam graviter multavit; ut qui antè ditissimas qualque Græciæ civitates opibus superârunt, nullum pristinæ fortunæ vestigium retinuerint. Ita Pausanias in Atticis: [pag. 8.] sic ista referens, quasi ad Thebas Bœotias ista spectarent, non ad Thebas Ægyptias. quum eodem ferè tempore quo à Ptolemæo Thebæi defecerunt, magnas illas Thebas Bœoticiæ ab Archelao Mithridatis ad Syllam Romanorum ducem defecisse, ex Appiani Mithridaticis [pag. 190.] observaverimus.

Ipse verò Ptolemæus Lathurus non ita multo post fato functus est, [Pausan. ut sup.] annis post mortem fratris Philometoris 36. & mensibus 6. Cui succedens filia Cleopatra, Ptolemæi Alexandri (qui junior Lathuri frater, matrem simul secum regnantem occidit) uxor, regnavit mensibus 6. [Porphyr. in Græc. Euseb. Scalig. pag. 225.] Lathurum autem Berenicem solam è legitimo thoro suscepisse, confirmat Pausanias: [ut sup.] quâ ante patrem defunctâ, proles ejus illegitima, Ptolemæus quidem Cypri, Cleopatra verò ista & postea Novus Dionysius sive Auletes Ægypti regnum occupavisse videtur. nisi fortè eadem Porphyrio Cleopatra fuerit, quæ Pausaniæ Berenice.

Sylla Dictator Alexandrum, Ptolemæi illius Alexandri matricidæ filium, quem in familiaritatem receptum ex Asiâ secum Romam duxerat, Alexandrinis regem misit, deficiente ibi virili stirpe regiâ, & mulieribus viro cognato opus habentibus: sperans multum auri se collecturum ex regno opulentissimo. [Appian. Bell. civil. lib. 1. pag. 414.]

C. Julius Cæsar à M. Thermo in expugnatione Mitylenarum coronâ civicâ donatus est. [Sueton. in Julio, cap. 2.] Mitylenæ, quæ sola urbs post victum Mithridatem armâ retinebat, dirutæ sunt. [Liv. lib. 89.] urbe illâ nobili, belli lege ac victoriæ jure, sub potestate populi Romani redactâ. [Cicero, in Agrariâ 2^a.]

Alexander, ductâ in uxorem Ægypti reginâ Cleopatrá, postquam per 19 dies simul cum illâ regnavisset, eam interemit. [Porphyr. ut sup.] Appianus regem hunc, Syllæ fiduciâ insolentiùs imperantem, decimo nono regni die ab Alexandrinis in gymnasium ex regiâ tractum & interemptum fuisse scribit. Sed annos 15 post uxoris necem eum regnavisse, ex Cicero & Suetonio postea apparebit: con-

tra

tra communem Historicorum & Chronographorum errorem; qui Ptolemæi Auletæ regnum hîc incipiunt, & annos illius cum annis Alexandri commiscent.

Mithridates Achæos aggressus, Colchis finitimos, eorum (ut quidam putant) qui à Troiâ revertentes huc errore delati sunt reliquias, duas partes exercitus partim insidiatorum dolo, partim aperto Marte, atque etiam inclementiâ frigoris amisit. [*Appian. pag. 216.*]

Domum reversus Mithridates, Romam misit qui leges fœderis conscriberent. Ariobarzanes quoque misit, sive sponte sive incitatus ab aliis, qui docerent se non recepisse Cappadociam, & majorem ejus partem retinere Mithridatem. Mithridates verò à Syllâ cedere Cappadociâ jussus est, prius quàm leges pacis conscriberentur. [*Id. ibid.*]

Constitutâ Ciliciæ provinciâ, Proconsul ad eam Cn. Dolabella est missus. Cui provinciæ, præter tres dioeceses proprias, Pamphylicam, Isauricam, & Ciliciensem; tres quoque Asiaticas dioeceses attributas fuisse, testatur Cicero. [*lib. 13. ad familiar. epist. 67.*] Cibyraticam nimirum, Synnadensem, & Apameensem; in regionibus Phrygiæ, Pisidiæ, & Lycaoniæ positas. Cùm verò Dolabella, quæstorem secum ducens C. Malleolum & legatum C. Verrem, in itinere Delum pervenisset: ibi ex fano Apollinis antiquissima signa noctu clam sublata in onerariam navem suam Verres conjicienda curavit. Tum subito tempestates coortæ sunt maximæ, ut non modò proficisci, cùm cuperet, Dolabella non posset, sed vix in opido consistere: ita magni fluctus ejiciebantur. Hîc navis illa onusta signis, expulsa atque ejecta fluctu, frangitur: in litore signa illa Apollinis reperiuntur, jussu Dolabellæ reponuntur; tempestas sedatur, Dolabella Delo proficiscitur. [*Cicero, act. 2. in Verrem lib. 1.*]

Chio, Erythris & Halicarnasso, idem Verres signa pulcherrima abstulit. Tenedo quoque ipsum Tenem pulcherrimè factum, qui urbem illam dicitur condidisse & cujus ex nomine Tenedus nominatur, abstulit magno cum gemitu civitatis. [*Id. ibid.*]

Quum Verres à Cn. Dolabellâ efflagitasset, ut se ad reges, populi Romani socios, Nicomedem Bithyniæ & Sadalam Thraciæ, mitteret; Lampfacum in Hellesponto pervenit. Ubi cùm assecla illius Rubrius Philodami primarii civis filiam ad Verrem perducere conaretur, Lampfacenis Themistagoræ & Thessali hortatu ad tuendam illius pudicitiam noctu concursantibus, licitor Verris Cornelius occisus, servique ipsius nonnulli, unâ cum Rubrio, in turbâ sauciati sunt: ipsius quoque legati domo ab incendio ægrè servatâ. Dolabella à Verre rogatus, relicto bello (quod tunc ab illo in Ciliciâ gerebatur) atque provinciâ suâ in Asiam profectus, à C. Nerone, qui in Asiæ præturâ M. Thermo successerat, obtinuit ut Philodamus & filius ejus judicio damnati securi percuterentur. [*Id. ibid. cum Asconio Pediano in eundem.*]

3925

Verrem ex Asiâ decedentem Charidemus Chius trierarchus à Dolabellâ sequi jussus, Samum cum eo venit. Ubi expugnato antiquissimo Junonis Samiæ fano, tabulas & signa Verres inde sustulit.

Z 2

Cujus

Cujus sacrilegii cùm à Samiis apud Chios suos accusatus Charidemus, planum fecisset, non à se sed à Verre ista fuisse facta: legati ad C. Neronem in Asiam Samo venerunt, de eo conquesturi. Qui responsum tulerunt; ejusmodi querimonias, quæ ad legatum populi Romani pertinerent, non ad prætorem, sed Romam deferri oportere. [*Cicero, ibid.*]

In Pamphylia idem Verres Aspendo non modò Aspendium citharistam, quem omnia intus canere dicebant, sed signa etiam reliqua omnia ex fanis & locis publicis, palàm spectantibus omnibus, ploristris evecta asportavit; Pergæ verò antiquissimum Dianæ fanum spoliavit, & ex ipsâ Dianâ quod habebat auri detractum abstulit. [*Id. ibid.*]

Habebant Milesii præsidariam classem, ex foedere præbendam populi Romani maritimis necessitatibus. Hos navem Verres poposcit, quæ eum præsidii causâ Myndum prosequeretur. Illi statim myoparonem egregium de decem navibus electum, atque ornatum dederunt. Verres autem milites remigésque Miletum Myndo pedibus reverti jussit: myoparonem verò L. Magio & L. Fannio, qui à Mariano exercitu transfugæ Myndi tum habitabant (postea verò ad Sertorium & Mithridatem transierunt) vendidit. Qui myoparoni præfuerat, rem gestam renuntiavit: illi renuntiationem ejus in publicas litteras reulerunt. Sed Cn. Dolabella, Verris rogatu, & in renuntiatorem animadvertere conatus est, & renuntiationem ex tabulis tolli jussit. [*Id. ibid. cum Ascon. Pediano in eund.*]

C. Malleolo quæstore Cn. Dolabellæ occiso Verres statim à Dolabellâ quæstoriam procurationis munus obtinuit: & pupilli tutelam adeptus, bona ejus invasit. [*Ibid.*]

Quum provincias fortirentur Consules; P. Servilius Ciliciam, Ap. Claudius Macedoniam obtinuit. Servilius ægrotum Tarenti collegam prior transgressus, ad Corycum urbem iter vertit: [*Salust. Historiar. lib. 1. apud Priscian. lib. 15.*] contra piratas missus; qui, duce Isidoro, in proximo mari (Cretam inter atque Cyrenas, Achaiam sinumque Maleum) quod à spoliis Aureum ipsi vocavere, latrocinebantur. [*Florus, lib. 3. cap. 6.*] Sub Servilio Julius Cæsar, sed brevi tempore, meruit. [*Sueton. in Julio, cap. 3.*] & L. Flaccus tribunus militum fuit. [*Cicero, pro Flacco.*]

Cn. Dolabella ex Ciliciâ provinciâ revocatus, Romæ ab adolescente M. Emilio Scauro repetundarum accusatus, damnatus atque in exilium missus est. Cujus lis festertium ad tricies his nominibus solis est æstimata; quod ejus Quæstor C. Verres à civitatibus Lyciæ, Pamphylia, Pisidia, Phrygiæque frumentum, coria, cilicia, saccos præter modum imperasset; neque ea sumpsisset, sed pro his rebus pecuniam exegisset. Contra eum verò ipse Verres, totius criminis minister & particeps, acerrimum testimonium dixit: & nisi condemnato & ejecto eo, qui posset reprehendere, legationis & quæsturæ suæ rationes referre noluit. [*Cicero, act. 2. in Verr. lib. 1.*] Vid. Pighii Anal. Rom. tom. 3. pag. 280, 281. & 286, 287.]

Alexander Jannæus, quartano febrium recurso fatigatus, & intemp

festivâ

4635 79

peſtivâ militiâ ſeſe implicans, tandem exhaustis viribus, quum 27 regnâſſet annos, in Geraſenorum finibus mortuus eſt; Ragaba caſtel- lum, quod ultra Jordanem ſitum eſt, obſidens. Moriturus uxorem Alexandram monuit, ut apud milites mortem ipſius tantisper cela- ret: deinde poſtquam victrix magnificè Hieroſolyma reverſa fuerit, Phariſæis nonnihil licentiæ permitteret. Poſſe enim hos plurimû apud Judæos, ſive exoſum aliquem cûpant lædere, ſive amicum juvare. Valde enim his fidem habere vulgus, etiâſi per invidiam de quopiam malè loquantur: eâmq; ſe ob cauſam gentis odium incurriſſe, quòd hoc genus hominum offendiſſet. Suâſit igitur ut cadaver ipſius eo- rum arbitrio permitteret, pollicereturque nihil ſe niſi ex illorum ſen- tentiâ geſturam in adminiſtrando imperio: ſic enim fore, ut & ipſe tanto magnificentius ſepeliretur, & illa ſecurè cum filiis dominaretur. [*Joſeph. lib. 1. Belli Judaic. cap. 4. & lib. 13. Antiqu. cap. 23. cum lib. 20. cap. 8.*]

Alexandra regina (Eccleſiaſticis ſcriptoribus *Salina* etiâ dicta) capto caſtello Ragabâ, juxta mariti monita, omnia quæ vel ad ca- daver vel ad regnum pertinerent Phariſæorum arbitrio permittens, ex inſenſis benevolos ſibi reddidit. Tum illi progreſſi ad plebem con- cionabantur, res geſtas Alexandri celebrantes, & regem juſtum ſe amiſſiſſe conquærentes: populûmq; ad eum luctum & mœſtitiâ provocaverunt, ut nullum antehac regem funeraverint magnificentius. [*Id. lib. 13. Antiqu. cap. 24.*]

Cùm verò ille moriens & regni adminiſtrationem uxori Alexandræ teſtamento reliquiſſet, & deligendi Pontificis permiſſiſſet arbitrium: majorem illa natu filium Hyrcanum Pontificem declaravit, non tam propter ætatis prærogativam, quàm quòd propter innatam ſegniti- em poteſtati quam ipſa obtinebat regiæ minimè moleſtus futurus vi- deretur; minorem autem Ariſtobulum privatum vivere maluit, quòd ferventioris is eſſet ingenii. Per novem igitur annos regnum illa ad- miniſtravit; toto eo tempore filio Hyrcano Pontificatum obtinente: mulier apud populum gratioſa, tum ob favorem Phariſæorum, tum quòd ſemper viſa eſſet ægrè tuliffe ea, quæ maritus præter officium feciſſet. Et nomen quidem regni penes reginam erat, ejus autem ad- miniſtratio penes Phariſæos: quibus etiâ plebs parere ab eâ juſſa eſt. Si quid igitur conſtitutionum Hyrcanus ſocer abrogaverat, quas Phariſæi juxta majorum traditiones induxerant, id totum illa denuò reſtituit: iudèmq; & exulibus reditum, & vincis ſolutionem pro- curabant. Quædam tamen etiâ per ſe maſter procurabat, & ma- gnum mercede conductorum militum alebat numerum: virèſque ſu- as ita augebat, ut terrori eſſet circumvicinis tyrannis & obſides ab eis acciperet. [*Id. ibid. cum lib. 26. Antiqu. cap. 8. & lib. 1. Belli cap. 4.*]

Mithridates, Syllæ juffu, reſtitutâ Ariobarzani totâ Cappadociâ, aliam legationem ad ſcribendas leges fœderis Romam miſit. [*Appi- an. pag. 216.*]

M. Lepido & Q. Catulo Conſulib. Sylla mortuus eſt. [*Liv. lib. 90. Appian. lib. 1. Bell. civil. pag. 416.*]

tiorum suorum libro extremam manum imposuit : sibi que prædixisse Chaldæos ait, ubi præclare vixisset, in flore felicitatis se excessurum. [*Plutarch. in Syllâ.*] Eos Commentarios Lucullo ille nuncupavit: quem & moriens, præterito Pompeio, tutorem filio scripsit. Unde inter eos, juvenes tum & gloriæ cupiditate flagrantes, primus similitatis & æmulationis fons manasse putabatur. [*Id. in Lucullo.*]

M. Cicero, postquam sex menses Athenis cum Antiocho Ascalonitâ veteris Academiæ nobilissimo & prudentissimo philosopho & Demetrio Syro vetere & non ignobili dicendi magistro fuisset, morte Syllæ ibi auditâ, in Asiam navigavit: eaque totâ peragrata, cum summis oratoribus exercebatur. Horum erant principes, Menippus Stratonicensis (cognomento Câtocas) è Cariâ, Dionysius Magnes, Æschylus Cnidius, & Xenocles Adramyttenus. [*Cicero in Bruto, & Plutarch. in Cicerone: cum Strabone, lib. 13. pag. 614. & lib. 14. pag. 660. & Diog. Laërtio, in Menippo.*]

Eo quoque tempore Milesia quædam mulier, quod ab hæredibus secundis acceptâ pecuniâ partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis est damnata; neque injuriâ: quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, hæredem familiæ, designatum reipublicæ civem, sustulisset. [*Cicero, pro A. Cluentio.*]

P. Servilius proconsul Ciliciam subegit: piratarumque levibus & fugacibus myoparonibus gravi & Martiâ classe turbatis, victoriâ non incruentâ eos superavit. [*Liv. lib. 90. Florus, lib. 3. cap. 6. Entrop. lib. 6.*] Ciliciam & Pamphyliam crudelissimè adortus, dum subdere studet, penè delevit. [*Oros. lib. 5. cap. 23.*]

Julius Cæsar, Syllæ morte compertâ, relictâ Ciliciâ Romam properè rediit. [*Sueton. in Julio, cap. 3.*]

Romæ quum magistratus, defuncto jam Syllâ, de Mithridatis legatione ad Senatum non retulissent; rex Tigranem generum subornavit ut Cappadociam invaderet: quod tamen commentum Romanos non latuit. [*Appian. in Mithridat. pag. 216.*] inter quos L. Philippum, in oratione contra Lepidum hoc tempore ad Senatum habitâ, in libro 1^o Historiarum ita loquentem inducit Salustius. *Mithridates in latere vesticulium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello circumspicit.*

3927

Tigranes, Cappadociâ velut indagine cinctâ ut nemo posset evadere, ad trecenta millia hominum inde abstraxit in Armeniam, & agros eis ad incolendum cum aliis attribuit: ubi primùm Armeniæ regni diadema sibi imposuit, & *Tigranocertam* à se, quasi *Tigranis urbem*, denominavit. [*Id. ibid.*] Eam ille urbem condidit inter Iberiam & Zeugma quod est ad Euphratem: conducens in eam homines è duodecim quas evastaverat Græcanicis urbibus. [*Strabo, lib. 11. pag. 532.*] Erant in eâ frequentes ex Ciliciâ exciti Græci, frequentes barbari eadem atque Græci sorte usi, Adiabeni, Assyrii, Gordyeni, Cappadoces: quos excisis eorum patriis deduxerat illuc, ac sedes figere coegerat. [*Plutarch. in Lucullo.*] Hoc verò tempore, quo Cappadociam incursionibus vastavit, Mazacenos omnes sedibus suis ejectos in Mesopotamiam transtulit, & majorem Tigranocertæ partem

tem iis habitatoribus frequentavit. [Strabo, lib. 12. pag. 539.]

Geminus, insignis mathematicus, opus suum astronomicum (ex quo Procli Sphæra est excerpta) scripsit, 120 annis postquam Ægyptiorum Isia in Eudoxi Soltitium brumale, sive Decembris 28 incurrebant: ut ipse in cap. 6. indicat. *Vid. ann. Mundi 3807.4.*

M. Cicero Rhodum veniens, ad eundem quem Romæ audiverat Molonem se applicavit; cum actorem in veris causis scriptoremque præstantem, tum in animadvertendis notandisque vitiis & instituendo docendoque prudentissimum. Is dedit operam, ut nimis redundantem & superfluentem juvenili quâdam licentiâ Ciceronem reprimeret, & quasi extra ripas diffluentem coerceret. [Cicero, in Bruto.]

Floruit ibidem eodem tempore summus etiam artis Oratoriæ magister Apollonius; cui à Strabone Μαλακῦν sive *Mollia*, ab aliis *Molonis* cognomentum tribuitur, & ob hoc à nonnullis (inter quos & Quintilianus est, lib. 12. cap. 6.) cum priore illo *Molone* confunditur. Alabandenses è Cariâ erant ambo, Meneclis Alabandensis rhetoris discipuli; & uterque domo suâ profectus, eandem artem Rhodi professus est: licet seriùs Molon eò se contulerit, indèque Homericum illud ab Apollonio audierit, Ὁπὲρ μολῶν. [Strabo, lib. 14. pag. 655, 660, 661.] Unum Cicero *Molonem* semper appellat: alterum, in libro 1 de Oratore, *Apollonium Alabandensem*, ubi ita de eo loquens M. Antonius introducit. *In eo vel maxime probavi summum illum doctorem Alabandensem Apollonium, qui cum merce doceret, tamen non patiebatur eos quos judicabat non posse oratores evadere operam apud se perdere, dimittebatque: & ad quam quemque artem putabat esse aptum, ad eam impellere atque hortari solebat.*

Hunc Apollonium fama est, quòd imperitus esset Romanæ linguæ, à Cicerone petiisse, ut declamaret Græcè: Ciceronem autem morem ei gessisse libenter, ita fore ratum, melius ut corrigeret se ille. postquam declamavit, cæteris stupore defixis & certatim collaudantibus eum, Apollonium non hilarem fuisse dum audiret dicentem; & quum perorasset, diu sedisse cogitandum: tandem verò, ubi id momordit Ciceronem, dixisse. *Te quidem laudo, Cicero, & admiror: Græciæ verò memiseret conditionis, quum cernam, qua reliqua nobis sola erant ornamenta, ea quoque te ad Romanos transtulisse, litteras & eloquentiam.* [Plutarch. in Cicerone.]

Rhodi Ciceronem quoque philosophum Posidonium audivisse Plutarchus confirmat. Eumque inter eos, à quibus institutus fuit, enumerat ipse Cicero; in lib. 1. de Naturâ Deorum, & lib. de Fato. Posidonius verò iste Stoicæ sectæ philosophus, Apameæ quidem in Syriâ natus, sed Rhodi postea civis factus Rhodius est appellatus; ut ex Strabone [lib. 14. pag. 654.] & Athenæo [lib. 6. cap. 6.] cognoscitur. Ubi & illud obiter notandum, quum *Posidonium* & *Apollonium Molonis* vel *Molonem* (ut alibi scribitur) de Judæis & eorum Templo fabularum fomitem Apioni Grammatico præbuisse dicat Josephus: [lib. 2. contr. Apion. pag. 1065.] prioris nomine Apamenum hunc *Posidonium* intelligere, Ciceronis in philosophiâ Stoicâ magistrum, ex cujus Historiarum libris tam multa à nobis in superioribus sunt produ-

cta;

463777

sta; posterioris verò vel *Apollonium* illum de quo jam diximus, vel potiùs *Molonem* illius æqualem, quem inter *scriptores* in Ciceronis Bruto numeratum, atque à quibusdam eundem cum Apollonio illo fuisse habitum, jam diximus.

P. Servilius proconsul in Ciliciâ Isauros domuit, & aliquot urbes piratarum expugnavit. [*Liv. lib. 93.*] Urbem ipsam Isauram demolitus est, & pleraque piratarum munitiones excidit quæ ad mare erant. [*Strabo, qui ipsum Servilium se vidisse ait, lib. 12. pag. 568, 569. & lib. 14. pag. 665.*] Lyciam & urbes ejus clarissimas obseffas oppressasque cepit. Præterea Olympum montem pervagatus, Olympum, Phaselidem, & Corycum tres magnas urbes evertit. Primus quoque Romanorum per Taurum duxit exercitum, ac limitem itineris fecit: lateraque montis in Ciliciam vergentia perscrutatus, Isauros bello fractos in Romanorum ditionem redegit. [*Oros. lib. 5. cap. 23. cum Floro, lib. 3. cap. 6. Salustio lib. 1. Histor. apud Priscianum libro 15. Asconio Pediano, in Verrinam 3. & Eutropio, lib. 6.*] Agros Attaliesium, Phaselitum atque Olympenorum, agrumque Agerensem, & Orindicum, & Gedusanum, populo Romano Servilii victoriam adjunxisse, in 1^a & 2^a Agrariâ confirmat Cicero: qui etiam in 4^o contra Verrem libro de Phaselide speciatim ista adjicit. Phaselis illa, quam cepit P. Servilius, non fuerat urbs antè Cilicum & prædonum: Lycii illam, Græci homines, incolebant. Sed quòd erat ejusmodi loco atque ita projecta in altum, ut & exeuntes è Ciliciâ prædones sæpe ad eam necessariò devenirent, & cum ex hisce se locis reciperent, eòdem deferrentur; adsciverunt illud sibi opidum piratæ, primò commercio, deinde etiam societate.

3928

L. Magius & L. Fannius de exercitu Fimbriz profugi Mithridati sese adjunxerunt: eique persuaserunt ut cum Q. Sertorio, qui in Hispaniâ tum contra Romanos arma sumpserat, societatem belli pacisceretur. Hos ille legatos cum litteris ad Sertorium misit: pecuniam & naves illi ad bellum se præbiturum promittens; & ab illo vicissim omnem Asiam, quâ populo Romano foedere cum Syllâ isto cesserat, confirmari sibi postulans. Legatos, myoparone illo quem Myndi à C. Verre comparaverant in Italiam transvectos & ad Sertorium inde festinantes, Senatus in hostium numero habendos censuit, & inquirendos mandavit. Ad Sertorium tamen illi pervenerunt: qui coacto suorum concilio, quod Senatum vocabat, quum cæteri accipiendas condiciones censerent, eas improbavit. Ut Asiæ enim provincia, quâ ille populum Romanum injustè spoliaverat, quàmque à Fimbriz bello illi extortam ipse foedere cum Syllâ sancito dimiserat, negavit permissurum se ut in ejus ditionem iterum recideret: Bithyniam verò & Cappadociam ipsi parère assuetas, nec quicquam populo Romano attingentes, se illi dixit non invidere. His tamen conditionibus foedus est initum, & jurejurando confirmatum: ut Sertorio Mithridates tria millia talentum cum 40 navibus præberet; Sertorius verò Mithridati Cappadociam & Bithyniam (quibus Appianus non Paphlagoniam solum & Galatiam, sed ipsam quoque addit Asiam) occupandas concederet, & Ducem ei militésque mitteret. Ducem verò ad eum misit in Asiam

463876

Asiam Mithridates, ex senatoriis exulibus, *M. Marium* (*Varium Ap-
piano dictum*) eique duos illos Lucios consiliarios addidit, Magium
& Fannium. Qui Dianio maritimâ Hispaniæ civitate solventes, & Si-
nopen Ponti ubi Mithridates erat pervenientes, quum negatam illi à
Sertorio Asiam declarâssent; Rex ad amicos dixisse fertur. *Quid tan-
dem in Palatio sedens imperabit Sertorius; qui nunc ad Oceanum summo-
tus Atlanticum fines regno nostro præscribit, & tentantibus Asiam bellum
denuntiat?* Marcus tamen Marius ex Sertorii sententiâ foedus cum eo
firmavit. Quem Rex apud se retentum, brevi in locum Archelai, qui ab
ipso transfugerat, ducem fecit. [*Cicero, pro lege Maniliâ; & pro Mu-
renâ. item, act. 2. in Verrem lib. 1. cum Asconio Pediano in eund. Liv. lib.
93. Plutarch. in Sertorio. Appian. in Mithridatic. pag. 216, 217. Orof. lib. 6.
cap. 2.*]

Restituto Capitolio (cum quo, ante septennium, libri Sibyllini
fuerant combusti) retulit ad Senatum C. Curio Consul ut legati Ery-
thras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita Romam deporta-
rent. Misique P. Gabinius, M. Otacilius & L. Valerius, descriptos
à privatis versus Romam deportârunt: quos Consules Curio &
Octavius in Capitolio, quod tunc erat curante Q. Catulo restitutum,
ponendos curârunt. [*Fenestella: à Laëtantio citatus, lib. 1. Institut.
cap. 6. & lib. de ira Dei cap. 22.*] Unde libros Sibyllinos, quos Roma-
ni consulebant, Erythræam creditam scripsisse Varro dicit: quia post
incensum Apollinis templum, in quo fuerant libri, apud Erythræam
insulam ipsa inventa sunt carmina: si Servio credimus. [*in Æneid. 6.*]
Incensum enim templum non Apollinis sed Jovis Capitolini fuit: &
Capitolio reseccto, licet ex Senatusconsulto ad versus transcribendos
Erythras Asiæ legati missi fuerint, non tamen ex Erythræis solis, sed
etiam ex aliis civitatibus & Italicis & Græcis privatorumque homi-
num bibliothecis, cujuscumque Sibyllæ nomine fuerunt, libri qui
postea extabant coacti Romamque allati fuerunt; in quibus & sup-
posititia quædam, ex acrostichidum quas vocant discrimine, sunt
deprehensa. Quod ex ipsius Varronis libris rerum divinarum, à Di-
onytio Halicarnasæo [*lib. 4. antiquit. Roman.*] et Laëtantio Firmiano
[*lib. 1. Institut. cap. 6.*] habetur relatum. *Quæsitæ quoque fuisse Samo,
Ilio, Erythriæ, per Africam etiam & Siciliam & Italicæ colonias car-
mina Sibyllæ, una seu plures fuere; datumque Sacerdotibus negotium,
quantum humanâ ope potuissent, vera discernere,* in libro 6^o Annalium
prodidit Tacitus.

Iisdem Cn. Octavio & Cn. Scribonio Curione Consulib. scintillam
è stellâ cadere & augeri terræ appropinquantem, & auctam in Lunæ
magnitudinem illuxisse ceu nubilo diei; dein cum in cœlum se recipe-
ret lampadem factam, *Licinium Syllanum* Proconsulem cum comi-
tatu suo vidisse, in Naturalis suæ historiæ lib. 2. cap. 35: prodit Pli-
nius. Cum autem *Syllanus* inter cognomina Romana non inveni-
atur; *L. Junium Silanum* in Plinio hæc reponendum censet Pighius.
Ut *Junius* hoc tempore, Cn. Neronis loco, cum proconsulari im-
perio in Asiam missus, in itinere prodigium hoc cum comitatu suo
conspexisse videatur.

3929

Nicomedes Bithyniæ rex, sine liberis defunctus, populum Romanum fecit testamento hæredem: regnūque ejus in provinciæ formam redactum est. [*Liv. lib. 93. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 4. & 39. Appian. lib. 1. Bell. civil pag. 420. & Mithridatic. pag. 175. & 218.*] Quod spectat & illa de Romanis querela, in epistolâ Mithridatis ad Arsacem; libro 4^o Historiarum Salustii. *Totam Bithyniam, Nicomede mortuo, diripuerunt; cum filius Musa, quem regem appellaverat, genitus haud dubiè esset.*

Eodem quoque anno (quo CLXXVI acta est Olympias) Cyrene provinciâ auctum fuisse populum Romanum, Ptolemæo Apione rege ex Lagidarum gente testamento eam illi relinquente, in libro 1. de Bell. civil. [*pag. 420.*] scribit Appianus: in fine etiam Mithridaticorum, è Lagidarum gente *nothum* regem illum fuisse addens. quæ *Apionis* descriptio, ostendit eundem esse cum illo, quem *ex pellice susceptum* regni Cyrenarum hæredem populum Romanum instituisse, in lib. 39. cap. 5. Justinus retulit. ubi tamen *eam Libya partem provinciam factam* fuisse adjicit: quum Ptolemæo Apione mortuo, Senatū regni Cyrenarum civitates liberas esse jussisse, suprâ (ad annum Mundi 3908) ex Livio audiverimus. ut tunc quidem liberatæ, nunc verò in provinciæ formam redactæ illæ fuisse videantur. Et tunc quidem *Ptolemaum regem Cyrena morientem Romanos testamento dimisisse hæredes*, anno 1^o Olymp^{is} CLXXI. postea verò *Libyam per testamentum Apionis regis Romanis relictam*, Olympiadis CLXXVIII anno 4^o, in Eusebiano Chronico notavit Hieronymus: posterius hoc undecim ferè annis ferius. quàm rationes Appiani hîc postulant, collocans. Novennio ferius, ad Cæciliū Metelli triumphum Creticum scilicet, Eutropius hoc ipsum retulit. *Quo tempore* (ut in Breviarii sui libro 6^o ille inquit) *Libya quoque Romano imperio per testamentum Apionis, qui rex ejus fuerat, accessit: in quâ inclita civitates erant, Berenice, Ptolemais, & Cyrene.* Jornandes, in lib. de regn. ac temp. success. ita hâc de re scripsit. *Libyam, id est, Pentapolim totam, à primo illo Ptolemæo Romanis sub libertate concessam, tamen resistentes dehinc, Apionis consilium populo Romano subdidit.* Et ante eum, in suo Breviario, Sextus Rufus. *Cyrenas cum cæteris civitatibus Libya Pentapolis Ptolemæi antiquioris liberalitate suscepimus: Libyam supremo regis Apionis arbitrio sumus assecuti.* Eumque in libro 22^o secutus Ammianus Marcellinus. *Aridiorem Libyam supremo Apionis regis consecuti sumus arbitrio: Cyrenas, cum residuis civitatibus Libya Pentapoleos, Ptolemæi libertate suscepimus.* in quem locum videndæ annotationes doctissimi Valesii: qui ita historiam hanc explicat, ut duos Ptolemæos Apiones fuisse perneget. Agros porro *Cyrenenses, qui Apionis fuerunt*, in 2^a Agrariâ Cicero commemorat: sicut *agros regis Apionis quondam habitos, & populo Romano cum regno relictos*, in 14^o Annalium libro Cornelius Tacitus.

Quod hujus ætatis reliquum fuerat, & integram hyemem insequentem, in apparatu belli adversus Romanos Mithridates consumpsit: in materie cædendâ, fabricandisque navibus & armis. [*Appian. in Mithridatic. pag. 217.*] Copias ad verum & justum apparatus contraxit. Detrahit enim variam multitudinem, dissonorum minas barbarorum

barorum, armorum inauratorum & gemmis distinctorum instrumentum. Pro his gladios fabricavit more Romano, scuta solida compegit, atque exercitatorum habuit magis quàm comptorum equorum delectum. Adhæc naves non deauratis tabernaculis, nec balneis pellicum & gynæciis delicatis adornatas, sed armis, missilibus telis opibûsque comparavit refertas. [*Plutarch. in Lucullo.*] Frumenti 200 medimnûm myriadas ad mare detulit. Auxilia præstò ei fuere, præter veteres copias, Chalybes, Armenii, Scythæ, Tauri, Achæi, Heniochi, Leucosyri, & qui circa Thermodoontem fluvium terram incolunt quam vocant Amazonum. Hæc accesserunt in Asiâ pristinæ potentia. Trans mare verò in Europâ Sarmatarum gentes, Basili, Iazyges, Coralli, Thracum item quæcunque Istrum flumen & Rhodopem æmumque montes accolunt, & insuper Basternæ, omnium horum fortissimi. [*Appian. ut supr.*]

Julius Cæsar admodum juvenis (25 annorum circitèr) Rhodum secedere statuit; ut per otium Apollonio Moloni clarissimo tunc dicendi magistro operam daret. Huc dum hybernis jam mensibus trajicit, circa Pharmacusam insulam (ad littus Asiaticum supra Miletum) à piratis captus est, qui multis jam navigiis mare infestum habebant. Hos Cæsar postulantes pro ipsius redemptione 20 talenta, derisit, quasi ignaros quem tenerent: 50 daturum se pollicitus. Mox comites servosque suos ad civitates Asiæ, pecuniæ quâ redimeretur expediendæ gratiâ, dimisit: uno medico & cubiculariis duobus secum retentis. Cum his per dies 38 inter homines immanissimos Cilicas relictus, apud eos ita se gessit, ut pariter iis terrori venerationique esset, neque unquam aut nocte aut die vel excalcearetur vel discingeretur; in hoc scilicèt, ne, si quando aliquid ex solito variaret, suspectus iis, qui oculis tantummodo eum custodiebant, foret. Quoties quiescebat, misso aliquo indicebat eis silentium: & quasi non custodiretur ab eis, sed stiparetur, unâ ludebat & se exercebat. Carmina quoque & orationes scribebat, eaque in circulo eorum pronuntiabat. Si qui non admirarentur ea, hos palàm inertes appellabat & barbaros: frequentèrque per jocum suspensurum se eos minabatur. Placebat id illis, simplicitati ejus & ætati hanc linguæ libertatem ascribentibus. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 41. Sueton. in Julio, cap. 4. Plutarch. in C. Cæsare.*] In quâ custodiâ asservatus, exclamâsse ferebatur: Quanto gaudio, Crasse, perfundèris nuntiatâ meâ captivitate? [*Plutarch. in M. Crasso.*]

Publicâ civitatum pecuniâ Mileto allatâ, ante numerata 50 talenta piratas Cæsar obsides civitatibus coëgit dare: deinde expositus in litore, sequente nocte contractâ classe tumultuariâ ex Milesiorum portu solvens, investûsque in insulam, ad quam prædones adhuc stabant, partem classis eorum fugavit, partem merisit, navésque eorum aliquot cum multis hominibus in potestatem suam redegit. Lætus nocturnæ expeditionis triumpho, ad suos reversus est: eorûmque quos ceperat pecuniâ in prædam versâ, ipsos Pergami dedit in custodiam. Ad Junium deinde Asiæ proconsulem in Bithyniam perrexit, (idem enim & Asiæ & Bithyniæ, nuper in provinciam redactæ, eo tempore præfuit)

petens, ut auctor fieret sumendi de captivis supplicii. Quod cum ille se facturum negasset, & nummorum cupidus venditurum se captivos dixisset; Cæsar, salute illi dictâ, incredibili celeritate Pergamum reversus, prius quam de eâ re ulli Proconsulis redderentur epistolæ, omnes quos ceperat cruci suffixit; sicut per jocum sæpe illis in insulâ prædixerat. [*Patercul. lib. 2. cap. 42. Sueton. & Plutarch. ut supr.*] Quoniam verò ante deditionem suffixurum se eos cruci juraverat, jugulari prius jussit, deinde suffigi. [*Sueton. cap. 74.*]

Vere ineunte, coeptum est tertium bellum Mithridaticum: quod, per annos undecim cum dimidio gestum, ipsius Mithridatis interitu tandem terminatum est. Ille igitur jam decursione factâ classium, sacrificavit *Στρατιῶν Δι*, sive bellipotenti Jovi, more consueto; & Neptuno quadrigas alborum equorum in altum demersit: atque ita properavit in Paphlagoniam, ducibus exercitus Taxile & Hermocrate. [*Appian. in Mithridatic. pag. 217, 218.*] Peditum 120 (vel 140, ut apud Appianum) erant millia ad Romanos ordines instructorum, equitum 16 millia, præter currus falcatos centum. Sequebatur castra & alia turba magna eorum qui vias munebant aut deferebant sarcinas, atque etiam negotiatorum. [*Id. ibid. Plutarch. in Lucullo.*]

Ubi in Paphlagoniam est ventum, Mithridates concione magniloquâ ad milites habitâ quum in odium Romanorum exercitum irritasset, Bithyniam Nicomedis testamento nuper eis relictam invasit. [*Appian. pag. 218.*] Eam à Mithridate occupatam, Livius; [*lib. 93.*] & à civitatibus ejus libenter illum susceptum fuisse, in Lucullo Plutarchus confirmat.

Asia quoque, quòd intolerandis malis à foeneratoribus & publicanis Romanorum esset oppressa, ad Mithridatem est relapsa. [*Plutarch. ibid.*] Ejus urbes aliquot cum M. Mario sive Vario, quem Ducem illi Sertorius ex Hispaniâ miserat, cepit: eumque in urbes cum virgis & securibus invecum Rex ipse tanquam majorem potestatem & ministri specie ultrò sequebatur. Ille verò aliis libertatem dabat: aliis quam immunitatem concederet, beneficio se facere id Sertorii dicebat. Atque ira Asia, quæ à publicanis vexabatur, avaritiâque & contumeliis premebatur militum præfidiariorum, ad spem erigebatur exoptabatque expectatam imperii conversionem. [*Id. in Sertorio.*]

Julius Cæsar, vastante regiones proximas Mithridate, ne desidere in discrimine sociorum videretur, ab Rhodo, quò pertenderat, transit in Asiam: auxiliisque contractis, & præfecto Regis provinciâ expulso, nutantes ac dubias civitates retinuit in fide. [*Sueton. in Julio, cap. 4.*] licet conata ejus, qui obtinebat Asiam magistratus populi Romani [Junius] metu suo magnopere destituerit. [*Vellei. Patere. lib. 2. cap. 42.*]

Bello in Ciliciâ & Pamphylâ gesto P. Servilium intra triennium finem dedisse, indeque *Isaurici* nomen assumpsisse, Eutropius & Orosius (ex Livio, ut illis moris est) referunt. Apud Ciceronem, libro 3^o in Verrem (quæ Oratio frumentaria appellatur) *quinquennium exercitui præfuisse* dicitur. Unde ad annum ante hunc quintum, quo & Consulatum gessit, profectioem ejus in provinciam retulimus. Unum verò hunc

hunc plures prædonum duces vivos cepisse, quàm omnes antea, in 5^o contra eundem libro affirmat Cicero: atque inter eos Niconem nobilissimum piratam, qui vincla ruperat, quâ felicitate ceperat eâdem recuperavisse. Ciliciam & Isauriam *bello piratico catervis mixtas prædonam, à Servilio Proconsule missas sub jugum, factas fuisse vectigales*, in 14^o Historiarum suarum libro Ammianus Marcellinus: *Pamphyliam, Lyciam (vel Ciliciam potiùs) Pisidiâque devicisse illum, fecisseque provincias*, in libro de regnorum ac temporum successione scribit Jornandes. In Ciliciam verò provinciam missum esse hujus anni Consulem Octavium, ex Plutarchi *Lucullo* intelligimus.

Quacumque iter fecit Servilius, jucundissimum spectaculum omnibus victorum captorumque hostium præbebat. Itaque ei concursus undique fiebant, ut non modò ex his opidis quâ ducebantur, sed etiam ex finitimis visendi causâ conveniret. Indèque triumphus ejus omnium triumphorum gratissimus populo Romano fuit atque jucundissimus. [*Cicero, in Verrem, lib. 5.*] In quo & signa illa atque ornamenta, quæ ex urbe Olympo captâ sustulerat, ferculis ante triumphantem per pompam vecta sunt: quæ ille deinde in tabulas publicas ad ærarium perscribenda curavit; non numero solùm signorum, sed etiam uniuscujusque magnitudine, figurâ & statu, notatis atque descriptis. [*Id. in eund. lib. 1. & Ascon. Pedianus ibid.*] Servilii triumphantis meminuit quoque Valerius Maximus, [*lib. 8. cap. 5.*] Eutropius, Sextus Rufus, & Claudianus poëta; libro 1. in Eutropium ita de illo canens.

Indomitos curru Servilius egit Isauros.

M. Antonius, (M. Antonii triumviri pater) gratiâ Cottæ consulis & Cethegi factione, in senatu curationem infinitam nactus tuendæ totius oræ maritimæ, quâ Romanum erat imperium, cum & ipse nequam esset & comites haberet pessimos, Siciliam & provincias omnes depopulatus est. [*Cicero, act. 2. in Verr. lib. 2. Lactant. Institut. lib. 1. cap. 11. Ascon. Pedian. in Divinationem, & locum Ciceronis notatum, contra Verrem.*]

L. Lucullo Consuli Gallia Cisalpina provincia obtigit. Verùm mortuo Octavio, qui Ciliciam obtinebat, Lucullus Præciæ meretricis operâ conciliato sibi Cethego, qui Romæ omnia tum poterat, Ciliciam provinciam est affecutus: cui cum adhæreret Cappadocia, omnes ei pariter bellum Mithridaticum decreverunt. M. Cotta tamen, ipsius in Consulatu collega, multis precibus à Senatu obtinuit, ut cum classe ad Propontidem tuendam & Bithyniam propugnandam ipse mitteretur. [*Plutarc. in Lucullo.*] Atque ita ambo Consules ad bellum hoc sunt missi: ut alter Bithyniam tueretur, alter in Asiâ Mithridatem persequeretur. [*Cicero, pro Murenâ. Memnon. cap. 39. Eutrop. lib. 6.*] Lucillum enim Consulem non solùm Ciliciam, sed etiam *Asiam* (proprie dictam) sortitum fuisse, eique per septennium præfuisse, ex Velleio Paterculo [*lib. 2. cap. 33.*] intelligitur.

Lucullus, conscriptâ in Italiâ legione, in Asiam cum eâ trajecit: ubi duas Fimbrianas, & duas alias legiones accepit; quæ in universum jamdudum deliciis atque avaritiâ erant corruptæ. Fimbriani, quòd

assuevissent sine imperio agere, intractabiliores erant & procaciores; sed bellicosi, laborumque militarium periti & patientes. Lucullus tamen & alios correxit, & horum præcudit ferociam. [*Plutarch. ut supr. cum Appiano in Mithridatic. pag. 219.*] Fœneratores quoque & publicanos Romanos, quorum rapinis Asiæ ad defectionem sunt impulsi, castigando moderatores efficere nitebatur; defectionesque disjiciebat populorum, quum nemo jam ferè quiesceret. [*Plutarch. ibid.*]

Mithridates, tum alium in procinctu habens exercitum frequentissimum tum triremes 400 cum navium minorum quas penteconteres & cercuras vocitant non exiguo numero, Diophantum Mitharum cum validâ manu in Cappadociam dimisit, ut præsidia in urbibus collocaret; & si Lucullus Pontum ingrederetur, occurreret & progressum ejus intercluderet. Ipse verò 150 peditum millia sub vexillis apud se retinuit, & 12 millia equitum, quos falcati sequebantur currus 120. nec ulla machinarum omnis generis copia aberat. Concitato igitur itinere, per Timonidem, Cappadociam & Galatiam pergens, ad diem nonum Bithyniam attigit. Lucullus interim Cottam in Chalcedoniorum portu stationem habere jussit, cum omni classe. [*Memnon, cap. 39.*]

Mithridatis classis Heracleam in Ponto præterlegens, ab eâ non est recepta. Forum tamen vœnale rogantibus cives præbuerunt: & commerciis, ut fieri solet, initis, nobiles ex Heracleâ viri Silenus & Satyrus capti; non aliâ conditione sunt dimissi quàm ut quinque triremibus Mithridatem in hoc cum Romanis bello adjuvarent. Quo factò Romanorum inimicitiam populus Heracliensis sibi conciliavit. Quum igitur auctiones publicas Romani in aliis civitatibus instituerent; Heracleam quoque, propter hanc causam, his exposuerunt. Cùmque auctionatores urbem ingressi, contra reipublicæ morem argentum exigent, in mœrorem cives conjecerunt, qui servitutis initium hoc esse existimabant. Quare, cùm per legationem ad Senatum Romanum publicationem bonorum deprecari res postularet, ipsi à quodam in urbe audacissimo persuasi, publicanos è medio sustulerunt, tam secretò, ut de nece illorum nemini quicquam constaret. [*Id. cap. 40.*]

M. Cotta multis nuntiantibus Lucillum adventare & jam in Phrygiâ castra habere, existimans triumphum se tantùm non in manibus tenere, ne consors ejus Lucullus foret, cum Mithridate dimicare maturavit. [*Plutarch.*] Marius (sive Varius) & Eumachus duces à Mithridate adversus Lucillum missi, magno exercitu brevi congregato, cum P. Rutilio (M. Cottæ legato) apud Chalcedonem congressi sunt, cùmque cum plurimâ exercitus ipsius parte ceciderunt. [*Oros. lib. 6. cap. 2.*] Basternis Italorum pedites in fugam vertentibus, & prolixam stragem edentibus. [*Memnon. cap. 41.*]

Mithridate Chalcedonem petente, quò Romani undique ad Cottam confluerant, Cotta negotiis bellicis minimè assuetus non prodiit: sed classis ejus præfectus, nomine Nudus, cum exercitus parte campum occupavit, quæ erat munitissimus, pulsusque inde refugit ad portam Chalcedonis, laboriosè multa septa superans; & in ipsâ portâ

portâ simul irruentium ea fuit compressio, ut persecutores nullum telum in eos frustra mitterent. Ut verò portæ custodes dimiserunt clathros præ metu, Nudum & aliquot alios præfectos subdlexerunt funibus: reliqui amicos inter & hostes contrucidati sunt, incassum manus tendentes ad utrosque. [*Appian.*]

Mithridates utendum fortunâ ratus, eâdem diē classē ad portum admovit: perrupitque in ore portus catenâ ferreâ, quatuor hostiles naves incendit, reliquas 60 ligatas ad puppes suarum abstraxit; nec Nudo prohibente nec Cottâ, qui se continebant intra mœnia. Desiderata sunt Romanorum tria circiter millia, & in his Lucius Manlius senator: Mithridates è Basternis, qui primi portum invaserant, amisit 20. [*Idem.*] Præter 60 naves cum viris, terrâ 4 peditum millia Cottam amisisse, Plutarchus tradidit. Uno die mare & terram cadaveribus Romanis foedè oppleta fuisse Memnon ait: in conflictu navali occisis octo millibus, captis 4500; de pedestri autem exercitu Italorum 5300 desideratis. cū à parte Mithridatis Basternæ circiter 30, ex reliquâ autem multitudine 700 tantūm ceciderint.

Atque hoc fuit prælium ad Chalcedonem, quo M. Aurelius Cotta Consul victus est. [*Liv. lib. 93.*] de quo Mithridates in epistolâ ad Arsacem, libro 4^o historiarum Salustii. *Marcum Cottam Romanum ducem apud Chalcedona terrâ fudi; mare ex sui classe pulcherrimâ. Quæ Cottæ res, & terrâ & mari calamitosæ, vehementer & opes Regis & nomen auxerunt.* [*Cicero, pro Murenâ.*] Hoc enim Mithridatis successu omnium animi fervilem in modum concidēre. Sed Lucullus ad Sangarium fluvium castra habens, cognitâ eâ clade, percussos militum animos verbis crexit. [*Memnon, cap. 41.*]

Quum Archelaus, Mithridatis quondam præfectus sed tunc Romanarum partium, suo tantūm conspectu confirmaret Lucillum toto Ponti regno potiturum; negavit ille venatoribus se timidiorē esse, omīssis feris ut ad vacua eorum iustra contenderet: atque ita fatus, in Mithridatem movit; peditum secum habens 30 millia, equites 2500. Ubi contemplatus est hostes, obstupefactus eorum multitudine cupiebat abstinere pugnâ & tempus ducere: sed quia Marius, quem ex Hispaniâ miserat Sertorius cum copiis ducem Mithridati, occurrit la-celsivitque eum, instruxit aciem ad confliendum. Quum jam penē concurrerent, ex nullâ evidenti commutatione, sed cœlo repente disrupto, grandis visa est flammea moles, corpore dolium, colore candens argentum referens, inter utramque aciem delabi: quod ostentum utrosque percussos diremit. Id prodigii in Phrygiâ aiunt circa Otryas accidisse. [*Plutarch.*]

L. Lucullus Consul adversus Mithridatem equestribus præliis feliciter pugnavit, & expeditiones aliquot prosperas fecit: postentēque pugnam milites à seditione inhibuit. [*Liv. lib. 94.*]

Cū urbem Cyzicēnam sibi Mithridates Asiæ januam fore putavisset, quâ effractâ & revulsâ tota pateret provincia; totius belli impetum in eam transferre institit. [*Cicero, pro Murenâ.*] Urbs enim erat ea Asiæ clarissima & populo Romano amicissima. [*Id. pro lege Maniliâ.*] quæque in nuperâ clade Chalcedonensi civium tria millia & decem

decem naves amiserat. Rex igitur, quò Lucullum falleret, mox à coenâ densam ac nimbosam noctem nactus castra movit, & oriente luce oppositum urbi montem Adrastiam (Dindymum aliis dictum) occupavit. [*Plutarch.*] Mithridatem peditum 150 millibus, magnòque equitatu, Cyzicenos invasisse, & montem Adrastiam atque suburbi-um occupavisse, scribit Strabo. [*lib. 12. pag. 575.*] Lucullum, in uni-versum habentem 30 millia peditum & 1600 equites, circa Cyzicum castra sua Mithridati opposuisse; & ex transfugis, quòd circiter tre-centa virorum ille haberet millia, cognovisse Appianus memorat. Quin & plus quàm trecenta millia hominum fame & morbo in Cyzici obsidione amisisse fertur: ut apud Orosium legimus. [*lib. 6. cap. 2.*] Ex universâ quoque tam lixarum quàm militum colluvie, non minùs tre-centa millia à Lucullo contrucidata fuisse perhibentur: ut à Plutarcho habetur traditum. quum longè modestiùs in 6^o Breviarii sui libro scripserit Eutropius; sequente hyeme & æstate, à Lucullo centum ferè millia hominum ex parte Regis extincta fuisse.

Cyzicenos Mithridates denis ex terrâ castris cinctos, per mare quo-que 400 navium classe oppugnavit. [*Strabo, pag. 575, 576. cum Plutar-cho.*] Cùmque illi nescirent ubinam gentium esset Lucullus, Mithri-datici ejus castra sub oculis civium posita, Armeniorum & Medorum esse auxilia, Mithridati à Tigrane missa, jactabant. Primus Demonax, ab Archelao in urbem missus, adesse Lucullum iis indicavit. Quibus fidem ei non habentibus, arbitrantibusque ad levanda præsentia mala eum ficta adferre; puer adfuit captivus, qui è manibus hostium elap-sus, digito castra Romana eis commonstravit. [*Plutarch.*] Ad ipsos quoque Lucullus, ut bono animo essent, nuntium misit unum ex mi-litibus nandi peritum: qui per hostium naves duobus utribus suspen-sus, mediam ipse regulam tenens & pedibus iter adgubernans, se-ptem millia passuum transmeavit. [*Florus, lib. 3. cap. 5. Oros. lib. 6. cap. 2.*]

3931 Lucullus Mithridati à tergo incumbens, memorabili Ponticos vi-ctoriâ profligavit: aliquanto pluribus quàm 10000 in acie cæsis, & 13000 captis. [*Memnon, cap. 42.*]

Montem conspicatus est Lucullus castris opportunum; quo oc-cupato, ipse copiam habiturus erat com meatum, hostes verò ino-piam. Unicus angustus in eum erat aditus; quem Mithridates valido tenebat præsidio, à Taxile ducibusque aliis admonitus. L. Manius sive Magius, arbiter foederis iesti cum Sertorio, clam ad Lucullum mise-rat nuntium. à quo acceptâ fide, Mithridati persuasit, ut fineret Ro-manos transire & castrametari pro libito. Fimbrianas enim legiones, quæ aliquando militassent sub Sertorio, velle transfugere, & factu-ras id propediem; nihilque opus esse sudore & sanguine, quando sine certamine vincere liceat. Huic consilio Mithridates imprudenter as-sensus, ut nil suspicans, passus est Romanos securè superatis fauci-bus contra se magnum mentem munire: quo in potestatem redacto, ipsis à tergo subvehendi erant com meatus liberè, Mithridati contra lacu, montibus & fluviis excluso ab importationibus terrestribus, te-nuiter subministrabantur; quum neque pateret exitus, neque vi re-pellere

pellere posset Lucullum, ob neglectam locorum opportunitatem, & imminens hyems etiam maritimas importationes esset impeditura. [Appian.]

Circa Thraciam quam vocant Comen Lucullum castra posuisse, loco maximè opportuno ad excludendas vias & regiones, quæ & unde petendus necessariò erat Mithridaticis commeatus, scribit Plutarchus. Eos verò qui ad Fimbrianos milites, transitionem simulantibus, adducendos à Mithridate missi sunt, interfectos ab illis fuisse, Memnon indicat.

Machinas insignes, ad urbis oppugnationem, Nicomedes Thessalus fabricaverat. [Plutarch.] inter quas helepolis eminebat centum cubitorum; supra quam alia turris assurgebat, catapultis instructa saxa telæque varia ejaculantibus. Ante admotas verò machinas, tria millia Cyzicencorum captivorum in navibus ad mœnia Rex adduci curavit; ut eorum misericordiâ & præcibus commota civitas deditiorem faceret. Quod cum frustra tentatum fuisset, præcone è muris jussu Lysistrati ducis monente, ut quando in alienam potestatem redacti fuissent, fortunam fortiter ferrent: Mithridates vim terræ marique contra Cyzicum adhibuit, opidanis omni studio sese defendentibus. Qui tamen omnem laborem patientissimè ferentes, efficere non potuerunt quin pars mœnium exusta corrueret sub vesperam: sed propter calorem incendii nemo sustinuit irrumpere. Verùm ipsi Cyziceni noctu substruxerunt munitionem aliam. [Appian.]

Serò effecit Lucullus, ut auxiliares in urbem per noctem immitterentur. [Strabo, pa. 576.] Cum enim in lacu Dascylite acatia satis magna commearent, eorum maximum ille subduxit, plaustro ad mare devexit, eique quot capere poterat milites imposuit. Qui noctu clam trajicientes, imprudentibus hostibus urbem sunt ingressi. [Plutarch.]

Instante Proserpinæ festo, in quo nigram bovem immolare Cyzicenis mos erat, illi nullam talem habentes è farinâ fictam hostiam admoverunt aræ. Vacca quæ Proserpinæ alebatur, trans fretum pascebat cum reliquo armento Cyzicencorum. Hæc illo die armento relicto de montibus per hostium classem adnavit sola, & in ore portus claustra sub aquis evasit: atque ita per mediam urbem cursu ad Proserpinæ templum delata, ante aram constitit. Quam Cyziceni, egregiâ spe conceptâ, immolârunt. [Ful. Obsequens de prodigiis, Plutarch. & Appian.]

Aristagoræ, qui in summo magistratu erat, (ut ait Julius Obsequens: Plutarchus enim τῷ δῆμῳ ζαμματασην appellat) Proserpina in quiete visa dixisse fertur, adversus tibicines se tibicinem comparâsse; vel, ut refert Plutarchus, tibicinem Libycum in tubicinem Ponticum se impulsuram. Mirantibus hanc vocem Cyzicenis, primâ luce fluctuavit mare quasi immenso incumbente vento, & admotæ muris Regis machinæ stridore & crepitu primùm quid instaret indicaverunt: inde auster, supra modum procellosus coortus, horæ brevi momento, & reliquas Regis machinas sic laceravit ut inutiles redderentur, & turrim ligneam helepoli impositam tantâ vi concussit, ut proruert eam. [Id.]

Memoriæ quoque est proditum, Ilii fuisse compluribus Minervam in somnis obversatam, nupioso manantem sudore, partemque pepli discissam ostendentem: eamque dixisse, modò venire se ab ope Cyzicenis ferendâ. Columnam autem, quæ decreta & literas de his inscripta habet, ostendebant Ilienses. [Plutarch.]

Amici Mithridati consulabant ut ab urbe classem solveret: qui nihil metus, ascendit imminentem montem Dindymonem, & ab eo duxit continentem ad muros urbis aggerem, in quem inpositis turribus, cuniculis quoque suffodiebat & suspendebat moenia. [Appian.] Quæ quidem Cyziceni ita sustulerunt, ut parum etiam abluerit quin ipsum Mithridatem caperent vivum in cuniculo, quem is fodiebat; cum ipsi alium ex adverso agerent. Evasit tamen, cum se observatâ se è cuniculo subduxisset. [Strabo, pag. 576.]

Hyeme superveniente privatus est Mithridates & maritimis com-
meatibus, si quos habuerat. Necessariorum igitur difficultate presso exercitu, fame multi emoriebantur, humanis quidam vescabantur carnibus, herbas alii in cibum vertendo, morbos sibi contrahebant: quorum insépulta cadavera pestem invexerunt insuper. [Memnon, cap. 42. Strabo, pag. 576. Florus, lib. 3. cap. 5. Plutarch. Appian. Oros. lib. 6. cap. 2.]

Dum oppugnat Lucullus arcem quandam, occasione maturans Mithridates uti, aversis ab hoste itineribus partem copiarum instruatam armis domum abire præcipiens, omnem fermè equitatum cum jumentis, atque ex peditatu minùs utiles, in Bithyniam dimisit. Ob inediam enim infirmi jam equi erant, claudicantesque solearum inopiâ detritis unguis. Hâc re nuntiatâ, contendit Lucullus de nocte in castra. Diluculo tempestate sæviante insecutus eos est cum cohortibus decem & equitatu; quamvis nive affligerentur atque aliis incommodis, ut multi milites ex gelu succumbentes sequi non valerent. Cum cæteris in trajectu Rhyndaci fluvii hostes allecutus, stragem edidit tantam, ut Apolloniâ egressæ scemina diriperent impedimenta & trucidatos spoliarent. Capta sunt equorum sex millia & jumentorum infinitus numerus: capta virorum ad quindecim millia; quos omnes præter castra hostium Lucullus duxit. Qui & amplius quàm quindecim millia hominum tunc interfecisse narratur: si P. Orosium audimus. Tunc etiam primùm visos Romanis camelos Salustius autumat: quasi illis qui olim duce Scipione Antiochum devicerunt, & cum Archelao ad Orchomenon & Chæroneam certaverunt, cameli cogniti non fuissent. [Plutarch. Appian. Oros.]

Fannius, qui se Mithridati junxerat, & Metrophanes regius prætor, à Mamercio tunc victi, cum duobus millibus equitum in Mœsiam profugerunt; atque inde in Mæoniam digressi, in ambustos colles camposque Inarimos inciderunt: in quibus diu oberrantes, inopinatis tandem periculis exempti sunt, & clam in Regis castra venerunt. [Oros. lib. 6. cap. 2.]

Eumachus dux & alii Mithridatis præfecti, bellum in Phrygiâ moventes, multos Romanos cum liberis & conjugibus interfecerunt; Pifidasque & Isauros & Ciliciam subegerunt: docec Dejotarus, unus è tetra-

tetrarchis Gallogræciæ, vagantes affecutus, eos cum militum suorum multis trucidatos repressit. [*Liv. lib.94. Appian. pag. 222. Oros. ut supr.*]

3932

Jubilæus XXVIII.

Cùm Cyziceni aggeres quos Rex à Dindymo duxerat suffoderent, machinâsque incenderent, & non ignari hostem fame debilitatum, vexarent cum crebris eruptionibus; Mithridates decrevit fugere. [*Appian.*] de quo ipse in epistolâ ad Arsacem, apud Salustium in Historiarum libro 4^o. *Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidione moranti frumentum defuit, nullo circum admittente, simul hyems mari prohibebat: ita, sine vi hostium, regredi coactus sum in patrium regnum.* Ad Cyzicum enim, ut & postea ad Amisum, milites suos Lucullum duas hyemes in castris continuasse, Plutarchus docet ex Salustio. De solutâ obsidione Cyzici, videndus quoque est Cicero, in orat. pro lege Maniliâ, pro Murenâ, & pro Archiâ poetâ.

Mithridates fugam quamprimùm instituens arripere, quò tricâs & moras Lucullo neçteret à tergo, misit ad mare Græcum præfectum classis suæ Aristonicum: quem, jam jam soluturum, Lucullus per prodicionem in potestatem suam redegit cum decem millibus aureorum, quos portabat ad sollicitandam exercitus Romani partem. [*Plutarch.*]

Terrestres copias Rex ducibus Lampfacum reducendas reliquit. Hermæus & Marius (dux Sertorianus) 30 hominum millia illuc ducebant. Eos à tergo premens Lucullus, & Æsepum fluvium tunc tumidiorem trajicientes affecutus de improvîso, permultos cepit, & viginti millia interemit; (è quibus plus quàm undecim millia Marianorum militum fuisse referuntur:) ita ut Granicus & Æsepus amnes cruenti redderentur. Mithridatis verò satrapes, Romanæ avaritiæ peritus, spargi à fugientibus sarcinas & pecuniam jussit, quâ sequentes moraretur. [*Memnon, cap.42. Polyænus, Stratagem.lib.7. Florus, lib.3. cap.5. Plutarch. Appian. Oros. lib.6.cap.2.*]

Mithridates ipse, per mare reditum instituens, noctu classe provectus est in Parium. [*Appian.*] Dum milites verò cum eo soluturi, naves, quarum aliæ jam repletæ, aliæ mox replendæ essent, confertim occuparent, & undique illis adhærent; factum est ut præ multitudine imminentium pars navium deprimeretur, pars etiam subverteretur. Quod conspicati Cyziceni, impetu in castra Ponticorum facto, ægros ibi relictos trucidârunt, & siquid supererat diripuerunt. [*Memnon, cap.42.*]

Lucullus Cyzicum ingressus, ingenti lætitiâ & magnifico honore exceptus est. [*Plutarch.*] In cujus honorem ludi deinceps ibi sunt celebrati, quos *Lucullea* vocant. [*Appian.*] Civitatem Romani honorârunt, & libertatem ei concesserunt. [*Strabo, lib.12. pag.576. Tacit. Annal.lib.4 cap.36.*]

Mithridates suos Lampfacum compulsos & obsessos à Lucullo, classe illuc missâ, exportavit unâ cum Lampfacenis: relictisque Mario sive Vario duci Sertoriano, Alexandro Paphlagoni, & Dionysio eunucho, decem millibus selectorum militum in navibus quinqua-

ginta, cum majore earum parte petiit Nicomediam. Verùm & harum & illarum multæ tempestate perierunt. [Appian.]

Mithridates, collectis ut potuit in Ponto viribus, Perinthum circumfedit & oppugnavit: cæque non potitus, in Bithyniam transmisit. [Memnon, cap. 42.]

Antiochus (Asiaticus) & frater ejus, regis Antiochi (Pii) filii pueri, qui regni Syriæ partem (à Tigrahe non occupatam) obtinebant, Romanam venerunt; regnum Ægypti, quod ad se & ad Selenem matrem suam pertinere arbitrabantur, petitori: ibique biennium ferè, comitatu regio atque ornatu, moram traxerunt. [Cicero, lib. 4. in Verrem.]

Antipas sive Antipater Idumæus, nobilitate ac opibus gentis suæ princeps, (alterius Antipæ sive Antipatri, quem à rege Judæorum Alexandro & ejus uxore Alexandrâ ducem totius Idumææ constitutum ferunt, filius) ex uxore Cypro, illustri inter Arabas loco natâ, filium suscepit Herodem; qui postea Judææ regnum obtinuit. si quidem hic 25 annorum fuerit, quando cum pater Galilææ præfecit: de quo, ad annum Mundi 3957 erit dicendum. [Vide suprâ, ann. Mundi 3875.] quanquam Nicolaus Damascenus, in gratiam Herodis regis, (cujus adhuc superstitis Vitam descripsit) Antipatri genus à primatibus Judæorum, qui in Judæam venerunt è Babyloniâ, deduxerit. [Joseph. lib. 14. cap. 2.] quomodo & in Historiæ Judæorum Arabicæ (ad calcem Bibliorum Parisiensium πολυγλωττων editæ) capite 35^o legimus; Judæum fuisse Antipatrum, ex filiis eorum qui de Babyloniâ cum Ezrâ Sacerdote ascenderant, atque ab Alexandro (Jannæo) Idumæorum regioni præfectum uxorem inde duxisse. Julius verò Africanus in epistolâ ad Aristidem (apud Eusebium, lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 6. & 7.) eumque secutus Ambrosius (lib. 3. commentar. in Luc. cap. 3.) ex traditione eorum, qui Servatori nostro secundum carnem cognati *Δεσποῖνοι* nuncupabantur, Antipatrum Herodis cujusdam Ascalonitæ, templi Apollinis æditui, filium fuisse refert; atque ab Idumæis latronibus Ascalone captivum abductum, Idumæorum moribus & disciplinis fuisse institutum. Atque hæc communior Christianorum Patrum est sententia.

Barba cum robustâ Italicorum manu veniens, & ex ducibus Luculli Triarius, Apameam obsederunt. Cives, cum aliquamdiu pro viribus suis hostem sustinuissent, apertis tandem portis eos intromittere: ut apud Memnonem legitur. Appianus verò Triarium eò impulsus vi urbem cepisse, & Apamenorum in fanis ad quæ confugerant, magnam cædem edidisse scribit. Prusam deinde sub monte Olympo munitissimam civitatem captam expugnatamque Romanus exercitus diripuit. Hinc Prusiam, mari impositam, Triarius cum exercitu petiit: quam rex Bithyniæ Prusias Heracliensibus ademptam de se denominavit; cum antè ab amne præterfluente Cierus (vel Cius) diceretur. Ut urbi appropinquavit, facilè Prusienses eum receperunt, Ponticis ejectis. Nicæam deinde, quam præsidium Mithridatis tenebat, ventum est. Pontici verò, intellecto cives animis ad Romanos propendere, noctu se ad Mithridatem Nicomediam subdlexerunt. Romani igitur sine molestiâ urbem suæ potestati subjecerunt.

4642 72

jecerunt. [*Memnon, cap. 43. & 49. Appian. pag. 223. cum Orosio, lib. 6. cap. 2.*]

Lucullus ad Hellespontum profectus, classem instruxit: & Troadem delatus, divertit in delubro Veneris. Eam nocte sopitus videre visus est sibi assistentem & dicentem,

Τὶ κώσσεις μεγάθυμῶν λέων; νεβρι δὲ τοι ἐγγύς:

Quid dormis animose leo, quum proximus adsit.

Hinnulus ecce frequens.

Quod somnium dum surgens adhuc nocte advocatis amicis exponeret, adfuerunt ab Illo quidam, qui nuntiarent conspectas ad Achæorum portum quinquiremes regias tredecim, quæ cursum in Lemnum intenderent. Statim igitur solvit, & 13 illis navibus potitus, præfectum earum Isidorum occidit. [*Plutarch. cum Appiano.*]

Lucullus victoriam profectus, Marium sive Varium (qui missus à Sertorio dux fuerat) Alexandrum & Dionysium circa Lemnum adeptus in desertâ insulâ (ubi ara Philoctetis cum æreo serpente monstratur) contemptim in eos invehctus est: mandato prius suis dato, ne quem unoculum interficerent. Altero enim oculo captus erat Marius: quem ipse probris & contumeliis prius vexatum necare instituerat. Illis verò constanter manentibus, & navigia omnia ad terram attrahentibus, cohibuit Lucullus remigium; & binas naves emittendo ex agmine, volebat eos prolicere. Illi autem non provehebantur contrâ: sed à terrâ & ex fororum tabulis se defendentes, Romanis vulnera injecerunt. Nec circumvehendi locus dabat facultatem, vel navibus fluctuantibus hostilem classem premendi terræ accubantem & firmiter consistentem. Circum missis tamen aliis navibus diversâ parte, quâ accessum insula in terram dabat, fortissimos quosque pedites Lucullus tandem exposuit. Hi aversos adorti hostes, partem eorum interfecerunt, partem in naves compulerunt: qui metu Luculli non ausi altum petere, oram legebant, & terrâ marique impugnati vulnerabantur, cum magnâ cæde ac consternatione fugientium. [*Plutarch. & Appian.*] Triginta & duas naves regias, & complures onerarias, aut demersit Lucullus aut cepit. Multi ibi ex his quos Sylla proscriperat interempti sunt. [*Oros. lib. 6. cap. 2.*]

Posterâ die tres duces de speluncâ, ubi latebant, extracti sunt: è quibus Marius (sive Varius) Luculli jussu occisus est. non placebat enim Romanum senatorem in triumpho duci. [*Id. ibid. cum Appiano.*] Alexander ad eam pompam servatus est. Dionysius autem, epoto quod secum habebat veneno, mox exspiravit. [*Appian.*]

Atque hæ fuerunt duæ illæ navales Luculli victoriæ, altera ad Tenedum, altera in mari Ægeo parta, quarum in capite 44^o Memnon meminit; & velut unam, aliquoties Cicero celebrat. Ita enim in Oratione pro lege Maniliâ, à Lucullo ait *classem magnam & ornatam, qua ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato raperetur, superatam esse atque depressam.* & pro L. Murenâ. *Illam pugnam navalem ad Tenedum, quum contento cursu, acerrimis ducibus, hostium classis Italiam spe atque animis inflata peteret, mediocri certamine & parvâ dimicatione commissam arbitraris?* & in Orat. pro Archiâ poëtâ: ubi, *L. Lucullo dimicante,*

interfectis ducibus depressam hostium classem, & incredibilem apud Tenedum pagnam illam navalem prædicat.

Lucullus de suis rebus gestis ad Senatum misit laureatas litteras, ut mos erat victoribus. [Appian.] Cùmque Senatus ei ad classem parandam tria millia talentum decrevisset, negavit per litteras eâ pecuniâ sibi opus esse, jactans sine sumptu & tanto paratu Mithridatem se sociorum navibus pelago exacturum. [Plutarch.]

His confectis, properavit Lucullus ipsum insequi Mithridatem; quòd in spe esset circa Bithyniam se illum inventurum, retentum à Voconio, quem ad instandum fugienti cum navibus miserat Nicomediam. Sed Voconius, dum in Samothrace initiatur mysteriis & festos dies celebrat, haud occurrit in tempore: Mithridatem verò, qui jam cum classe vela fecerat & maturabat antequam ipsum peteret Lucullus Pontum tenere, corripuit atrox tempestas; quâ classis partim abrepta partim est depressa, omniâque littora ejectis fluctu naufragiis per multos dies fuerunt completa. Eam Dianæ Priapinx irâ Ponticis fuisse immisam dicebant, quòd fanum ejus spoliavissent & signum loco movissent.

Mithridatem Pontum petentem bis tempestatem passum fuisse scribit Dio, amisissèque hoc infortunio virorum circiter decem millia, & naves circiter 60. reliquis disjectis, ut quamque ventus abstulit. *Naufragiis apud Param, & Heracleam, militum optimos cum classibus amisisse se dicit Mithridates in epistolâ ad Arsacem; apud Salustium. Orosius ait, Mithridatem adversus Byzantium (quòd à Lucullo illum fugatum dicit Eutropius) instructâ classe navigantem, tempestate correptum 80 rostratas naves perdidisse. Florus denique, centum amplius navium classem, apparatusque belli gravem, in Pontico mari aggressam tempestate, tam fœdâ strage laceravisse, ut navalis belli instar efficeret.*

Quum navis oneraria quâ Mithridates vehebatur nec ad terram appelli ob molem in tantâ procellâ videretur gubernatoribus posse, & aquam jam accepisset atque obruta esset undis; licet amici vetarent, in Seleuci tamen piratæ myoparonem, ipso piratâ juvante, transilivit, corpore prædonibus permisso. A quibus Heracleam Ponticam, (ut ait Plutarchus) Sinopem primùm ac post Amisum, (ut Appianus & Orosius) subvectus est incolumis.

Cotta superiorâ damna refarcire volens, à Chalcedone, ubi succubuerat, Nicomediam copias transtulit; & 150 stadia ab urbe castrametatus, à dimicatione cavit. Ibi, magnâ adhibitâ festinatione, citatis itineribus Cottam sponte suâ Triarius est assecutus; & Mithridates in urbem se recepit. Tum uterque Romanus exercitus ad oppugnationem ejus se paravit. At Rex, cognito gemino confictu navali Ponticos à Lucullo victos, nec parem se ad occurrendum præsentibus Romanorum copiis esse, classem in fluvium retro movit; & gravi correptus tempestate, triremes aliquot amisit: ipse tamen cum plurimis in Hypium fluvium delatus est. [Memnon, cap. 44.]

Hic, quum tempestas eum moraretur, audito Lamachum Heracliensem, quem antiquo amicitie foedere obstrictum haberet, ad reipublicæ

publicæ gubernaculum sedere, multis hominem promissis attraxit, ut sibi in urbem recipiendo operam daret: missis etiam hoc nomine ad eum pecuniis. Lamachus, publico extra urbem epulo civibus apparato, sub quod clausas se non habiturum portas fidem dederat, mero populum inescavit; utque eo ipso die ex compacto Mithridates superveniret illis, operam dedit. Itaque nec olfacto Mithridatis adventu, urbs in ejus arbitrium venit. Postridie plebem Rex convocata amicis excepit verbis, utque fidem erga ipsum tueretur hortatus, Connacorigi cum præsidio quatuor millium urbem custodiendam tradidit. Prætextus erat, defensurum se cives, si Romani quid contra molirentur, & conservaturum. Hinc distributis in cives, maxime in magistratus, pecuniis, versus Sinopem navigationis cursum direxit. [*Id. ibid.*]

Lucullus receptâ Paphlagoniâ atque Bithyniâ, per Bithyniam & Galatiam in regnum Mithridatis invasit: et Nicomediæ suas copias cum Cottæ & Triarii agminibus, ut irruptionem in Pontum facerent, conjunxit. [*Eutrop. lib. 6. Plutarch. & Memnon, cap. 45.*] At renunciata Heracleæ oppugnatione, quum de prodicione necdum constaret, sed totius simul civitatis voluntate defectionem comigisse arbitrarentur; Luculli consilium erat ut ipse cum robore exercitus per mediterranea & Cappadociam moveret in Regem & totum ejus regnum, Heracleam oppugnaret Cotta, Triarius autem assumptâ classic missas in Cretam & Hispaniam Mithridatis naves in reditu circa Hellespontum & Propontidem interciperet. [*Memnon, ut supr.*]

His Mithridates auditis, in novos belli apparatus incubuit: & ad generum suum Tigranem Armenium, & ad Macharem filium regnantem in Bosphoro, & ad Parthum misit qui properè contraherent auxilia. Ad Scythas quoque finitimos cum multis donis & magno auri pondere Dioclem ire jussit: sed ille & cum donis & cum auro ad Lucullum transfugit. Cæteris quoque denegantibus, Tigranes, licet diu cunctaretur, (eo enim abnuente, bellum hoc coeptum fuisse, epistola Mithridatis ad Arsacem, libro 4^o Historiarum Salustii inserta, confirmat) sæpius tamen à filiâ Mithridatis non sine molestiâ interpellatus, auxilia tandem promisit. [*Id. ibid. cum Appiano.*]

Legatus ad Tigranem à Mithridate missus, fuit Metrodorus Scepsius, è philosopho in politicum muratus hominem: in eum amicitiae gradum à Mithridate proventus, ut pater Regis diceretur; & mandato ei Judicis officio, ab ejus sententiâ non liceret ad Regem provocare. Legati consilium de subsidio contra Romanos ferendo roganti Tigrani, respondit ille. *Ut legatus consulo, ut consiliarius abnuo.* Cùmque invitum ille eum ad Mithridatem remitteret; in itinere mortuus Metrodorus est, sive regis operâ, sive è morbo: utrumque enim fertur. Nam quod ille dixerat, Mithridati Tigranes renuntiavit; nihil eum arbitratus de Metrodoro gravius consulturum. Cujus facti poenitentiam Tigranes ductus, cadaver illius funeravit splendide: neque illi magnificentiam pepercit in mortuum, quem vivum prodiderat. [*Strabo, lib. 13. pag. 609, 610. & Plutarchus, in Lucullo.*]

Diversos, contra Lucullum Mithridates præfectos misit; & post com-

commiffas acies, variæ acciderunt fortunæ vices : in plerisque tamen ad Romanos magis successu inclinante. [*Memnon, cap. 45.*] Et in principio quidem difficultate necessariorum usque eò laboravit Lucullus, ut 30 millia Galatarum sequerentur castra, qui frumenti medimnum humeris singuli portabant. Progressus verò, obiter subigebat & deprædabatur omnia : moxque, ut in regione fortunatâ & diu bello intactâ, mancipium vendebatur drachmis quatuor, bos drachmâ ; capra, oves, vestes, & reliqua, pari vilitate pretii. Cùmque distrahere prædam, omnibus abundantibus, nulli jam valerent ; alii eam reliquerunt, alii corruerunt. [*Plutarch. & Appian.*]

Deinde Lucullus oppugnavit Amisum & Eupatoriam, quam juxta Amisum Mithridates condidit & appellavit de suo cognomine, fecitque regiam : partem verò exercitus ad Themiscyram oppugnandam misit, sitam ad Thermodoontem fluvium. Hi contra Themiscyrenses turribus utebantur & aggeribus, & cuniculos tam amplos fodiebant, ut in eis pugna committerentur subterraneæ. Hos opidani supernè aperiebant, & per foramina demittebant in operarios urfas aliâsque bestias & apum examina. At apud Amisum laborabatur aliis difficultatibus : dum Amisenses repugnant strenuè, nonnunquam erumpendo, atque etiam provocando ad singularia certamina. [*Appian.*]

Cùm Lucullus ad Amisum lentâ obsidione tempus tereret, exercitus ejus cunctationem culpabat ; & quòd omnes urbes per deditiorem, vi cepisset nullam, neque diripiendam militi concessisset, indignabatur. Eam verò cunctationem certo consilio à se fuisse susceptam, ille declaravit : ut paulatim Mithridatis vires attereret ; nec cogeret, desperantem de propriis viribus, ad Tigranem fugere, & eum sibi hostem facere. de quo ita loquentem Lucullum Plutarchus inducit. *Paucorum dierum est ex Cabiris in Armeniam iter, ubi sedet otiosus rex regum Tigranes tantâ subnixus potentiâ, quâ Parthis extorquet Asiam, civitates Græcas in Mediam deportat. Syriam obtinet & Palestinam, reges Seleuci successores tollit, eorum filias & conjuges sedibus extractas abducit. Hic Mithridatis propinquus est & gener.*

Cotta, motis Romanorum castris, primùm in Prusiadem, Cierum olim nominatam, duxit. Inde ad mare Ponticum descendit, & maritimam prætergressus oram, Heraclææ mœnibus in montis vertice positis castra applicavit. Loci autem firmitati Heraclienses fidebant ; & Cottæ oppugnationem fortiter urgenti, simul cum præfidiariis à Mithridate introductis, repugnabant. Et plures quidem è multitudine Romanâ cadebant : crebra tamen etiam Heracliensium vulnera erant à telis. Quapropter ab oppugnatione receptui Cotta suis cecinit, & remotiùs aliquanto castrametatus, totus in hoc erat intentus, ut exitum ad res necessarias intercluderet obsessis. Annonæ igitur caritate obortâ Heraclienses, dimissis ad colonias legatis, alimenta sibi venundari petierunt : & benignè accepta est legatio. [*Memnon, cap. 49.*]

Brevi antè Triarius, Romanâ classe instructus, à Nicomediâ impetum fecerat in Ponticas triremes versùs Cretam & Hispaniam à Mithridate emissas. At cùm reliquas in Pontum retro abire rescivisset, (multæ

(multæ enim de his & procellâ & pugnis, suo quæque loco, navalibus interierant) adsecutus illas ad Tenedum, manus conferuit. LXX ipsi triremes erant: Pontici autem pauciores aliquanto LXX agebant. Postquam infestis concursatum est proris, regii ad tempus vim hostium initio sustinuerunt: sed postea universis in fugam effusis, plenam Romani victoriam & celebrem sunt consecuti. Atque ita classis Mithridatis tota, quanta in Asiam cum ipso exiverat, subacta est. [Id. cap. 50.]

Ad Amisenses obsessos Mithridates largè commeatus, arma, milites, submittebat è Cabiris; ubi hybernans alium colligebat exercitum. [Appian.] Et convenerunt ad eum peditum 40, equitum 4 millia; ut Plutarchus & Appianus: vel peditum 40, equitum 8 millia; ut Memnon numerat.

Olthacus (qui Appiano Olcabas Scytha est) Dardariorum Mæotim paludem accolentium dynastes, vir in re bellicâ, consilio & consuetudine civili laudatus, quum in Mithridatis esset præsidii & cum aliquo popularium suorum dynastarum certamen & æmulationem de primis semper ibi haberet; recepit Mithridati ingens factum, Lucillum se interfecturum. Collaudatus à Rege, atque in speciem iræ probris ab eo ex composito sugillatus, equo arrepto transfugit ad Lucillum; & ab eo benignè receptus est. [Plutarch.]

Olympiadis CLXXVII^o instante anno 1^o, vere, Murenâ ad Amisi obfidionem continuandam cum duabus legionibus relicto, Lucillus cum tribus aliis per montana contra Mithridatem profectus est. [Phlegon Trallianus, chronic. lib. 5. in Bibliothecâ Photii, cod. 97. Plutarch. & Appian.] Fuit hic Murena Lucullo imperatori legatus, & Murenæ illius quem Sylla prætorem Asiæ reliquerat filius. *Quâ in legatione (ut in Oratione pro eo habitâ declamat Cicero) duxit exercitum, signa contulit, manum conferuit, magnas copias hostium fudit, urbes partim vi partim obsidione cepit. Asiam istam refertam, & eandem delicatam, sic obiit, ut in eâ neque avaritiæ neque luxuriæ vestigium reliquerit: maximo in bello sic est versatus, ut hic multas res & magnas sine imperatore gesserit, nullam sine hoc imperator.*

Mithridates stationes disposuerat Lucillum prohibitoras, & ignibus significaturas si quid accideret. His præerat Phoenix, vir regii generis; qui dedit quidem ex pacto signum adventus Luculli, verum ipse ad eum transfugit cum suis copiis: & ille superatis jam securè montibus descendit ad Cabira. [Appian.]

Mithridates transgressus Lycum annum & in campos patentes progressus, laccessivit Romanos: [Plutarch.] Diophanto & Taxilâ adversus eos missis. Et principio velitationibus ferè assiduis hostiles exercitus inter se vires explorabant. [Memnon cap. 45.] Postea commisso equestri prælio, Romani terga verterunt, & Lucillus retrò ad montes se recepit. In eo prælio Pompeius vel Pomponius equitum ejus præfectus captus est, atque ad Mithridatem vulneribus gravis pertractus. Quem ubi rogavit Rex an, si ipsum conservâset, amicus sibi esset futurus: *Sanè, inquit, si pacem cum populo Romano feceris, sin secus, hostis.* Post quod responsum volentibus eum occidere barbaris,

non permisit Rex ; negans se sæviturum in virtutem destitutam à fortunâ. [*Plutarch. & Appian.*]

Deinde per continuos aliquot dies productis in aciem copiis, quum Lucullus ad pugnam non descenderet, quâ ad eum ascenderet Mithridates circumspiciebat. [*Appian.*]

Interim Olcabas sive Olthacus Scytha, quod in proximo equestri prælio multos Romanos servavisset, ad mensæ consiliorumque ac secretorum societatem admissus, venit ad eum dormientem circa meridiem in tentorio, brevi ut solebat accinctus pugione ; quasi rem magni momenti cum eo communicaturus. Sed à Menedemo cubiculario Luculli repulsus, metuens subduxit se ex castris, atque conscenso equo ad Mithridatem transcurrit. [*Plutarch. & Appian.*] Alium verò Scytham, nomine Sobadacum, de transfugiendo ad Lucullum cogitare, Regi indicavit : qui statim comprehensus est. [*Appian.*]

Quum Lucullus, prævalentibus equitatu hostibus, planiciem timeret ; petere autem montanam regionem longinquam, saluosam, impeditam gravaretur : Græcos quosdam, qui abdiderant se in speluncam quandam reperit ; quorum natu maximus Apollodorus, (venatorem, peritum montanorum callium, Appianus fuisse ait) ducturum se eum recepit, & locaturum in tutâ castris sede, quæ arcem haberet Cabîris imminentem. Hoc ductore usus Lucullus, primâ vigiliâ incensis ignibus movit : saltûque sine incommodo superato, per vias nulli tritas ad arcem illam pervenit. Ubi diluxit, conspectus est supra capita hostium metari castra locis qui dimicare volenti facultatem ejus dabant, &, ne compelli posset, quiescenti. Et campis tunc quoque propter equites vitatis, post eluviam quandam aquâ plenam castra posuit. [*Idem.*]

Quum neuter exercitus in animo haberet in præsentia prælio decernere, ferunt cervum persequentibus regiis interceptâ viâ occurrisse Romanos. Hinc initium ortum certaminis, pluribus semper ad utroque affluentibus. Fugâ tandem Romanorum factâ, ipse solus in campum descendens Lucullus, & primis occurrens fugientium, consistere imperavit & redire secum in hostem. His parentibus, cæteri à fugâ se reprimentes globo facto hostes facillè fugaverunt & usque ad castra consecrati sunt. Reversus Lucullus eos qui ceperant fugam solitâ ignominia notavit ; discinctos fossam duodecim pedum ducere jubens, adstantibus & spectantibus reliquis militibus. [*Plutarch.*]

Deficiente comœatu, frumentatum mittebat Lucullus in Capadociam, & crebrò velitabatur cum hostibus : donec, fugientibus aliquando regiis, Mithridates è castris procurrens suos objurgatos è fugâ revertere coëgit, tantumque pavorem incussit Romanis, ut perpetuo cursu in montana refugerent, etiam postquam à persequendo destitissent regii, & quisque proximum à tergo fugæ socium tanquam persecutorem fugeret : tantus pavor omnes occupaverat. Ejus victoriæ nuntios Mithridates circa omnes terras dimisit. [*Appian.*]

Sornatius cum decem cohortibus à Lucullo frumentatum missus, insectante eum uno ex Mithridatis ducibus Menandro, restitit ;

tit; commissioque prælio, magnam stragem & fugam edidit hostium. [Plutarch.]

Postquam iterum cum copiis Adrianus à Lucullo in Cappadociam missus est, ut cumulatè exercitus commeatum haberet; Taxiles & Diophantus, Mithridatis duces, Menemachum & Myronem cum quatuor peditum & duobus equitum millibus contra eum miserunt; ut, insidiis in medio positis, impedimenta revertentibus adimerent. [Memnon, cap. 45. Phlegon, ann. 1. Olymp. 177. & Plutarch.] Cùm enim Lucullo commeatus sola Cappadocia suppeditaret; sperabat Mithridates se redacturum eum ad talem inopiam, qualem ipse ad Cyzicum passus fuerat. [Appian.]

Verum equites regii quum in primum agmen frumentatorum in quibusdam faucibus incidissent, non expectato dum in patentiora loca procederet, non potuerunt equis uti in angustiis. Romani interim celeriter instructis ordinibus, favente sibi asperitate locorum, alios ex regiis occiderunt, alios per rupes præcipites impulerunt, alios turmatim dispersos in fugam egerunt. [Id.] Eos insecuti Romani, subsidiis à Lucullo missis, ad ipsa Diophanti & Taxilis castra provehuntur. Ubi valido certamine inito, ad breve tempus obstitere Pontici. Mox ubi primi abscesserunt duces, tota inclinata est acies: & ipsi copiarum ductores nuncii cladis venerunt Mithridati. [Memnon, cap. 45.] Equites & pedites qui cum Menemacho & Myrone venerant, duobus exceptis, omnes trucidatos fuisse Plutarchus asserit. Triginta millia lectissima Regis, à quinque Romanorum millibus vastata fuisse, scribit Eutropius. [lib. 6.] Lucillum in Ponto adversus Mithridatem feliciter pugnasse, cæsis hostium amplius quàm sexaginta millibus, tradidit Livius. [lib. 97.] etiam illis, qui paulo post in Mithridatis fugâ ceciderunt, simul comprehensis.

Hujus cladis fama non tam citò ad Lucillum quàm ad Mithridatem pervenit. [Appian.] Et præter illius castra magno splendore Adrianus iter fecit, ingentem numerum secum trahens plaustrorum commeatu & prædâ onustorum. Unde animus illius planè est dejectus, trepidatio autem & timor milites incessit. [Plutarch.] Rex verò, Lucillum in se destitutum equitatu quamprimum facturum impetum ratus, de fugâ cogitavit præ metu; & id consilium amicis statim aperuit in suo tentorio. At illi, non expectato signo vasa colligendi, res suas ante lucem è castris emittebant: adeò ut in portis jumenta præ multitudine se invicem comprimerent. Exercitus verò id videns, & agasones agnoscens, pavore suspicionem augente, indignè ferens non datum signum etiam sibi, vallum cum irâ uno impetu proruit. [Appian.] Iratiquè milites ad portas accurrentes, diripuerunt sarcinas, & qui eas abducebant obruncârunt. Inter quos Dorylaus dux, qui præter purpuram quâ erat amictus nihil habebat, propter eam ipsam perit; & Hermæus aruspex in portis conculcatus interiit. [Plutarch.]

Diffugiebant passim totis campis milites nullo ordine, quâ quisque poterat, non expectatis ducum ac præfectorum imperiis. Quæ ubi Rex sensit tumultuariè præpoperéque fieri, procurrit è suo tentorio

dicturus aliquid: sed quum à nemine audiretur, compressus in turbâ concidit. [Appian.] Eum Cabiris clam suis aliquamdiu se continuisse, ac deinde fugam arripuisse, scribit Memnon: [cap. 46.] statim verò in equam sublatum cum paucis ad montes properasse, Appianus refert. Plutarchus ita rem narrat. Mithridates, quum nemo apud eum ne apparitor quidem vel equis remansisset, in catervâ se cæterorum extulit castris; ac ne equum quidem ex regiis ad manum habuit. Verum quum serò tandem in fluctu fugæ illius conspexisset iactatum eunuchus Prolemæus, cui equus erat, desiliit præbuitque equum Regi.

Lucullus certior factus de frumentatorum victoriâ, vidensque fugam hostium, misit magnam manum equitum quæ fugientes persequeretur; eos verò qui in castris adhuc reliqui ad resistendum se parabant circumdedit legionibus: edixitque ut tantisper à rapinis abstinerent, dum satisfaceret cædibus. At miles, conspectis multis vasis aureis & argenteis, pretiosisque vestibus, edicti oblitus est. [Appian.] Sed & Rex ipse à Galatis eum insequentibus, qui tamen regem ignorabant, captus fuisset; nisi mulus ex iis qui regiam gazam portabant coniecisset se inter regem & consectantes: sive sponte sese obtulit, sive de industriâ Rex objecit eum insequentibus. Dum enim illi auro colligendo atque inter se de prædâ digladiando moram necunt, Rex è manibus eorum elapsus est. [Memnon, cap. 46. Plutarch. & Appian.] Cùmque Callistratum, qui Regi à secretis erat, captum in castra duci Lucullus imperasset; qui illum docebant, succinctum 500 aureis sentientes, occiderunt. [Plutarch.] Hujus è Ponto Mithridatis fugæ ita meminit, in oratione pro lege Maniliâ, M. Cicero. *Mithridates fugiens, maximam vim auri atque argenti pulcherrimarumque rerum omnium, quas & à majoribus acceperat & ipse bello superiore ex totâ Asiâ direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Hac dum nostri colligunt omnia diligentius, Rex ipse è manibus effugit.*

Mithridatem insequendo Lucullus Talaurorum tenuis pervenit. Unde quum quarto jam die Mithridates prævertisset in Armeniam (non in Iberiam, ut apud Josephum, lib. 13. cap. 24. perpetrâ legitur) ad Tigranem fugere, retrò concessit: & Regis castra militibus diripienda concessit. [Plutarch.] M. Pompeium ducem adversus Mithridatem traxit: ipseque cum universis copiis Cabira movit. [Memnon, cap. 47.] Ita verò rem hanc totam obumbrat Mithridates in epistolâ ad Arsacem, libro 4^o Historiarum Salustii. *Restitudo apud Cabira exercitu, & variis inter me atque Lucullam praliis, inopia rursus amobos incessit. Illi suberat regnum Aridbarzani bello intactum: (Cappadocia sc.) ego, vastatis circum omnibus locis, in Armeniam concessi.*

In Comana igitur evadens Mithridates, inde ad Tigranem cum duobus equitum millibus profugit. [Appian.] Sed expetitum à genero colloquium non impetravit. Eum enim qui tantum regnum amiserat, neque in conspectum admittere, neque alioqui affinem agnoscere, dignatus est. Corporis tamen sui custodiam ab eo accepit: & in castellis all more regio jussus est, & aliis hospitalitatis officiis adfectus.

[Memnon,

[*Memnon, cap. 48. & Appian.*] licet contempnim & superbè rejectum, atque remotissimè in locis palustribus & insalubribus quodammodo septum cum fuisset Plutarchus scripserit.

Ex fugâ Mithridates Bacchum sive Bacchidem eunuchum misit, ut sorores, uxores, & concubinas suas, quæ apud Pharnaciam servabantur, quomodosunque posset interimeret. [*Memnon, cap. 46. Plutarch. & Appian.*]

In multis duæ regis sorores fuerunt, Roxane & Statira, quæ annis propè 40 in virginitate vixerant; & uxores duæ Ionides natione, Berenice Chia & Monima Milesia. Ubi adfuit Bacchides, eisque indixit mortem, quæ cuique facillima & levissima videretur; Monima detractum capiti diadema collo aptavit, atque ex seo semet ipsa suspendit. Quo citò abrupto, *Execrabilis fasciâ*, inquit, *ne hæc quidem erit mihi utilis?* Tum illud projecit conspuitque, ac jugulum obtulit Bacchidi. Berenice poculum veneni sumpsit, cujus portionem matri dedit præsentem & petenti, usâque ebiberunt ambæ. Valuit autem in corpus imbecillius vis veneni: Berenicen verò, quæ minus iusto hauserat, non abstulit. Ea igitur, quam diu animam ageret, accelerante Bacchide strangulata est. Ferunt etiam ex innuptis illis sororibus, alteram, post multas in fratrem execrationes & probra, virus epotasse: Statiram verò nihil gravius aut abjectius locutam, fratrem collaudasse; quòd de vitâ in discrimen vocatus, rationem etiam habuisset ipsarum, prospexissetque ut citra contumeliam vitam ponerent liberæ. [*Plutarch.*]

Lucullus Cabiris circumfessis, dum barbari certo se pacto ei permittunt, & ipsos in fidem accipit, & mœnibus potitur. [*Memnon, cap. 47.*] Cabiris verò aliisque compluribus captis arcibus, grandes thesauros invenit & carceres, in quos conditi multi Græci, multi etiam Regis necessarii erant: qui quum habuissent se jamdudum pro deploratis, Luculli beneficio non tam conservati sunt, quàm revixerunt & quodammodo renati sunt. Atque inter cæteros soror Mithridatis Nyssa capta est, magnâ ipsius salute. [*Plutarch.*]

Præfecti præsidiorum Mithridatis unanimiter ad Lucillum transibant, paucis exceptis. [*Appian.*] Inter hos, Strabonis geographi avus maternus, (Moaphernis, Colchidis sub Mithridate præfecti, ut ille libro 11. pag. 499. indicat, frater) quòd sobrinum ipsius Tibium hujusque filium Theophilum Mithridates nuper necavisset, secum quindecim præsidaria castella ab eo ad Lucillum convertit. [*Strabo, lib. 12. pag. 557.*] Atque ita Romanis legionibus Pontus est patefactus, qui antè populo R. ex omni aditu clausus fuerat. [*Cicero pro lege Maniliâ, & pro Archiâ.*]

Creticum hinc bellum à Romanis est susceptum; solâ vincendi nobilem insulam cupiditate. Causa tamen prætendebatur; quòd Mithridati Cretenses faverent, & cum Romanis bellum gerenti milites suppeditarent conductitios; & quòd in illius gratiam cum piratis quos Marcus Antonius prætor (Triumviri pater) tum persequeretur belli societatem iniissent, ipsûmque Antonium legatum ad eos missum despexissent, atque illi superbè respondissent. Hinc igitur statim in-

vasit insulam Antonius, cum ingenti quidem victoriæ spe atque fiducia; aded, ut plures catenas in navibus quàm arma portaret. Sed plerasque naves interceperunt hostes; captivâque corpora religata velis ac funibus pendere: ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigaverunt. Ipse verò Antonius in morbum incidens, bellum parum prosperè gestum morte suâ finivit: ab eo nihilo seciùs *Cretici* cognomentum adeptus. [*Liv. lib. 97. Florus, lib. 3 cap. 7. Asconius in orat. de praturâ Verris Siciliensi. Appian. legat. 30.*]

Antiochus (Asiaticus,) Antiochi (Pii) filius, quum biennium ferè Romæ unâ cum fratre commoratus, per Senatum quæ de regno Ægypti postulaverat obtinere non potuisset, in regnum patrium rediens, & iter per Siciliam facere volens, Syracusas venit; ibique in domo Q. Minucii Rufi diversatus est. Candelabrum ille secum Romam attulerat è gemmis clarissimis opere mirabili perfectum, in Capitolio ponendum: sed, quia nondum templum erat perfectum, statuit id secum in Syriam reportare, & cum Jovis simulachrum dedicaretur (quod sequente anno à Q. Catulo est factum) cum cæteris rebus illud quoque donarium per legatos in Capitolium remittere. Sed & hoc candelabrum, & non pauca etiam pocula aurea gemmis distincta, & trullam vinariam ex unâ gemmâ pergrandi excavatam, Verres Siciliæ Prætor per fraudem illi abstulit, & sua reposcentem de provinciâ ante noctem discedere iussit; comperisse se dicens, ex ejus regno piratas in Siciliam esse venturos. [*Cicero in Verrinâ 6^a sive libro 4^o in Verrem.*]

Cum in Judæâ veteres Alexandri Jannæi amici, alii post alios, Pharisæorum artibus, Alexandrâ reginâ dissimulante, cæderentur; eorum potentiores, cum Aristobulo Alexandræ filio natu minore, in regiam convenientes, à Reginâ orârunt, ut vel ibi omnes interficerentur, vel per castella distributi reliquam vitam, ab inimicorum infidiis tuti, exigerent. Illa verò, inops melioris consilii, custodiam castellorum eis credidit: exceptis Hyrcaniâ, Alexandria & Machærunte, in quibus res sibi charissimas recondiderat. [*Joseph. lib. 13. Antiquit. cap. 24.*]

Cotta ad Heracleam castra habens, nondum toto oppugnationem exercitu aggressus erat; sed aliquos de Romanis particulatim admovebat, Bithynorum multos statuens in fronte. Cùmque plures vulnerarentur & oppeterent, machinis animum adjecit: quarum testudo præ aliis formidinem incussit obsessis. Totam igitur vim militum, castris excitam, admovit turri cuidam, ruinæ spem præferenti. Verùm ubi semel atque iterum percussa, non modò contra opinionem persisteret, sed etiam aries à cæterâ machinâ diffractus avelleretur; animus Heraclensium crescere, & perturbatus mœrore Cotta timere cœpit nunquam urbs ne caperetur. Postero etiam die, cum machina iterum impacta nihil proficeret, instrumentum illud concremavit, & fabris capita præcidit. Relictoque ad moenia præsidio, cum cæterâ militum turribus in campo Lycæo vocato stativa delegit, largam victus copiam præbente: atque inde omni circa Heracleam regione devastatâ,

vastatâ, in magnam cives difficultatem coëgit. Quare denuo ad Scythas Cherfonefi incolas, & Theodosianos, & circa Bosphorum dynastas, de societate legationem misit: quæ non absque effectu est reversa. [*Memnon, cap. 51.*]

Dúmque hostes urbi incumbunt, non multo minùs ab internis vexata ea est molestiis. Præsidariis enim Mithridatis militibus id non satis erat quo plebs urbana visitabat: verùm verberibus multatos cives suppeditare quæ in promptu non erant per vim jusserunt. Sed & præsidariis longè importunior erat præfectus Connacorix, non modò non prohibens vim suorum, sed etiam liberè permittens. [*Id. ibid.*]

3934

Lucullus Chaldæos & Tibarenos subegit. [*Plutarch.*] Armeniâ quoque minore, quam Mithridates tenuerat, potitus est. [*Id. & Eutrop. lib. 6.*] Et postquam obeundo, Ponti provinciam constituisset, ad maritimas quoque illius urbes classem appulit. [*Appian.*]

Amisus adhuc obsidebatur: præfecto Callimacho scientiâ apparatus machinalis & omni vi versutiæ, cujus in obsidione usus sit, vehementissimè Romanos fatigante. [*Plutarch.*] Lucullus eò profectus, ad deditiorem cohortatus est: sed cùm non persuasisset, ad Eupatoriam obsidionem transtulit; negligenter se illam oppugnare simulans. Dum verò custodes, simili negligentie exemplo provocati, securè agerent; ille jussis arripere scalas militibus moenia conscendendi copiam fecit. Et sic capta Eupatoria extemplo diruitur. [*Memnon, cap. 47.*]

Nec multo post capta est Amisus, quæ per alteram jam hyemem (ut ex Salustio confirmat Plutarchus) obsidionem pertulerat. Quâ enim diei horâ milites abducere & reficere Callimachus consueverat, eâ Lucullus, scalis admotis, conscendit moenia. [*Id. ibid. & Plutarch.*] Quorum quum modicam partem cepisset, Callimachus, vel quòd prædam invideret Romanis, vel quòd facultatem sibi evadendi strueret, (nemo enim abnavigantes est moratus) deseruit incenditque urbem. Ut autem vis flammæ muros comprehendit, accingebant se milites ad prædam. At Lucullus, intereuntis misertus urbis, foris voluit prohibere ignem, atque ad restinguendum adhortatus est milites. Cæterùm nemo obtemperabat ei, sed clamantes armis concrepabant; donec vi adactus, quò urbem ipsam eriperet ex incendio, permisit eis prædam. Illi verò diversum egerunt. Quum enim ad faces rimarentur omnia, & omnes in angulos lumen inferrent, ipsi pleraque ædificia concremaverunt. Flammam imber, dum capitur urbs, divino quodam casu effusus, extinxit. Pleraque Lucullus, ante discessum suum, quæ diruta fuerant, instauravit. [*Plutarch.*] Cædèque ulteriore civium inhibita, & urbem & regionem superstitibus reddidit. [*Memnon, cap. 47.*]

Eo tempore captus est Tyrannio grammaticus: quem, cùm ob insignem eruditionem Lucullus nollet servum fieri, Murena ab eo acceptum manumisit: eo munere usus illiberaliter. [*Plutarch.*] Patriâ verò Amisenus ille fuit: ut in libro 12º [*pag. 548.*] Strabo, ipsius auditor, indicat.

Selene

4644 70

Selene regina, Cleopatra alio nomine dicta, (quæ post mortem mariti sui Antiochi Pii, unâ cum filiis, parte Syriæ quam Tigranes Armeniæ rex non occupaverat regnabat) Syros ut Tigranem excluderent sollicitavit; & nonnullas Phœniciaë urbes ab ejus obedientiâ abduxit. Ad quam defectionem cohibendam, Tigranes cum ingenti exercitu in Syriam ingressus est. [*Joseph. lib. 13. cap. 24. cum Plutarcho, in Lucullo.*] Quâ in expeditione, Tigranes 70 illas Armeniæ convalles, quas obses Parthis mercedis loco dederat, recuperavisse; & Parthorum ditionem, quæ circa Ninum & Arbela est, populatus fuisse videtur. [*Strabo, lib. 11. pag. 532.*] Est enim hoc omnino recens illud Tigranis adversus Parthos bellum, cujus in Mithridatis ad Arsacem proximè sequente anno missâ epistolâ (in libro 4^o Historiarum Salustii) facta habetur mentio: in quo & *χωρὰν πρὸ ἀμφισβητίας μιν, regionem quandam controversam*, ereptam Partho fuisse, in 35^o Historiarum suarum libro confirmat Dio.

Alexandræ Judæorum reginæ anno 9^o Matthiæ Curto Sacerdoti Josephus filius natus est, Josephi historici avus: ut ipse initio libri de Vitâ suâ indicat.

Alexander filium Aristobulum cum exercitu misit versus Damascus, contra Ptolemæum Mennæum, qui gravis erat urbi vicinus. Sed ille nullâ re memorabili gestâ domum rediit. [*Joseph. lib. 13. cap. 24.*]

Per idem tempus nunciatum est, Tigranem cum 500 militum milibus invasisse Syriam, & brevi in Judæam esse venturum. Ea fama non immeritò Reginam & totam gentem terruit: miseruntque ad eum legatos cum magni pretii muneribus, obsidentem tunc Ptolemaidem; quam & postea cepit. Ibi inventum legati rogaverunt, ut bene sibi de Reginâ deque totâ Judæorum gente polliceretur. Ille verò collaudatos quòd è longinquo venissent ad exhibendum sibi officium, jussit omnia bona sperare. [*Id. ibid.*] Licet enim Tigranem omnes Ciseuphratensium Syrorum gentes Ægyptum usque scripserit Apianus; [*in Syriac. pag. 118.*] & *Palestinam* nominatim eum obtinuisse, apud Plutarchum dixerit Lucullus: tamen Ægyptum versus ultra Phœniciam eum non processisse, & ex Strabone in fine libri XI. intelligitur, & ex Eutropii libro VI. qui & *partem tantum Phœniciaë occupatam* ab eo fuisse confirmat.

Lucullus legatum ad Tigranem misit Appium Clodium (uxoris suæ fratrem) qui Mithridatem exposceret. [*Memnon, cap. 48. et Plutarch.*] Eum duces regii per superiores regiones traxerunt viâ præter necessitatem tortuosâ, flexuosâ, et prolixâ; quousque libertus ejus Syrus natione rectam indicavit: eoque ducente, paucis diebus Euphrate superato pervenit Antiochiam quæ Epidaphne est dicta. Ibi Tigranem operiri jussus (aberat enim subjugans adhuc nonnullas Phœniciaë urbes) complures dynastas, qui non ex animo parebant Armenio, conciliavit. In quibus Gordyenorum rex fuit Zarbienus. [*Plutarch.*]

Multis insuper Appius domitis à Tigrahe civitatibus, quæ legatos clam ad ipsum miserant, Luculli opem promisit, jussis in præseari nihil movere: Erat enim Græcis intolerandum Armeniorum & du-
rum

rum imperium. Spiritus præsertim ipsius regis ita arrogantes & in flatu ex cursu rerum tam prospero evaserant; ut quicquid mortales optant & suspiciunt, non modò in arbitrio esse suo, sed & propter se arbitraretur natum. Reges serviebant ei multi. Quatuor autem habebat in comitatu suo, apparitorum vel satellitum loco, qui equitante ipso pedites juxtà currebant tunicati; in solio verò sedenti & responsa gentibus danti adstantes peccinatim complicatis inter se manibus: qui maximè habitus videbatur esse confessio servitutis. [Id.]

L. Metellus in præturâ Siciliensî successor Verri datus. [Ascon. Pedian. in Divinat.] adversum piratas in Siciliâ (non Ciliciâ, ut in Livianâ epitome perperam habetur editum) prosperè rem gessit. [Liv. lib. 98. Oros. lib. 6. cap. 3.] Siculis verò Verrem repetundarum reum postulantibus, pro illis Cicero, designatus Ædilis, in certamen venit cum designato Consule Hortensio. [Cicero, in Bruto.] In quo, Verrem accusandi partes Ciceroni frustra præripere conatus est Q. Cæcilius Niger, qui Verris in eâ insulâ quæstor fuerat; domo quidem Siculus, (ut in Divinationem quæ extat adversus Cæcilium notavit Pedianus) conditione verò libertinus, & religione Judæus; ut in Vitâ Ciceronis scripsit Plutarchus. ubi & inde ortum Ciceronis in Cæcilium jocum retulit: *Quid fudeo cum verre?*

Libro 2º in Verrem, ille Ciceronis locus nonnihil facit ad præsentium rerum statum indicandum. *Verum veniat sanè: decernat bellum Cretensibus, liberet Byzantios, regem appellet Ptolemaum; quæ vult Hortensius, omnia dicat & sentiat.* Cui & ille consimilis, in epistolâ Mithridatis proximè sequente anno ad Arsacem scriptâ apud Salustium, libro Historiarum 4º. *Cretenses soli omnium liberi eâ tempestate, & rex Ptolemaus. et mox, Ptolemaus pretio diem belli prolatat. Cretenses impugnati semel jam, neque finem nisi excidio habituri.* Ex quorum collatione promptum fuerit colligere, jus illud quo ad recuperandum regnum Ægyptiacum Antiochus Asiaticus apud eos usus fuerat in commodum suum vertisse; ut tantisper Ptolemæum Alexandrum regem appellandum censerent, quamdiu securam regni illius possessionem continuatâ largitione redimeret: & primum illud Creticum bellum, M. Antonii clade interruptum, redintegrare eos statuisse; quod & ab eis præstitum fuisse, in sequentis anni historiâ videbimus.

Lucullus in Asiam profectus, adhuc multæ à Syllâ impositæ nomine debentem quartam partem fructuum; tributum pro ædium modo & servorum numero statuit. [Appian.] Urbes enim Asiæ publicani & foeneratores depopulati fuerant, servilémque in modum vexaverant; adeò ut privatim filios filiasque vendere, publicè ornamenta, picturas, signa detrudere cogerentur: ipsisque hic erat exitus, ut creditoribus in servitutem addicerentur. Eas pestes ita repressit Lucullus, ut intra quadriennium omnia nomina dissoluta fuerint, & possessiones liberæ suis dominis postliminio restitutæ. Erat publicum hoc æs alienum 20 millium talentum, quæ Asiæ Syllâ imperaverat. Hujus summæ solutum est creditoribus duplum, quæ usuris redacta jam ab illis fuerat ad 120 millia talentum. Illi verò, velut magnâ injuriâ

iuriâ affecti, Lucullum Romæ insectati sunt; & nonnullos qui in concionibus ibi dominabantur concitaverunt in eum. At Lucullus non tantum à gentibus de quibus bene meritus fuerat diligebatur; verum erat etiam charus cæteris provinciis, quæ beatos ducebant illos qui talem nacti essent rectorem. [*Plutarch.*]

Lucullus ubi Asiam multis præclaris legibus atque altâ pace confirmavisset, nec voluptates & festivitates præterit: verum spectaculis, festis triumphalibus, muneribusque athleticis & gladiatorii civitates Ephesi residens oblectavit. Hæ celebraverunt vicissim in illius honorem *Lucullia*; jucundiorémque eo honore veram præstiterunt illi benevolentiam. [*Idem.*]

Tigranes Cleopatram, cui Selenæ cognomentum fuit, in Mesopotamiæ castello Seleuciâ aliquandiu inclusam, interemit. [*Strabo, lib. 16. pag. 749.*] Atque ita Antiochus Asiaticus, qui jure matris regnum Ægypti recuperare speraverat, etiam eâ regni Syriæ parte quam illa tenebat excidit.

Ubi Antiochiam Tigranes rediit, Appius legatus palam dixit se venisse, ut Mithridatem Luculli triumphis debitum abduceret: alioquin Tigrani bellum se indicere. Quâ libertate factus ille est commotior quamvis vultum ad serenitatem, legati audiendi causâ, composuisset; qui tunc primum, post annos ferme viginti quinque, liberam vocem audiret: tot enim annos regnaverat, vel potius grassatus fuerat. [*Plutarch.*] Responsum dedit Appio, scire se quidem improbum esse Mithridatem, sed tamen affinitatis habere rationem: universorum se criminationem hominum meriturum confirmans, si uxoris patrem hosti tradat. Se igitur non deserturum Mithridatem, & Romanis, si bellum inferrent, restitutum. Lucullo verò infensus, quod se *Regem* tantum, non *Regem regum*, in epistolâ salutavisset; neque ipse rescribens, eum *Imperatoris* titulo dignatus est. Appius ex multis donis acceptâ phialâ unâ aureâ, ne Regem rigidius repudiando offenderet, celeri cursu ad Imperatorem regressus est. [*Id. cum Memnone, cap. 48.*]

Quum detectus esset Gordyenorum rex Zarbienus clam cum Lucullo societatem iniisse, unâ cum uxore & liberis à Tigra necatus est. [*Plutarch. in Lucullo.*]

Ut rediit Appius, & bellum cum Tigra gerendum apparuit; Lucullus votiva sacra diis suis Ephesi persolvit, ac si jam debellatum esset. Deinde in Pontum iterum contendit; motisque castris Sinopen, vel potius illos qui eam tenebant regiones obsedit Cilicas. [*Id. cum Appiano, pag. 228.*] Ut enim foris à Romanis, ita intus oppugnata urbs est ab insidente tyranno, custodiæ illius à rege Mithridate præfecto: Cleochare videlicet spadone, ut Orosius; vel Bacchide, ut eum Strabo nominat. Namque hic, proditorem aliquam subinde metuens, ac multas cædes civium edens, eò rem deduxit; ut neque ad propugnandum fortiter civibus animus, neque ad deditorem initis patris faciendam facultas esset. [*Strabo, lib. 12. pag. 546.*] Quam tragediam à Memnone ita plenius habemus expositam.

Leonippus, cui cum Cleochare cura urbis & tutatio à Rege commissa fuerat, re desperatâ, de proditione ad Lucullum mittit. At Cleo-

Cleochares cum Seleuco archipiratâ (nam & hic Mithridatis erat legatus, officii auctoritate cum cæteris æquatus) Leonippi proditionem odorati, advocatâ concione, hominem accusant: cives verò criminis hujus actionem non admittunt, quòd probum esse existimabant. Ideò Cleocharis factio, gratiam ejus apud plebem metuens, noctu ex insidiis hominem trucidant. Populus quidem hunc casum ægrè ferre, sed Cleochares cum suis rerum potiti, & tyrannicè res administrare: hâc viâ paricidii in Leonippum poenas subterfugituros se existimantes. [*Memnon, cap. 55.*]

Interim Censorinus, Romanæ classis Prætor, triremes agens quindecim, comeatum à Bosphoro Romanorum castris advehentes, prope Sinopen appellit. Contra quem Cleocharis & Seleuci triremes Sinopicæ, ductu Seleuci egressæ, navali prælio decernunt; & victis Italis, naves onerarias in suum duces lucrum auferunt. Elatus hoc successu Cleochares cum collegâ, plusquam antea tyrannico urbem imperio premit. Nam causis legitimo judicio non disceptatis, ad neces opidanos rapiunt, & ad multa alia crudelitate suâ abutuntur. Accidit autem ut in contraria scinderentur studia Cleochares & Seleucus. Ille enim persistendum in bello, Seleucus trucidatis Sinopensibus urbem Romanis, magnificæ remunerationis pacto, tradendam censebat. Atqui neutrâ sententiâ comprobatâ, quicquid possidebant navibus onerariis ingestum ad Macharem filium Mithridatis, tum temporis in Colchide agentem, mittunt. [*Id. ibid.*]

Sub idem tempus Lucullus ad urbem accedens, valido eam nixu oppugnabat. Machares verò Mithridatis filius, legatione ad Lucullum missâ, amicitiae & societatis foedus ab eo petit. Ille, petitione benignè admittâ, foedus pro firmo se habiturum respondit, si nullos Sinopensium comeatu juvaret. Qui non solum imperata fecit, sed etiam destinata Mithridaticis ad Lucullum deferenda curavit. [*Id. cap. 56.*] Atque ita Bosphori rex Machares, missâ ad Lucullum mille aureorum coronâ, in amicitiam & societatem populi Romani receptus est. [*Liv. lib. 98. Plutarch. & Appian.*]

Cleochares & Seleucus hæc videntes, spe omni abjectâ, multos civium Sinopensium trucidârunt, magnas opes in naves conesserunt, urbem ad direptionem militibus concesserunt & postea inflammârunt. Tum gravioribus navibus incensis, & levioribus nocte conscensis, ad interiora Ponti, quæ à Sanegibus & Lazis incoluntur, aufugerunt. Excitatâ igitur flammâ, quid actum esset Lucullus animadvertit: scalâsque ad moenia adhibere jussi milites transcenderunt. Ingressus urbem Lucullus, ex regiis qui remanserant octo millia interfecit: cæterorum verò misertus, celeri occursum immissum restinxit incendium, & civibus res suas restituit. Ita misera civitas, versâ vice hostium sociorumque, unde defendenda, disperdita, & unde disperdenda, servata est. [*Memnon, cap. 56. Plutarch. Appian. Orof. lib. 6. cap. 3.*]

Sinopes verò hanc curam habuisse Lucullum, moxque liberam eam fecisse, tali ferunt monitum insomnia. Visus est ei in somnis assistere quispiam qui diceret; *Progredere paululum Luculle, venit enim Autolycus*

lycus ut se conveniat. Ubi surrexit, non potuit assequi conjecturâ quò id tenderet: sed urbem illo die cepit, atque in persequendo Cilicas, qui navibus fugam capessabant, jacentem vidit in littore statuatam: quam Cilices illi fugæ comitem ascituri, pannis obvolutam constrinxerant funiculis, sed satis spatii non habuerant ut navigio imponerent. Solutis involucris, talem Lucullus vidit, qualis species ei noctu obversata fuerat: & Autolyçi, qui Sinopen condidit, statuatam fuisse didicit. Quo audito, subierunt illi Syllæ præcepta, in Commentariis suis monentis, nihil perinde fidele ducendum & firmum, ac quod in somniis demonstraretur. [Plutarch. & Appian.] Hanc verò Autolyçi statuatam, quòd Sthenidis erat opus, & Billari sphaeram, secum tulit: reliquis omnibus urbis ornamentis relicta. [Strabo, lib. 12.]

Post Sinopen Lucullus Amisum etiam restituit suis civibus, qui pariter per mare profugerant, urbemque αὐτόνομον & liberam esse iussit. [Appian.] Aliis quoque Græcis, quicumque vellent, frequentavit urbem; eique agrum 120 stadiorum attribuit. Ex Atheniensibus quoque, qui Syllæ temporibus Aristionis tyrannidem fugientes eò se habitatum contulerant, quotquot incolumés superfuerant, eos honestè vestivit; ducenasque in capita drachmas largitus, in patriam remisit. [Plutarch.]

Repugnabat etiamnum Amasea, (Strabonis geographi patria:) sed non multum intercessit spatii, cum etiam ipsa Romanorum in fidem concessit. [Memnon, cap. 56.]

Agros Heraclææ populatus Cotta, multos iterum adortus est. At cum segnes ad oppugnationem remissisque animis videret milites; à conatu desistens, vocatum misit Triarium, ut eum triteribus quamprimum advolans comiteus in mari facultatem opidanis interciperet. [Id. cap. 51.]

Assumptis ergo Triarius quas habebat navibus, & 20 Rhodiis, quarum summa 43 conficiebat, in Pontum trajecit: & adventu ejus in tempore Cottæ significato, eodem die exercitum ad mœnia appulit Cotta, & imminens Triarii classis apparuit. Tum repentino navium adventu Heraclienses turbati, 30 quidem naves in mare deduxerunt, sed eas non satis complebant. Reliqua multitudo ad propugnandam urbem se convertit. Primi Rhodii in naves Heraclæoticas impressionem fecerunt: & statim tres Rhodiorum & quinque Heracliensium sunt depressæ. Hinc pugnae supervenientes Romani, multis acceptis damnis, pluribus tamen illatis, Heraclæotas fuderunt, & ad urbem fugere compulerunt, 14 navibus deperditis. Classis viarix in Magnum subiit portum. Peditatum etiam ab oppugnatione Cotta revocavit. [Id. cap. 52.]

Triariani in dies singulos e portu subvecti, eos qui frumenta circumfessis importare conantur impedierunt. Ingens igitur annonæ caritas urbem tenuit: ita ut choenix frumenti ad 80 Articos procederet. Et super alias ærumnas etiam pestis homines invasit, vel ex aëris mutatione, vel inconsuetâ victus ratione existens; & per varias calamitatum formas varios hominum interitus effecit. Inter quos etiam

etiam Lamachus longè acerbiorè quàm alii & lentiorè mortis cruci-
atu extinctus est. Lues hæc maximè præfidiarios corripiebat: ut de
3000, mille interierint. [*Id. ibid.*]

3935

Connacorix, hæc afflictionum mole fatiscens, urbem Romanis pro-
dere, & Heracleotarum exitio suam permutare salutem statuit. Ope-
ram huc conferebat etiam Heracliensis quidam, Damopheles, consi-
liorum Lamachi æmulator, præsidio urbis & ipse à Lamachi interitu
præfectus. Connacorix à Cottâ, ut homine moribus importunis &
dubiâ fide, sibi cavens, cum Triario rem communicavit; nec segnius
in eodem cum his studio Damopheles decurrit: & acceptis pacto-
rum conditionibus, quibus se beatos fore sperabant, ad proditionem
se accinxerunt. Obiter autem quæ à proditoribus agebantur in vul-
gus emanârunt. In concionem igitur concurrente, præsidiique præ-
fecto advocato, Brithagoras vir inter populares præcipuæ auctori-
tatis, multis precibus à Connacorige expetiit, ut de communi omni-
um salute cum Triario confere liceret. Ille verò pacificationem eam
fufcipiendam esse prorsus negavit; at astutè confictis verbis Heracli-
enses in fraudem induxit. [*Id. cap. 53.*]

Nocte igitur intempestâ Connacorix, exercitu navibus imposito,
(per foedus enim cum Triario initum salvis abire, & si quid lucri fe-
cissent, secum asportare licebat) ipse cum militibus discessit. Damo-
pheles autem, solutis portis, introfutum Romanorum exercitum &
Triarium recepit: quorum alii per portam irruerunt, nonnulli etiam
muri pinnacula transcenderunt. Tum demum proditos se Heracliens-
es senserunt: parsque horum se dedit, pars trucidata est. Res in
abdito repositæ & supellectilia direpta sunt: & magnâ crudelitate in
cives est sævitum. Nam recurrit animo Romanis, quanta navali con-
flictu detrimenta accepissent, & quantas sustinuisent ærumnas in op-
pugnatione. Ideoque nec ab his qui ad sacra loca confugerant est
temperatum; sed juxta aras & delubra supplices mactati sunt. Quo-
circa multi trans muros elapsi, mortis inevitabilis metu, per totam re-
gionem dispersi sunt: nonnullis etiam ad Cottam transfugere co-
actis. [*Id. ibid.*]

Ab his quum Corta de expugnatione urbis, & hominum strage &
direptione bonorum, certior fuisset factus; irâ totus exardescens, quàm
celerrimè ad urbem festinavit. Molestè etiam simul tulit exercitus,
quod non modò gloriâ rerum fortiter gestarum spoliati, sed etiam
commodis universis fraudati essent. Ideo implacabili cum gentilibus
certamine conferti, muris se cædibus hausissent; nisi Triarius, conci-
tatione illorum intellectâ, multis pacâset verbis Cortam, & in com-
mune se lucrum expositurum sanctè promittens, bellum intestinum in-
hibuisset. [*Ibid.*]

Audiens Corta, Teiam & Amastrin à Connacorige fuisse occupa-
tas; Triarium sine morâ dimisit, ut has ei urbes adimeret. Ipse inte-
rim Heracleæ manens, acceptis dedititiis & captivis, cætera per omnem
sævitiâ administravit. Nam dum opes passim scrutatur, ne sacris
quidem pepercit. Statuas enim & imagines, tam pulchras quàm mul-
tas, loco movit: quin & Herculem è foro, & ornatum ejus à pyra-
mide,

mide, multaque alia æquè miranda atque pulchra è fanis & urbe sublata, navibus inferfit. Ad ultimum, jussis ignem immittere militibus, multis urbem partibus succendit. Ita capta & subacta est Heraclea, cum duos oppugnationem annos sustinuisset. [*Id. cap. 54.*]

Triarius ad urbes sibi demandatas profectus, Connacorigi (is enim prodicionem Heracleæ aliarum occupatione dissimulare animo præsumpserat) securitate abeundi factâ, civitates sub conditionibus certis recepit. [*Id. ibid.*]

Cotta, rebus quo dictum est modo confectis, pedestres copias unâ cum equitatu Lucullo tradidit, & sociorum auxilia, in suam quæque patriam, dimisit: ipse verò cum classe abiit. Ibi navium quæ Heracleæ spolia vectabant, pars supra modum onerata haud procul à litore dissoluta est; pars, aparctiâ vento contrâ flante, in vada procellis ejecta, pleraque asportandorum excussit. [*Ibid.*]

Lucullus, Sornatio ad ordinandam provinciam cum 6000 militibus relicto, assumptis secum 12 millibus peditum & minus tribus millibus equitum (duas legiones & 500 equites habet Appianus) in Cappadociam est ingressus: & Ariobarzanem habens amicum, quàm maximis itineribus contendit ad flumen Euphratem, quâ in parte Cappadocia ab Armeniâ disjungitur. [*Salust. Histor. lib. 4. apud Nonium, in voc. Naves codicariæ. Memnon, cap. 58. Plutarch. Appian.*]

Ex hyeme tum inflatus turbidusque erat Euphrates: sed quum sub vesperam coepisset unda subfidere, ubi diluxit, amnem ripis suis ostendit clausum. Unde incolæ Lucillum adoraverunt; quòd haud temere id antea accidisset, fluviûsque transitum illi præstaret expeditum & maturum. Traducto quoque exercitu, lætum illi oblatum est prodigium. Ex bobus enim Dianæ Perficæ (quam eximiè venerantur barbari trans Euphratem colentes) sacratis, quæ haud faciliè capiebantur, una sponte semetipsam Lucullo præbuit hostiam. Qui Euphrati etiam, transitus causâ, sacrificavit taurum: & toto eo die stativa illic habuit. [*Plutarch.*]

Postero die & insequentibus iter fecit per Sophenem. Incolas, qui dedebant se & promptè recipiebant exercitum, nullâ re violavit. [*Id.*] solas ab eis exigens pecunias. nam regionum earum incolæ abhorrebant ab armis: nec dignabantur se medios ingerere Tigrani & Lucullo dimicantibus. [*Appian.*]

Ibi quum milites arcem, in quâ ingens præda putabatur esse, capere vellent: *illa arx*, inquit Lucullus, ostendens procul Taurum, *expugnanda potius est; hac premia reposita sunt victoribus.* Extentis deinde itineribus Tigrim transgressus, inivit Armeniam. [*Plutarch.*]

Armeniam invadente Lucullo, Alexandra Judæorum regina in morbum difficilem incidit. Unde minor ejus natu filius Aristobulus, regnum affectans, noctu egressus uno comitante famulo contulit se ad ea castella, quibus paterni amici erant præpositi. Conscia verò ejus conatus erat sola uxor; quam domi reliquit cum liberis. ac primùm venit Agaba, ubi Galæstes erat unus è potentibus, à quo perlibenter exceptus est. [*Joseph. Antiquit. lib. 13. cap. 24. cum lib. 1. Belli, cap. 4.*]

Sequenti

Sequenti die Regina sensit Aristobuli absentiam, nec tamen statim suspicata est illum ad res novandas esse profectum. Verum postquam alii super alios nuncii venerunt, nunc hoc nunc illud castellum occupatum esse nunciantes, (nam intra quindecim ferè dies 23 castella occupavit ;) tum demum & regina ipsa, & gens universa in magnâ consternatione fuit ; verita ne regno usurpato, poenas ab illis exigeret, qui in ipsius familiares grassati fuerant. Placuit igitur uxorem ejus cum liberis in arce Templo vicinâ custodiri. Ad Aristobulum interim plurimi confluebant, ex novis rebus captantes utilitatem ; ut jam nec strepitus deesset, nec ornatus regius. Ipse exercitum à monte Libano, & Trachonitide, & vicinis dynastis colligebat. [*Id. ibid. lib. 13. cap. 24.*]

Hyrchanus ergo Pontifex & seniores Judæorum Reginam adeunt, & rebus præsentibus aliquod expediri consilium postulant. Illa jubet eos facere quidquid putarent reipublicæ conducere, & præsentis facultate virium pecuniarumque uti : jam se, corporis animique vigote deficiente, rerum administrationi vacare non posse. His dictis, non multo post vitâ functa est. [*ibid.*]

Post eam, regnum obtinebat senior ejus filius Hyrchanus ; anno 3^o Olympiadis CLXXVII, Q. Hortensio & Q. Metello (Cretico postea cognominato) Consulibus. [*Id. lib. 14. Antiquit. cap. 1.*] quod & mater adhuc vivens illi commiserat. Verum junior Aristobulus viribus atque autoritate præstabat. [*Id. lib. 1. Belli. cap. 4.*]

Quum Consules sortirentur, Hortensio bellum adversus Cretenses gerendum obvenit. Sed is urbe delectatus, & foro (in quo primum locum post Ciceronem obtinebat) Metello collegæ hanc expeditionem ultro cessit. [*Xiphilin. ex Dion.*]

Bello hoc ita decreto ; qui inter Cretenses ætate & prudentiâ magis eminebant, ut legati Romam mitterentur consuluerunt, qui objecta crimina diluerent, & benignis verbis precibusque Senatui placare conarentur. Viros igitur clarissimos triginta Romam legatos dimiserunt : non solum pacationum antiquarum renovationem, sed etiam pro beneficio suo gratiam, quod eorum quæstorem militesque (in superiore cum M. Antonio pugna) servassent, adepturos se sperantes. Legati Senatorum domos privatim obeuntes, ita eos sibi conciliârunt ; ut quum in Senatui introducti accusationibus prudenter illi satisfecissent, atque beneficia sua & belli cum Romanâ potestate societatem diligenter exposuissent, in eam itum fuerit sententiam, ut Cretenses & ab objectis criminibus absolventur & inter amicos ac socios populi Romani censerentur. Verum Lentulus, cognomento qui Spinther dictus est, decretum hoc irritum reddidit : Unde sæpius hæc de re in Senatu actum est, tandemque conclusum, ut Cretenses, quod latrociniorum cum piratis fuissent participes, navigia omnia prædatoria usque ad tetrascalmum, & quotquot Romanorum captiva detinebant, Romam transmitterent. Postulatûmque præterea est, ut omnes captivi, omnésque transfugæ, & obsides clarissimi numero 300, & Lathenes qui cum Antonio pugnaverant & Panares, simul cum 4000 argenti talentis, traderentur. [*Diodor. Sicul. legat. 35.*
Appian.

4645 69

Appian. legat. 30. Dio, legat. 37. al. 38.]

De his verò nullum à Cretenſibus, qui eſſent domi, reſponſum Romani expectârunt : ſed alterum è Conſulibus ſtatim miſerunt, qui hæc reciperet, ac niſi darent, bellum eis inferret. Daturi verò illi non erant. Qui enim ab initio, priùs quàm hujusmodi quid ab eis exigetur, & quàm potiti eſſent victoriâ, admiſſum à ſe aliquid conſiteri noluerant ; quonam modo poſt victoriâ ſibi tot ac talia ſimul imperari ſuſtinuiſſent ? Id ergo cùm certò Romani ſcirent, & ſuſpicionem futurum præcepiſſent, ut legati nonnullos aggredierentur pecuniâ corrumpere, quò bellum hoc impedirent : ſenatusconſulto prohibere, ne quis eis quidquam mutuò daret. [*Dio, ibid.*]

Cretenſibus de iis quæ à Senatu poſtulata fuerant deliberantibus, prudentiores quidem quæ juſſa fuerant omnia faciendâ cenſuerunt : qui verò à Laſthenis partibus fuerunt, cùm criminationibus eſſent obnoxii & ne Romam tranſmiſſi, ſupplicium paterentur ſibi metuerent, multitudinem commoverunt ; ut avitam libertatem tuerentur, obteſtantes. [*Diador. legat. 35.*]

Romam Cotta reverſus, honore à Senatu affectus eſt, & Pontici cognomento, quòd Heracleam cepiſſet, nobilitatus. [*Memnon, cap. 61.*]

Mithridates annum & octo menſes in partibus Armeniæ demoratus, necdum in conſpectum Tigranis generi ſui admiſſus erat. Hic tamen exoratus tandem, ut coram ſe ſiſtendi poteſtatem ei faceret, ſplendidâ cum pompâ occurrit, & regali focerum magnificentiâ excepit. Sed triduum abſque colloquio cum eo tranſegit : lautiffimis deinde conviviorum apparatus benevolentiam ei ſuam oſtendit. [*Memnon, cap. 57.*] Tum in colloquio, quod habuerunt in regiâ arcanum, mutuas ſuſpiciones in Metrodori Scepsii & aliorum capita lenierunt amicorum, in quos cauſas detorſere. [*Plutarch.*] & decies mille inſtructus equitibus in Pontum Mithridates remiſſus eſt. [*Memnon.*]

Lucullus agmen ad urbem adduxit, ubi Tigranis pellices & de rebus pretioſis ac charis non pauca aſſervari didicerat. [*Idem, cap. 58.*]

Tigrani, quòd eum qui adventum Luculli primus ipſi nuntiavit tanquam turbatorem populi ſuſpendiſſet, nemo poſtmodum detulit quicquam. Ut verò tandem ſenſit, Mithrobarzanem cum duobus (ut Appianus) vel tribus (ut Plutarchus habet) equitum millibus, & peditum ingenti numero, contra Lucillum miſit ; cum mandatis, ut eum ad ſe vivum attraheret, cæteros obtereret. [*Plutarch. & Appian.*]

Luculli copiæ partim caſtrametabantur, partim adhuc erant in itinere, cùm ſpeculatores ei nunciant aſſeſſe hoſtem. Timens igitur ne diſtractos & incompoſitos turbaret incurſu ſuos, ad caſtra munienda ipſe ſubſtitit. Sextilium verò legatum cum 1600 equitibus & pari ferè peditum numero præmiſit ; juſſum ſuſſistere cùm ad hoſtem perveniſſet, donec accepiſſet caſtra eſſe permunita. Verùm ferociter invehente ſe Mithrobarzane, coactus eſt manum conferere : quo in conſictu pugnans Mithrobarzanes cecidit ; reliqui

in

in fugâ, demptis paucis, cuncti perierunt. [*Plutarch.*]

Tigranes relicta Tigranocerta, urbisque custodia fidei Manæi commissâ, obibat regionem, colligens exercitum; & ad Taurum se recipiens, eò copias omnes contrahebat. [*Id. cum Appiano.*] Cæterum Lucullus spatium ei non permittens ad se parandum, Murenam misit ad premendos & carpandos eos qui ad Tigranem conglobabant se: Sextilium aliò, ut obsisteret magnæ Arabum manui, ne conjungerent se Regi. [*Plutarch.*]

Sextilius, castra ponentibus superveniens, oppressit majore ex parte Arabas. Murena Tigranem insequens asperâ & arcuâ convalle longo agmine iter facientem, opportunitate datâ, adoritur. Tigranes, dimissis omnibus impedimentis, fugam capessit. Multi occumbunt, plures capiuntur Armenii. [*Id.*]

Sextilius, Manæo intra Tigranocertam compulso, regiam mox extra moenia sitam diripuit, urbem arcemque circumvallavit, admotisque machinis, cuniculis etiam suffodit moenia. [*Appian.*] Ipseque Lucullus eò adveniens, urbem castris cinctam obsedit acriter, non perpeffurum id ratus Tigranem, sed stimulante irâ ad dimicandum descensurum. [*Plutarch.*] Sed cum gravibus incommodis affecere Barbari, non solum coniectis telis, sed etiam naphthâ, quam tormentis quibusdam emittebant. Est autem naphtha ex genere bituminis, usque adeò ardens, ut omnia quibus adhærescit prorsus exurat, nec ullâ re humidâ facilè restringatur. [*Xiphilin. ex Dion.*]

Tigranem Mithridates per legatos & litteras (ut Plutarchus; non ipse præsens, & Tigranem tum primùm conveniens, ut habet Appianus) magnopere suadebat, ne signa cum Romanis conferret; sed cum equitatu tantùm circumfando agròsque vastando, ad famem eos, si posset, redigeret: quemadmodum ipse, à Lucullo pressus ad Cyzicum, sine certamine amiserat exercitum.

Tigrani junxerunt se Armenii & Gordyeni; ad hæc omne nomen Medorum & Adiabendorum exictum reges illarum gentium adduxerunt: frequentes quoque à mari Babylico venerunt Arabes, multi item à mari Caspio Albani, & contermini illis Iberes, nec pauci ad Araxem colentium liberi populi. [*Plutarch.*] Hi partim studiis in regem & donis evocati, ut Plutarchus; partim etiam metu quodam ducti ad venerunt, ut in oratione Manilianâ notavit Cicero. Gravis enim atque vehemens opinio per animos gentium barbararum pervaserat, fani locupletissimi & religiosissimi diripiendi causâ in eas oras Romanum exercitum esse adductum. Indèque nationes multæ atque magnæ novo illo terrore contra Lucillum sunt concitatae.

Ut omnes istæ copiae simul convenerunt; spe, ferociâ, minis barbaricis omnia personarunt Tigranis convivia simul & consilia. Et in vitâ discrimen venit Taxiles, qui Mithridatis legatus in præsidii ejus erat; quòd sententiæ de committendo prælio repugnaret, rem inexpugnabilem arma Romana esse dicentem. Et quia Mithridates ipse per invidiam visus esset Tigranem ab insigni palmâ avertere, illum Tigranes non est præstolatus; ne in societatem veniret gloriæ. [*Plut.*] quum prius ipse misisset qui Mithridatem revocaront. [*Memn. cap. 58.*]

Sex circiter militum millia Tigranes ad tutandam urbem in quâ ejus pellices asservabantur ire jussit. Qui cùm eò venissent, per medium Romanorum agmen factò impetu, & exitibus ex eorum castris sagittariorum grandine interclusis, regias concubinas & gazas periculo exemptas noctu Tigrani tutas & salvas præmiserunt. Ubi verò illuxit, Romani & Thraces, certamine cum Armeniis feliciter inito, prolixam eorum stragem fecerunt; nec pauciores vivos ceperunt quàm cæciderunt. [*Memnon, cap. 58. & ex eo correctus, Appianus.*]

Tigranes cum reliquo exercitu contra Lucillum, progressus est: perquam ægrè ferens (ut aiunt) apud amicos, quòd cum uno sibi Lucullo, non cum universis esset Romanis ducibus certandum. Siquidem sagittariorum & funditorum habebat 20 millia, equitum 55, gravis armaturæ peditum, partim in cohortes partim in phalangas descriptorum, 150 millia; viarum munitorum & ad alia ministeria destinatorum, 35 millia. [*Plutarch.*]

Ut Tauro superato, Tigranes simul cum toto agmine conspectus, & ipse ex edito circumfidentem Tigranocertam exercitum Romanum est contemplatus; barbara colluvies quæ in urbe erat ululatu & plausu excepit Regis conspectum, Romanisque ex muro minitans commonstravit Armenios. [*Plutarch.*]

Lucillus, Murenâ cum sex millibus peditum ad continuandam Tigranocertæ obsidionem relicto, secum 24 cohortes, (in quibus legionarii non amplius decem millia erant) universum equitatum, funditores & sagittarios ad mille, adversus Tigranem ducens, apud flumen in campo spatioso confedit. [*Id.*] Confestim verò Tigranes, ut Romanorum exilitatem vidit castrorum, superba per contemptum de iis verba jecit: *Si legati sunt hi, multi sunt; sin hostes, perpauci.* [*Memnon, cap. 59. Plutarch. Appian. & Xiphilin. ex Dione.*]

Transmissurum flumen Lucillum quidam duces admonuerunt, cavendam illam diem, quæ ex nefastis (quas atras vocant) erat una. Illâ enim die exercitus Cepionis fuerat à Cimbris in conflictu oppressus. Hic verò occurrens; *Pugnemus ergo, inquit, hodie strenuè, ut hanc diem quoque ex nefastâ & tristi festam letâque Romanis reddamus.* Fuit illa pridie Non. Octobr. [*Plutarch. in Lucullo, & Camillo, & Apophthegmat.*] ut annus quidem Romanus tunc agebatur: in Julianum verò Quintilem sive Julium mensem incurrens; in eunte 4^o anno Olympiadis CLXXVII ad quem à Phlegonte pugna hæc rectè est relata.

Cùm à cataphractis maximè sibi metuerent Luculli milites, bono eos jussit esse animo: plus enim in spoliandis iis fore laboris, quàm in vincendo. Primusque ad tumulum aggressus, cùm motum videret barbarorum, exclamavit: *Vicimus ò commilitones.* [*Plutarch. in Apophthegmat.*] Dextro verò Tigranis cornu statim in fugam acto, mox inclinatio fit in proximo; dehinc terga vertunt omnes. Grandem itaque & præcipitem Armenii fugam capessunt; & pro hominum numero cædes sequitur. [*Memnon. cap. 59.*] Romanis armillas & torques calcando per 120 stadia cædem continuantibus, donec nox supervenit. Qui tum demum reversi, spoliabant cadavera: quod

quod fieri ante cædem peractam Lucullus edicto vetuerat. [*Appian.*]

Cæsa è Tigranis copiis quinque millia, & his plures captos, præter cæteram hominum colluviem, Phlegon narrat. Triginta millia hominum in eo bello cæsa, referuntur: ut ait Orosius. [*lib. 6. cap. 3.*] Pedites cecidisse, inquit Plutarchus, supra centum millia perhibentur, equitum pauci planè effugisse. Ex Romanorum exercitu centum vulnerati, quinque desiderati. Antiochus philosophus in Commentario de Diis hujus pugnae mentionem faciens, negat à sole visam partem. Strabo in libris Historiarum ipsos Romanos commemorat puidisse, & semetipfos derisisse, quòd in ejusmodi mancipia induissent arma. Livius nunquam Romanos signa cum hostibus contulisse tanto numero inferiores. Neque enim vigesimam propemodum partem, imò nec minorem, æquarunt victores victorum. [*Plutarch.*]

Si 18 millia militum habuisse Lucullum cum Eutropio, Sexto Rufo & Jornande dicamus: numerus ille per 20 multiplicatus, 360 millia efficiet. Tribuantur jam Tigrani, *peditum* non 150 cum Plutarcho sed 250 cum Appiano millia, *equitum* non 50 cum Appiano sed 55 cum Plutarcho millia; addanturque ex eodem Plutarcho, *sagittariorum* 20, & *calonum* 35 millia: eadem 360 millium emerget summa. Quæ si admittenda: longè infra verum & Phlegontis calculus ille fuerit, qui *peditum* 40, *equitum* 30 millia; & Memnonis, qui utrorumque simul 80 tantum millia Tigranis assignat exercitui. ut & supra verum, illa quæ apud Eutropium legitur numeratio: *Regem cum 600 millibus clibanariorum & 100 millibus sagittariorum & armatorum venisse.* Clibanarii autem sunt, *equites cataphracti, ferrea omni specie,* ut à Salustio hîc sunt descripti: (libro Historiarum 4^o à Nonio, in voc. *cataphracti*, citato:) quorum in Tigranis exercitu XVII tantum millia fuisse, ad Senarum scripsit ipse Lucullus; testante Plutarcho. Ut in immani illo DC millium numero, vitio manifesto laborare Eutropium, nullum possit esse dubium. In Sexti Rufi Breviario, 7500 tantum clibanarii; sagittariorum verò 120 (al. 130) millia numerantur.

Tigranes initio statim vix 150 equitibus comitatus effuso cursu ad castellum quoddam fugam arripuit. Filium quum videret in eadem fortunâ, detractum ex capite diadema & tiam illi profusis lachrymis tradidit; aliâ viâ jubens, siquâ posset, ut seipsum servaret. Adolescens, quia regni insignia non audebat capessere, fidissimo amico ea servanda dedit: qui fortè captus atque ad Lucullum est attractus. Atque ita in ventam Tigranis tiam vittasque milites Lucullo dederunt. [*Memnon, cap. 59. & Plutarch. cum Orosio, lib. 6. cap. 3. & Xiphilino, in epitome Dionis.*] Lucullus verò, signis retrò Tigranocertam versùs motis, majore conatu in obsidionem incubuit. [*Memnon, ibid.*]

Ad pugnam non properavit Michridates, solitâ Lucullum cautione & productione bellum ratus administraturum: ideòque accersitus, lentè ad Tigranem pergebat. Ac postquam primùm in paucos Armenios incidit in viâ, qui perculsi metùque exangues recipiebant se; conjecit aliquid. Ut plures jam exuti & vulnerati occurrerunt, auditâ

clade, Tigranem quæsit. Quem quum desolatam & abjectam offendisset, non insultavit ei vicissim; verum ex equo defiliit, deploratisque communibus calamitatibus, regium comitatum qui ipsum sequebatur dedit illi, eumque in futurum confirmavit. [*Plutarc.*] Fiduciam ei additam, ornatum quoque regium, adueto non viliores, circumposuit. Exercitus etiam colligendi proposuit consilium (cum & ipse manum non contemnendam haberet) ut victoriæ damna bello recuperaret. Tigranes autem, plus virtutis & prudentiæ illi tribuens, & magis Romanorum bellis, idoneum existimans, omnia Mithridati permisit. [*Memnon, cap. 59.*]

Mancæus, ex Tigranocertâ suorum clade inspectâ, universos Græcos milites mercenarios exarmavit, ut suspectos: qui veriti ne comprehenderentur, arreptis fustibus congregati & incedebant & quiescebant. Mancæo verò cum armatis barbaris eos invadente, obvolutis veste brachii vice clypei, audenter in eos fecerunt impetum: & quotquot occidissent, eorum arma statim inter se partiebantur. Quumque satis armorum viderentur nacti pro tempore, occupatis aliquot turribus quibus distinguebantur mœnia, vocabant ad se Romanos obsessores, & ascendentes recipiebantur intra mœnia. Ita Appianus; & ab eo minimè dissentiens Plutarchus. Ex peregrinis urbem inhabitantibus majorem partem fuisse Cilicas, eosque ortâ inter ipsos & Armenios seditione, Romanos noctu introduxisse, atque hos, præter ea quæ Cilicum erant, omnia diripuisse; in libro 35^o affirmat Dio. Mithridatis verò, vel Tigranis potius, duces, desperatâ rerum summâ, salutem pactos, Lucullo urbem dedisse, Memnon tradit. [*cap. 19.*]

Lucullus Tigranocertâ potitus, thesauros Regis qui ibi erant cepit; urbem militibus dedit diripiendam: in quâ, præter cæteras opes, octo millia talentum pecuniæ signatæ sunt inventa. Sed & 800 drachmas in singulos insuper de prædâ divisit. Quum repertos in urbe accepisset multos scenicos, quos undequaque conquiserat Tigranes dedicaturus theatrum quod extruxerat, his ad ludos & spectacula & triumphalia est usus. [*Plutarch.*] Multas potentissimorum conjuges captas ab omni injuriâ custodivit: atque eo factò maritos earum sibi conjunxit. [*Dio, lib. 35.*] Græcos, præbito viatico, remisit in patrias suas: Cappadoces quoque & Cilices & alii barbari qui eò commigrare coacti fuerant, postliminio domum redire permitti sunt. Itaque accidit ut unâ urbe convulsâ (opus enim adhuc semiperfectum Lucullus subvertit, exiguumque pagum reliquit) multæ receptis civibus suis instaurarentur; à quibus ut bene de ipsis meritis & conditor est cultus Lucullus. [*Plutarch. cum Strabone, in fine lib. 11. pag. 532. & lib. 12. pag. 539.*]

Tunc ad Lucillum totius penè Orientis supplices venire legati. [*Oros. lib. 6. cap. 3.*] Sophenorum gens ei se adjunxit. Antiochum regem Commagenæ (quæ Syriæ regio est, ad Euphratem & Taurum sita) Alchaudonium Arabiæ regulum, aliosque nonnullos per legatos secum pacifcentes in fidem recepit. Multas quoque Armeniæ partes sibi adjunxit. [*Plutarch. & Dio, lib. 35.*]

Q. Metellus ad Creticum bellum cum tribus legionibus profectus,
manu

manu cum Lathene ad Cydoniam urbem confertâ, victor Imperator est appellatus: totâque insulam igni & ferro populatus, Crentes intra castella & urbes compulit. [*Florus, lib. 3. cap. 7. Phlegon, Olymp. 174. ann. 4. apud Photium. Appian. legat. 30.*] nullâ foederis, si quando id ei obtendebatur, ratione habitâ. [*Dio, lib. 36.*]

Ptolemæo Auletæ nata est filia Cleopatra, postrema ex Macedonum stirpe Ægyptiorum regina: siquidem 39 annos vixit; testante Plutarcho, in *Antonio*.

Tigranes & Mithridates, obeundo regiones, alium colligebant exercitum: cujus præfectura Mithridati est credita. [*Plutarch. & Appian.*]

Magadates, qui Tigranis nomine Syriæ cum exercitu per annos 14 præfuit, exercitum illum in sui regis auxilium abduxit. Unde Antiochus, Antiochi Pii & Selenæ filius, qui quòd in Asiâ esset educatus *Asiatici* cognomentum obtinuit, in regnum Syris non invitis sese insinavit. Nec Lucullus, qui Tigranem recens acquisitis terris expulit, Antiocho avitam possessionem invidit. [*Appian. in Syriac. pag. 118, 119, 133.*] Lucullum verò Syriâ & Phoenice Tigranem expulisse, sub finem libri XI scribit Strabo: & ab eodem Lucullo, victo Tigra- ne, Antiochum Cyziceni filium (vel ex filio nepotem potiùs) regem Syriæ fuisse appellatum, donec quod Lucullus dederat Pompeius postea adimeret; apud Justinum [*libro 40. cap. 2.*] legimus. Inter acceptum verò & ademptum illi regnum, annorum quatuor intercessit spatium.

Tigranes & Mithridates legatos, qui auxilia peterent, tum ad alios vicinos miserunt, tum ad Arfacem Parthum: Romanos apud eum traducentes, eosque, si victoriam obtinuissent contra se ab aliis destitutos, in ipsum quoque arma statim versuros, dicentes. [*Dio, lib. 35.*]

Arfaces hic, communi Parthorum regum appellatione ita dictus, proprio nomine *Pacori* quidem à Xiphilino, *Phradatis* verò à Memnone nuncupatur. Et superiore quidem anno, qui 3^m Olympiadis CLXXVII fuit, Sinatruçi regi Parthorum defuncto successisse *Phraatem*, à Phlegonte Tralliano habetur traditum. [*in Photii Bibliothecâ, cod. 97.*] Verùm seriùs *Phraatem* Dio quidem *Arfaci*, Appianus verò *Sintrico* successisse docet: uti suo loco videbimus. Et hunc ipsum Arfacem imperio tum potitum, quum ante sexennium bellum hoc Mithridatis tertium est inceptum, verba hæc illius in epistolâ ad eundem (de quâ paulo post) satis indicant. *TE remoto procul, omnibus aliis obnoxius, rursus tamen bellum capi.* Unde proprium *Arfacis* hujus nomen *Sintricum* sive *Sinatruçem* fuisse concludimus.

Arfaces verò iste Tigrani, ob recens bellum de controversâ quâdam regione ab eo motum, irascebatur: sed eâ regione Tigranes jam illi cessit: atque ut cum magnis convallibus Mesopotamia etiam & Adiabene ditioni suæ permitterentur, pro societatis præmio Parthus expectavit. Lucullus verò, de legationibus Tigranis ac Mithridatis ad Arfacem missis factus certior, ipse quoque nonnullos ex sociis ad eundem ablegavit; minas ei, si illos auxiliis juvare, promissiones autem, si Romanorum rebus studere maluisset, præponentes. Cùm-

que à Luculli legatis urgeretur, ut aut sibi auxiliaretur, aut spectator saltem esset certaminis; ille, utrique parti societatem clam pollicitus, neutri præstitit. [*Memnon, cap. 60. Plutarch. & Appian. & Dio, lib. 35.*]

Ex reliquiis libri 4ⁱ Historiarum Salustii, superest adhuc hæc de re integra Mithridatis ad Arsacem epistola: ubi illam iram in Tigranem recentis belli in rem ipsius ita convertit. *Ille enim obnoxius, qualem tu voles, societatem accipiet.* et insignem illam de eo reportatam à Romanis victoriam ita elevat. *Quia multitudinem arctis locis pugna prohibere, imprudentiam Tigranis pro victoria ostentant.* deinde contra Romanos ita illum concitat. *Tu verò, cui Seleucia maxuma urbium regnumque Persidis inclytis divitiis est, quid ab illis, nisi dolum in præsens, & postea bellum expectas? Romani in omnes arma habent, acerrima in eos quibus victis spolia maxuma sunt: audendo & fallendo, & bella ex bellis serendo, magni facti, per hunc morem extinguunt omnia, aut occidunt. quod difficile non est, si tu Mesopotamiâ, nos Armeniâ circumgredimur exercitus sine frumento, sine auxiliis, &c. teque illa fama sequetur auxilio profectum magnis regibus, latrones gentium oppressisse. Quod uti facias moneo, hortorque: ne malis pernicie nostrâ unum imperium prolatare, quam societate victor fieri.*

Ubi de rebus ad Heracleam à M. Cottâ gestis sinistra fama Romanam pervenit, in publico erat odio: invidiamque tantæ ei opes adaugebant. Cujus declinandæ causa, pleraque in ærarium spolia retulit: tamen si nihilo mitiores in se Romanos hoc efficeret, dum è plurimis eum pauca referre persuasum haberent. Captivos etiam Heracleæ statim dimittendos decreto publico sciverunt. [*Memnon, cap. 61.*]

Thrasymedes insuper, Heracleensium unus, pro concione Cottam publicè accusavit; & civitatis suæ erga Romanos benevolentiam commemoravit: & si quid ab hæc remiserint, non civitatis voluntate, sed magistratuum fraude & adversariorum vi factum fuisse ostendit. Miserabili etiam querelâ ob oculos posuit urbis inflammationem, utque omnia in suum commodum Cotta converterit, cum lamentis & fletu, commemoravit. Accesserat captivorum quoque multitudo, viri & matronæ cum liberis, lugubribus vestimentis amicti, & supplices, cum ejulatu prætendentes manus. Romanorum verò optimatibus ad commiserationem casus illius inflexis, progressus in medium Cotta, ubi pauca linguâ patriâ disseruisset, resedit: & exurgens Carbo; *Nos, inquit, Cotta, capiendam tibi non excindendam urbem demandavimus.* & post eum alii consimili in Cottam criminatione sunt inveci. Multis igitur exilio dignus videbatur. Moderatione tamen adhibitâ, latum ei clavum abrogabant. Heracleensibus verò agrum & mare & portus restituerunt: rogatione perlatâ, ut nemo horum servituri addiceretur. [*Id. ibid.*]

Thrasymedes, his confectis, plebem remisit in patriam: ipse verò, cum Brithagorâ & Propylo Brithagoræ filio, per aliquot annos Romæ subsistens, quæ patriæ usus exigeret administravit. [*Id. cap. 62.*]

Cum

Cùm Lucullus Tigranem non insequeretur, sed ei evadendi omninò otium concederet; non ab aliis tantùm sed à suis quoque civibus reprehensus est, quòd debellare nolisset, quo diutiùs cum imperio esset. Ideòque præfectura (quæ ei commissa fuerat) Asiæ propriè ita dictæ, Prætoribus est assignata. [*Dio, lib. 35.*]

Lucullus ad Gordyenos profectus, regis ipsorum Zarbieni (qui, ob societatem cum ipso clam inicum, à Tigra necatus fuerat) exequias celebravit. Pyræ, veste & auro regali & Tigranis instructæ spoliis, ipsemet subdidit facem, ac libamina cum amicis & necessariis illius infudit; amicum quoque suum & socium populi Romani appellavit. Adhæc monumentum jusit ei sumptuosum, ex thesauris regis faciendum locari. Unde Gordyenorū gens ita fuit in Lucillum animata ut, relictis sedibus suis, illum sequi cum liberis & conjugibus vellent. [*Plutarch.*]

In Zarbieni regis aurum & argentum multum est repertum. Frumenti in horreis decies trecenta millia medimnū condita erant. Ita & miles auctus est; & Lucullo fuit ingenti honori quòd, ne teruncio quidem ex ærario accepto, bellum ipsius belli sumptibus sustineret. [*Id.*]

Hic Arsaces regis Parthorum legati eum adierunt, amicitiam & societatem petentes. Fuit id Lucullo haud ingratum: qui invicem Scicilium (sive Sextilium potiùs) ad Parthum misit. Arsaces, suspicatus hominem bello clarum non tam pacti nuper initi causâ quàm ut regionem copiasque suas exploraret, missum, Romanis auxilia nulla suppeditavit. ita tamen ut ne contra illos quicquam etiam moliretur; sed in medio sese partium contineret. [*Id. cum Dione, lib. 35.*]

3936

Cùm fluctuantem eum consilio, poscentemque clam societatis à Tigra præmium Mesopotamiam, Lucullus didicisset; Tigranem & Mithridatem statuit ut adversarios confectos transilire, & periclitari Parthorum vires, atque expeditionem in eos movere. Itaque in Pontum ad Sornatium legatum suum & alios misit litteras, ut copias quæ illic erant adduceret; quasi ex Gordyene in Parthos signa moturus. Sed illi contumaces milites nullis blandimentis vel imperio movere poterant; vociferantes, neque illic permansuros se, sed relicto sine præsidio abituros Ponto. Hæc ad Lucillum relata, etiam quos secum ipse habebat milites corruerunt; ob divitias jam & delicias languescens ad militiam, & otium quærentes. Ut verò Ponticorum illorum acceperunt ferociam, viros appellaverunt, imitandisque jactaverunt: multis enim factis missionem se & requiem meritas. Atque ita Lucullus expeditionem Parthicam deponere coactus est. [*Plutarch.*]

Cùm insula Delus in Ægeo mari posita, quò omnes undique cum mercibus atque oneribus comcebant, referta divitiis, parva, sine muro, nihil tamen timeret; (ut apud Ciceronem est, in oratione pro lege Maniliâ:) Athenodorus pirata illius incolas captivos abduxit, atque Deorum ipsius signa destruxit. Caius verò Triarius urbis ruta cæsa instaurans, Delum muro cinxit. ut in 5^o Chronicorum suorum libro, ad annum 4 Olympiadis CLXXVII, notavit Trallianus Phlegon. [*in Bibliothecâ Photii, cod. 97.*]

4646 68

Mithri-

Mithridates opidatim instruxit armorum fabricas, & delectus habens, conscripsit fermè omnes Armenios: ex quibus selectis fortissimorum 70 millium peditum, & dimidio equitum, reliquos dimisit. Hos verò in turmas & cohortes digestos proximè disciplinam Italicam tradidit exercendos viris Ponticis. [*Appian.*]

Eo anno quo Consulatum Q. Marcius Rex solus gessit, Lucullus mediâ jam ætate, (priùs enim propter frigus in hostium fines invadere nequaquam potuerat) cum exercitu adversus Tigranem profectus est. Postquàm superavit Taurum & campos vidit virentes, exanimatus est: adè sunt illi ex algore ferotina tempora. Attamen descendit in campos, ac duobus vel tribus præliis coortos in ipsum Armenios fudit. [*Plutarch. cum Dione, lib. 35.*] Dum Mithridates enim peditatum omnem & partem equitatus in colle contineret; cum reliquo Tigranes Romanos frumentatores adortus, victus est. unde postea securius frumentabantur, etiam ex locis Mithridati propinquis, & castra admo-verunt propius. [*Appian.*] captòque qui comportatus Tigrani fuerat com meatu, quam ipsi extimiscebant, affuderunt inopiam hostibus. [*Plutarch.*]

Inde aliquam regionis partem Lucullus vastavit, ut barbaros eam defendentes ad pugnam eliceret: quùmque nihil illi moverent, ad ipsos contendit. Ibi tum equitatus hostilis graviter equitatum Romanum premebat, nemine cum peditatu manum conferente: statimque ubi Lucullus scutatis suis equitatu succurrebat, terga ostendebant. neque tamen cladem ullam accipiebant, sed sagittis in insequentes à tergo emissis, multos mox interimebant, multos vulnerabant. Ea vulnera, gravia difficiliâque sanatu erant. Nam duplices erant sagittis cuspides, & ita quidem adfixæ, ut sive manerent in corporibus tela, sive extraherentur, interitum eis celerrimum adferrent. Intus enim ferrum alterum relinquebatur; quòd nihil haberet, quo retraheretur. [*Dio.*]

In Cretâ, quum Lathenes dux Cydoniæ à Q. Metello proconsule obsessus Cydoniæ Gnosum inde profugisset; Panares alter urbis illius dux, salutem suam pactus, Cydoniam Metello tradidit. Gnosum deinde circumfidente Metello, Lathenes domum opibus repletam succendit, & Gnosum aufugit. [*Appian. legat. 30.*] Gnosum, Lyctus, Erythraea, & aliæ plurimæ civitates à Metello expugnatae sunt. [*Liv. lib. 99. Florus, lib. 3. cap. 7. Appian. legat. 30.*] Cretenses verò obsidione Metelli ad ultimam usque penuriam compulsi, suâ jumentorumque suorum urinâ sitim sedare coacti sunt. [*Valer. Maxim. lib. 7. cap. 6.*]

Lucullus exercitum ad Tigranis regiam convertit Artaxata, ubi parvi liberi & conjuges ejus erant. Quod ille non ferens, castris motis quarto die prope Romanos confedit; medium capiens Arsamiam amnem, quem transire necesse erat petituris Artaxata Romanis. [*Plutarch.*]

Lucullus postquam diis suis sacrificavisset, quasi certus de victoriâ, exercitum traduxit. Duodecim cohortibus in fronte positis, reliquos, ne circumvenientur, in subsidiis collocavit. Multi enim & delecti equites stabant in hostium adversâ acie; ante quorum signa sagittis ex equo

equo utentes Mardi & Iberes hastati erant, quibus Tigranes præcipuè inter externos milites ut pugnacissimis fidebat. Nihil est ab illis tamen editum præclari. Paulisper cum equitatu Romano velitati non tulerunt impetum legionum: verùm hinc inde fugâ divulsi, equitem ad insequendum traxere. [*Id.*]

Simulâtque hi dissipati sunt, provehentibus Tigranis equitibus, videns splendorem & multitudinem eorum Lucullus, subtimuit. Itaque equitem à confectandis hostibus revocavit. Interim ipse satrapis cum præstantissimo quoque sibi oppositis occurrit primus: quos, antequàm manus conferere possent, consternatos pepulit. Ex tribus regibus, qui simul in hâc acie fuerunt, foedissimè fugit Ponticus Mithridates; qui ne clamorem quidem sustinuit Romanorum. Hi quum per longum spatium totâ nocte hostium tergis inhærent; non solum trucidandis, verumetiam capiendis, pecuniâque & prædâ agendâ ac ferendâ fatigati sunt. Livius auctor est priore prælio plures fuisse, in hoc nobiliores hostes captos & cæsos. [*Id.*]

Piratæ his diebus latiùs quàm priùs per omnia sparfi maria, non tantùm intercipientes navium commeatus sed etiam insulas provinciâque vastantes, in immensum augebantur: ita ut navigatio Romanis toto orbe victoribus sola tuta non esset. [*Plutarch. in Pompeio. Appian. in Mithr. Dio. lib. 36. Eutrop. l. 6. Oros. l. 6. ca. 4.*] Quod altero ab hinc anno ita illis in memoriam revocavit Cicero, in Oratione pro lege Maniliâ. *Quam provinciam tenuistis à prædonibus liberam per hosce annos? quod vectigal tutum vobis fuit? quem socium defendistis? cui, præsidio classibus vestris fuistis? quàm multas existimatis insulas esse desertas? quàm multas aut metu relictas, aut à prædonibus captas urbes esse sociorum? Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani, longè à domo bellare, & propugnaculis imperii sociorum fortunas, non sua tecta defendere. Sociis vestris ego mare clausum per hosce annos dicam fuisse; cum exercitus nostri Brundisio nunquam nisi summâ hyeme transmiserint? Quid, ad nos cum ab exteris nationibus venirent, captos querar; cum legati populi Romani redempti sint? mercatoribus tutum mare non fuisse dicam; cum duodecim securæ (duobus videlicet prætoribus, Sextilio & Bellino, captis; ut docet Plutarchus) in prædonum potestatem pervenerint? Quid aut Colophonem aut Samum, nobilissimas urbes, innumerabilisque alias captas esse commemorem; cum vestros portus, atque eos portus quibus vitam & spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestate, sciatis? &c. An tum imperium esse hoc videbatur; cum populi Romani legati, prætores, quæstorisque capiebantur? cum ex omnibus provinciis commeatu & privato & publico prohiberemur? cum ita clausa erant nobis omnia maria, ut neque privatam rem maritimam neque publicam jam obire possemus? Hæc eleganter ille, ut omnia.*

Piratæ isti Ciliciam, cognomine asperam, commune omnium faciebant receptaculum, ceu belli sedem præcipuam. Habebant quidem passim castella, arces, desertas insulas, stationesque occultas navium; sed potissimùm excurrabant ex hâc parte Ciliciæ asperâ importuosâque, & altissimis assurgente cacuminibus. unde ab omnibus communi

nomine appellabantur *Cilices*; quòd malum id ortum in Ciliciâ, in societatem Syros, Cyprios, Pamphylios, Ponticos & fermè omnes Orientales gentes pertraxit. qui propter diuturnitatem belli Mithridatici, malentes inferre damna quàm perpeti, mari terram mutârunt: ut brevissimo tempore exorta sint eorum multa millia. [*Appian. pag. 234.*]

Habebant illi navigia prædatoria supra mille, & urbes à se captas 400. Inviolata & intacta ante id fana adorti expilârunt; Clarium, Didymæum, Samothracium: *Telluris* apud Hermionam, *Æsculapii* apud Epidaurum, *Neptuni* in Isthmo, *Tænaro* & *Calauriâ*, *Apollinis* in *Actio* & *Leucade*, *Funonis* in Samo, *Argis* & *Leucanio*. Peregrina sacra in Olympo faciebant, & mysteria quædam peragebant arcana: quorum illa quæ *Mithræ* sive *Solis* dicebantur, postea manserunt, primùm ab illis monstrata. Majorem in modum Romanis insultabant. Ubi quis captus civem Romanum se esse clamavit, & nomen edidit; trepidare se fingentes, femora percutiebant, & genibus ejus accidebant, supplicésque ut veniam daret precabantur. Cùmque ille abjectos bonâ fide & supplices arbitraretur: alii calceos ei inducebant, alii togâ velabânt; ne ultrâ scilicet ignoraretur. Ubi ad eum modum diu hominem illuserant & deriserant; postremò admotis medio in salo scalis descendere & abire illæsum juebant: qui nollet, hunc ipsi præcipitatum demergebant. [*Plutarch. in Pompeio.*]

3937

Sub æquinoctio autumnali graves tempestates nec opinantem Luculli exercitum corripuerunt. Ningeat ferè; & quum serenum esset, pruina cum gelu infesta erat. Unde equis erant amnes ex immòdico frigore parùm potabiles; ruptaque glacies & nervos equorum asperitate incidens ægrè permeabiles efficiebat. Tractus ferè nemorosus saltuosusque rigabat eos assiduè ex nive in itinere effusâ: atque incommodè locis humidis pernoctabant. Primùm igitur precibus ad Lucillum per tribunos agebant, deinde tumultuosius coibant, & per tentoria noctu conclamabant: quod esse seditiosi exercitus signum apparebat. Lucillus verò obnixè sed frustra obsecravit: obtestans eos hæcenus ut animos obfirmarent, dum Armeniorum Carthagine captâ infestissimi hostis opificium delevisent. Hannibalis enim Pœni consilio (ut supra ad annum Periodi Julianæ 4526 est dictum) Artaxata fuisse condita, fama tenebat. Ubi verò nihil profecit, retrò Lucillus signa movit. [*Idem in Lucullo.*] Quem exercitus Romani regressum ita in oratione pro lege Maniliâ excusare conatur Cicero. *Naster exercitus, etsi urbem ex Tigranis regno (Tigranocertam) ceperat, & præliis usus erat secundis; tamen nimiam longinquitate locorum, ac desiderio suorum commovebatur. Hic jam plura non dicam. fuit enim illud extremum, ut ex iis locis à militibus nostris reditus magis maturus, quàm processus longior quaereretur.*

Lucillus per Armeniam in Mesopotamiam regressurus, aliis jugis trajecto Tauro in regionem Mygdonicam descendit, munificam & apricam: in quâ urbs ampla & populosa erat, Nisibis barbaris, Græcis Antiochia Mygdonica appellata. [*Id. ibid. cum Orofio lib. 6. cap. 3.*]

Eam

Eam urbem Macedones condiderant. [*Joseph. lib. 20. cap. 2.*] Parthis verò, cum reliquâ Mesopotamiâ, Tigranes jam ademerat; thesaurosque in eâ suos cæterâque multa reposuerat. Duplici muro lateritio cincta erat, magnæ crassitiei; fossâque magnæ altitudinis circumdabatur, ut neque concuti murus neque subrui posset. [*Dio, lib. 35.*] Præerat ei autoritate Tigranis frater Guras; arte & solertiâ machinali Callimachus, is qui Amisi plurimum negotii exhiberat. [*Plutarch.*]

Castris prope urbem positis, omne genus oppugnationis Lucullus adhibuit. [*Id.*] Initio autem hyemis, quum barbari se victores Romanosque jamjam decessuros existimantes, negligentius nonnihil sese gererent: noctem Lucullus nactus, in quâ neque Lunâ fulgebat, & imber ingens cum tonitribus coortus erat, ut neque cernere barbari neque audire quicquam possent, atque ob id exteriorem murum fossâque in medio actam, paucis ibi relictis, desererent; ab omni parte murum aggressus est. Cùmque per aggeres in eum haud difficulter evasisset, obruncatis nullo negotio custodibus, qui ibi pauci relictii fuerant, partem fossæ aliquam (antè enim barbari pontes dejecerant) ingestâ terrâ æquavit: quum ab hostibus neque sagittis neque igne ob vim pluviarum lædi posset. Fossâ superatâ, urbem ipsam statim cepit: neque enim erant interiora moenia admodum valida, quòd exteriùs obductis fidebant. [*Dio.*]

Eos qui in arcem confugerant, fide datâ acceptâque, recepit. [*Id.*] In quibus Tigranis fratrem Guram, in potestatem ejus se dedentem, comiter habuit: Callimachum verò non audivit, quamvis grandis pecuniæ se reconditos thesauros profiteretur proditurum, verùm in vinculis haberi imperavit ad pœnas pendendas; quòd inflammatâ Amisenorum urbe, gloriam sibi & benignitatis erga Græcos materiam declarandæ præcidisset. [*Plutarch.*] Multâ deinde acceptâ pecunia, Nisibi Lucullus hyberna habuit. [*Dio.*]

Interea qui Romæ in concionibus dominabantur, per invidiam Lucullum criminabantur, imperii & pecuniæ aviditate bellum ducere: nnum propemodum Ciliciam, Asiam, Bithyniam, Paphlagoniam, Galatiam, Pontum, Armeniam, omnes denique provincias usque ad Phasim obtinere; nunc verò etiam Tigranis regias deprædatum, quasi ad exuendos reges foret, non ad debellandos missus. Idem unum ex prætoribus dixisse aiunt L. Quintium: à quo potissimùm impulsus populus Romanus provinciæ successores mittendos Lucullo scivit, multosque milites qui sub eo meruerant dimittendos. [*Plutarch.*]

In castris verò res ejus maximè evertit P. Clodius, homo insolens, summæque dissolutionis & audaciæ: frater uxoris Luculli, cum quâ vulgatum erat lascivissimâ muliere stupri eum consuetudinem habuisse. Hic, quum multis ob mores suos inferior primum quem cupiebat locum apud Lucullum non teneret, Fimbrianos (sive Valerianos) milites, in eum concitavit: eos nimirum quos antè Fimbria induxerat ut L. Valerium Flaccum Consulem occiderent, ac se ducem caperent. Idem à Clodio jam seducti, Lucillum ducem nec

in Tigranem nec in Mithridatem sequi volebant : sed hyemis prætextu in Gordyene tempus traducebant, alium aliquem imperatorem ad succedendum Lucullo venturum expectantes. [*Idem.*]

Dum Nisibim Lucullus obsideret, Tigranes ad eam, quam inexpugnabilem esse existimabat, defendendam se non convertit : sed, Mithridate propriam in regionem misso, ipse in Armeniam suam contendit ; ubi L. Fannium resistentem sibi obsedit, tantisper dum Lucullus re cognitâ auxilio illi proficisceretur. [*Dio, lib. 35.*]

Mithridatem, in Pontum ad regni sui reliquias profectum, sequebantur priorum quatuor millia, & totidem accepti à Tigra-
ne. [*Appian.*] Cum quibus ille alteram Armeniam cæterasque regiones invadens, multos Romanorum in iis regionibus vagantes ex improviso adortus interfecit, nonnullos prælio victos cæcidit, & pleraque loca magnâ celeritate recepit. Benevolentiam enim illi homines erga Mithridatem affecti erant, tum quod suæ esset gentis, tum ob patrum ejus regnum : iidemque Romanos odio habebant, parum quod peregrini essent, partim quod à præfectis eorum malè tractarentur : itaque Mithridati libenter accesserunt. [*Dio.*] Quod referendus & ille Ciceronis locus in Oratione Maniliâ. *Mithridates & suam manum jam confirmarat, & eorum qui se ex ejus regno collegerant ; & magnis adventitiis multorum regnum & nationum copiis juvabatur. Hoc jam ferè sic fieri solere accepimus, ut regum afflictâ fortuna facilè multorum opes alliciant ad misericordiam : maximèque eorum, qui aut reges sunt, aut vivunt in regno ; quod regale iis nomen magnum & sanctum esse videatur. Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolis nunquam est ausus optare.*

Mithridates M. Fabium, ducem à Lucullo iis in locis relictum, vicit : magnopere usus auxilio Thracum, qui, quum antea sub ipso stipendia fecissent, tum cum Fabio militabant ; itemque servorum qui in castris Romanorum erant. [*Id. cum Appiano.*]

Primum Thraces à Fabio speculatum missi, quum nihil sani renuntiassent, isque incautiùs progressus in Mithridatem inopinatò incidisset ; Thraces quoque Romanos adorti sunt. Unde in fugam versus est Fabius, quingentis in eâ pugnâ occisis. Fabius deinde, liberatis servis quotquot castra sequebantur, rursus dubio Marte pugnavit : donec servis libertatem Mithridate deferente, ipsi in prælio eum adjuverunt. periissentque haud dubiè Fabiani omnes ; nisi Mithridates saxo ictus in genu, & telo sub oculo saucius, elatus celeriter fuisset è prælio. Dum barbari enim, de Regis salute solliciti, per multos dies à pugnâ cessarent ; Fabio cum suis in tutum locum perfugiendi spatium concessum est. Curabant autem regem Agari, gens Scythica, remediis confectis è serpentum virulentiam : qui propterea semper sequebantur comitatum regium. [*Id. inter se collati.*]

Fabius deinde Cabiris inclusus oppugnatusque, à C. Triario servatus est. Is enim quum ex Asia ad Lucillum iter eâ faciens rem gestam accepisset, coactâ ex iis qui aderant quàm maximâ poterat manu, Mithridatem, totum exercitum Romanum adversus se venire putantem, adèò terruit ; ut, prius quàm in conspectum ejus veniret, castra
movere

movere cogeret. Unde Triarius audacior factus, usque in *Comagenos* (vel *Comana* potius, in Cappadocia; de quibus, in sequentibus, Dio) fugientem insecutus, ibi vicit. Castra habebat Mithridates ex alterâ ejus fluvii parte quâ Romani accedebant. Eos ut ex itinere fessos aggredere, ipse prior occurrit: reliquos inter prælium per alium pontem invadere jussit. Quum diu æquo Marte certatum esset, pons abruptus, quod multi confertim per eum transire contenderent, Mithridatem subsidiis spoliavit, perturbavitque. Ab hoc conflictu utrique (hyems enim jam erat) se in castella sua receperunt, & quieti dederunt. [*Dio, lib. 35.*]

Aulus Gabinius tribunus plebis sententiam tulit, ut ex iis qui consulatum gessissent, unus quispiam deligeretur imperator contra piratas omnes cum plenâ potestate; imperiumque ei esset ad triennium, & uteretur copiis amplissimis ac multis legatis. incertum summissusne in hoc ipsum à Pompeio (quem tamen non nominaverat) an studio gratiæ ab eo ineundæ adductus: utique non eo animo, quod reipublicæ consultum vellet, vir ipse pessimus. [*Id. lib. 36.*] de quo, in oratione post reditum ad Senatum, Cicero. *Qui nisi in aram tribunatus confugisset, neque vim pratoris, neque multitudinem creditorum, neque bonorum proscriptionem effugere potuisset. quo in magistratu nisi rogationem de piratico bello tulisset, profecto & egestate & improbitate coactus piraticam ipse fecisset: ac minore quidem cum reipublica detrimento, quàm quod intra mœnia nefarius hostis prædæque versatus est.*

Plebisciti hujus, à Senatu etiam (quamvis invito, ut in libro 36 confirmat Dio) postea comprobati, sententiam à Velleio Paterculo [*lib. 2. cap. 31.*] ita habemus expositam. Ut, cum belli more, non latrociniorum, orbem classibus jam, non furtivis expeditionibus, piratæ terrent, quosdam etiam Italiæ urbes diripuissent; Cnæus Pompeius ad eos opprimendos mitteretur: essetque ei imperium æquum in omnibus provinciis cum Proconsulibus, usque ad quinquagesimum miliarium à mari. Quo Senatusconsulto penè totius terrarum orbis imperium uni viro deterebatur: sed tamen idem hoc ante *biennium* in Marci Antonii præturâ decretum erat; inquit Velleius. apud quem, *sexennium* pro *biennio* videtur reponendum: cum ante triennium in bello Cretico M. Antonium interuisse constet; & *biennium* M. Antonium (in bello Cretico defunctum) in vivis esse defierit; & illam *curatorem infinitam totius ora maritimæ, quâ Romanum erat imperium*, in Luculli & Cottæ Consulatu commissam ei fuisse, Asconius Pedianus (in orat. de Verris præturâ Siciliensi) nos docuerit. ut suprâ, ad annum Mundi 3930 & 3933 est ostensum.

Lege igitur istâ Gabiniâ Pompeio ad triennium (ut habent Appianus & Dio) data est, non *ναυαρχία* & classis imperium, sed *μυραρχία* (ut apud Plutarchum est) & in omnes omnino homines libera potestas; tum in toto mari quod intra columnas Herculis est, tum in maritimis provinciis ad intervallum 400 à mari stadiorum; in quibus potestatem haberet imperandi regibus, præsidibus, civitatibus, ut juvarent se rebus omnibus. Ita Appianus: [*pag. 235.*] miliaria 50, à Velleio & Plutarcho posita, per 400 stadia explicans; cuique miliaria

octo tributis stadiis. Xiphilinus ex libro 36° Dionis 400 stadia, ex 35° dierum à mari trium iter, hîc retulit : itinere unius diei stadiis 133½ milliaribus verò 16½ definito.

Permisit præterea Pompeio ea lex ex Senatu deligere quindecim legatos, quibus singulas provincias demandaret. Argenti ex ærario & à publicanis quantum liberet, navésque 200 sumere : militum sociorúmque navalium, quantum visum esset conscribere. Advocatáque deinde concione, multa alia Pompeius ipse à populo obtinuit, geminavitque penè apparatus. Naves enim 500 complevit, (licet 270 tantum, annumeratis etiam hemioliis, Appianus habeat) peditem 120 millia & equitum *quinque* (vel, ut Appianus, *quatuor*) millia conscripsit; prætorios, & qui cum imperio fuerant, ex Senatu 24 (vel 25, ut habet Appianus) legatos delegit: quæstores additi ei duo. [*Plutarch. in Pompeio.*] Sex quoque talentorum Atticorum millia data ei sunt. Adeò laboriosa res visa est tot navales exercitus in tanto mari & tot latebris persequi, refugientes facilè, rursúmque infestantes ex improvîso. [*Appian.*]

Pompeius, quum classibus suis & socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis atque præfectis utraque Ponti & Oceani ora complexus est: sicque per omnis æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quicquid piratarum fuit quâdam indagine inclusit. [*Florus, lib. 3. cap. 6.*] Legatis enim senatoriis mari distributo, naves, equites, pedites, & prætoria cuique dedit insignia: ita ut quisque merum imperium haberet in parte fidei suæ creditâ; & prædones ab alijs exagitatos exciperent alii, ne quis persequendo proheretur longius, néve longinquis navigationibus res diu protraheretur. [*Appian.*]

Freti Gaditani Tiberio Neroni, maris Balearici Manlio Torquato; utriusque Hispaniæ cura est commissa. Gratilius Ligusticum sinum, M. Pomponius Gallicum, Pompeii juvenes (Imperatoris filii) Adriaticum mare obsederunt. Sardiniam, Corsicam, & propinquas insulas P. Attilius; Libycum Lentulus, Ægyptium mare Marcellinus tenuit. L. Gellius Tusco mari & oræ Italiæ est impositus; à Sicilia littoribus ad Acarnaniam, Cn. Lentulus observavit. Ionium mare Plotio Varo Terentióque Varroni (togatorum doctissimo: de quò Plinius, lib. 3. cap. 11. & lib. 7. cap. 30. & lib. 16. cap. 4. ubi navali coronâ in hoc bello ab Pompeio donatus fuisse dicitur) servandum obtigit: L. Cinnæ Peloponnesus, Attica, Eubœa, Thessalia, Macedonia, Bœotia; L. Cullio mare Ægeum universum & Hellepontus. (licet mare Asiaticum Cœpioni Florus attribuat.) Lyciam & Pamphyliam, Cyprum & Phœniciam Metellus Nepos curavit; Bithyniam & Thraciam P. Piso: ipsas Propontidis fauces Porcius Cato sic obditis navibus quasi portam observavit. [*Florus, lib. 3. cap. 6. & Appian, pag. 236.*] Ipse Pompeius, quasi Rex regum, circumcursabat & visebat manentem quemque in statione suâ: ne persequendo piratas priusquam uno loco absolveret victoriam, distraheretur in alia; sed essent ubique qui succurrentes sibi mutuò, piratas vagando elabi non sinerent. [*Appian. ibid.*]

4647 67

Ita

Ita dispersis quoquoersum copiis, à mari infero incipiens Pompeius, & incidentes catervatim circumveniens piraticas naves, confestim everriculavit eas atque in portus detraxit. Qui verò maturaverant distrabere se & evadere, hi in Ciliciam sicut alvearium undique delati abdiderunt se. [*Plutarch. in Pompeio.*] Cùmque mare Tuscum, Africum, Sardoum, Corsicum, Siculum, intra dies 40. impigro suo labore & studio enixo legatorum Pompeius expurgasset; Romam veniens, quæ desiderabat peregit. [*Id. ibid. cum Livio, lib. 99. & Appiano, pag. 236.*]

Brundusio solvens Pompeius, in originem fontemque belli Ciliciam cum navibus 60 præstantissimis contendit. Nec hostes detrectare certamen; non ex fiducia, sed quia oppressi erant, ausi videbantur: sed nihil tamen ampliùs, quàm ut ad primum ictum concurrerent. Mox ubi circumfusa undique rostra viderunt, abjectis statim telis remisque, plausu undique pari, quod supplicantium signum fuit, vitam petiverunt. [*Florus, lib. 3. cap. 6. cum Plutarcho & Appiano.*] Ut à Brundusio profectus est, unde quinquagesimo die totam ad imperium populi Romani Ciliciam adjunxisse, affirmat in Manilianâ Cicero. Quod de totâ Ciliciâ tam subito receptâ, ut oratoriè in laudem Pompeii dictum, est accipiendum. [*Vid. ann. Per. Julian. 4651.*]

Postquam Mithridatem nuntiatum est, fuso Fabio, in Sornatium & Triarium pergere, Fimbriani (sive Valeriani) milites, verecundiâ moti, Lucullum ad suppetias illis ferendas sequebantur. [*Plutarch. in Lucullo.*] Mithridates interim (Manio Acilio Glabrione & C. Pisone Consulib.) ad Gaziurâ Triario oppositis castris, provocare hominem ad prælium atque irritare intendit, cùm aliis rebus, tum in conspectu Romanorum milites suos in armis exercendo: ut cum eo congressus ante Luculli adventum, superiorque (quod sperabat) factus, reliquam etiam regni partem recuperaret. Quum Triarium non eliceret, suorum aliquos ad Dadasa castellum misit, in quo Romanorum impedimenta erant deposita: ut Romanos ei opitulaturos in manus suas perduceret. Neque id eum fefellit. Quum enim eatenus Triarius Mithridatis multitudinem reformidans, Lucullumque quem accerserat operiens, se continuisset; postquam Dadasa oppugnari accepit, militesque rebus suis metuentes, tumultuantes, minati sunt se injussu ejus, nisi ipsos educeret, ad defendendum ituros, invitus castris excessit. [*Dio, lib. 35.*]

Quum progressus esset Triarius in aciem contra Mithridatem, procella, qualis nulla antè in omni hominum memoriâ, exorta est; quæ in utrisque castris disjecit tentoria, jumenta transversum egit per devia, præcipitavit etiam nonnullos milites. Et tunc quidem utrique retrocesserunt. Cùm autem nuntiaretur adventus Luculli, Triarius quasi paratam jam cupiens illi præripere victoriam, ante lucem invasit stationes Mithridatis. Cùmque diu pari virtute certassent, tandem Rex in suo cornu connixus incepit victoriam; & distractis hostibus peditatum eorum in fossam quandam coenosam compulit, ubi cædebantur impunè sidente vestigio. Ufus deinde victoriâ, persequabatur animosè per campos equites: donec quidam Romanus centurio, qui specie

specie famuli equitantem cursu æquabat, in femur eum percussit graviter, quòd tergum ejus non speraret se posse per thoracem perferre. Et hunc quidem statim in frustra conciderunt proximi: Mithridates verò in extremam aciem elatus est. [*Appian. cum Plutarcho & Dione.*]

Amici regii suis egregiè vincentibus signum properè dederunt receptui. Id, ut inopinatum, trepidationem iniecit pugnantibus, veritis ne fortè aliunde aliquid mali acciderit: donec re cognitâ statim ibi in campo tumultuariè circumsteterunt corpus regium. Tandem Timotheus medicus, cohibito sanguine, sublimem eis ostendit: Romanis interim multis fugâ elapsis, qui nisi hic casus accidisset occidione deleti omnes fuissent. Mithridates, postquam recollegit animum, statim reprehendit eos qui signum receptui dederant, & eâ ipsâ die Romanis castris admovit exercitum: quæ jam deserta erant pavore militum. Militum Romanorum supra septem millia ibi cæsa fuisse dicuntur: in quibus centuriones 150 & tribuni 24. quantus præfectorum numerus haud temere in ullâ Romanorum clade desideratus est. [*ibid.*] Ad Scotium verò montem pugnam hanc factam fuisse, Appianus docet. [*pag. 254.*] *qui propter victoriam Mithridatis, & infelicitatem Triarii, detrimentum exercitus Romani, magnam in illis partibus habet nobilitatem: ut ex Hirtio intelligere licet, in commentario de bello Alexandrino; ubi non multo longiùs millibus passuum tribus à Zelâ Ponti opido eum abesse indicat.*

Hæc clades illa est quam Cicero, in Oratione pro lege Maniliâ post semestrem ferè habitâ, sub præteritionis specie ita commemorat. *In exercitum vestrum, clarum atque victorem, Mithridates impetum fecit. Sinite hoc loco, Quirites, (sicut poëta solent, qui res Romanas scribunt) præterire me nostram calamitatem: quæ tanta fuit, ut eam ad aures L. Luculli non ex pralio nuntius sed ex sermone rumor afferret. Et post. Acceptâ in Ponto calamitate, ex eo pralio de quo vos paulo antè invitus admonui, cum socii pertimuissem, hostium opes animique crevissem, cum satis firmum præsidium provincia non haberet; amisissetis Asiam, Quirites, nisi ad id ipsum temporis divinitus Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi Romani attulisset. Hujus adventus & Mithridatem insolitâ inflatum victoriâ continuit, & Tigranem magnis copiis minitantem Asiam retardavit.*

Mithridates, curato vulnere, suspicatus alios quoque in suo exercitu hostes esse, militum delectum quasi alius rei causâ instituit: jussisque singulis confestim in sua tabernacula se recipere, Romanos solos deprehensos occidit. [*Dio, lib. 35.*]

Inde in Armeniam, quam Romani minorem vocant, se recepit: commeatus qui deportari poterant secum auferens, cæteros verò corumpens, ne Lucullo venienti essent usui. Quo tempore Attilius, Romanus senator, qui judicii metu dudum profugus ad Mithridatem in amicitiam ejus receptus fuerat, deprehensus est regi struere insidias. Quem ille pro dignitatis pristinæ reverentiâ torqueri vetitum, simplici morte necavit: sed conscios excruciauit graviter. Liberti verò cum quibus Attilius consilium communicaverat illæsi dimissi sunt, ut patroni sui ministri. [*Appian.*]

Adve-

Adveniens Lucullus Triarium, quem infensi milites requirebant, clam eripuit. [*Plutarch. in Lucullo.*] sed qui sub eo ceciderunt militum cadavera reliquit inhumata; quod suorum militum animos imprimis ab eo putatur abalienasse. [*Id. in Pompeio.*]

Ad Talaria loco edito Mithridates confidens, & adventantem cum ingenti manu Tigranem expectans, priusquam conjungerentur ambo, pugnam detrectabat. Et Medus Mithridates, alter Tigranis gener, Romanos palantes repente adortus, magnam clade affecit. [*Plutarch. Appian. Dio.*]

Quintus Marcius Rex, superioris anni Consul, in Ciliciam (quæ prima Luculli provincia fuerat) Proconsul missus est. Qui eò per Lycaoniam cum tribus legionibus tendens, Lucullo petenti auxilium non tulit, causatus milites se nolle sequi. [*Salust. Historiar. lib. 5. apud Priscianum, lib. 18. & Dio, lib. 35.*]

In Ciliciam Marcius quum venisset, Menemachum qui à Tigraue defecerat in suam fidem accepit: & P. Clodium (cujus sororem quandam, ut aliam Lucullus, & ipse conjugem habebat) qui metu perpe- tratorum apud Nisibim à Lucullo desciverat, rei navali præfecit. [*Dio, lib. 35.*]

Cum Clodius in Cilicas piratas incidisset, & ab iis captus redi- mendi sui pretium posceretur; ad Ptolemæum Cypri regem ille mi- sit petitem, ut misso redemptionis pretio ipsum liberaret. Sed cum ille, præ parcimoniâ, duo tantum talenta dedisset, piratæ pretium aspernati, simul & Pompeium reformidantes, gratis potius dimittere Clodium maluerunt. [*Strabo, lib. 14. pag. 684. Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 441. Dio, lib. 35. & 38.*]

Lege Gabiniâ, præsentis anni Consul Manius Acilius Glabrio in Bithyniæ & Ponti provinciâ successor Lucullo datus est, & legionibus Valerianis (sive Fimbrianis, quæ militiâ liberatæ prius, iterum stipen- dia faciebant) militiæ missio facta est. Quod cum illæ comperissent, victoriâ quieteque & rerum copiâ luxuriantes, adhæc absente Lu- cullo (quippe is plerumque peregrè ibat) degentes, tumultuatæ sunt; Lucillum quasi privatum jam contemptui habentes. [*Salust. Histori- ar. lib. 5. apud Priscian. lib. 18. & Dio, lib. 35.*]

Hujus tumultus P. Clodium præcipuum authorem facit Dio. [*ibid.*] Eumque dimissum à piratis, exercitu L. Luculli sollicitato per nefandum scelus, fugisse illinc, in oratione de Aruspicum responsis, affirmat Cice- ro. Antiochiam verò Syriæ se contulisse scribit Dio; ut Antiochenos cum Arabiis disceptantes auxilio juvaret: ibique, quum simili modo nonnullos ad seditionem concitaret, parum absuisse quin periret. [*Dio, lib. 35.*]

Lucullus inops consilii, nec temere se movere loco, nec ibi hæere ausus, statuit obviam procedere Tigrani; si fortè illum inopinan- tem simul ac itinere fatigatum fundens, aliquo modo seditiones mi- litum componeret. Quorum neutrum ipsi successit. Milites enim, aliquandiu eum secuti, quum in Cappadociam iter flectendum esset, omnes unanimiter, ne verbo quidem ullo facto, sese converterunt. Valeriani autem, qui & Fimbriani, quum Romæ exauthoratos se

esse accepissent & aliis decretas esse Luculli provincias, omnino à signis dilapsi sunt. Nullam non hîc indignitatem subiit Lucullus, singulos orando & tentoria obeundo, demissus & lachrymis oppletus: nonnullorum etiamprehendens manus. Illi verò prensationes repellere, inanes zonas objicere, jactarêque, solus dimicaret cum hostibus ex quibus ditescere nosset solus. [*Plutarch. & Dio.*]

Ita Lucullum, ne persequeretur Mithridatem ac Tigranem summamque victoriæ imponeret, seditio militum tenuit, qui sequi volebant: cum legiones Valerianæ, impleta à se stipendia dicentes, Lucullum relinquerent. [*Liv. lib. 98.*] Tandem tamen cæterorum quoque militum precibus Valeriani sive Fimbriani isti expugnati, receperunt se illam ætatem ad signa mansuros: quòd si nemo intereà ad pugnandum secum descenderet, discessuros. His oportebat acquiescere Lucullum, aut desertam præsidio relinquere barbaris provinciam. Continuit ergo illos non jam imperio, neque eos in aciem eduxit; verum satis huic erat, modò manerent: patiebatúrque vastari à Tigrane Cappadociam, & insolescere de integro Mithridatem. [*Plutarch. in Lucullo.*]

Scripterat verò jam antè ad Senatum Lucullus, confectum à se fuisse bellum Mithridaticum: adveneruntque ad res Ponti componendas, sicut pacatas, legati. [*Id. ibid. Dio. lib. 36.*] Qui ubi jam adfuerunt, offenderunt ne ipsum quidem sui juris esse, verum à militibus haberi ludibrio & sugillari. Hi verò eò in imperatorem progressi insolentiæ sunt, ut exactâ ætate sumpserint arma, gladiisque districtis provocarent nusquam apparentes, qui jam receperant se hostes, jubilantésque & brachia jactantes inaniter, excederent castris, testati completum tempus quo Lucullo commoratorios se promiserant. [*Plutarch. in Lucullo.*]

Adveniens deinde in demandatam sibi provinciam Acilius Glabrio Consul, dimissis circa populos præconibus pronuntiavit, Lucullum incusari à Senatu quòd bellum diutiùs justo protraheret: proinde Senatum missum facere ejus exercitum, publicaturum bona eorum qui voluntati suæ non paruerint. Quibus ad exercitum perlatis, mox disfluebant milites: exceptis paucis, qui admodum pauperes, ideòque multam non timentes, maluerunt apud Lucullum permanere. [*Appian.*] Sicque prope totum regnum suum Mithridates recepit, & Cappadociæ multum detrimenti intulit: neque Lucullo obstante, neque ipso Acilio defendente. Is enim quum priùs festinasset, ut victoriam Lucullo præriperet; ubi tum quæ acta essent rescivit, ne ad exercitum quidem venit, sed in Bithyniâ tempus traxit. [*Dio, lib. 35.*]

Addatur his & Ciceronis ille locus, ex Oratione Maniliâ ad Quirites, in Luculli gratiam ista omnia ita emollientis. *L. Lucullus, qui aliquâ ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro jussu contactus, quòd imperii diuturnitati modum statuendum veteri exemplo putavisset, partem militum, qui jam stipendiis confectis erant, dimisit partem Glabriani tradidit.* Sic igitur dimisso Lucullo, ad bellum piraticum sive maritimum (ut Salustius & Cicero illud nominant) à Pompeio

peio gestum & hâc eâdem æstate confectum, redeamus.

Maxima & prævalentissima prædonum pars proles suas, opes, & inutilem turbam in arcibus & opidulis munitis ad montem Taurum seposuerant. Ipsi navibus completis ad Coracesion Ciliciæ instantem exceperunt Pompeium; atque acie fusi, mox obsessi sunt. Postremò missis caduceatoribus se, opidâque & insulas, quæ septa præfidiis tenebant expugnata aspera atque inaccessa, in deditonem ejus permisere. [*Plutarch. in Pompeio.*]

In Ciliciam quidem cum machinarum magnò numero Pompeius venerat, existimans eorum arces in rupibus sitas oppugnandos modis omnibus. Sed nihil his opus habuit, sola enim celebritas nominis & amplitudo apparatus ita prædones perterruebat, ut sperantes clementiorem victorem si abstinerent à certamine, primùm hi qui Cragum & Anticragum tenebant castella maxima, deinde montani Cilices alii post alios se ejus fidei permisissent: simulque multum armorum vel jam perfectorum vel in fabricis inchoatorum tradiderint, præterea naves alias semiperfectas in navalibus, alias navigantes, æs ferrumque in tales usus comportatum, lintea, funes, variamque materiam; captivorum multitudinem victorum, ut vel se redimerent, vel ut operarentur in ergastulis. Pompeius materiam incendit, naves abduxit, captivos domum dimisit: quorum multi invenerunt ibi cenotaphia sibi posita, quippe desiderati jam pridem. [*Appian. in Misbridatic.*] Ita debellatum est, & prædonum manus undique mari non majore quàm trium mensium spatio exactæ. [*Plutarch. ut supr.*] vel duorum etiam; si Lucanum audimus, ita in 2º libro canentem:

*Antè bis exactum quàm Cynthia conderet orbem,
Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit,
Angustâque domum terrarum in sede poposcit.*

Scaphas amplius 1300 Pompeius combussit, & prædonum diruit receptacula. [*Strabo, lib. 14. pag. 665.*] Naves expugnatae sunt 72. deditæ 306. ut Appianus refert. Naves captas 800 Plutarchus numerat; & in his, rostratas 90. Naves verò 846 aut depressas aut captas fuisse, confirmat Plinius. [*lib. 7. cap. 25. & 26.*] Opida, castella, cæteraque horum receptacula, 120. Prædonum, qui repugnare conabantur, cæsa sunt circiter decem millia. [*Appian.*]

Prædonum qui superfuere plus 20 millia neque interficere Pompeius statuit, neque ut dissiparentur, aut coirent de integro inopes & bellatores multi, finire existimavit securum. [*Plutarch.*] Itaque ne denuo paupertas eos ad flagitia impelleret, remoto à mari loco in certâ sede eos constituens, agros eis, quos desertos videbat, colendos, urbisque inquilinis indigentes habitandas concessit; datâque facultate sine raptu vivendi, rapinis arcuit. [*Liv. lib. 99. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 32. Florus, lib. 3. cap. 6. Dio, lib. 36.*] Maltum igitur, Adana, Epiphaniam, & si quod aliud infrequens opidum in asperâ Ciliciâ, habitare eos jussit. [*Appian.*] Maritimam quoque Ciliciæ urbem, Solos prius, Pompeiopolim postea dictam, nuper à Tigraue Armeniorum rege vastatam instaurans, complures ibi collocavit: mul-

tòsque Didymenam, incolis tunc egentem, transtulit. [Strabo, lib. 14. Plutarch. in Pomp. Dia, lib. 36.]

Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longè latèque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extremâ hyemè apparavit, ineunte vere suscepit, mediâ æstate confecit: ut in Oratione Manilianâ peroravit Cicero; quum antea de eodem dixisset. *Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam latè dispersum atque dispersum, quis unquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici potuisse?* In quo etiam, præter *velocitatem* victoriæ, & *felicitem* miratur Florus, quòd ne una quidem navis amissa est; & *perpetuitatem*, quòd amplius piratæ non fuerunt; quòd singulari consilio ducis prospectum fuisse ille ait, qui maritimum genus à conspectu longè removit maris, & mediterraneis agris quasi obligavit. Neque de *velocitate* tamen audiendus est, dum quòd de mari infero tantum est proditum (quòd & ipsum satis in se quòd miremur habet) ad universam ille trahit victoriam, ac si *quadragesimo die* parta ea fuisset: quum id apertè refellat Cicero; ut de Dione nihil dicam qui spatio unius anni à Pompeio majori ex parte maria fuisse pacata, illis verbis significat. *πὸ πλείω αὐτοεπίσης ἡμῶν ποσ.*

In Cretâ, (quam post Ciliciam alterum piratarum fuisse fontem Plutarchus hæc affirmat) ad eò sævè in captivos consulebatur, ut veneno se plerique conficerent; alii deditionem suam ad Pompeium absentem mitterent. [Florus, lib. 3. cap. 7.] Erat ille tum in Pamphiliâ: quòd venientes ad illum legati, ei se omnes Cretensium civitates dedere velle dixerunt. Ille spem deditionis non ademit, obsidèsque imperavit. [Cicero, pro lege Maniliâ.] Metello interim per litteras bello interdixit; & ne dicto illi essent audientes, civitatibus scripsit. [Plutarch. in Pompeio.] Quin & ex insulâ excedere eum iussit: se enim eam, ut partem provinciæ sibi demandatæ, suscepturum. [Appian. legat. 30.] Ulaum quoque ex legatis suis L. Octavium eò misit, sed sine exercitu, utpote qui non bellum esset obiturus, sed urbes in fidem populi Romani accepturus. Qui cum obsessis includens se muris, atque unâ cum his dimicans, non modò odiosum & invidiosum, verùm ridiculum quoque Pompeium reddidit. [Plutarch. ut supr. Dio, lib. 36.]

Metellus, contempto Pompeii in alienâ provinciâ imperio, in instituto bello perrexit: eòque infestior, in hostes jus victoris exercuit; & antequam Pompeius adveniret, damnum eis dare properavit. [Florus, Plutarch. Dio.] Litteris quoque Romam missis, gloriam rerum à se gestarum querebatur à Pompeio sublatam præteriri; qui in Cretam miserit legatum suum ad accipiendas urbium deditiones. Quibus respondens Pompeius, rationem reddidit, hoc se facere debuissè. [Liv. lib. 99.]

Cornelius Sisenna Græciæ eâ tempestate præfectus, in Cretam cum exercitu veniens, Metellum ut populis parceret monuit: quem ubi ab instituto deducere non potuit, nihil quicquam ad eum coercendum egit. [Dio, lib. 36.]

Aristion Cydoniâ excedens, devicto Lucio Basso obviam ei pro-
vecto,

veſto, Hierapydna occupavit; urbemque eam adverſus Romanos tutatus eſt. [*Id. ibid.*]

Metellus, multis afflictiſ, Eleutheram urbem per proditionem accepit: quum proditores turrim lateritiam magnæ molis expugnatû- que longè omnium difficillimam, aliquot noctibus continenter ita aceto madefeciſſent ut perfringi poſſet. Deinde, Eleutheræ ſtipendio imperato, Lappam vi cepit: nihil moratus Octavium, qui eam tum temporis tenebat. Et ab Octavio quidem vim omnem abſtinuit; Ci- lices autem, quos is ſecum habebat, interemit. [*Id. ibid.*] Octavi- umque multis contumeliis & probris in caſtris affectum dimiſit. [*Plu- tarch.*]

Octavius, hæc indignè ferens, non jam ut antè quietem egit: ſed primùm accepto exercitu Siſennæ, qui tum morbo vitam finie- rat, oppreſſis opitulatus eſt, iſſque reſtitutiſ, Hierapydna ad Ariſti- onem ſe contulit; ibique communi conſilio bellum geſſerunt. Cùm- que aliquandiu perſeveraſſent, poſtquam adverſum ſe ire Metellum perceperunt, caſtello relicto, vela in altum dederunt. Ibi tum tem- peſtate vexati, & in terram multis ſuorum amiſſis ejecti ſunt. [*Dio, lib. 36.*]

Marcus Cotta, quum quaſtorem ſuum P. Oppium, quem pecu- latus & inſidiarum ſuſpectum habebat, repudiâſſet, ipſe autem ma- gnâ vim pecuniæ ex Bithyniâ corraſſet, à C. Carbone accusatus eſt. iſque Carbo, eſſi præter tribunatum plebis honorem alium nul- lum geſſerat, ob id conſularibus honoribus exornatus eſt. [*Id. ibid.*] Vid. ſupr. ſub finem anni Mundi 3935.

3938

Sinatruçi (quem Appianus *Sintricum*, Dio communi Parthi- corum regum appellatione *Arſacem* nominat) deſuncto ſucceſſit filius ejus Phraates illius nominis ſecundus Parthorum rex, cogno- mento impio *Deus* appellatus. [*Appian. in Miſtridatic. pag. 242. & Dio, lib. 36. collat. cum Phlegonte, in Bibliothecâ Photii, cod. 97.*] Vid. eund. ann. Mundi 3935.

Hyrceanum, poſt exceſſum Alexandræ matris elapſis tribus menſi- bus, ab Ariſtobulo juniore fratre pulſum fuiſſe regno, apud Joſephum legimus. [*lib. 15. cap. 9.*] Sed cùm ab Hyrcano regnare incipiente Q. Hortenſio & Q. Metello Cretico Conſulib. uſque ad Ariſtobulum regnare deſinentem captis à Pompeio Hieroſolyimis C. Antonio & M. Tullio Cicerone Conſulib. ſex annos effluxiſſe conſtet, & ex eis non plures quàm tres annos totidémque menſes Ariſtobulo Joſephus ipſe tribuat, Hyrcani regno tres, non *menſes*, ſed *annos* tribuendos eſſe apparet: ex quibus nos, ad temporum exæquationem, duos tantùm menſes detrahendos eſſe conſemus.

Hocigitur tempore, commiſſo ad Jerichum prælio, multi ex Hyrcani militibus ad fratrem Ariſtobulum tranſſerunt. Quo fa- cto, Hyrcanus in arcem confugit; in quam cuſtodiendi filii & uxor Ariſtobuli à matre Alexandrâ depoſiti fuerant. Reliqui etiam ejus factionis homines cùm victoris metu intra ſeptum Templi ſe recipiſ- ſent, brevi deditionem fecerunt. Coactum eſt deinde agi inter fra- tres de pacis conditionibus: in quibus obtinuit Ariſtobulus ut regna-

ret, & fratrem sineret in otio frui quæ illi obvenerant facultatibus, & privatam vitam agere. Hoc foedus in ipso Templo, datâ acceptâque fide, junctisque dexteris sancitum est: & post mutuos complexus in conspectu populi factos, digressi fratres sunt; alter in regiam, alter privatus in ædes Aristobuli. [*Joseph. lib. 14. cap. 1.*] Sicque Aristobulus regnum simul usurpavit & summum sacerdotium, annis tribus, & mensibus totidem; ut dictum est. [*Id. lib. 20. cap. 8.*]

Quum ipsis Kalendis Januariis quibus Lucius Tullus & Æmilius Lepidus Consulatum inierunt, (quæ, ut annus tum apud Romanos agebatur, in Octobrem Julianum incidebant) legem sub præcedentis diei vesperam à C. Manilio tribuno plebis latam, quæ libertis suffragiorum jus idem cum patronis tribuebat, Senatus abrogasset; metuens sibi Manilius, semper vænalis & alienæ minister potentiae, ut absentis Pompeii gratiam aucuparetur, legem promulgavit aliam: ut belli contra Mithridatem, & Tigranem administrationem, unâ cum legionibus & provinciis quas Lucullus habebat, Ciliciam quoque quam Marcus Rex & Bithyniam quam Acilius Glabrio obtinebat, Pompeius acciperet; retineretque classem & imperium maritimum, ut ab initio acceperat. [*Dio, lib. 36. cum Livio, lib. 100. Velleio Patere. lib. 2. cap. 33. Asconio Pediano in Orat. Cornelianam. & Plutarcho in Pompeio.*]

Indignatione maximâ nobilitatis legem istam fuisse latam, notavit Livius. Senatui enim & optimatibus affici Lucillum injuriâ apparebat; cui non belli sed triumphus mitteretur successor, nec bellis gerendis sed rerum gestarum præmiis cedere, eaque permittere aliis cogebatur. [*Plutarch. in Lucullo.*] Displicebat quoque, quod Marcus & Acilius, antequam magistratus sui tempus exiret, eo se abdicare juberentur. [*Dio, lib. 36.*] Sed maximè Pompeii suspecta erat potentia; cui uni hæc ratione totum Romanum imperium subiectum videretur. Quas enim videbatur provincias priore lege Gabiniâ non obtinere, Phrygiam, Lycaoniam, Galatiam, Cappadociam, Ciliciam, superiorem Colchidem, Armeniam, lege hæc Gabiniâ ille accipiebat. [*Plutarch. in Pompeio.*] prorogata illi eadem potestate belli pacisque, & arbitrato proprio vel hostes judicandi, vel asciscendi socios, ut quemque dignum existimaverit. Sed & in omnes exercitus, quotquot essent extra Italiam, eidem imperium datum est. Quæ omnia simul nunquam cuiquam ante hunc Populus Romanus contulerat. [*Appian. pag. 238.*]

Hæc occasione habita est à Cicerone, tum Prætor, *Oratio pro lege Maniliâ*; anno 230 post immanem illam omnium civium Romanorum in Asiâ cædem, Mithridatis jussu, uno die patratam. Sic enim ibi, de eo ille. *Ab illo tempore, annum jam tertium & vicesimum regnat: & ita regnat, ut se non Ponto neque Cappadocia latebris occultare velit, sed emergere è patrio regno atque in vestris vefsigalibus, hoc est, in Asia luce versari.*

Pompeius, qui adhuc in Ciliciâ belli piratici reliquias persequeretur, vel eo confecto (ut in Vita illius habet Plutarchus) vacuas negotiis urbes visibat, ubi per litteras quæ Romæ acta essent accepit, dicitur amicis adstantibus & congratulantibus frontem contraxisse, ac femur

femur percussisse, quasi molestè jam ferens & pertæsus imperii suscipiendi; cuius tamen omnes sciebant illum fuisse cupientissimum. [*Plutarch. in Pompeio. Dio, lib. 36.*] Cùmque se priùs velut in Cretam & ad Metellum navigaturus paravisset; nullâ deinceps Cretæ, vel aliorum maritimarum negotiorum, si qua restabant nondum confecta, ratione habitâ, in barbarico bello adornando totus erat. [*Dio, ibid.*] Et propositis ubique edictis, milites revocavit ad se; dynastâsque & reges pacatos evocavit. [*Plutarch. ibid.*]

Tigranes junior, Mithridatis ex filiâ nepos, à Tigrane patre deficiens, bello ab eo victus est. Indèque priores sibi adjungens patris imperio offensos, ad Phraatem regem Parthorum confugit. [*Liv. lib. 100. Appian. pag. 242. Dio, lib. 36.*]

Pompeius ad gerendum bellum adversus Mithridatem profecturus, cum rege Parthorum Phraate amicitiam renovavit: [*Liv.*] fœdere conditionibus pristinis (Syllæ & Lucullo oblatis) inito. de quo Pompeius, apud Lucanum, libro 8^o.

— *si fœdera nobis*

*Prisca manent, mihi per Latium jurata Tonantem,
Per vestros astricta magos.*

Pro cuius cum Pompeio initi fœderis ratione Phraates, Armeniam Tigrani subditam unâ cum juniore Tigrane invasit. Pervenientes igitur usque ad urbem Artaxata, obviis omnibus subactis, eam obsederunt: Tigrane sene, eorum metu, in montes sese subducente. [*Dio*]

Ad tentandum Mithridatis animum, Metrophanem, qui amicas ei condiciones offerret, Pompeius misit. Mithridates Pompeium parvi admodum eo tempore pendebat, quòd Phraatem regnum Parthorum recens adeptum adjuncturum sibi sperabat. Quem ubi celeriter à Pompeio præoccupatum ad invadendum Tigranis Armeniam impelli percipisset; animo collapsus, legatos exemplo ad Pompeium misit, qui de conditionibus pacis agerent. Pompeius, ut arma deponeret, & transfugas traderet, jubebat. [*Dio.*]

Ubi id primùm in castris Mithridatis est auditum, transfugæ, quorum magnus erat numerus, ne traderentur veriti, atque barbari, ne destituti auxilio horum bellare cogerentur, tumultuabantur: & admisissent aliquid in Mithridatem, nisi legatos à se missos ille præterdisset, non pacis petendæ causâ, sed ut Romanorum apparatus specularentur. [*Idem.*] Juravit igitur se nunquam cum Romanis pacem habiturum, propter ipsorum avaritiam; nec traditurum eis quencquam, nec facturum quicquam nisi in communem utilitatem omnium. [*Appian.*]

Quum jam in Galatiam Pompeius venisset, ei Lucullus obviam factus est. [*Dio.*] ad Danala castellum. [*Strabo, lib. 12. pag. 567.*] Erat Lucullus consulatus ordine & ætate prior, sed Pompeii ex pluribus imperiis & gemino triumpho dignitas major. Fasces laureati, victoriarum causâ, utrique præferbantur. Quia verò venerat Pompeius longâ viâ per loca arida & squalida, torridas laureas fascibus ejus circumjectas quum considerarent Luculli lictores, benignè illius lictoribus largiti sunt ex suis recentibus & virentibus. Eam rem amici
Pompeii

4648 66

Pompeii in faustum omen vertere; Luculli victoriarum præmia & ornamenta Pompeium ablatum. [*Plutarch. in Lucullo, & Pompeio.*]

Lucullus debellatum omnino esse affirmabat, neque expeditione quicquam opus esse militari: hæc eadem de causâ etiam viros, à Senatu ad res componendas ablegatos, jam adesse. Pompeio verò quum ut retrocederet non persuaderet, ad eum criminandum se convertit. [*Dio, lib. 36.*] ortisque inter imperatores jurgius, cum Pompeius Lucullo avaritiam, Lucullus Pompeio interminatam cupiditatem objiceret imperii; neuter ab eo, quod arguebatur, mentitus argui poterat. [*Vellei. Patere. lib. 2. cap. 33. Plutarch. in Pompeio.*]

Hinc Lucullus in Galatiâ divisit pro arbitrio captum de hoste agrum, & dona alia dedit. Indèque acerbè à Pompeio est reprehensus; quòd hoste vivo provincias componeret, præmiâque & honores dilargiretur quæ facere patrato & confecto bello victores solerent. Pompeius verò paulo longiùs castris positus, interdixit nequis ei pareret; neque cuiquam permisit eum adire, vel rata esse acta ejus, vel quæ ex consilio decem legatorum dispensabat, verùm prohibuit ea per edita: eratque ob majorem exercitum, quem habebat, formidabilis. Milites quoque ab eo Pompeius abstraxit omnis, 1600 solum ad triumphum illi relictis; quos ob contumaciam sibi inutiles & Lucullo ducebat infensos. [*Plutarch. in Pompeio, & Lucullo.*] Valerianas verò (sive Fimbrianas) legiones sibi adscivit: quibus, ut in Lucullum contumacibus, citra omnem seditionem ipse usus est. [*Dio, lib. 35. & 36.*]

Inde Romam rediit Lucullus; è Ponticâ prædâ librorum copiam secum advehens, [*Isidor. Origin. lib. 6. cap. 3.*] quibus Bibliothecam suam ille instruxit; quæ omnibus, Græcis præsertim, semper patebat. [*Plutarch. in Lucullo.*] Idemque cerasos primùm è Ponto vexit in Italiam. [*Plin. lib. 15. cap. 25.*] Eum verò omni genere injuriæ à Pompeio affectum Senatus honorificè excepit. [*Plutarch. in Pompeio.*]

Metellus, domitis Cretensibus, liberæ in id tempus insulæ leges tulit, [*Liv. lib. 100.*] & longissimæ libertatis sine multavit. [*Vellei. Patere. lib. 2. cap. 38.*] Eam insulam per biennium Metellum evertisse, diturnoque bello domitam in potestatem redegit, legesque Minois Romanis legibus permutavisse; scribit Orosius. [*lib. 6. cap. 4.*] Ingentibus præliis intra triennium omnem provinciam cum cepisse, in libro 6º refert Eutropius: Velleio quoque Paterculo astipulante; cujus in lib. 2. cap. 34. hæc de re verba sunt ista. *Per id tempus à Quinto Metello Creta insula in populi Romani potestatem redacta est, quæ, ducibus Panare & Læsthenes, viginti quatuor millibus juvenum coactis, velocitate pernicious, armorum laborumque patientissimis, sagittarum usu celeberrimis, per triennium Romanos exercitus fatigaverat.* Quod bellum Cretense L. Flaccus ex magnâ parte gessit, atque unâ cum summo imperatore sustinuit. [*Cicero, pro Flacco.*] Octavam militum centuriam, principem dictam, C. Nasennius municeps Sueffanus duxit. [*Id. ad Brutum, epist. 8.*] Q. Metelli miles fuit Cn. Plancius, legato C. Sacerdoti & L. Flacco probatissimus. [*Id. pro Plancio.*]

Eo modo Cretensibus qui ante id tempus in perpetuâ libertate vix-

vix-

vixerant, neque unquam alienigenæ domino paruerant, servitutis jugum impositum est: cognomentumque Metellus ab eis sumpsit *Cretici*. [*Dio, lib. 36.*]

Antipas, qui & Antipater, (Antipæ ducis Idumææ filius, & Herodis regis Judææ pater) vir pecuniosus, naturâ factiosus & industrius, studens Hyrcani partibus, cum suspectam haberet Aristobuli potentiam, & timeret eum propter mutuam simultatem; clanculariis obtreccationibus effecit, ut contra illum potentiores Judæorum conspirarent: iniquum esse dicitans sinere Aristobulum incubare usurpato per injuriam imperio, ex quo eiecisset fratrem natu majorem, eumque ætatis prærogativâ spoliasset. Eisdem verbis etiam Hyrcanum obrundebat assidue; addens ne vitam quidem illi esse in tuto, nisi maturâ fugâ salutem suam prospiceret: amicos enim Aristobuli nunquam non consultare, quomodo eo sublato de medio dominationem alteri constabulant. His sermonibus Hyrcanus nolebat credere, quod esset naturâ bonus, & calumnias non libenter admitteret: quæ quidem animi lenitas & quietis amor paravit ei opinionem ignaviæ. Antipater nihilominus quotidie non destitit novas de fratre criminationes fingere, quasi insidiaretur vitæ illius. [*Joseph lib. 14. cap. 2.*]

Phraates, quum Artaxatorum obsidionem diuturnam fore censeret, filio Tigranis partem copiarum relinquens, domum se recepit. [*Dio, lib. 36.*]

C. Julio Cæsari Quæstori ulterior Hispania obvenit: ubi cum mandatu Prætoris jure dicundo conventus circumiret, Gadésque venisset, animadversa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit; & quasi pertæsus ignaviam suam, quod nihil dum à se memorabile actum esset in ætate quâ jam Alexander orbem terrarum subegisset, (annorum verò 34 tum erat Cæsar) missionem continuo efflagitavit, ad captandas quamprimùm majorum rerum occasiones in Urbe. Decedens ergo ante tempus, colonias Latinas de petendâ civitate agitantes adiit: & ad audendum aliquid concitasset, nisi Consules conscriptas in Ciliciam legiones paulisper ob id ipsum retinissent. [*Sueton. in Julio Cæsare, cap. 7. & 8.*]

Pompeius totius classis stationibus quod inter Phoeniciam & Bosphorum est mare amplexus, movit in Mithridatem; habentem tum è propriâ ditione lectissimum exercitum, 30 millium peditum in phalangem ordinatorum, equitum verò duo (ut apud Plutarchum) vel tria (ut apud Appianum est) millia, ad regni sui præsidium. [*Plutarch. in Pompeio. Appian. pag. 238.*] Et quia Lucullus eam regionem nuper vastaverat, propter inopiam comæntuum multa fiebant transfugia: quamvis Rex in deprehensos sævicbat atrocibus suppliciis; quos aut de rupe dabat præcipites, aut mulctabat oculis, aut vivos comburebat. Quo metu absterrebat quidem multos ne transfugerent; sed nihilominus atterebatur inopiâ. [*Appian. ibid.*]

Pompeius equitibus collocatis in insidiis, alios misit qui propalam stationem Regis lacefferent: quos jussit post provocationem cedere, quasi terros, donec hostes in insidias proveci terga verterent. Et fortasse victores irrupissent in castra cum fugientibus, ni

Rex hoc ipsum metuens produxisset pedites : illi verò retrocesserunt. Hæc fuit prima inter partes equestris velitatio. [*Id. ibid.*]

Mithridates aliquamdiu subterfugiebat, quòd copiis esset minoribus instructus ; vastabatque obviam quamque regionem : hostemque hinc inde circumducere, & commeatum inopiâ affligere studebat. Ubi verò Pompeius Armeniam (minorem, Mithridati subditam) ingressus est, partim hæc ipsâ de causâ partim ut eam desertam occuparet ; ibi demum veritus Mithridates, ne ea regio se absente in potestatem hostium veniret, eodem perrexit. [*Dio, lib. 36.*]

Tumulum ex adverso hostium tutum Mithridates insedit : ubi cum toto exercitu quietem egit, penuriâ rerum necessariorum Romanos se confecturum sperans ; quæ sibi in suâ ditione commoranti undique affatim advehebantur. Erat sub eo tumulto planities nuda posita. In eam subinde nonnullos equitum demittebat, qui obvios quosque læderent : quo effectum est, ut crebri ab hoste ad ipsum transfugerent. [*Id. ibid.*]

Pompeius quum eo in loco hostem aggredi non auderet, alium castris locum obtinuit, circa quem omnia sylvis erant obsita ; ut minùs jam hostium equitatus sagittariique nocere possent. Ibi insidiis commodo loco positis, ipse cum paucis ad castra hostium palam accessit, tumultuque excitato, ad locum, quem destinaverat, è castris eos pertraxit : ita magnam hostium cædem fecit. Addidit ea res animos : ideòque alios ad alias regionis partes emisit, qui commeatus adducerent. [*Ibid.*]

Quum montem in quo castra habuerat, quasi aridum, Mithridates reliquisset, eum ipsum occupavit Pompeius : atque ex fruticum indole locorumque convexitate conjiciens subesse ibi fontes, imperavit puteos passim deprimi, fuitque in castris statim aquæ affluentia ; ut miraretur tam diu id Mithridatem fugisse. [*Plutarch.*]

Montem autem occupavit Mithridates in Acilisenâ, aquâ præditum, apud Dastira ; haud procul Euphrate, qui dividit minorem Armeniam ab Acilisenâ. [*Strabo, lib. 12. pag. 555.*] Atque hæc Pompeium castra Regis, in minori Armeniâ juxta montem Dastracum, obsidione conclusisse, scribit Orosius. [*lib. 6. cap. 4.*] Vallum enim 150 stadiorum crebris castellis distinctum Regi circumdedit ; ut difficilem ei frumentationem redderet. Id opus Rex non impeduit ; sive metu, sive imprudentiâ, quæ plerumque solet calamitatem antecedere. [*Appian.*] Per dies 45 eum obsessum fuisse, *Plutarchus*, per 50 dies vix vitam toleravisse, narrat *Appianus* ; cum quicquid jumentorum habebat mactavisset, equis tantum servatis.

Tandem verò Mithridates, ubi hostem tuto rerum necessariorum commeatu auctum, Manaitin regionem Armeniæ (eiusdem nominis deastro consecratam) per aliquos cepisse, frequentésque alios ei se adjungere, Marcii quoque exercitum (cum legionibus quas in Ciliciam, cui ille præfectus fuerat, conscriptas fuisse, ex Suetonio antea audivimus) ei accessisse percepit ; territus, regionem hanc sibi relinquendam statuit. [*Dio.*] Inutilibus igitur & ægrotis occisis, cum firmissimis copiis eruptione per noctem factâ, per vias difficiles magno silentio

silentio clam aufugit. [Plutarch. Appian. & Oros.] nocturnis deinceps itineribus Armeniam (majorem) Tigrani subditam petere: [Dio.] atque Pompeium persequentem bello repellere statuens. [Oros. lib. 6. cap. 4.]

Postridie Pompeius vix cum affecutus, extremum agmen invasit. Rex ne tum quidem, quamvis amicis suadentibus, descendit in prælium, contentus hostem submovere per equites; & vespere in densissimas sylvas se abdidit. [Appian.]

Sequenti die vicum occupavit Mithridates circumquaque munitum rupibus: ad quem unicus ascensus patebat, & servabatur à quatuor cohortibus. Romani quoque ex adverso stationem opposuerunt, ne Rex effugeret. [Idem.]

Quum in ipsos limites adventum esset, metuens Pompeius ne Euphratem transmittere Mithridates anteverteret atque ita effugeret, nocturnam pugnam tentare instituit. [Plutarch. & Dio.] Prior itaque castra movit, fessilique barbaros meridie conquiescentes; eâ pergens viâ, quâ ipsi erant ituri: nactusque locum idoneum inter colles situm, ibi milites in edita traduxit, expectavitque hostium adventum. Barbari, quibus nihil dum adversi evenerat, & jam in loca tuta se accedere credebant, securè, neque custodiæ etiam causâ quoquam præmissis, ibant; sperantes ab insequendo jam Romanos destituros. [Dio.]

Eo tempore fama fert vidisse Mithridatem in somnis speciem, quæ futura ei prænuntiaret. Videbatur sibi in mari Pontico secundo navigare vento, Bosphorûmque jam prospicere & comiter unâ vestros affari, ut qui certâ & indubitâtâ incolumitate gauderet: verum repente ab omnibus se reperisse desertum, ac fragmento exiguo navigii jactari. His occupatum motibus & imaginibus assistentes amici excitaverunt, Pompeium nuntiantes adesse. Cùm igitur pro vallo necessario pugnandum esset; eductis copiis instruxerunt duces aciem. [Plutarch.]

Hos parare se ubi Pompeius vidit, dubitavit per tenebras discrimen prælii subire: tantum circumferendos, ne fugerent, arbitratus est; ac sub lucem exercitu suo, qui firmior erat, aggrediendos. At majores natu ordinum ductores precando & adhortando concitaverunt eum. [Idem.]

Primum igitur ex composito omnes tibicines simul classicum cecinerunt, post & milites & cætera turba clamorem bellicum sustulerunt: tum alii hastis scuta, alii saxis ærea vasa percusserunt. Montes circum cavi acceptum sonitum quàm maximè terribilem reddiderunt: quem ut repente barbari nocturnum in desertis locis accipere, vehementer animo dejecti sunt, se divinitus immissum in malum incidisse rati. Interim Romani undique de sublimi lapidibus, sagittis relisque jaculabantur: & ob tantam multitudinem nullum sine vulnere telum cadebat. Cùmque jacula omnia consumpissent, in barbaros decurrerunt: qui mutuo sese trudentes conculcantesque peribant, quum neque seipsos tutari neque hostem aggredi possent; quod major pars equites ac sagittarii essent, quibus neque in tenebris prospectus, neque in tantis angustiis conatus ullus precedebat. [Dio.]

Ubi Luna effulfit, barbari utique se in luce hostem depellere posse putantes gaudebant; poterátque ipsis commodo esse, nisi eam à tergo Romani habuissent. Lunâ enim in occasu declivi, umbræ longè corpora præcurrentes incumbabant hostibus: qui longitudinem umbrarum proximitatem hostium rati, cuncta in irritum rela fuderunt; frustra inanem umbram, ac si jam comminus starent, impetentes. Quos Romani veluti inermes postea aggressi, sine labore vicerunt. [*Idem: cum Floro, Plutarcho, & Eutropio.*]

Nocturnum hoc fuisse prælium, Livius, [*lib. 100.*] Florus, [*lib. 3. cap. 5.*] Plutarchus, [*in Pompeio.*] Dio, [*lib. 36.*] Eutropius, [*lib. 6.*] & Orosius, [*lib. 6. cap. 4.*] consentiunt. Solus Appianus, interdum hunc in modum gestum illud fuisse narrat. Uterque exercitus primo mane armatus est: & progressi utrinque stationarii velitabantur per declivia. Nonnulli etiam equites regii sine equis injussi opem ferebant suis militibus: in quos quum complures Romanorum equites irruerent, regii uno agmine castra cursu petebant, ut conscensis equis cum Romanis æquo Marte confingerent. Eos ita cum clamore cursuque ruentes conspicati è superiore loco qui adhuc armabantur Pontici, rem non intelligentes, rati que hos captis diversâ parte castris fugere; & ipsi projectis armis fugiebant: & quum non pateret exitus, impingebant in se invicem, glomerabanturque donec per rupes desilirent. Reliquum facile fuit Pompeio conficere, cædenti prehendentique inermes & impeditos rupibus. Cæsa sunt ad decem millia, & castra capta cum omni apparatu. Ita Appianus. [*in Mithridatic. pag. 239, 240.*]

Longè plus quàm decem millia interiisse, *Plutarchus* refert. Plurimos fuisse interemptos, & haud pauciores vivos in potestatem hostium venisse, *Dio*. Quadraginta millia occisa, *Eutropius*: totidem cæsa vel capta fuisse, scribit *Orosius*. Pompeium verò, 20 vel 30 tantum de exercitu suo perdidisse, & duos centuriones, *Eutropius*: Romanos vulneratos mille, vix autem 40 interfectos, ait *Orosius*.

Ipsè Mithridates initio 800 equitum cuneo per Romanos erupit. Mox cæteris dilapsis, solus relictus cum tribus est. In quibus Hypsicratia fuit (pellex Plutarcho; uxor verò Valerio Maximo & Eutropio dicta) quam, quia virilis semper audaciæ fuerat, Hypsicratem Rex appellavit. Tunc verò veste amicta virili Persicâ & equo vecta, nec corpore ex fugæ prolixitate fatiscere visa est, nec curando Regis corpore & equo est fatigata. [*Plutarch. Valer. Maxim. lib. 4. cap. 6. Eutrop. lib. 6.*] Filia quoque Dripetine Laodice reginâ nata, duplici ordine dentium deformis admodum, comes fugæ patris fuit. [*Valer. Maxim. lib. 1. cap. 8.*]

Sic igitur Rex inter tumultus belli fugâ lapsus, adjutus etiam beneficio sublustri noctis, evasit: per devia equum manu trahens, atque ad omnes nocturnos strepitus trepidans. [*Oros. lib. 6. cap. 4.*] donec in quosdam equites mercenarios incidit, & peditum circiter tria millia: à quibus statim deductus est in castellum Sinorégem, ubi multum pecuniæ coacervaverat. [*Appian.*] Quod castellum Inora Plutarchus, Sinoria vel Synoria Strabo appellat; in confinio.

nio minoris & majoris Armeniæ positum. [*Strabo, lib. 12. pag. 555.*]

Inde munera & annuum stipendium fugæ comitibus dedit; & sex fermè talentorum millia secum tulit. [*Appian.*] Vestes pretiosas, inde sumptas, confluentibus ad ipsum ex fugâ distribuit. Præterea lethale virus cuique amicorum ferendum secum dedit, nequis in manus hostium veniret invitus. Inde in Armeniam ad Tigranem contendit. [*Plutarch.*]

Tigranes à Mithridate per legatos compellatus, non modò eum non suscepit, sed etiam legatos comprehensos in vincula coniecit: eum Tigrani filio suo contra se seditionis causam fuisse prætendens. [*Dio, lib. 36.*] Centum quoque talenta in caput ejus Tigranem pronuntiâsse, Plutarchus refert. Ita spe suâ frustratus Mithridates, præteritis Euphratis fontibus, fugam in Colchidem intendit. [*Plutarch. Appian. Dio.*] quam ille prius ditioni suæ subjecerat. [*Strabo, lib. 12. pag. 555.*]

Quum nusquam igitur cursum ille suum intermitteret, die quartâ Euphratem transiit. Per triduum deinde dispositis & armatis vel præsentibus vel accedentibus copiis, invasit Chotenem, præfecturam Armeniæ: ubi Chotenos Iberosque missilibus ac glandibus iter impedire conatos propulsi, & ad Absarum fluvium pervenit. [*Appian.*]

Pompeius, qui Mithridatem insequerentur, emisit: sed ille Phasin fluvium jam transgressus effugerat. Itaque urbem eo loco, quo vicerat, Pompeius condidit. [*Dio, lib. 36.*] inter duo flumina quæ ab uno monte diversis specubus exoriuntur, hoc est, Euphratem & Araxem, in minore Armeniâ positam; & ex re Nicopolim appellatam. Eam senibus lassis & ægris, vulneratisque aut emeritis militibus suis volentibus ille tribuit: ad quos multis vicinorum accedentibus, Cappadocum moribus Nicopolitæ postea vixere. [*Id. ibid. cum Strabone, lib. 12. pag. 555. Appiano, pag. 243. & 251. Orosto, lib. 6. cap. 4.*]

Tigranes pater in filium Tigranem, solum ad Artaxatorum obsidionem relictum, profectus, prælio eum vicit. Ille in fugâ primùm ad Mithridatem avum se contulit: quem victum esse cum intelligeret, atque ipsum auxilio aliorum magis indigere, quàm alii posse opitulari; ad Romanos se adjunxit. [*Dio, lib. 36.*] Ad hos enim, quamvis nepos Mithridatis ex filiâ, supplex ille confugit: [*Appian.*] Pompeioque ad Araxem fluvium occurrit. [*Plutarch.*] Eo duce usus Pompeius in Armeniam adversus patrem ejus exercitum duxit; [*Dio.*] tanquam Mithridatis socium: Artaxata petens, Tigranis regiam, [*Appian.*]

Tigranes pater re cognitâ territus, cum mitem animo ac placidum Pompeium accepisset esse, statim præconem ad eum misit; traditis etiam Mithridatis legatis, quos in vincula conjecerat. Quum filius impedimento esset, ne quicquam tolerabile posset impetrare, nihilque minus Pompeius, transmissio Araxe fluvio, Artaxatis appropinquaret; ibi demum Tigranes urbem ei dedit, & præsidium in eâ accepit: ipsæque cum amicis & necessariis, ne caduceatorè quidem præmissis, ad eum profectus est; permissurus ejus arbitrio omne suum jus, & accusaturus filium apud ipsum judicem. [*Plutarch. Appian. Dio.*]

Ita verò se, quò & reverentiâ Pompeio & misericordiâ dignus videretur, comparaverat; ut, quantum ejus fieri poterat, maximè inter pristinam dignitatem ac præsentem humilitatem medium servaret statum. Togam namque semialbam & candyn totum purpureum exuerat; tiaram autem [cum fasciâ gerebar. [Dio.] Cui quum Pompeius tribunos & præfectos equitum obviam misisset honoris gratiâ; Regis comites parum securos se rati, quia caduceatorem non præmiserat, retro fugerunt. [Appian.]

Ubi ad castra Pompeii sextodecimo ab Artaxatis milliario Tigranes venit, præstò ei fuerunt duo Pompeii lictores, qui iusserunt ut equo descenderet, quo vetus patrio more ipsum etiam vallum intraturus fuerat. Neminem enim mortalium in castris Romanis tanquam visum qui equo insideret. Obtemperavit Tigranes, gladiumque discinxit tradiditque eis. [Eutrop. Plut. & Dio.] Pedibus ingressum, projectòque diademate in terram prolapsum, adorantemque se more barbarico intuitus Pompeius, misericordiâ commotus exiit, & apprehensâ dexterâ eum crexit, atque insigne regium quod ille de suo capite abjecerat reposuit: & federe iussit ad latus suum, ex altero filium collocans; qui neque assurrexit patri, neque aliâ ullâ comitate erga eum usus est. [Cicero, pro P. Sextio. Eutrop. lib. 6. Dio, Appian. & Plutarch. tum in Pompeio, tum in Lucullis & Cimonis collatione.]

Tigranes se regnumque suum Pompeii ditioni permisit: præfatus, neminem alium neque Romanum neque ullius gentis virum futurum fuisse, cujus se societati commissurus foret, quàm Cn. Pompeium: proinde omnem sibi vel adversam vel secundam, cujus auctor ille esset, fortunam tolerabilem futuram; non esse turpe dicens ab eo vinci quem vincere esset nefas, neque ei inhonestè aliquem summitti quem fortuna super omnes extulisset. [Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 37.] A Pompeio deinde ille, simul cum filio, ad coenam invitatus est: verum filius vocatus non adfuit; quâ re inprimis sibi Pompeium infensum reddidit. [Dio.]

Postridie eorum controversiis auditis, patri avitum Armeniæ regnum Pompeius restituit (magnâ etiam & præcipuâ parte Mesopotamiæ additâ; ut habet Strabo, lib. 16. pag. 747.) ademptis illi quas præterea bello acquisierat provinciis & multâ sex millium talentorum argenti (quæ populo Romano daret, quia bellum sine causâ ipsi commovisset) illi impositâ: filium verò in Gordenâ Sophenâque regnare iussit, cæteræ Armeniæ hæreditatem post patris mortem aditurum. Thesuros tamen in Sophenâ (regione Armeniæ finitimâ) repositos patri adjudicavit: quia pactam sibi pecuniam aliâ ratione habere non poterat. [Cicero, Vellei. Paterc. Plutarch. Appian. Dio, & Eutrop. ut supra.]

Has condiciones pater approbans, lætusque quòd esset à Romanis rex appellatus, non solum Cappadociæ & Ciliciæ quibusdam partibus, sed etiam totâ Syriâ & Phoeniciâ decessit, ab Euphrate usque ad mare: has enim provincias, cum parte Ciliciæ, Tigranes occupaverat, ejecto Antiocho Pio. [Liv. lib. 101. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 37. Plutarch. Appian. Dio, & Eutrop.]

Spe suâ frustratus Tigranes junior, indignabatur, & fugam cogitabat. Quod maturè sentiens Pompeius, in liberam custodiam eum dedit: ad pecuniæ servatores missis, qui eam omnem Tigrani patri dari juberent. Quum id recusarent, dicerentque non ab alio quàm à Tigra- ne juvene, cujus jam tum ea regio esse judicabatur, debere imperari; is ad castella missus est: quæ cum oclusa inveniret, proximè accessit, & quamlibet invitus, tamen ut referrentur imperavit. Nihilò plus custodes obtemperabant; obtendentes haud suâ voluntate, sed coactum Tigranem hoc jubere. Id verò graviter ferens Pompeius, in vincula juvenem conjecit: atq; sic demum senex thesaurum accepit. [*Dio, lib. 36.*]

Appianus ait Armenios, qui regem ad Romana castra iter facientem metu deseruerant, filio adhuc apud Pompeium hærenti suasisse ut patrem ex insidiis invaderet; sed illum captum & in vincula conjectum fuisse: & quum victus etiam Parthos contra Romanos sollicitaret per nuntios, ad triumphum esse servatum.

Pater pecuniâ potitus, & alia plurima & vim pecuniæ longè majorem quàm de quâ conventum erat Pompeio dedit: & unumquemque militem argenti drachmis 50 (vel 150, ut apud Strabonem legitur) centurionem 1000, tribunum 10000 (vel taletho, ut habet Strabo & Plutarchus, quod 6000 tantum drachmas habet) liberaliter donavit. quo facto inter amicos sociosque populi Romani annumeratus est. [*Strabo, lib. 11, pag. 530. Plutarch. Appian. Dio.*] Pecunia verò debita populo Romano omnis, sicuti Pompeio moris erat, redacta in quæstoris potestatem est, ac publicis descripta litteris. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 37.*]

Ariobarzani Pompeius integrum Cappadociæ regnum reddidit; attributâ & Sophenâ Gordenâque quas Tigrani minori prius assignaverat: quæ deinceps in provinciâ Cappadociæ censebantur. Eidem dedit etiam Ciliciæ civitatem Cabala (vel Gabala) & quasdam alias: quod regnum Ariobarzanes integrum reliquit postea filio superstiti. [*Appian. pag. 243, 244.*]

3939

C. Julius Cæsar, ante paucos dies quàm ædilitatem iniret, venit in suspicionem conspirasse cum M. Crasso consulari, item Syllâ & Autronio post designationem consulatus ambitus condemnatis, ut principio anni (Kalendis videlicet Januariis, in Octobrem Julianum tunc incidentibus, quibus Cotta & Torquatus Consulatum inibant) Senatam adorirentur, & trucidatis quos placitum esset, dictaturam Crassus invaderet, ipse ab eo magister equitum diceretur, constitutâque ad arbitrium republicâ Syllæ & Autronio consulatus restitueretur. Unde in epistolâ quâdam ad Axium Cicero retulit, *Cæsarem in Consulatu confirmasse regnum de quo Ædilis cogitabat.* [*Sueton. in Julio Cæsare, cap. 9.*]

Pompeius, relicto ad præsidium Armeniæ Afranio, per gentes Caucasum circumcolentes contra Mithridatem iter intendit. Albanî & Iberi, maximæ nationes, primò petenti Pompeio transitum dederunt: ut apud Plutarchum legimus. Eos tamen Pompeium, quòd transitum minimè dedissent, prælio vicisse retulit Livius. [*lib. 101.*]

Quod

Quod prælium, à Plutarcho & Appiano breviter & diversimodè descri-
ptum, Dio pleniùs ita explicat. Pompeius, divisus in tres partes copiis, in
Tanaiticâ regione: & ad Cynnum fluvium hyberna habuit: quæ ei tamen
quieta non fuerunt. Albanorum enim, qui supra Cynnum (sive Cy-
rum) fluvium incolunt, rex Oroëses (Orodem Florus lib. 3. cap. 5. Eu-
tropius libro 6. & Orosius lib. 6. cap. 4. cum appellat) nonnihil ut ju-
niori Tigrani amico suo gratificaretur, sed præcipuè quòd verebatur
ne Albaniam quoque Romani invaderent, ac sperans, si per hyemem
improvidos & non uno in loco castrametatos adoriretur, haud dubiè
se operæ pretium facturum, sub ipsa Saturnalia exercitum adversus
Romanos duxit. ita quidem, ut ipse Metellum Celerem, qui Tigranem
secum habebat, aggredereetur; alii autem contra Pompeium,
alii contra tertix partis præfectum L. Flaccum irent: ut, quum sin-
gulis eodem temporis momento negotium faceretur, mutuò sibi
subvenire non possent. Ita Dio. [*lib. 36.*] Appianus ait Oroësem
Albanorum & Otócum (vel Artócum potiùs) Iberorum regem cum
70 millibus insidias Pompeio struxisse circa Cynnum fluvium: Plu-
tarchus, non minùs 40 millia barbarorum in Romano Saturnalium
festo Cynnum fluvium adversus Pompeium trajecisse narrat. Satur-
nalia verò mense Decembri celebrabantur; qui, ut annus Romanus
tunc agebatur, in Septembrem vel Octobrem Julianum incurrebat,
id est, in autumnii initium: à quo hyemis tempestas ab illis deducitur
qui annum in duas partes dividunt, Æstatem & Hyemem; quod à
Thucydide, in belli Peloponnesiaci historiâ, semper videmus obser-
vatum.

Oroësem Metellus vi profligavit. Flaccus, quum fossæ suorum
castrorum ambitus tantus esset ut defendi nequaquam posset, aliam
interiùs egit; credentésque id pavoris causâ factum hostes intra fos-
sam exteriorem pertraxit: tum in nihil tale expectantes impetu fa-
cto, multos in ipso conflictu, multos in fugâ peremit. Pompeius in-
terea maturè de barbarorum contra cæteros conatu resciverat. Ita-
que iis, qui contra ipsum ibant, inopinatò prior occurrit: vicisique
illis, rectâ adversus Oroësem ipsum contendit, neque tamen assecutus
est. Is enim à Metello Celere depulsus, auditis & reliquorum cladi-
bus, fugâ se eripuit. [*Dio.*]

Pompeius, quum multos Albanorum in transitu Cynni comprehen-
sos peremisset, eorum deinde precibus concessit, pacemque dedit.
Habebat quidem in animo, in eorum vicissim intrare fines, ut malefi-
cium reponeret: sed propter hyemem tum haud gravatim bellum pro-
latavit. Hæc, in 36ⁱ libri fine, Dio. Plutarchus Pompeium scribit
illatis signis ingentem hostium numerum fudisse; deinde Regi sup-
plici, legatos ad ipsum mittenti, dedisse veniam, iecto cum eo fœdere.
Mithridates hybernabat in Dioscuriade. [*Appian. pag. 240.*] ubi ini-
tium est isthmi Euxino & Caspio mari interjecti. [*Strabo, lib. 11.
pag. 498.*]

Antipater tandem urgendo ægrè ab Hyrcano obtinuit, ut assenti-
ret fugere ad Aretam regem Arabum, suum quoque pollicitus auxi-
lium; idque eo faciliùs impetravit, quòd Judææ confinis sit Arabia.
Præmis-

Præmissus igitur ad Regem est Antipater, accepturus ab eo fidem, quòd inimicis non dediturus esset suum supplicem: quod ubi ille interpositâ fide promisit, Antipater ad Hyrcanum reversus est Hierosolyma; & non multo post assumpto eo noctu urbem egressus, magnis itineribus pervenit in urbem quæ Petra dicitur, apud quam erat Aretæ regia. [*Joseph. lib. 14. cap. 2.*]

Antipater, cum esset Aretæ regi amicissimus, rogabat eum ut Hyrcanum in Judæam restitueret: & instando quotidie dandòque munera tandem persuasit. Hyrcanus quoque pollicitus est, si ope ejus reductus regnum reciperet, redditurum se ei regionem cum duodecim urbibus, quæ pater ipsius Alexander Jannæus Arabibus eripuerat. Erant autem hæ: Medaba, Naballo, Livias, Tharabasa, Agalla, Athone, Zoara, Oronæ, Marissa, Rydda, Lusa, Oryba. [*Id. ibid.*]

Alexander II. Ægypti rex, Alexandri I. filius, ab Alexandrinis est expulsus. [*Sueton. in Julio Casare, cap. 11.*] Filio verò Alexandri expulso suspectus fuisse Ptolemæus Nothus, in Prologo libri 39 Trogi legitur. Nothus videlicet ille Ptolemæi Lathuri filius, qui Διονύσιος ὁ νέος, novus Dionysius sive Bacchus, & Auletes est appellatus. Dionysiorum enim mollitiem muliebriter ille sectabatur: & institâ muliebri amictus, ad numeros dithyrambicos cymbalorumque modos saliebat. [*Lucian. de non temere credendo calumnia.*] In arte quoque choraulicâ se exercuit: & adeò eâ se jactavit, ut non pigeret cum certamina in regiâ celebrare, ad quæ & ipse cum aliis concertaturus prodiit. [*Strabo, lib. 17. pag. 796.*]

Aretas rex Arabum, 50 millium exercitum secum ducens, Aristobulum prælio vicit. Post quàm victoriam multis ad Hyrcanum transfugientibus, desolatus Aristobulus confugit Hierosolyma. Arabs autem adducto secum toto exercitu, oppugnabat eum in Templo, adjuvante Hyrcanum etiam populo; solis sacerdotibus non deferentibus Aristobulum. Sed Aretas, admotis tam Judæorum quàm Arabum exercitibus, acriter oppugnationi instabat. [*Joseph. lib. 14. cap. 3.*]

Dum hæc geruntur instante azymorum festo optimates Judæorum relictâ suâ regione fugerunt in Ægyptum. Erat in Judæâ Onias quidam, vir justus, qui aliquando siccitatis tempore impetraverat piis precibus pluviam; tunc vero in latebras se abdiderat civile bellum præsentiens. Hunc in castra adductum Judæi rogabant, ut quemadmodum olim sterilitati attulerat remedium, ita tunc devoveret diris Aristobulum & quotquot ejus factionem sequebantur. Id cum diu recusans cogeretur à turbâ, stans in medio eorum sic precatus est. *Deus universi hujus mundi rex, quoniam & hi qui mecum stant tui sunt populus, & qui oppugnantur tui sacerdotes sunt, precor ut neque hos contra illos, neque illos contra hos, orantes exaudias.* Post hæc vota circumsteterunt eum quidam ex Judæis viri perditii, & obruerunt lapidibus. Quam crudelitatem Deus ultus est continuo; cædisque Oniæ poenas exegit in hunc modum. [*Ibid.*]

Dum Aristobulus oppugnatur cum sacerdotibus, supervenit Pa-

scha : in quo mos erat multis Deum honorare sacrificiis. Quibus quia carebant obsessi, rogaverunt suos tribules, ut acceptâ quantam postularent pecuniâ victimarum copiam sibi facerent. Illis verò pactis mille drachmas in singula capita, & repræsentare sibi jubentibus; Aristobulus & sacerdotes libenter id fecerunt, & per funem è muro demiserunt pretium. At illi acceptâ pecuniâ non reddiderunt victimas : sed eò progressi sunt impietatis, ut non servatâ fide hominibus, Deum etiam fraudarent debitis honoribus. Sacerdotes autem, quibus per pactorum speciem illusum fuit, oraverunt Deum ut pœnas de tribulibus suis sumeret. Nec dilata est vindicta : sed procella vehemens immissa fecit per totam eam regionem magnam vastationem fructuum; ita ut tritici modius vœniret drachmis quindecim. [*Ibid.*]

Cum Iberis Pompeius bellum gessit, majorem in modum cupidus de Mithridate bene mereri ac propulsare Pompeium : quippe qui neque Medis neque Persis neque Alexandro aut Macedonibus adhuc paruerant. [*Plutarch.*] Rex igitur eorum Artôces (L. Cottâ & L. Torquato Consulib.) venit ne adversum se iretur, ad Pompeium legatos, tanquam parandæ amicitiaë causâ, miserat : interim quomodo eâ re fretum inopinatò adoriretur, parabat. Hoc præsentens Pompeius, antequam is ad eam rem se satis instruxisset, aditumque regionis superatu difficilem (de quo Strabo, lib. 11. pag. 501.) occupâsset, regionem ejus intravit : & prius quàm de ejus præsentia Artôces cognosceret, ad urbem Acropolin pervenit; quæ sita ad ipsas angustias, quæ Caucasus procurrit, ad custodiendum aditum communita fuerat. Artôces territus, occasione se instruendi præreptâ, Cynnum fluvium transgressus, pontem combussit. Qui erant in urbe, tum propter Artôcis fugam, tum quòd etiam pugnâ victi fuissent, se dederunt. Potitus ergo faucibus illis Pompeius, præsidium eis imposuit : indèque progressus, omnem regionem intra fluvium positam subegit. [*Dio, initio lib. 37.*]

Transituro jam Cynnum Pompeio, Artôces per internuncios & pacem ab eo petiit, & pontem omniâque necessaria se præbiturum est pollicitus : & utrumque obtinendæ pacis causâ præstitit. Ubi verò Pompeius Cynnum trajecit, ille ad Pelorum fluvium fugâ se proripuit : aufugitque ab eo quem, quum transitu potuisset prohibere, ad se attraxerat. Pompeius, re animadversâ, fugienti instat : cursuque assecutus hostem congressusque, priusquam sagittarii arte suâ uti possent, haud multo labore fundit. His actis, Artôces, trajecto Peloro, atque hujus etiam fluminis ponte cremato, aufugit : reliqui partim in conflictu, partim pedibus per flumen tentato transitu, perierunt. Multi per sylvas dispersi, ab arboribus præcellis jaculando dies aliquot traxerunt : sed & hi, postmodum arboribus succis periere. [*Id. ibid.*] In prælio novem millia occubuisse, captos autem amplius decem millia, Plutarchus refert.

Artôces ad Pompeium de pace impetrandâ internuntios cum donis misit : lecto videlicet, mensâ & sellâ, omnibus aureis; eaque ut acciperet, precabatur. Pompeius dona accepit, (ut, transactionis spe oblatâ,

oblatâ, ulterius non progredetur) eaque quæstoribus, ut referrent in tabulas publicas, tradidit; tamen pacem se daturum negabat, nisi prius filios Artócis obsides accepisset. Artóces aliquamdiu rem suspensam tenuit: tandem, quum Romani vado fluminis per æstatem reperro, nullo quidem repugnante, ægrè tamen, transivissent; & filios obsides misit, & cum Pompeio pacem firmavit. [*Dio, lib. 37. cum Plutarcho & Floro, lib. 3. cap. 5.*] Pompeium Iberiæ regem Arthacem vicisse acie & in deditionem accepisse, Eutropius; Iberiam cum Arthace rege in deditionem accepisse, Sextus Rufus & Jornandes: Artócem regem Iberiæ bello fudisse, totamque Iberiam in deditionem accepisse, scribit Orosius. [*lib. 6. cap. 4.*]

Mithridates per gentes Scythicas, vel infensas vel alienas, iter fecit; partim conciliatis hominibus, partim vi adactis. Et Heniochos quidem, libenter exceptus, transit: Achæos verò obsistere ausos fugavit. Mæoticas deinde regiones ingressus, multis subditas regulis, ob famam rerum gestarum regni que ab omnibus hospitaliter exceptus deductusque, multa dona dedit recepitque: atque etiam in societatem eos pertraxit, elocatis filiabus potentissimum quemque illorum sibi conjungens. [*Liv. lib. 101. Appian. pag. 240, 241. Dio, lib. 36.*] Quò spectat & ille Strabonis locus. [*lib. 11. pag. 496.*] Heniochi quatuor reges habuerunt, quo tempore Mithridates fugiens ex avitâ ditione in Bosphorum, per ipsorum regionem transivit: nam hæc ei pervia fuit. De Zygiorum autem transitu spem abiciens ob locorum difficultates istorum & feritatem hominum, ægrè per oram, plerunque mare conscendens: donec ad Achæos venit; à quibus admissus, (licet illos ei restitisse, ex Appiano jam audiverimus) iter perfecit è Phaside factum ad stadiorum penè quatuor millia. Hæc Strabo: qui & ex rerum Mithridaticarum scriptoribus hunc gentium istarum ordinem recenset; primùm Achæos, deinceps Zygius, Heniochos, Cercetas, Moschos, Colchos. [*pag. 497.*] Per quas omnes efferatas gentes Hypsicratea regina fugientem virum, animo pariter & corpore infatigabili secuta est: quæ tonsis capillis equo se & armis assuefecerat, quo facilius laboribus & periculis ejus interesset. Cujus tanta fides asperarum atque difficilium rerum Mithridati maximum solatium & jucundissimum lenimentum fuit. Cum domo enim & penatibus vagari se credit; uxore simul exulante. [*Valer. Maxim. lib. 4. cap. 6.*]

Machares Mithridatis filius, qui in Bosphoro Cimmerio tum regnabat & Romanorum rebus studebat, quum patrem audivisset tam brevi tempore tot feras gentes, & quæ vocantur claustra Scythiæ, nulli antè permeata, transisse; legatos ad eum misit, qui excusarent, quòd necessitate coactus Romanos coluerit. Sed ubi cognovit eum implacabilem, fugit in Chersonesum Ponticam, incensis navibus quò patri persequendi facultatem adimeret. Sed quum ille immisisset in eum classem aliam; manus sibi intulit. Mithridates amicos, quos ipse Machari in regnum abeunti comites addiderat, omnes interemit: domesticos verò dimisit incolumes. Ita Appianus. [*pag. 241.*] Patrem per ejus familiares, securitate & pecuniis missis ad facinus impulsos,

pulsos, filium interfecisse, scribit Dio. [*lib. 36.*] Macharem quoque parricidio trucidatum ab eo fuisse, narrat Orosius. [*lib. 6. cap. 5.*]

Pompeius in Septentrionem Scythicum, iter tanquam in mari stellis secutus, Colchos excidit: regemque eorum Orodem, positus etiam sub ipso Caucaso castris, iussit in plana descendere: ut apud Florum, lib. 3. cap. 5. legitur. Qui cum paulo post Albanæ regem *Orodem* (cum Eutropio & Orofio) fuisse significet: pro *Orode* hoc in loco, vel *Olbacis* nomen substituendum esse videtur, quem Colchorum regem à Pompeio in triumpho fuisse traductum Appianus indicat; [*pag. 253.*] vel *Aristarchi*, quem illius loco Colchis regem fuisse impositum, ex eodem Appiano [*pag. 251.*] & Eutropio [*libro 6.*] didicimus.

Ad Phasim fluvium Servilius Pompeio cum classe, quâ tuebatur Pontum, occurrit: Ac Mithridatis insectatio, qui in gentes Bosphori & Mæotidis accolæ abdiderat se, magnas perplexitates illi præbuit. [*Plutarch.*] Colchos verò obibat ille ut Argonautarum & Castoris Pollucisque peregrinationes viseret; præcipuè locum videre cupiens in quo Prometheus fertur affixus fuisse Caucaso. Quæ spectacula obiturus, deducebatur à vicinis gentibus. [*Appian. pag. 241, 242.*] Colchos enim conterminosque iis populos partim verbis, partim terrendo sibi conciliaverat. Ibi comperto, iter terrestre per multas & ignotas bellicosasque gentes, difficile; maritimum adhuc incommodius, propter importuosam regionem incolasque ejus, futurum: navales copias in stationibus Mithridatem, ne quâ enavigare néve ad eum com meatus perveni posset, observare iussit. Ipse in Albanos profectio- nem convertit, non directo itinere: sed, ut eos propter pactum securos inopinato adventu obrueret, (licet Albanos demum defecisse, indeque irâ & pervicaci ulciscendi ardore stimulum in eos vertisse Pompeium dicat Plutarchus) in Armeniam regressus, Cynnum pedestri itinere, quo loco eum vadofum æstas reddiderat, trajecit. [*Dio, lib. 37.*]

Ingenti verò difficultate & periculo fluvium ille transmisit. Eum enim magno spatio palis barbari vallaverant. [*Plutarch.*] Equites primùm Pompeius secundo flumine, hinc jumenta, postea pedites transire iussit: ut & vim fluminis diffunderent corporibus suis equi; &, si quod tamen jumentum vi aquæ impelleretur, in eos qui alterutrâ ex parte comitabantur incideret, neque ulterius deferretur. [*Dio.*] Hic quum eum longa, arida, & aspera via exciperet, decem millia utriusquæ aquâ implevit, atque ita perrexit. [*Plutarch.*]

Ad Cambysem fluvium deinde venit, nihil ab hostibus passus; æstu autem sitique toto exercitu vehementer afflictio; quamvis nocturnis plurimùm itineribus uterentur. Duces itinerum ex captivis acceperat; à quibus non id iter quod commodissimum erat demonstrabatur. Ipse etiam fluvius parum utilitatis afferebat; cujus aquâ frigidissimâ, affatim potâ, multi admodum lædebantur. Quum ne hic quidem quisquam resisteret, ad Abantem fluvium accesserunt, præter aquam nihil secum portantes: reliqua omnia benignè ab incolis

colis suppeditabantur; itaque & ab omni maleficio in eos temperatum est. [*Dio.*]

Transgressis fluvium adventare Oroësen affertur. [*Id.*] Habebat ille peditum 60 millia, equitum millia 12 (vel 22, ut apud Strabonem legitur) in acie instructa, magnâ ex parte malè & ferinis tergoribus armatorum: quos regis frater, Cosis nomine, ductabat. [*Plutarch. cum Strabone, lib. 11. pag. 502.*] Pompeius, ut hostem, priusquam multitudinem Romanorum adesse sentiret retrôque cederet, ad pugnam eliceret; equites primo loco constituit, mandatis prius quæ agenda essent: post illos reliquam multitudinem in genua subsidentem scutisque operam collocavit; eis uti quiescerent imperans. Ita eorum præsentiam non antè animadvertit Oroëses, quàm ad manus ventum est. Equites igitur, quos solos esse putabat contemnens invasit: & levi momento in fugam, quam datâ operâ faciebant, vertit, acriterque cedentibus institit. Tum repentè pedites se erigentes, facto inter se spatio ut securis suis per medios esset receptus, temerè insequentes hostes exceperunt: magnamque eorum multitudinem circumdederunt, in mediôque deprehensos conciderunt. Qui circumdati non erant, in eos equites, partim ad dextram partim ad lævam à tergo circumvesti, impetum fecerunt. Ita ab equitibus quoque magna hostium cædes facta est: & qui ab utrâque clade in sylvas fugâ se proripuerunt, incensis sylvis perierunt; subinde acclamantibus Romanis, *Hem Saturnalia, hem Saturnalia*. Sub id enim tempus (ut dictum est) Albani eos antè per insidias fuerant adorti. [*Dio, lib. 37.*]

In hâc pugná, Cosis frater regis in ipsum invecus Pompeium, percussit jaculo lorice ejus commissuram: Pompeius illum hastâ transfixit & occidit. In eâ quoque Amazones, à montibus Thermodonti fluvio accubantibus profectæ, auxilio venisse perhibentur barbaris. Et quidem à prælio, dum spolia barbarorum legunt Romani, peltas Amazonicas cothurnosque reperere; corpus verò muliebri reperere nullum. [*Plutarch.*] Videndus & Appianus, pag. 242. ubi hanc & priorem pugnam cum Albanis gestam ut unam commemorat. Licèt ter etiam Pompeium exercitum Orodis Albanorum regis præfectosque ejus vicisse, cum Eutropio & Sexto Rufo, tradiderit Orofius. [*lib. 6. cap. 4.*]

Pompeius, depopulatâ regione, postremò epistolas Orodis (sive Oroësis) de pace cum Albanis instaurandâ, & lectulum aureum & alia dona ab eo missa, libenter accepit; & veniam Albanis dedit. [*Florus, lib. 3. cap. 5. Dio, lib. 37. Eutrop. lib. 6. Orof. lib. 6. cap. 4.*] qui memores Italicæ originis, quòd ab Albano monte Herculem secuti fuisse dicerentur, exercitum Pompeii fratres salutaverunt. [*Fustini. lib. 42. cap. 3.*] Neque Albanis solùm Pompeius pacem dedit, sed reliquis etiam aliquot Caucasum montem usque ad mare Caspium (nam eò usque is mons, à Ponto factò initio, pertingit) accolentibus populis, per legatos eam petentibus. [*Dio, lib. 37.*] Undique eum adversus Iberos Albanosque ad utrumque usque mare, Caspium ac Colchicum, bellavisse scripsit Strabo. [*lib. 11. pag. 492.*] Licèt enim magno Hyrcaniam & mare Caspium visendi desiderio Pompeius teneretur,

tur, quum trium tantum dierum itinere inde jam abesset; tamen mortiferorum serpentium multitudine ab eo proposito deterritus, in Armeniam minorem divertit: ut in ejus Vita nos docet Plutarchus.

Pompeius, superato Tauro, bellum Antiocho Commageno intulit; donec & ille in amicitiam receptus est. [*Appian. pag. 244.*] Cui tum commisit ille Seleuciam Mesopotamiæ castellum, & quicquid ex incurfu in Mesopotamiam ceperat: [*Id. pag. 251. cum Strabone, lib. 16. pag. 745.*] Darium quoque Medum profligavit: vel quia juverat Antiochum, vel quia Tigranem antea. Ita Appianus, in Mithridaticis: [*pag. 244.*] qui Darium & Medos inter reges & populos à Pompeio victos; [*pag. 250. & 253.*] sicut Mediam Velleius Paterculus [*lib. 2. cap. 40.*] inter regiones cum victoriâ ab eo penetratas, connumerat. Licet Elymæorum & Medorum regibus, qui legatos ad eum miserant, benignè tantum rescripsisse Pompeium Plutarchus dixerit.

Phraates Parthorum rex, quum tanto impetu Pompeium ferri videret, Armeniamque & Ponti partes eò loci pertingentes ab ejus legatis captas esse, Gabinium quoque jam ultra Euphratem ad Tigrim usque processisse; eorum terrore perculsus, de fœdere inito cum Romanis renovando legatos ad Pompeium misit: nec ea tamen legatione quicquam assecutus est. Pompeius enim, præsentium successu spèque securarum inde rerum fretus, eum parvi pendebat: & inter alia responsa, quæ superba legatis dabat, Corduenem (sive Gordyenem) regionem, de quâ Phraati erat cum Tigrae controversia, poscebat. Quum legati de hæc re (neque enim quicquam habebant in mandatis) nihil responderent, nonnihil ad Phraatem scripsit. [*Dio, lib. 37.*]

In litteris verò suis non Regem eum regum (ut alii omnes, etiam Romani, ipsèque in triumpho suo postea Pompeius) sed Regem simpliciter appellavit: quod indignè Phraates tulit, ut qui regno etiam suo spoliaretur. Pompeius verò, non expectato responso, confestim Afranium cum exercitu in Gordyenem misit: qui Parthos eam incurfantes expulit, & usque ad Arbelitin infectatus est; regionemque Tigrani restituit. [*Id. ibid. cum Plutarcho, in Pompeio.*]

Ex Armeniâ in Syriam à Pompeio missum esse Gabinium, apud Josephum legimus. [*lib. 1. Belli, cap. 5. & Antiquit. lib. 14. cap. 4.*] Quod nos de minore Armeniâ accipimus, in quam, confecto bello Albano, fecississe Pompeium ex Plutarcho audivimus: licet de majore Josephus intellexerit, eaque homonymiâ deceptus, eo tempore quo cum Tigrae bellum Pompeius gerebat in Syriam missum Gabinium fuisse scripserit. nisi forrè, ut Appianus, ita etiam ille, Tigranis deditionem expeditione Albanâ posteriorem fecerit: quâ priorem fuisse nos, cum Livio, Velleio, Floro, Plutarcho, Eutropio, & Orosio, statuimus.

Scaurus, ubi Damascum venit, recens à Metello & Lollio captam reperit. His inde submotis, cognitòque in Judæâ quid ageretur, illuc velut ad quæstum cucurrit. Regionem ingressò legati facti sunt obviam, tam ab Hyrcano Templum Hierosolymitanum obsidente quàm à fratre ejus Aristobulo ibidem tum obsesso; utrique petentes societatem & auxilium. Et cum Aristobulus polliceretur 400 talenta,

nec

nec pauciora Hyrcanus; Scaurus Aristobuli promissa prætulit. Acceptâ igitur pecuniâ, ad Hyrcanum & Aretam regem (Nabathæorum suorum copiis, licet non valdè ad id bellum gerendum animatis, ipsum adjuvantem) legatos misit; Romanorum eis & Pompeii nomen intentans, nisi ab obsidione desisterent. Itaque & Aretas ex Judæâ in Philadelphiam recessit metu perculsus, & Scaurus Damascum rediit. Aristobulus verò, omnibus quas habebat copiis collectis, Aretam & Hyrcanum est persecutus: & congressus cum eis apud locum quem Papyronem nominant, prælio vicit; cæsis circiter septem millibus hostium, inter quos etiam Cæphalio Antipatri frater fuit. [*Joseph. ut supr.*]

Reversus ex Armeniâ Pompeius, adeuntibus se regibus (barbaris, quos numero duodecim convenisse Plutarchus retulit) & dynastis jus dixit, ac responsa dedit: aliisque regna confirmavit, aliis principatus auxit, aliorum eminentiam imminuit ac depressit. [*Xiphilin. ex Dione.*] Ad quod tempus illa à Valerio Maximo celebrata historia referenda esse videtur.

Ariobarzanes filio suo Cappadociæ regno cessit, in conspectu Cn. Pompeii. Cujus cum ipse tribunal conscendisset, invitatusque ab eo in curuli sellâ sedisset, postquam filium cum scribâ humilio rem fortunâ suâ locum obtinentem conspexit, non sustinuit infra se collocatum intueri: sed protinus sellâ descendit, & diadema in caput ejus transtulit; hortarique cœpit, ut eò transiret unde ipse surrexerat. Exciderunt lachrymæ juveni, cohorrui corpus, dilapsum diadema est, nec quò jussus erat progredi potuit; quòdque penè fidem veritatis excedit, lætus erat qui regnum deponebat, tristis cui dabatur: nec ullum finem tam egregium certamen habuisset, nisi patriæ voluntati autoritas Pompeii adfuisset. Filium enim & Regem appellavit, & diadema sumere jussit, & in curuli sellâ confidere cœgit. [*Valer. Max. lib. 5. cap. 7.*]

Pompeius deinde Coelesyriam & Phœniciam, nuper regibus liberatas & ab Arabibus ac Tigrane vexatas, constituit. Licet enim Antiochus eas ausus est repetere, non tamen obtinuit: sed in unam redactæ conjunctæque provinciam leges acceperunt, & more populi Romani administratæ sunt. [*Xiphilin. ex Dione.*]

Antiochum hunc, *Pium* fuisse, Cyziceni Antiochi filium, Justinus, [*lib. 40. cap. 2.*] Appianus in Mithridaticis, [*pag. 244.*] & Porphyrius [*in Græcis Eusebianis Scaligeri, pag. 227.*] referunt. Sed rectius idem Appianus in Syriacis, [*pag. 119. & 133.*] Antiochum *Asiaticum*, Antiochi Pii & Selenæ filium, hunc fuisse affirmat: qui ante quadriennium, Luculli vel beneficio vel permissu, regnum Syriæ à Tigriane derelictum adeptus, in Pompeii *ἀγορίαις* (ut pag. 133. ille loquitur) dum is aliis distineretur negotiis, per unum jam annum (postquam Tigranes jure quod in Syriam habebat populo Romano cesserat) illud retinuit. Et licet ipse præsens paternum regnum posceret: eo tamen illum, nunquam de populo Romano malè meritum, Pompeius privavit. Facile enim fuit tanto exercitu regem inermem opprimere: quamvis alia prætexebatur causa; iniquum videlicet esse, postquam veteres

veteres reges semel Tigranis armis pulsi fuere Syriâ, nunc eam Seleucidis victis cedere, potius quàm Romanis victoribus. Negabatque Pompeius se Antiocho daturum, quod tueri nesciret: ne rursus Syriam Judæorum & Arabum latrociniis infestam redderet. [*Fustini & Appian. in locis supra notatis.*]

C. Julius Cæsar ædilis, conciliato populi favore, tentavit per partem tribunorum ut sibi Ægyptus provincia plebiscito daretur: nactus extraordinarii imperii occasionem, quòd Alexandrini regem suum, socium atque amicum à Senatu appellatum, expulerant, resque vulgò improbatur. Neque obtinuit; adversante optimatum factione. [*Sueton. in Julio, cap. 11.*]

In Ægyptum verò Pompeius à rege (Alexandro II expulso) contra seditiosos est vocatus; & donatus muneribus ac pecuniis, & vestimentis in usum totius exercitus. Ægyptum tamen ille non adiit: sive cavens inimicorum invidiam, religionemque oraculi (Sibyllini, de quo infra ad anni Mundi 3948. initium) sive ob alias rationes. [*Appian. Mithridatic. pag. 251.*]

Pompeius tum Damascum venerat, & Coelesyriam obibat: quum venerunt ad eum legati ex universâ Syriâ & Ægypto atque Judæâ: eodem, ut videtur, tempore, quo duodecim Reges ad eum convenisse ex Plutarcho diximus. De quibus, ex Strabonis Historiarum libris, locus iste profertur à Josepho. [*Antiquitat. lib. 14. cap. 5.*] *Venit & ex Ægypto legatio, & corona aureorum quater mille. Et ex Judæâ, sive Vitis sive Hortus: quod opus Τερπωλῆν, id est, Delectamentum vocabatur. Hoc donum vidimus etiam nos Roma in Jovis Capitolini templo dedicatum, cum inscriptione Alexandri Iudæorum Regis: estimabaturque quingentis talentis. Quod donarium, ab Alexandro Jannæo in Templo Hierosolymitano repositum & à filio ejus Aristobulo ad Pompeium inde transmissum, ex Pompeii triumphorum actis Plinius fuisse refert, Montem aureum quadratum, cum cervis & leonibus & pomis omnis generis, circumdatâ vite auræ.* [*Plin. lib. 37. cap. 2.*]

3940

Paulo post iterum ex Judæâ ad Pompeium venerunt legati: Antipater pro Hyrcano, & Nicodemus pro Aristobulo. Legatus Aristobuli de acceptâ pecuniâ Gabinium primùm accusavit qui 300, deinde Scaurum qui 400 talenta receperat: hos quoque inimicos ei faciens. Utrumque litigantium, & Hyrcanum & Aristobulum, Pompeius ad se venire iussit. [*Ioseph. lib. 14. cap. 5.*]

Afranus per Mesopotamiam in Syriam, præter pactum à Pompeio cum Phraate initum, proficiscens, in itinere aberravit; multumque, ob hyemem & penuriam victus, incommodi passus est: periissetque cum suis, nisi eos Carrenses, qui Macedonum coloni esse feruntur & circum ea loca incolunt, excepissent deduxissentque. [*Dio, lib. 37.*]

Pompeius, Aspidi (in Ponto) hyberna agens, adversantes sibi etiamnum regionis partes recipiebat: quantum ex fragmentis libri 37 Dionis colligere possumus; quæ in Consulatu Cæsaris & Figuli transposita esse, collatis inter se partibus, Lector facillè animadvertet. Ex omnibus verò Mithridatis pellicibus, quæ attractæ ad eum fuere, nullam

nullam Pompeius attigit; sed omnes ad parentes & propinquos remisit. Nam ducum ferè & dynastarum filia conjugè que fuerant. [*Plutarch.*]

Inter alia, castellum Symphorium, tradente Stratonice, Pompeium tunc accepisse Dio indicat. Stratonice hæc, cantoris cujusdam (uti fama est) filia, una è regis sive concubinis sive uxoribus fuit: desertamque se succensens, dum adhuc Pontum circumiret. Mithridates, emisso ad comteum parandum præsidio, Romanos recepit; hoc unum pacta, ut si fortè Pompeius Xipharem filium in potestatem redigeret, matri eum servaret incolumem. Subterraneorum quoque thesaurorum conscia (quos multa ærea vasa ferreis circulis vinceta celabant) eos Pompeio obtulit. Ex quibus ille, quæ ornatum templis, & triumpho existimabat præbitura splendorem, sola accedit; reliquis Stratonice oblectare se iussit. [*Plutarch. Appian. Dio.*]

His cognitis, Mithridates filium Xipharem interfecit ad fretum, inspectante matre ex adverso littore, & cadaver insepultum projecit: pietatem negligens, modò matri doleret quæ peccaverat. [*Appian.*]

Arcem quoque recepit Pompeius illam inexpugnabilem, quæ *Kavm* sive *Nova* dicta est: in quâ pretiosissima quæque Mithridates deposuerat, quæ à Pompeio postea dicata sunt Capitolio. [*Strabo, lib. 12. pag. 56, 557.*] In eâ quoque arcana Mithridatis monumenta Pompeius nactus est: nec ea invitus legit, quòd præter alia secreta clarè etiam illius censum patefaceret. [*Plutarch.*] Inter arcana fuerunt & Mithridatis commentationes medicæ: quas transferre Latino sermone Pompeius libertum suum Lenæum, Grammaticæ artis doctissimum, iussit. [*Plin. lib. 25. cap. 2.*]

Phraates legatos ad Pompeium misit: per quos de acceptis injuriis questus, Tigranem juniorem in vinculis ab eo detentum, ut generum suum, mitti sibi postulavit: utque imperiorum Euphrates terminus esset, eumque Pompeius ne transiret, edixit. Cui responsum ille dedit, Tigranem in patris potius quàm soceri jure esse: termino autem se usurum iusto. [*Plutarch. cum Dione.*]

Phraates verno tempore (quo Lucius Cæsar & C. Figulus Consulatum gesserunt) contra Tigranem expeditionem fecit: ubi prælio victus, postea hosti prævaluit. [*Dio, lib. 37.*]

Pompeius incunte vere, copiis ex hybernis revocatis, in Damascenum agrum profectus est: obiterque arcem in Apamiâ diruit, quam Antiochus Cyzicenus munierat. Ptolemæi quoque Mennæi ditionem consideravit, viri noxii non minùs quàm fuerat Dionysius Tripolitanus affinitate ei conjunctus, qui securi percussus est. Mille tamentantis iste redemit se à supplicio: quæ Pompeius erogavit in stipendia militum. Excidit etiam castellum Lyfiada, cujus tyrannus erat Silas Judæus. Transiens deinde per Heliopolim & Chalcidem, superatòque medio monte in Cœlesyriam veniens, à Pellâ Damascum se contulit. [*Joseph lib. 14. cap. 5.*]

Ibi Judæos audivit, & eorum principes Hyrcanum & Aristobulum; qui inter se dissidebant, sicut gens ipsa ab utroque. Judæi aiebant

ebant se nolle esse sub regibus, quòd patrium institutum habeant, ut sui Dei pareant sacerdotibus. Hos autem duos, esse quidem è sacerdotum genere; sed velle principatum gentis in aliam formam traducere, ut eam in servitutem subigant. Hyrcanus querebatur sibi majori natu minimam portionem regionis esse relictam, cætera à minore fratre usurpata per vim omnia: qui & terrâ finitimos violentus incurfaret, & in mari haberet piratarum receptacula. Attestabanturque illi hæc dicenti plus quàm mille ex Judæorum optimatibus, quos Antipater ad hoc induxerat. Aristobulus contrà, excidisse è regno Hyrcanum aiebat propter ignaviam, & publicum apud suæ gentis homines contemptum: se autem id necessariò assumpsisse, ne ad alios transferretur. Et in testimonium citabat quosdam juvenes fastuosos, exosos omnibus propter purpureas vestes, capillitii curam, & phaleras ornamentaque cætera: qui hoc cultu tanquam ad pompam & non ad iudicium venerant. [*Joseph. lib. 14. cap. 5.*]

Pompeius his auditis, & improbatâ Aristobuli violentiâ, dimisit eos placidè: promittens se venturum in eorum ditionem, quamprimum res Nabatæorum inspexisset. Interim jussit eos quietos esse: comiter habens Aristobulum, ne is alienatus intercluderet ei transitum. Nec tamen ullam apud eum inivit gratiam. Aristobulus enim, qui quantum potuit ornatus cultu regio venerat, offensus obsequiis, neque ferendum existimans abjectius quàm regem deceret utilitati servire, à Diospoli regrediebatur; profectusque ad opidum Delium, inde in Judæam se contulit, res suas curaturus. [*Id. ibid. & lib. 1. Belli, cap. 5.*]

Alexander II. Ægypto expulsus, Tyrum secessit, ibique vitam finit: famâ sparsâ, testamento illius populo Romano regnum Ægypti fuisse relictum. De quo Cicero in Oratione primâ Agrariâ, ipso primo Consulatus sui die habitâ. *Dicent Decemviri, id quod & dicitur à multis & sape dictum est, regis Alexandrini testamento regnum illud populi Romani esse factum. Dabitur igitur Alexandriam clam petentibus iis, quibus aperitissimè pugnantibus restitistis?* et in Oratione secundâ, plenius. *Quid Alexandria, cunctaque Ægyptus? ut occultè lateat? ut recondita est? ut furtim tota Decemviris traditur? Quis enim vestrum hoc ignorat, dici, illud regnum testamento regis Alexandrini populi Romani esse factum? Hic ego Consul populi Romani non modò nihil iudico, sed ne quid sentiam quidem profero. Magna enim mihi res non modò ad statuendum, sed etiam ad discendum videtur esse. Video qui testamentum factum esse confirmet; auctoritatem Senatus extare hereditatis adita sentio. tum quando, Alexandro mortuo, legatos Tyrum misimus, qui ab illo pecuniam depositam nostris recuperarent; hæc L. Philippum sape in Senatu confirmasse, memoriâ teneo. cum, qui regnum illud teneat hoc tempore, (Ptolemæum Auletem,) neque genere, neque animo regio esse, inter omnes ferè video convenire. Dicitur contrà, nullum esse testamentum: non oportere populum Romanum omnium regnorum appetentem videri; demigraturos in illa loca nostros homines, propter agrorum bonitatem & omnium rerum copiam. Hæc tantâ de re P. Rullus cum cæteris Decemviris, collegis suis, iudicabit?*

Fama

Fama quoque est, M. Crasso Censori acerbam actionem & violentam suscipienti, ut efficeret populo Romano vectigalem Ægyptum, Lutatum Catulum ejus in Censurâ collegam enixè restitisse; atque hinc dissensione exortâ, ultrò eos magistratum deposuisse. [*Plutarch. in Crasso.*]

Pompeium tenebat cupiditas Syriæ recipiendæ, atque per Arabiam penetrandi ad mare Rubrum: ut quemadmodum consecrandis modò Albanis penè attigerat mare Hyrcanum (sive Caspium,) & in Occidente Romanum imperium mari terminaverat Atlantico, ita jam victor illud in Oriente ad mare Rubrum usque protenderet. Quippe Mithridatis alioquin arduam videbat capturam; eúmque in fugâ quàm certamine graviorem. Itaque validiorem hostem fatus relicturum se ei famem, stationes navium disposuit contra navigantes in Bosphorum mercatores, poenámque capitalem capris indixit: ac trahens secum magnam exercitus manum, iter est ingressus. [*Plutarch. in Pompeio.*]

Syriam coelen & Phoenicem bello aggressus, Ituræos primùm Arabesque perdomuit. [*Appian. pag. 244. Entrop. lib. 6. Orof. lib. 6. cap. 6.*] qui montanam regionem ad Libanum incolentes, vicinos latrociniis infestabant. Receptacula enim munitissima habebant: supernè quidem in monte, Sinnam & Borrhama, & alias hujusmodi munitiones; infrâ autem Botryn & Gigartum, & speluncas ad mare fitas, & castellum promontorio Θεῶν ἀποστόλων dicto impositum. Quæ omnia Pompeius everit: & Byblum (sive Palæbyblum) excurrens, quæ Cinyræ fuit regia, tyranno securi percusso, eam liberavit. [*Strabo, lib. 16. pag. 755.*]

Subjugatis per Afranium Arabibus qui Amanum accolunt, descendit in Syriam: quam ut justo rege vacantem in formam provinciæ redegit, possessionemque fecit populi Romani. [*Id. ibid.*] et, Antiochi nullâ ratione habitâ, ab Antiochenfibus pecunias accipiens, civitatem fecit ἀὐτονομὴν & suo uti jure permisit. [*Porphyr. in Græcis Eusebianis Scaligeri, pag. 227.*] Multa etiam Antiochenfibus indulgens, publici confessus locum collapsum restituere: honore illis habito, quòd ab Atheniensibus originem suam deducerent. [*Johan. Malala Antiochenus, in Chronico.*]

Seleuciam quoque (Pieriam) vicinam Antiochiæ civitatem inexpugnabilem libertate donavit; eo quòd regem Tigranem non recepisset. [*Strabo, lib. 16. pag. 751. Entrop. lib. 6.*] Antiochenfibus verò obsides reddidit: & aliquantum agrorum Daphnensibus, quo lucus ibi spatiosior fieret; delectatus amoenitate loci & aquarum abundantia. [*Entrop. lib. 6.*] Unde luci hujus ingentis, fontanis aquis irrigui, ambitum stadorum 80 fuisse, notavit Strabo. [*lib. 16. pag. 750.*] Daphnensem lucum, addito nemore, Pompeium consecravisse, scribit Sextus Rufus in Breviario. Militari manu consitum ab eo fuisse, commentario in Ezechiel. cap. 16. & Apollini consecratum fuisse, in Chronico addit Hieronymus. Quæ de novo nemore addito vera fortasse fuerint. Vid. ann. Mundi 3704. & 3833. de vetere luco.

Erat tum in Syriâ Cato Minor (Utiensis postea appellatus) Stoi-
cæ

cæ sectæ philosophus, juvenis tum quidem, sed magnæ existimationis : qui à Deiotaro Galatarum rege (vel Tetrarchâ potiùs) ob jus hospitii & amicitiam paternam invitatus, peragrabat Asiam; mores & instituta atque vires cujusque provinciæ contemplaturus. Iter perpetuo faciebat pedibus: amici, qui comitabantur eum, vectabantur equis. Hic ad Antiochiam, absente Pompeio, visendam pergens, & pro portâ virorum turbam in vestibus candidis, atque ex uno latere viæ adultos ex altero pueros discretos, cernens, stomachabur, ratus honoris sui & officii causâ hæc, quæ non morabatur, facta: amicos tamen descendere; & secum pedibus jussit incedere. Ut propè ventum est, ille qui omnia ista adornabat & turbam componebat, vir ætate jam provectiore, virgam & coronam manu tenens, obtulit se præ aliis Catoni; ac, ne salute quidem datâ, quæ sivit, ubi *Demetrium* reliquissent, & quando esset adfuturus. Pompeii ille erat libertus; & quòd plurimum apud eum posset, ab omnibus colebatur. Ibi Catonis amicis in risum effusis, Cato ait; *O miseram civitatem!* neque alio dato responso præterit. Pòst autem quoties id narrabat vel meminerat, solebat ipse quoque ridere. [*Plutarch. in Pompeio, & in Catone minore.*]

Quum Tigranes Armenius, à Phraate Partho prælio superatus. Pompeium in Syriâ agentem ut ferret ipsi auxilium accerseret; legatos denuo ad eum Phraates misit, multa & Pompeium incusans & Romanos infimulans: adeò ut & pudorem, & terrorem Pompeio injiceret. Itaque neque Tigrani auxilium tulit, nequedeinceps bellum, etsi multi ad id incitarent, adversus Phraatem suscepit. Hanc enim expeditionem sibi à populo Romano non fuisse demandatam, & Mithridatem adhuc esse, dicebat: ad hæc se rebus confectis contentum esse, neque velle alia aggredi; ne dum plura appeteret, in his adversam fortunam, veluti Lucullus, experiretur. Phraatis autem accusationes dictis elevabat; non quidem refutans, verùm eilitem cum Tigraane de limitibus quibusdam intercedere; séque missurum tres viros, qui eam dijudicarent. Atque eos quidem misit: hisque reges tanquam re verâ arbitris acceptis, omnem ipsi inter se controversiam composuerunt. Tigranem ira stimulabat, quòd suppeticas non impetrâisset. At Phraates Tigranem quoque salvum esse volebat; cujus olim, si res ita ferret, auxilio contra Romanos uti posset. Utrique satis constabat, uter ipsorum alterutrum superâisset, illum & negotium cum Romanis habiturum, & in ipsorum potestatem eo faciliùs venturum. His itaque causis moti, in gratiam redierunt. [*Dio. lib. 37. cum Plutarcho, & Appian. pag. 244.*]

Dum his negotiis Pompeius distinetur, Mithridates Pontum circumlustravit, & Panticapæum, quod est in Europâ ad ostium Ponti emporium, occupavit. [*Appian. ibid.*] Ipse quoque legatos ad Pompeium adhuc in Syriâ morantem, & nescientem eum esse superstitem, misit; qui tributa populo Romano pollicerentur, si concederetur ei regnum paternum. Cùmque ille postularet, ut ipse Rex veniret, sicut Tigranes venerat: id se facturum negavit, ut parùm decorum personæ Mithridatis; missurum tamen filios & amicos aliquot. [*App. pag. 245.*]

His

His dictis, delectus maximos habuit promiscuè, tam è servis quàm ex ingenuis: arma quoque multa & tela fabricabat & machinas, nulli parcens materiæ ne bobus quidem aratoribus in usum nervorum. Tributa omnibus etiam tenuibus præscripsit: quæ à ministris exigebantur cum multorum injuriis, non sentiente Mithridate. Morbus enim quidam ulcerosus faciem ejus invaserat; ut à solis tribus eunuchis aspici pateretur qui eum curabant. Quo procurato, jam etiam copiæ paratæ aderant, 60 cohortes sexcentenariæ, & alia multitudo numerosa, navésque, & loca opportuna quæ duces illo ægrotante occupaverant: trajecitque partem exercitus Phanagorium, alterum emporium situm in ostio, ut aditum utrinque teneret, Pompeio etiam tum hærente in Syriâ. [*Id. ibid.*]

In Bosphoro Mithridate Cerealia sacra celebrante, terræ motus post hominum memoriam maximus repente exortus est: quo multæ urbes dejectæ sunt, & magna clades agris illata. [*Dio. lib. 37. Oros. lib. 6. cap. 5.*] Cui similis, si non idem, terræmotus in Syriâ ille fuit, quo centum septuaginta millia hominum & multas urbes periisse, ex Trogo Justinus refert. Quod prodigium mutationem rerum portendere aruspices responderunt. [*Justin. lib. 40. cap. 2.*]

Eodem tempore Castor Mithridatis præfectus, qui Phanagorio præerat, Tryphonem eunuchum regium (à quo aliquando tortus fuerat) intrantem adortus interfecit, & plebem ad libertatem vocavit: quæ quamvis jam arx teneretur ab Artapherne cæterisque Mithridatis filiiis, aggestis circumquaque lignis eam incendit. Quo metu Artaphernes, Darius, Xerxes, Oxathres & Eupatra libertatem Mithridatis sese dederunt. In his solus Artaphernes erat ferme dragenarius; reliqui formosi pueri. Cleopatra verò, altera filia, restitit: cujus generositate pater delectatus, submissis multis dictis eam eripuit. Reliquos Castor, arce occupatâ, ad præsidia Romanorum transmisit. [*Appian. pag. 245, 246. Oros. lib. 6. cap. 5.*]

Quotquot erant in propinquo castella nuper occupata à Mithridate, audaci exemplo Phanagorensium permota defecerunt; Chersonesus, Theudosia, Nymphæum, aliæque circa Pontum opportuna bello gerendo. [*Appian.*]

Mithridates accensus irâ, non solum defectorum nonnullos deprehensos supplicio affecit; sed etiam complures amicos suos, & Exi-podram filium suum interfecit. [*Dio. lib. 37. Oros. lib. 6. cap. 5.*] Vidensque crebras defectiones, & suspectum habens exercitum, ne parum constantis esset fidei, quippe coactus ad militiam, (præsertim accedentibus gravibus exactionibus, & adversitate fortunæ semper inturâ apud mutabiles subditorum militum animos) misit ad Scythiam per eunuchos ad regulos nuptum filias: petens ut quamprimum cum copiis venirent auxilio. Hæ deducebantur à 500 militibus: qui parum à Mithridate digressi, eunuchos interfecerunt, quod ab his apud regem præpotentibus semper molestati fuerant; & puellas ad Pompeium adduxerunt. [*Appian.*]

Pompeius relictâ Syriâ, Amisum in Ponto profectus est: ubi ambitione impulsus, quod in Lucullo tantopere reprehenderat, ipse egit.

Dominante enim in Bosphoro Mithridate, qui manum haud contemnendam jam contraxerat, quasi omnibus confectis, provincias ordinavit, & dona contulit. [*Plutarch.*]

Et quidem Pontum, vivente adhuc Mithridate, in provinciæ formam ab eo redactam, in libro 102 Livius indicat. Ea Galatiæ addita, & in undecim conventus distributa, Bithyniæ nomine appellata est. [*Strabo, lib. 12. pag. 541.*]

Mithridatium à Ponto avulsam Bogodiátoro Pompeius dedit. [*Id. ibid.*] Lunæ, Comanorum in Ponto deæ, Pontificem, regiâ dynastiâ præditum, creavit Archelaum, ejus cui à Syllâ & Senatu honor est habitus (ut ad annum Mundi 3919 dictum est) filium: adjecitque ad sacrum agrum & alium per orbem duorum schoenorum, sive stadiorum 60. ac mandavit inhabitantibus Comana, ut Archelao parèrent. Horum ergo is princeps fuit, & hierodulorum in urbe degentium, qui pauciores 6000 non fuerunt dominus; nisi quòd vendendi eos non habebat potestatem. [*Id. lib. 12. pag. 558. & lib. 17. pag. 796. cum Appiano, pag. 251.*]

Paphlagoniæ dynastam Attalum à Pompeio constitutum, Appianus; [*pag. 251.*] Attalo & Pylæmeni Paphlagoniam fuisse redditam, Eutropius: ejusque postea à Pylæmene moriente populum Romanum relictum fuisse hæredem, Sextus Rufus & Jornandes refert. Armeniam minorem Dejotaro Galatiæ regi (vel tetrarchæ potius) donavit; quia socius belli Mithridatici fuerat. [*Eutrop. lib. 6.*] Unum enim Dejotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum verèque benevolum, unum fidelem populo Romano judicavit. [*Cicero, in Philippicâ 11.*] Unde & Gadilonitidis in Ponto regionis partem ei dedit, ut & quæ sunt ad Pharnaciam & Trapezuntem, Colchos usque ad minorem Armeniam: & regem ejus ditionis constituit; cum etiam paternam tetrarchiam haberet Tolistoborgiorum Galatarum. [*Strabo, lib. 12. pag. 547.*] Galatiam enim tetrarchis è stirpe Pompeius reliquit. [*Id. ibid. pag. 541. cum Appiano, pag. 251.*] Paulo verò post in trium, deinde duorum, tandem unius Galatiæ venit potestatem Dejotari. [*Strabo, lib. 12. pag. 567.*]

Mithridates, tot liberis & castellis totòque regno spoliatus, dignitate quoque amissâ & spe auxiliorum ex Scythiâ, tamen ne tum quidem quicquam humile aut præsentis calamitate dignum cogitabat: sed ad Gallos Europæos, quorum jam antè hâc de causâ paraverat amicitias, per Scythas & Istrum iter destinabat, ut cum eis per Alpes Italiam invaderet; sperans multos Italiæ populos odio Romanorum sibi adjungendos. [*Florus, lib. 3. cap. 5. Appian. pag. 246. Dio, lib. 37.*]

Eos magnificos conatus destituit exercitus, deterritus ipsâ immani audaciâ, & expeditionis longitudine; tum quòd ducerentur contra viros quos ne domi quidem sustinere potuerant: & existimabant Mithridatem rebus suis desperatis velle fortiter potius ac regiè vitam finire quàm in orio. Attamen durabant aliquantisper & quieti eum patiebantur: erat enim non mediocris, & haudquaquam contemnendus Rex vel in calamitatibus. [*Appian.*]

Ara-

Arabiz Petreæ, ad mare Rubrum usque, rex Aretas, quum prioribus temporibus Syriam frequenter vexasset, essetque ob id à Romanis, qui ad Syriæ propulsandas injurias venerant, prælio victus, tamen adhuc bellum gerebat. Adversus eum vicinósque, Phraate quietem jam agente atque Syriâ & Phœniciâ constitutâ, Pompeius expeditionem suscepit. [*Dio, lib. 37.*] Quæ quidem apud multitudinem castrensem non carebat reprehensione. Declinationem enim putabant eam insequendi Mithridatis, atque in illum vertenda arma censebant, veterem hostem, qui jam bellum instaurabat, & parabatur (ut annuntiabatur) per Scythiam & Pannoniam cum exercitu invadere Italiam. Sed Pompeius pronius sibi factu existimabat vires opprimere bellum gerentis, quàm corpus capere fugientis. [*Plutarch.*]

Iter ingressus Pompeius, cadavera illorum qui duce Triario infeliciter cum Mithridate pugnantes in Ponto ceciderant, quæque Lucullus inssepulta reliquerat, splendidè & magnificè tumulavit. Aretas, contemptis antè Romanis armis, tunc magno metu perculsus, dicto audientem scripsit se fore Pompeio & imperata facturum. Quo magis autem hujus consilium Pompeius exploraret, movit Petram. [*Plutarch.*] ubi regem cum vicinis sine labore in potestatem redegit, & custodiæ tradidit. [*Dio, lib. 37.*] urbe eorum Petrâ captâ. [*Oros lib. 6. cap. 6.*] licet, omisiss illis, Pompeium contra Aristobulum arma movisse, Josephus; quum verò non procul Petrâ abesset, accepto de Mithridatis cæde nuncio, extemplo signa retrò ex Arabiâ movisse & Amisum pervenisse, Plutarchus scripserit.

Romæ P. Servilius Rullus Tribunus plebis inito magistratu legem agrariam promulgavit, de creandis cum summâ potestate Decemviris, quibus jus esset agrum publicum totâ Italiâ atque Syriâ, & quicquid nuper à Pompeio partum erat, vendere vel colonis dividere. Cui Kalendis Januariis (quæ ut annus tum Romæ agebatur, in initium ferè Juliani Octobris incurrebant) inito Consulatu Cicero se opponens, habita in Senatu oratione contra Rullum, omnes legis illius metu liberavit. [*Cicero, in 1^a agrariâ; & li. 2. ad Attic. ep. 1. cum Plut. in Cicerone.*]

Cùmque eâ lege potestas Decemviris daretur eos vendendi agros, quos rex Mithridates in Paphlagoniâ, Ponto, Cappadociâque possederat; in 2^a oratione agrariâ coram populo habitâ, plebisciti illius iniquitatem hæc ille interrogatione perstrinxit. *Itâne verò? non legibus datis, non auditis verbis imperatoris, nondum denique bello confecto, cum rex Mithridates amisso exercitu regno expulsus, tamen in ultimis terris aliquid etiam nunc moliat, atque ab invictâ Cn. Pompeii manu Meotide & illis paludibus & itinerum angustiis atque altitudine montium defendatur; cum imperator in bello versetur, in locis autem illis etiam nunc belli nomen reliquum sit: eos agros, quorum adhuc penes Cn. Pompeium omne judicium & potestas more majorum debet esse, Decemviri vendent?*

L. Valerius Flaccus, qui Romæ præturam gesserat, in Asiam Prætor missus est. Quam præturam Asiaticam illius fuisse annuam, illique Quintum Ciceronem in eâ successisse, testatur Quinti frater Marcus Cicero in oratione pro hoc ipso Flacco, repetundarum à provincialibus postulato, habitâ.

Phar-

3941

Pharnaces, filiorum Mithridati charissimus, & sæpe regni hæres designatus, patri struxit insidias: sive quòd timebat ne Italica patris expeditio omnem ei apud Romanos spem reconciliationis præcluderet, sive aliâ causâ vel cupiditate permotus. Captis autem insidiarum conscis & ad torturam admotis, Pharnaci tamen pater, suafu Menophanis, veniam dedit. [Appian.] Hanc veniam (ut Salius hîc notat) Dio tacet; quin potius semel iterumque missos ait ad Pharnacem comprehendendum satellites, qui ab eo in suas partes traducti fuerint, & cum iis Panticapæo urbe captâ patrem in suam potestatem redeiisse: hâc etiam observatione additâ. Mithridatem, quamvis in omnibus regis rebus sapientissimum, hoc tamen non animadvertisse: nihil neque arma, neque multitudinem subditorum, sine eorum benevolentia, conducere; quinimo hæc ipsa, si fides absit, tanto minus rata esse, quanto sunt plura. Quæ observatio in subsequente quoque Appiani narratione locum habet.

Pharnaces, sciens exercitum alieno esse ab Italica expeditione animo, noctu primarios Romanorum transfugas proximè Mithridatem tendentes accessit: & periculum si in Italiam irent ipsis non ignotum exaggerans, multaque, si manerent, eis pollicens, induxit eos ut à patre deficerent. Moxque nocte eadem ad alia propinqua castra dimisit nuntios: & illis quoque pertractis in suam sententiam, manè primi transfugæ conclamaverunt, quibus proximi quique, & mox alii, clamorem reddiderunt; reddidit & navalis exercitus. Et quidem plerique clamorem defectionis indicem ediderunt non præmoniti nec corrupti, sed vel plurium exemplum secuti quibus resistere non possent, vel novarum rerum in afflictis senis calamitate cupidi.

Mithridates excitatus clamore, misit quosdam rogatum quid sibi poscerent. Illi non dissimulanter aiebant se filium regem petere, juvenem pro sene eunuchis dedito, interfectore multorum filiorum, ducum ac amicorum. His auditis Mithridates eos allocuturus prodit: & interim manus quædam præsidiariorum conferebat se ad transfugas; qui negabant se eos admittere, nisi ad fidem impetrandam ederent aliquod facinus, simulque Mithridatem ostendebant. At illi equum fugientis interfecerunt, & Pharnacem quasi jam voti compotes regem appellaverunt: quorum quidam membranam chartaceam longam latamque è templo depromptam vice diadematis circumdedit ejus capiti.

Id conspicatus senex è superiore porticu, alios post alios mittebat ad Pharnacem, qui tutum abitum peterent. Sed quum nemo rediret, veritus ne Romanis dederetur, satellites & amicos qui adhuc apud eum permanebant laudatos misit ad novum regem: quorum aliquot in viâ præter opinionem occidit exercitus. [Appian.] Ipse diu ex altissimo muro filium frustra precatus, ubi inexorabilem vidit, moriturus exclamasse fertur. *Quoniam Pharnaces mori jubet. vos si estis dii patrii precor, ut quandoque & ipse hanc vocem à liberis suis audiat.* Statimque descendens ad uxores, pellices ac filias suas, venenum omnibus dedit. [Oros. lib. 6. cap. 5.]

Duæ

Dux filiarum virgines quæ apud eum educabantur, Mithridatis & Nyssa, Ægypti Cyprique desponsæ regibus, enixè patrem rogabant ut ante illum potionem venenatam sumerent, verabantque bibere donec ipsæ huserunt. [Appian.] Sed Mithridati ad mortem neque haustum venenum, quod circa gladium perpetuò secum circumferebat, neque mucro, quo seipsum vulnerarat, satis fuerunt. Quamvis enim datâ operâ concitatiùs ambularet, ut infusa pestis per venas vegetatione corporis acta discurreret; nihil tamen agebat, propter quotidianam pharmacorum consuetudinem, quibus vitalia sua adversus noxios succos obstruxerat, quæ nunc quoque vocantur Mithridatica. Ictus autem gladii, quem suâ sibi manu intulerat, tum propter ætatem, præsentisque quæ circumstabant calamitates, imbecillior fuit, tum veneni sumptione; cuiusmodi tandem id fuerit, debilitatus. Quum igitur neque seipsum confecisset, & diutiùs tempus trahere videretur; Bitœtum sive Bithocum Gallum quendam militem jam fracto muro discurrentem, auctoritate vultus territum revocavit, & in cædem suam manum trepidantis adjuvit. Denique & à seipso, & ab hostibus cæsus occubuit. [Dio, lib. 37. cum Livio, lib. 102. Floro, lib. 3. cap. 5. Vale in Maximo, lib. 9. cap. 2. Plinio, lib. 25. cap. 2. Fustino, lib. 37. cap. 2. A. Gellio, lib. 17. cap. 16. Appiano, pag. 248. Aurelio Victore, de Vir. illustr. cap. 76. & Orofio lib. 6. cap. 5.]

Hunc vitæ exitum apud Panticapæum in Bosphoro Cimmerico sortitus est Mithridates: *vir, neque silendus, neque dicendus sine curâ, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortunâ semper animo maximus, consiliis dux, miles manu;* ut eum Velleius Paterculus [lib. 2. cap. 18.] celebrat: denique *rèx post Alexandrum maximus*, ut eum in Lucullo suo appellat Cicero. quibus elogius & nos permoti, non minorem in Mithridatis quàm in Alexandri rebus digerendis curam ponendam existimavimus.

De Mithridatici belli spatio, in fine capitis 1 libri 6i, ita scribit Orofius. *Bellum Mithridaticum vel, ut verius dicam, belli Mithridatici clades, multas secum involvens provincias, tracta & protenta per 40 annos fuit. Nam 662º, ut dixi, [lib. 5. cap. 19.] anno ab Urbe conditâ, quo etiâ primum civile bellum cæperat inardescere; consulatu Ciceronis verò & Antonii, ut verbis poëta optimi [Lucani] loquar, barbarico vix consummata veneno est. Sed in his temporibus 30 gerendi belli inveniuntur anni: qualiter autem 40 à plerisque dicti sint, non facile discernitur.*

Bella Mithridatem cum Romanis per annos 46 gefsisse, apud Justinum [lib. 37. cap. 1.] legimus. Annos illis 42 Appianus in Mithridaticorum initio, [pag. 170.] alibi verò 40, [in Syriacis, pag. 118. & Mithridaticis, pag. 249.] ut & Florus. [lib. 3. cap. 5.] & Eutropius, [lib. 6.] attribuit. Apud Plinium, [lib. 7. cap. 26.] titulus in delubro Minervæ à Pompeio positus bellum hoc 30 annorum fuisse norat. Atqui ab initio primi belli Mithridatici usque ad ipsum Mithridatis exitum, non plures quàm 26 reperiuntur anni; intermediis quoque pacis annis simul annumeratis. Ut rotundato numero bellum illud 30 annorum fuisse dicatur: quomodo Cicero [orat. in L. Pisonem] in

Consulatu suo C. Rabirium perduellionis reum, ob cædem Saturnini autoritate Senatus 40 annis antè peractam, se defendisse significat; quam Dio [*lib. 37.*] exactiori calculo, ante 36 annos factam fuisse affirmat. de quo, in Pisonianam illam orationem Asconius Pedianus est consulendus.

Erat hoc tempore in Judæâ Pompeius. Iratus enim Aristobulo, adversus eum, Hyrcano multum hoc precante, Romanas legiones, cum auxiliariis copiis à Damasco cateraque Syriâ excitis, duxit. Cùm verò Pellam & Scythopolim prætergressus pervenisset Coress, ubi Judææ mediterranea versus est initium, & Aristobulum in Alexandrium, castellum elegans in montis vertice positum, refugisse intellexisset; accersivit illum ad se per nuncios. Ille, multis suadentibus ut caveret bellum à Romanis, descendit: & cùm de jure principatus cum Hyrcano fratre disceptasset, permissu Pompeii rursum in arcem se recepit. Idque iterum & tertio fecit, simul spe regni Pompeio obsecundans, & omnia ejus imperata facturum se simulans; simul redeundo in arcem se muniens, & apparatus bellicos faciens, metu ne ad Hyrcanum transferretur dominium. [*Josph. Belli, lib. 1. cap. 5. & Antiquit. lib. 14. cap. 6.*]

Jubente Pompeio ut castella traderet sibi Aristobulus, & præfectis eâ de re scriberet, quibus præceperat ut non nisi manu sua scriptis litteris obtemperarent; paruit quidem, sed agrè ferens secessit Hierosolyma, quasi ad certum bellum se præparaturus. Quem Pompeius statim, nec enim tempus apparatus dandum putabat, cum exercitu est insecutus. [*Id. ibid.*]

In itinere, circa Jerichuntem, venit nuntius è Ponto, Mithridatem à filio suo Pharnace occisum esse significans. [*Ibid.*] Quem lætum nuntium lancearum cuspidibus tabellarii statim demonstrabant, quas lauri frondibus exornabant. Non erat ibi suggestus, neque dum erectus fuerat castrensis, quem faciunt grandibus cespitibus excisis & accumulatis: tunc verò nimiam properatione & studio congestis jumentorum cliellis tumulum excitavere. Eò postquam conscendit Pompeius, nuntiavit iis Mithridatem manus sibi ipsum intulisse, omniâque illic Pharnacem sibi & Romanis occupavisse. [*Platarch. in Pompeio.*]

Inde exercitus haud immeritò, quasi in Mithridatis corpore hostium myriade extinctâ, ovens ad sacrificia & convivia se convertit: lætatusque Pompeius est, quòd factis suis & expeditionibus, quam haud ita expectaverat facilem, coronidem imposuisset. [*Id. ibid.*] Tantum enim in hujus unius animâ posuit, ut cùm omnia, quæ ille tenerat, victoriâ possideret, tamen non antè, quàm illum vitâ expulit, bellum confectum judicârit. [*Cicero, pro Murenâ.*] de quo ita illum jactitantem, in libro 2º inducit Lucanus:

*Idem per Scythici profugum divertia Ponti
Indomitum regem, Romanâ quæ facta morantem,
Ad mortem, Syllâ felicior, ire coegi.*

Pompeius prima castra apud Jerichuntem habens, ubi palmeta sunt præstantissima, & opobalsamum provenit inter unguenta præcipuum, mane sequenti movit, inde versus Hierosolyma. Tum verò
Aristo-

Aristobulus anteaactorum pœnitens obviam ei venit; pecuniâque pollicitus, quôdque semetipsum ei cum civitate permetteret, rogabat ut omisso bello quicquid vellet pacatè ageret. Pompeius, datâ petenti veniâ, misit Gabinium cum militibus in urbem ad accipiendum pecuniam: qui tamen re infectâ rediit, exclusus & vacuis manibus; militibus Aristobuli pactum irritum facientibus. Eâ re commotus Pompeius, Aristobulo custodiæ tradito, ad urbem properavit; cætera quidem probè munitam, tantùm è septentrionali latere injuriis expositam. [*Joseph. lib. 14. cap. 7.*]

Civibus intus inter se dissidentibus, qui cum Hyrcano sentiebant, urbem Pompeio dedendam censuerunt: ad quos & alii plurimi, Romanorum constantiam metuentes, accesserunt. Aristobuli verò factio excludi eum jubebat & bellum parari; eo quòd regem haberet in vinculis. Hi prævenientes alteros, Templum occuparunt, & præciso ponte qui in urbem ferebat, ad bellum se expedierunt. At illi intromisso exercitu urbem & domum regiam tradiderunt: quarum custodiam Pompeius legato suo Pisoni commisit. Ipse vicinas Templi domos aliâque propinqua ædificia munitabat. Et primùm quidem conditiones pacis inclusis obtulit: quas cum illi non admitterent, omnia quæ circum erant oppugnationi paravit; Hyrcano alacriter suppeditante quicquid usus posceret. [*Id. lib. 1. Belli, cap. 5. & lib. 14. Antiquit. cap. 8.*]

Pompeius à septentrionali Templi latere, quod maximè erat oppugnationi obnoxium, admovit milites. Erant autem hâc quoque parte turres altæ, & fossa manu facta; præter profundam vallem quæ Templum cingebat. nam etiam versùs urbem abrupta erant omnia, sublato ponte, quâ parte Pompeius erat cum suo contubernio. Erigebant autem quotidie magno labore aggerem Romani, cædentes circumquaque arbores: vallémque replebant omni genere materiæ per milites comportato. quod opus per se erat difficillimum, propter immensam vallis altitudinem; Judæis præsertim modis omnibus desuper obsistentibus. [*Ibid.*]

Sed nisi patrius nobis mos esset, inquit Josephus, per otium septimum quemque diem exigere; non potuissent absolvere aggerem, verantibus adversariis. Prohibere enim vim inferentes permittit, sed opus facientem hostem impedire nos lex (non scripta utique, sed à Doctoribus tradita) non finit. Quod ubi animadverterunt Romani, sabbatis neque eminus incessabant telis Judæos, neque manus cum eis conferebant: tantùm erigebant aggerem & turres, machinâsque admovebant, ut ejus postredie adversus nos uti possent. Ita Josephus. [*lib. 14. Antiqu. cap. 8.*] & Agrippa rex, apud eundem, [*libro 2. Belli, vers. 21.*] hos maximè diès Pompeium ad bellum destinâsse memorans, in quibus hi qui oppugnabantur sabbatorum agebant otia.

Recitatis in Senatu Pompeii litteris, de Mithridate interfecto confectoque bello Mithridatico, supplicatio dierum duodecim, Cicerone Consule referente, Pompeio decreta est. [*Cicero, de provinciis Consularib.*] Romanique festos dies egerunt, liberati hoste gravissimo. [*Appian pag. 250.*]

Titus Ampius & Titus Labienus tribuni plebis legem tulerunt, ut Pompeius ludis Circensibus coronâ laureâ & omni cultu triumphantium uteretur; scenicis autem prætextâ, coronâque laureâ. Quod ille tamen non plus, quàm semel usurpare sustinuit. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 40. cum Dione, libro 37.*]

Hierosolymis, valle jam repletâ, & appositis aggeri turribus, admotisque machinis Tyro allatis, Romani saxis missilibus Templi mœnia concutiebant: diuque turres, magnitudine simul & pulchritudine præstantes, vim obsidentium sustinebant. Romanis verò tunc plurimum defatigatis, Pompeius Judæorum tolerantiam & in aliis admiratus est; & præcipuè quòd, velut in altâ pace civitas ageret, omnem Dei cultum inter media tela versantes diligentissimè celebrarent. Toto enim oppugnationis tempore, consueta peragebantur sacrificia: bis per singulos dies, manè & circa nonam horam, super altari immolantibus Sacerdotibus, ac ne in extremo quidem discrimine sacra intermittentibus. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 5. & lib. 14. Antiqu. cap. 8.*]

Quum Romæ feriæ Latinæ agerentur, (quæ non stativæ erant, sed conceptivæ) Cometes effulsit: & Novembris Juliani die 7^o, horis duabus post mediam noctem, Luna eclipsim passa est. cujus, in libro 2^o de Consulatu suo, his versibus Cicero meminit.

*Tu quoque, cum tumulos Albano in monte nivales
Lustrâsti, & leto macrâsti lacte Latinas,
Vidisti & claro tremulos ardore cometas,
Multiâque misceri nocturnâ strage putâsti.
Quod ferè dirum in tempus cecinere Latina;
Cum claram speciem concreto lumine Luna
Abdidit, & subito stellanti nocte perempta est.*

Mense obsidionis Hierosolymitanæ tertio, concussâ turri maximâ crebris arietis ictibus, collapsâque & secum ruinam trahente muri proximi, certatim hostium agmina in Templum irruerunt. Primus autem murum transcendere ausus est Cornelius Faustus Syllæ filius, sequente cohorte militum; mox aliâ parte Furius centurio cum suis manipularibus: & inter utrumque Fabius, & ipse centurio, cum manu suorum validâ. Hi circumsepto undique fano, alios aliò confugientes, vel etiam paulisper repugnantes, interfecerunt. Ubi plurimi Sacerdotum quanquam hostes strictis gladiis irruentes viderent, intrepidi tamen in peragendis rebus divinis perseverabant: & in ipso libandi & adolendi ministerio macrabantur, salutis quoque obsequium religionis præferentes. [*Ibid.*]

Omnia autem plena erant cædibus: & Judæorum alii à Romanis confossi cadebant, alii à gentilibus suis adversæ partis studiosè trucidabantur; plurimi per abrupta semetipsos præcipitabant, nonnulli subjectis in ædes ignibus concremabantur, non sustinentes spectare quæ patrabantur ab hostibus. Itaque Judæorum quidem millia duodecim occubuerunt: Romanorum verò perpauca desiderati, sed plures fauciati sunt. Inter captivos etiam Absalomus, patruus simul & focer Aristobuli, (ille Johannis Hyrcani filius, quem contentum pri-
varâ

vatâ & otiosâ vitâ in honore ab Alexandro Jannæo habitum scripsit Josephus, lib. 13. cap. 20.) comprehensus tenebatur. [*Ibid.*]

Captum est Templum die jejunii, C. Antonio & M. Tullio Cicerone Consulib. Olympiade CLXXIX. [*Joseph. lib. 14. cap. 8.*] annóque illius primo. [*Euseb. Demonstrat. Evangelic. lib. 8. cap. 2.*] solenni mensis tercii jejunio; quo Urbs postea à Sosio est occupata. [*Joseph. lib. 14. cap. ult.*] Qui mensis tertius anni civilis est accipiendus, apud Hebræos & alios Orientales (ut in lib. 1. Antiquit. cap. 4. Josephus, & in principium Ezechielis Hieronymus indicat) ab autumnno deducti: ille videlicet Syrorum mensis tertius, ab eis *Canun prior*, ab Hebræis *Cisleu* dictus; cujus die 28^o jejunium, in memoriam sacri voluminis ab impio Jehojakimo combusti, [*Ferem. XXXVI. 9, 22, 23.*] in hunc usque diem Judæi celebrant. Quod jejunium si (ut ad annum Mundi 3398 est annotatum) ob captam primùm à Nebuchadnefare Hierosolymam, quando Babyloniis primùm populus Dei servire cœpit, fuerit indictum: insignem hîc eventum *αετιροπλιω* observare liceat; ut eodem ejusdem mensis die, & post 543 annos à Pompeio, quando Romanis, & post 26 deinde annos iterum à Sosio, quando Herodi Idumæo & ejus posteris Judæi servire cœperunt, Templum Hierosolymitanum capi contingeret. Dies verò ille 28 mensis Cisleu hoc anno Decembris Juliani diei 20 respondit: & (quod notatu dignum est) in Saturni quoque diem, sive Judaicum Sabbatum, incidit; quo Templum à Pompeio expugnatum fuisse, Dio significat. Numeraturque hic annus 79, ab anno regni Græcorum 170, quo ab Israël jugum Gentium sublaturum fuisse legitur. [*I Maccab. XIII. 41.*] Unde, quàm brevi temporis spatio libertate suâ illi potiti fuerint, intelligitur.

Introgressus in Templum Pompeius, & unâ cum eo non pauci alii, inspexerunt quæ nefas est videre nisi soli Pontifici. Cùmque intus essent mensa & candelabrum cum lychnis & pocula libatoria & thuribula, ex auro cuncta, congestaque aromatum moles, & in thesauris sacræ pecuniæ circiter talentorum duo millia: nihil tamen horum Pompeius attigit. Sequenti verò die purgare Templum ædituos jussit, & Deo legitima offerre sacrificia. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 5. & lib. 14. Antiquit. cap. 8.*]

Hyrcano Pontificatum Pompeius reddidit: tum propter alia ipsius officia obsidionis tempore præstita, tum quia totâ regione habitantibus Judæis author fuit, ne arma pro Aristobulo sumerent. [*Id. ibid.*] Cum Pontificatu principatum quoque suæ gentis accepit: sed diadema eum ferre Pompeius vetuit. Indèque, præter priores 9 annos, quibus matre Alexandrâ regnante Pontificatum gesserat, per alios 24 annos summum sacerdotium obtinuit. [*Id. lib. 20. Antiqu. cap. 8.*] pro quibus nos annos 23 cum dimidio accipimus.

Illos qui maximè belli causa fuissent Pompeius securi percussit: Fausto verò & aliis, qui primi murum conscenderunt, digna præmia persolvit. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 5. & lib. 14. Antiqu. cap. 8.*]

Judæos Pompeius populo Romano fecit tributarios. [*Id. ibid. Euseb. Chronic. Sever. Sulpic. Histor. sacr. lib. 2.*]

Urbes verò quas sibi sub-

jugaverant in Coeleſyriâ ademptas illis juſſit proprio parere Præſidi; & totam gentem, prius elatam rebus proſperis, contraxit intra veteres terminos. Gadaram deinde, quam Judæi paulo antè ſubverterant, in gratiam liberti ſui Gadarenſis Demetrii (de cujus inſolentiâ in *Pompeio* ſcripſit Plutarchus) inſtauravit. Reliquas mediterraneas urbes, Hippon, Scythopolim, Pellam, Dion, Samariam, Marifſam, Azotum, Jamniam, Arethuſam, ſuis reſtituit habitatoribus; præter eas quæ in bellis erant dirutæ. Similiter & maritimas, Gazam, Joppen, Doram, & Stratonis turrim (quæ poſtea ab Herode magnificè reſtaurata, Cæſarea eſt appellata) Pompeius liberas eſſe juſſit: cæſque omnes provinciæ Syriæ contribuit. [*Joſeph. ut ſupr.*]

Hujus calamitatis, inquit Joſephus, [lib. 14. cap. 8.] cauſa fuere Hieroſolymitanis Hyrcanus & Ariſtobulus, inter ſe diſſidentes invicem. Nam tum primùm libertatem amiſimus, ſubjecti Romanorum imperio; & regionem de Syris bello captam reddere iſſis coacti ſumus: & inſuper plus quàm decem millia talentorum brevi tempore à nobis Romani exegerunt. quot ſolum Crasſum è Templo abſtuliffe, idem Joſephus poſtea [cap. 12.] affirmat: ut de tributis & penſitationibus populo indictis iſta hîc ille intellexiſſe videatur.

Cum his quæ à patrio hiſtorico Joſepho ſunt tradita, non abs re fuerit ea quoque conferre, quæ ab exteris ſcriptoribus, qui animo à Judæis fuerunt alieniſſimo, de re à Pompeio adverſus eos geſtâ memoriæ habentur prodita. Inter quos primum locum obtinet Cicero, in cujus Conſulatum inciderunt iſta: apud quem, in oratione pro L. Flacco, de Pompeii abſtinentiâ hoc occurrit teſtimonium. *Cn. Pompeius, captis Hieroſolymis, victor ex illo fano nihil attigit. Imprimis hoc, ut multa alia, ſapienter; quòd in tam ſuſpicioſâ ac maledicâ civitate locum ſermoni obtrectatorum non reliquit. Non enim credo religionem, & Fudeorum & hoſtium, impedimento præſantiſſimo Imperatori, ſed pudorem fuiſſe. et religionis Judaicæ cum Romanâ, qualis ab homine ethnico expectari poterat, ejuſmodi facta collatio. Sua cuique civitati religio eſt, noſtra nobis. Stantibus Hieroſolymis, pacatisque Fudeis, tamen iſtorum religio ſacrorum à ſplendore hujus imperii, gravitate nominis noſtri, majorum inſtitutis, abhorrebat: nunc verò hoc magis, quòd illa gens, quid de imperio noſtro ſentiret, oſtendit armis; quàm chara diis immortalibus eſſet, docuit, quòd eſt victa, quòd elocata, quòd ſervata vel (ut alii legendum cenſuerunt) ſerva facta eſt.*

Ex Tito Livio, hæc tantùm habentur in libri 102 epitome. *Cn. Pompeius Fudeos ſubegit: fanum eorum Hieroſolyma, inviolatum ante id tempus, cepit. niſi fortè ut alias hiſtoriæ ſuæ partes, ita & hanc, ex eo mutuatos fuiſſe exiſtimemus, Eutropium & Oroſium. Ita verò, in libro 6º rem attigit Eutropius. Ad Fudeos tranſgreſſus, Hieroſolymam caput gentis tertio mense cepit; duodecim millibus Fudeorum occiſis, cæteris in fidem acceptis. Oroſius, lib. 6. cap. 6. ex Petrâ Arabum Pompeium profectum fuiſſe ſcribens contra Judæos, quibus Ariſtobulus expulſo fratre Hyrcano primus ex ſacerdote rex præerat, non ex Joſepho, ſed ex alio non æquè rerum Judaicarum perito, hiſtoriam hanc ſe accepiffe indicat: qui tamen de re à Pompeio geſtâ non malè iſta retulit. Ad*

Hieroſo-

Hierosolymam urbem eorum Gabinium cum exercitu misit. Ipse continuo subsequutus, & à patribus urbe susceptus, sed à plebe muro templi repulsus, oppugnationem ejus intendit. Id non solum naturæ loci verum etiam ingenti muro fossaque maximâ munitum, cum alias abis legiones dies noctesque succedere sine requie cogeret, vix tertio mense expugnavit. Tredecim (duodecim habet Josephus & Eutropius) millia ibi Judæorum casa narrantur: cætera multitudo in fidem venit. Pompeius muros et vitas everti æquarique solo imperavit: & eodem aliquantos principes Judæorum securi percussisset, Hyrcanum sacerdotio restituit, Aristobulum captivum Romam duxit.

Strabo, Geograph. lib. 16. Quam palam jam Judæa tyrannide premeretur, prius pro sacerdote serogem facit Alexander: cujus filios Hyrcanum & Aristobulum de imperio disceptantes, Pompeius superveniens deiecit: atque eorum munitiones evertit, & ipsa imprimis Hierosolyma vi capta sunt. Ea munitio petrosa erat, & bene septa, & interioris aquis abundans, exterior omnino sicca. Fossam habebat in lapide excisam 60 pedum profunditate, latitudine 250. E lapide autem exciso adacta erant Templi mœnia. Pompeius cepit, ut ferunt, observato Februarii die, dum ab omni opere Judæi abstinerent, impletâ fossâ & admoventis scalis. Fussaque mœnia omnia convelli: ac quantum omnino potuit laterum receptacula sustulit, & loca ubi gaza tyrannorum recondita erat. Eorum duo in Jericonto ingressu sita erant, Thrax & Taurus: reliqua verò, Alexandrium, Hyrcanum, Macharus, Lyfias, & qua circa Philadelphiam erant, item Scythopolis Galilæa proxima. [pag. 762. 763.] et post: Pompeius quibusdam que Judæi sibi violenter aufererant ablatis, sacerdotio prefecit Hyrcanum. [pag. 764. 765.]

Apud Lucanum, in libro 3^o Pharsaliæ, Pompeius inter gentes Orientæ se petitas Judæam ita connumerat.

Me domitus cognovit Arabs, me Marte feroces
Heniochi, nosque crepto vellere Cæchi.
Cappadoces mea signa timent, & dedita sacris
Incerti Judæa Dei, nullisque Sophene:
Armenios, Cilicisque feros, Taurisque subegi.

Plutarchus in Pompeio. Judæam subegit, regemque Aristobulum cepit. Appianus, in Mithridaticis; de eodem. Aræta Arabum Nabatarum regi bellum intulit, & Judæis, qui ab Aristobolo suo rege defecerant; donec expugnavit Hierosolyma, urbem eis sanctissimam. [pag. 244.] et in Syriacis. Una Judæorum gens armis subigenda superfuit: cujus regem Aristobulum victor Pompeius Romam misit, & Hierosolymorum, maxima sanctissimaque in eâ regione urbis, mœnia diruit. [pag. 119.]

Corn. Tacitus, Historiar. lib. 5. cap. 9. Romanorum primus Cn. Pompeius Judæos domuit: templumque jure victoria ingressus est. Inde vulgatum, nullâ intus Deum effigie, vacuum sedem & inania arcana. Muri Hierosolymorum diruti, delabrum monuit. L. Florus, Histor. lib. 3. cap. 5. de eodem. Libanum Syriæ Damascumque transgressus, per nemora illa odorata, per thuris & balsami sylvas, Romana signa circumtulit. Arabes, si quid imperaret, præsto fuere. Hierosolymam defendere tentare Judæi: vorum hanc quoque & intravit, & vidit illud grande impie gentis arcana
patens.

Patens, sub aureo vitem cælo. [de quo consulendus Lipsius, Elector. libro 2. cap. 5.] Dissidentibusque de regno fratribus, arbiter factus regnare iussit Hyrcanum. Aristobulo, quia remuebat eam rem, catenas dedit.

Dio denique, libro 37. in M. Ciceronis & C. Antonii Consulatu. In Syriam Palæstinam, quod hujus incola Phœnicem infestâssent, Pompeius profectus est. Eam regebant Hyrcanus & Aristobulus fratres: ac tum fortè propter Pontificatum (regi enim nomen summi Pontificis apud eos est) sui Dei, quicumque is tandem est, dissidentes, urbes seditionibus agitabant. Hyrcanum igitur Pompeius sine pralio (neque enim is copias, quibus resisteret, habebat) statim in potestatem suam redegit. Aristobulum autem, in arce quâdam circumfessum, ad conditiones pacis accipiendas compulsi. cumque is neque pecunias, neque arcem traderet, in vincula coniecit: indeque reliquos etiam haud difficulter subegit. Hierosolymorum autem oppugnatio haud parvo ei labore stetit. Urbem quidem ipsam, à fautoribus Hyrcani receptus, facile obtinuit: templum autem, quod alterius partis homines pre-occupaverant, haud absque labore cepit. Situm erat loco edito, suis manibus munitum: nec, si ex æquo omnibus diebus id defendissent, expugnatum esset. Verum, quod Saturni quos vocant diebus propugnationem intermittentes, usque ab omni opere vacantes, Romanis eo libero spatio occasionem muri subruendi dederunt. Quippe ubi hunc hostium morem animadvertērunt, nihil serio egerunt reliquis diebus: quum verò circumactâ septimanâ, Saturni dies redisset, denuo aggressi, summâ vi templum oppugnârunt. Atque ita tandem Judæi, nihil quicquam propugnantes, in potestatem hostium venerunt. Ibi tum pecunio direptis, regnum Hyrcano datum, Aristobulus abductus est. Hæc eo tempore in Palæstinâ gesta sunt.

Pompeio res gerente circa Judæam, Ptolemæum (Auletam) octona millia equitum suâ pecuniâ toleravisse; & mille convivas totidem aureis potoriis, mutantem vasa cum ferculis, saginavisse Varro tradit. [Plin. lib. 33. cap. 10.] cui ex Ægypto quotannis 12500 talentorum tributum pendi consuevissè, in quâdam oratione (quæ interiit) prodidit Cicero. [Strabo, lib. 17. pag. 798.] licet Diodorus Siculus reditum Ægypti hoc tempore 6000 tantum talentorum fuisse retulerit.

Seleucis in Palæstinâ à Pompeio condita est. [Appian. pag. 253.]

Pompeius Coelesyriæ, usque ad Euphratem fluvium & Ægypti terminos, cum duabus Romanis legionibus, administratione Scauro relictâ, in Ciliciam abiit: Aristobulum victum secum abducens, cum duabus filiabus & totidem filiis. [Joseph. lib. 14. Antiqu. cap. 8.] quorum unus Alexander exitinere fugit; minor autem Antigonus cum sororibus Romam vectus est. [Id. lib. 1. Belli, cap. 5. fin.]

Syriam Pompeium, illinc decedentem, Scauro quæstori suo regendam reliquissè, scribit Appianus. [in Syriac. pag. 119. cum lib. 5. Bell. civil. pag. 676, 677.] Hujus autem, simul & Judææ, administratiõnem Scauro eum permisissè, in lib. 1. Belli cap. 8. addit Josephus. Palæstinam quoque Pompeium, Judæis domitis & Hierosolymis captis, in provincia speciem rectori delatâ jurisdictione formavissè, in libro 14 affirmat Ammianus Marcellinus. Et Regis quidem nomen, licet sine diademate, Hyrcanus tum retinuit: sed illius tanta erat ingenii tarditas

& imbecillitas, ut non vectigalia solum ordinandi, sed alia quoque omnia pro libitu in Palæstinâ disponendi, potestatem sibi Syriæ præfides assumerent, ut in Gabinii præfecturâ postea videbimus.

Cicerone & Antonio Consulib. IX. Kalend. Octobris, Octavio ex Atiâ uxore (Juliae, sororis C. Julii Cæsaris, filiâ) natus est Octavius. [Sueton. in Octav. Aug. cap. 4. & 5.] qui postea *Cæsar Augustus* dictus est: quoque imperante Mundi servator D. N. Jesus Christus natus est. [Luc. II. 1, 6, 7.] Author verò est Julius Marathus, ante paucos quàm Octavius nasceretur menses, prodigium (sive oraculum) Romæ factum publicè, quo denuntiabatur Regem populi Romani Naturam parturire: Senatum exterritum censuisse ne quis illo anno genitus educaretur; eos qui gravidas uxores haberent, quo ad se quisque spem traheret, curâsse ne Senatusconsultum ad ærarium deferretur. [Sueton. ut supr. cap. 94.] De die natali IX. Kalend. Octobr. cum Suetonio consentit ipse Augustus in epistolâ ad Caium nepotem, [apud A. Gellium, lib. 15. cap. 7.] Hemerologium antiquum, [in Inscriptionib. Gruteri, pag. CXXIII.] et Lapis Narbonensis: [ibid. pag. CCXXIX.] Dione non dissentiente, qui in libro 56 Septembris die 23 natum cum fuisse affirmat. In Septembri enim Juliano 30 dierum, IX Kalend. Octobr. est Septembris 23. licet in Septembri Pompeiano, qui 29 tantum dierum fuit, 22º ejusdem mensis responderit. September verò, ut annus tum Romæ (ante correctionem à Julio Cæsare institutam) agebatur, in mensem Junium anni Periodi Julianæ 4651 incidit.

Catilinariâ conjuratione Romæ erumpente, Q. Marcius Rex & Q. Metellus Creticus imperatores ad urbem erant; impediti, ne triumpharent, calumniâ paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat. [Salust. in Conjurat. Catilin.]

Ab anno 2 Olympiadis CLXXIX Philadelphenses annos suos dinumerant. [Fasti Siculi.] Philadelphia autem hæc non procul à Judæâ videtur esse: de quâ Josephus, lib. 1. Belli, cap. 5. & Strabo, lib. 16. pag. 760. & 763. ubi latronum circa eam receptacula à Pompeio (hoc anno) diruta fuisse significat: quæ causa fortasse fuerit hujus annorum epochæ instituendæ.

Pompeius Ciliciæ reliqua, quæ nondum agnoscebant Romanum imperium, obeundo sine certamine Romanis subjugavit. [Appian. pag. 244.] exceptâ parte ab Eleuthero-cilicibus possessâ: quorum opida in monte Amanò sita à Cicerone Ciliciæ proconsule postea sunt expugnata.

Pharnaces conditum muriâ corpus Mithridatis patris sui ad Pompeium miserat: simul se & regnum ei dedens. [Dio lib. 37.] Cadaver eum Sinopen in trireme Pompeio transmisisse scribit Appianus; simulque eos qui Manium (Aquilium) ceperant, & obsides multos Græci barbaricique generis: atque rogavisse, ut aut paternum regnum, aut Bosphoranum tantum, quod Machares frater à Mithridate acceperat, tenere sibi liceret. Plutarchus Pompeium ait, quum Amisum pervenisset, invenisse multa dona à Pharnace allata, multa corpora ex familiâ regiâ, ipsum etiam Mithridatis cadaver non admo-

dum ex facie cognitum; verum ex cicatricibus, ab iis qui id spectaculi desiderabant, agnitum. Ipsum enim non sustinuisse id videre Pompeium, verum Sinopen amandavisse.

Cum vitâ enim illius etiam nomen hostile extinctum Pompeius existimans, nullas in defunctum frustra iras exercendas putavit; sed in patrio sepulchro condi iussit. [*Dio, lib. 37.*] Corpus igitur illius regiâ sepeliendum curatoribus ejus, addito sumptu, tradidit; & inferri iussit apud Sinopen monumentis regiis, laudatum ob gestorum excellentiam, ut regum ætatis suæ præstantissimum. [*Appian. pag. 250.*]

Vestem, quâ amicire se solitus erat Mithridates, armorumque molem & splendorem Pompeius miratus est. At gladii vaginam, quæ constiterat talentis quadringentis, Publius furatus venundedit Ariarathi. Cidarini Caius Mithridatis collactaneus Fausto Syllæ filio petenti occultè dedit, operis mirifici: quod tum Pompeium latuit. at Pharnaces, quum post rescivisset, in illos qui ea averterant animadvertit. [*Plutarch.*]

Pharnacem verò & Castorem Phanagorenses Pompeius populi Romani amicis & sociis adscripsit. [*Appian. pag. 251. Dio, lib. 37.*] Pharnaci quoque, quod Italiam è multis difficultatibus exemisset, Bosphoranum regnum concessit: exceptis Phanagorensibus, quos liberos suo jure permisit vivere; quoniam primi recolligenti vires Mithridati, jamque classem, exercitum receptaculâque habenti, deficientes exhibuerunt negotium, exemploque dato aliis, causa fuerunt ejus interitus. [*Appian. pag. 250.*] Verum post Pompeii discessum, oppugnavit Pharnaces Phanagorenses eorumque vicinos, donec præ fame ad pugnam progressi opidani victi sunt: quos illæsos recepit ille in amicitiam, acceptis tantum obsidibus. [*Id. pag. 253, 254.*]

Pompeius in Ponto castella recepit, quorum deditioem, qui in eorum præsidio erant positi, ad ipsius adventum differendam existimârunt: veriti, ne cuius pecuniæ sibi tuendæ custodia esset data, eam alii diripientes, sibi culpam imponent. [*Dio, lib. 37.*] In Tauris verò, quam urbem Mithridates habuerat apparatus promptuarium, duo millia poculorum ex Onyche gemmâ factorum compactorumque auro inventa sunt, multæ phialæ psysteræque, calices, lecti, sellæ, ornatissima omnia; item fræna equorum, pectorales humeralisque phalæ, gemmatæ auratæque: quibus recipiendis percensendisque 30 dies quæstor insumpsit. Eorum pars à Dario Hystaspis filio successoribus per manus tradita fuerat; partem ex Ptolemæorum regum gazâ Cleopatra penes Coos deposuerat, unde Mithridates à civibus tradita deportaverat: partem ipse Rex paraverat ac collegerat, elegantioris suppellectilis percupidus. [*Appian. pag. 251, 252.*]

Romæ Comitibus Consularibus habitis, pro L. Murenâ in sequentem annum Consulem designato & ambitus accusato Cicero Consul orationem habuit: in quâ L. Luculli exercitum, qui ad triumphum ipsius convenerat, comitem Murenæ in petitione Consulatus præstò fuisse dicit. De quo triumpho, in Lucullo suo idem Cicero ita etiam meminit. *Cum victor à Mithridatico bello revertisset, inimicorum calumniâ*

triennio

triennio tardius quam debuerat triumphavit. Nos enim consules introduximus penè in urbem currum clarissimi viri. Populum enim adversus eum inflammaverat C. Memmius, ac quasi multa intervertisset de prædâ, traxissetque bellum, suaserat ut ei triumphum denegaret. Sed viri principes & potentissimi inserentes se tribubus, multis precibus & contentione ægrè tandem populum induxerunt, ut triumphum ei concederet. [*Plutarch. in Lucullo.*]

Triumphum verò non, ut aliqui, pompæ prolixitate & rerum traductarum copiâ fastidiosum duxit, sed armis hostilibus, quorum erat vis ingens, & machinis regis Circum Flaminium exornavit: quod erat per se haud contemnendum spectaculum. Ipso in triumpho equites cataphracti pauci, currus falcati 10 traducti, amici & duces regii 60. Naves longæ rostratæ 110 translatae. Ipsius Mithridatis aurea senûm pedum statua, & gemmis distinctum scutum: capiumque Tigranis diadema, in triumpho ductum. Fercula 20 vasorum argenteorum; aureorum poculorum, armorum & nummorum 32. Hæc per viros traducta. Octo muli lectos aureos portaverunt, 56 argentum infectum, alii 107 argenti signati paulo minus vicies septies centena millia drachmarum. In tabulis breviaria pecuniæ, quam Pompeio ad bellum piraticum & quæstoribus dederat: præterea quod militibus, in singulos 950 drachmas, diviserat. Denique splendidum epulum Urbi & circumjectis vicis dedit. [*Id. ibid.*]

Post triumphum & Mithridatici belli rationes redditas, in diætam pristinâ temperantiâ multo magnificentiorem Lucullus se convertit: primûsque ad omnia deliciarum genera Romanis dux extitit, cum duorum regum Tigranis ac Mithridatis opulentiam accepisset. [*Nicolaus Damascen. Historiar. lib. 27. apud Athenæum, lib. 6. cap. ult. & lib. 12. cap. 21.*] Quem profusæ in ædificiis conviciibusque & apparatus luxuriæ primum authorem fuisse, Velleius Paterculus quoque confirmat. [*lib. 2. cap. 33.*]

3942

Eupatoriam, quam Mithridates Eupator conditam à se denominaverat, & ob receptos Romanos diruerat, Pompeius instauravit; agroque & civibus additis, Magnopolim appellavit. [*Strabo, lib. 12. pag. 556. Appian. pag. 251.*] Cabira in urbis formam adornavit, ac Diopolim nominavit. [*Strabo. ibid. pag. 557.*] Bithynis & Ponticis leges & jura constituit: de quibus Plinius Bithyniæ prætor meminit, in epistolis ad Trajanum. [*lib. 10.*]

Pompeius ex Ponto in Asiam (proprie dictam) profectus, Ephesi hyemavit. [*Dio, lib. 37.*] Cùmque omnia terrâ marique confecisset, classem tamen Asiæ civitatibus imperavit; sumptu ad L. Syllæ descriptionem accommodato. [*Cicero, pro Flacco.*]

L. Valerius Flaccus, qui superiore anno Romæ prætor fuit, hoc anno præturam Asiæ gessit. [*Id. ibid.*]

Sub finem hyemis, exercitui victori præmia Pompeius distribuit, viritim 1500 drachmas Atticas, (quot, qui minimum, accepisse confirmat etiam Plutarchus) & pro dignitate amplius Tribunis ac centurionibus: cujus pecuniæ summam ferunt talentorum 16 millium fuisse. [*Appian. pag. 252.*] Legatis & quæstoribus, qui oras maris defendissent, fester-

1652 62

tiùm bina millia; commilitibus singulis quinquaginta data fuisse; apud Plinium legimus. [*lib. 37. cap. 2.*] si tamen integer ille locus est.

D. Julio Silano & L. Murenâ Consulib. Metellus de Cretâ triumphavit. [*Entrop. lib. 6.*] & quidem *Kalendis Junii* (quantum ex fastorum triumphalium marmorcorum fragmentis colligi potest) quæ in *Martium* Julianum eo tempore inciderunt. Ornamentum tamen triumphi ejus, captivos duces, Pompeius subduxit. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 40.*] Panarem enim & Lathenem, auxilio cujusdam tribuni plebis ad hoc persuasi, eripuit; quòd sibi ex pacto eos, non Metello, accessisse diceret. [*Dio, lib. 36.*] Sed & Luculli & Metelli triumphum cum ipsorum singularis virtus, tum etiam invidia Pompeii apud optimum quemque fecit favorabilem. [*Vellei. ut supr. cap. 34.*] Triumphum verò Metelli Cretici meminit etiam Appianus. [*legat. 30.*]

Ut Ephesum ad salutandum Pompeium ætate majorem dignitateque præcellentem accessit Cato, conspiciens eum Pompeius non tenuit se loco, neque permisit ut sedentem adiret se; sed tanquam ex primoribus alicui exiliens processit ei obviam, dexteramque porrexit: & multis laudibus statim in amplectendo & salutando præfente, pluribus etiam digressi virtutem extulit. Quasi tamen non haberet illo præfente liberum imperium, dimisit eum libenter: eique penè soli eorum qui Romam navigabant liberos suos & uxorem commendavit, alioquin propinquitate ei conjunctos. [*Plutarch. in Catoe minore.*]

Pompeius, postquam multos principes regesque partim debellavisset partim conditionibus certis sibi adjunxisset, arces non minùs mille, urbes non infra 900 cepisset, urbes 39 vel collapsas aut bello vastatas (uti erant Mazaca, regum Cappadociæ primaria sedes) restituisse, octo urbes regionisque colonis auxisset, majorémque earum nationum partem quæ per continentem Asiam Romanorum erant suis ipse legibus instruxisset, eisque rempublicam ordinavisset; Epheso demum solvens, per Insulas & Græciam majore pompâ iter in Italiam instituit. [*Dio, lib. 37. cum Appiano, pag. 251. & Plutarcho in Pompeio.*]

Cum in Lesbum insulam Pompeius venisset, Mitylenen civitatem immunitate Theophanis gratiâ donavit. [*Plutarch. ibid.*] Mitylenæi enim Manium Aquilium aliòsque vinctos tradiderant: quibus libertas jam, in unius Theophanis gratiam, à Pompeio restituta est. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 18.*] Erat hic Balbus Cornelius Theophanes patriâ Mitylenæus rerum Pompeii scriptor: quem inter intimos ille habuit, & in concione militum civitate donavit; cuique defuncto cœlestes honores Græca adulatio postea tribuit. [*Cicero, pro Archiâ poëtâ. Strabo, lib. 13. pag. 617. Valer. Maxim. lib. 8. cap. 14. Cornel. Tacit. Annal. lib. 6. cap. 1. Ful. Capitolin. in Maximo & Balbino.*]

Apud Mitylenæos patrium poëtarum certamen spectavit Pompeius, quod unum habebat argumentum ipsius res gestas: & delectatus theatro, delineavit effigiem & figuram ejus, quæ Romæ simile excitaret grandius & excellentius. [*Plutarch.*]

Rhodum

Rhodium profectus, omnes sophistas audivit; donavitque singulis talentum. Posidonius etiam descripsit quæstionem, quam illo audiente habuit contra Hermagoram rhetorem De quæstione generali. [*Idem.*] Pompeius verò intraturus Posidonii domum, fores percute de more à lictore vetuit: & fasces lictorios januæ submisit is, cui se Oriens Occidentisque submiserat. [*Plin. lib. 7. cap. 30.*] De quorum congressu, ex ipsius Pompeii ore ista retulit, in libro 2^o Tusculanarum quæstionum, Cicero, *Posidonium & sepe ipse vidi. & id dicam, quod solebat narrare Pompeius. se, cum Rhodium venisset decedens ex Syria, audire voluisse Posidonium: sed cum audivisset eum graviter esse egrum, quod vehementer ejus artus laborarent, voluisse tamen nobilissimum philosophum visere. Quem ut vidisset & salutavisset, honorificisque verbis prosecutus esset, molestèque se dixisset ferre, quod eum non posset audire. at ille, Tu verò, inquit, potes: nec committam ut dolor corporis efficiat, ut frustra tantus vir ad me venerit. Itaque narrabat, eum graviter & copiose de hoc ipso, nihil esse bonum nisi quod honestum esset, disputasse: cumque quasi faces ei doloris admoventur, sepe dixisse. Nihil agis, dolor: quamvis sis molestus, nunquam te esse confitebor malum.* Aiunt quoque Pompeium Rhodium venisse, quo tempore ad bellum Mithridaticum proficiscebatur, mox adversus Mithridatem ducturus, ibique Posidonium differentem compellasse, inque suo discessu interrogasse, ecquid manderet: cum autem illud Homericum protulisse,

Αἰὲν ἀεισεύειν, καὶ ὑπερείσχεον ἔμμενοι ἄλλων.

Rem gere præclare, atque aliis præstare memento.

ut apud Strabonem legitur. [*lib. 11. pag. 492.*]

Valerius Flaccus Prætor civitatibus Asiæ pecuniam & remiges classis nomine imperavit. sed numero navium eâ quâ Pompeius usus fuerat dimidio minore: bipartitò classe distributâ, ut una pars supra Ephesum, altera infra Ephesum navigaret. quâ classe M. Crassus ab Æno (Thraciæ) in Asiam, & Flaccus ex Asiâ in Macedoniam navigavit. Cùmque aurum, Judæorum nomine, quotannis ex Italiâ & ex omnibus Romanorum provinciis Hierosolymam exportari soleret; Flaccus sanxit edicto, ne ex Asiâ exportari liceret. Unde Apameæ comprehensum ante pedes prætoris in foro expensum est auri pondo centum paulo minus per Sex. Cæsium equitem Romanum, Laodiceæ viginti pondo paulo amplius per L. Peducaum, Adramyti per Cn. Domitium legatum, Pergami non multum; atque in æratio aurum est repositum. Hæc, in oratione pro eo habitâ, commemorat & defendit Cicero.

Scaurus, Syriæ præses à Pompeio relictus, Arabiam ingressus, ad Petram quidem regionem asperitate prohibebatur accedere: quæ autem circum erant omnia vastabat; multis & in hoc malis affectus. Nam exercitum fames premebat: cui tamen Hyrcanus per Antipatrum ex Judæâ frumentum & alia necessaria suppeditabat. Missusque à Scauro ad Aretam legatus Antipater, eo quod familiaris & hospes esset, persuasit etiam illi pecuniâ numeratâ vastationem agrorum redimere; sponsor factus pro 300 talentis. Atque his conditionibus hoc bellum finitum est, non minus è Scauri quam ex Aretæ

sententiâ. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 6. & lib. 14. Antiqu. cap. 3.*] Hinc argenteum denarium in Ædilitate suâ cudendum curavit Scaurus, in quo supplex ante eum jacet in genibus Rex barbaro habitu, chlamyde longâ caligisque laxis indutus, coronam præsentans cameli dorso impositam: circumscriptis literis, M. SCAVRVS. ÆD. CVR. EX S. C. & subtus, REX. ARETAS. [*Pigh. Annal. Romanor. tom. 3. pag. 341. & 362.*]

Quum Pompeius M. Pisonem legatum suum ad petendum Consulatum misisset, Romani & comitia usque ad adventum ejus distulerunt, & Pisonem præsentem omnes unanimi consensu Consularem designârunt. Pompeii enim commendatio pro eo non apud amicos tantum sed apud inimicos etiam valebat: tanto illius metu, priusquam exercitum dimisisset, omnes tenebantur. [*Dio, lib. 37.*]

3943

Sub Pisonis Consulatus initia (circa Novembrem Julianum) in Italiam Pompeium advenisse, ex Ciceronis lib. 1. ad Atticum epist. 9. & 11. intelligitur. Cùmque non sine exercitu venturus in Urbem existimaretur, & libertati publicæ statuturus arbitrio suo modum, atque Italiam sibi subjicere potentiâque in omnes Romanos sibi parare posset; ut primùm tamen Brundisium appulit, ipse suâ sponte copias omnes dimisit, quum neque Senatus neque populus quicquam de eis decrevisset. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 40. Plutarch. Appian. Dio.*] Plutarchus ait Pompeium benignè dimissos milites admonuisse, ut ad triumphum suum adessent: sed ne in triumpho quidem eis utendum illum putavisse, affirmat Dio. [*lib. 37.*]

Romæ concione habitâ, bellum Orientis cum viginti & duobus regibus sese gessisse Pompeius narravit. [*Oros. lib. 6. cap. 6.*] et Asiam ultimam provinciam accepisse, eandemque mediam patriæ reddidisse. [*Plin. lib. 7. cap. 26. cum Floro lib. 3. cap. 5.*]

Q. Tullius Cicero, Marci frater natu minor, Prætor Asiam sortitus, L. Valerio Flacco successor est datus. [*M. Cicero, in orat. pro Flacco, & lib. 1. epist. 12. ad Atticum.*]

In provinciam profecturus, uxoris suæ fratrem T. Pomponium Atticum legati loco secum ire voluit. Ille verò non decere se arbitratur, cùm præturam gerere nolisset, asseclam esse prætoris. [*Cornel. Nepos, in Vitâ Attici.*] Quod Quintus vehementer ægrè tulit. [*M. Cicero, lib. 1. epist. 14. ad Attic.*]

P. Clodius, & ob defectionem Nisibiticam, & quòd in mulieris habitu sacrarium in quod virum intrare nefas erat intrâisset, & quòd uxorem Metelli Pontificis & C. Cæsaris stuprâisset, & quòd cum sorore suâ rem habuisset, accusatus, à judicibus nihilominus pecuniâ corruptis est absolutus. [*Cicero, lib. 1. epist. 13. ad Attic. Liv. lib. 103. Plutarch. in Cicerone. Dio lib. 37.*]

Pisoni Consuli desponsam Syriam se ei ademisse, ad Atticum scribit M. Cicero. [*lib. 1. epist. 13.*] Itaque Scauro, à Pompeio in Syriâ relicto, successor à Senatu Marcius Philippus vir prætorius missus est: qui cum Arabibus ex vicino Syriam infestantibus conflictatus est. [*Appian. in Syriac. pag. 119, 120.*]

Anno 9^o Pontificatus atque ethnarchiæ Hyrcani, (à morte videlicet

cèt matris Alexandræ deducto; priùs quàm à Gabinio ethnarchia ei est adempta) mense Panemo sive Junio; in honorem illius promulgatum fuisse videtur Atheniensium illud psephisma, quod apud Josephum libro 14 Antiquit. cap. 16. extat. licèt eam temporis notationem ad præcedens Romani Senatus decretum ille ibi referat: quod & Hyrcani prioris filii Simeonis tempore, & Idibus Decembribus (in Septembrem Julianum tunc incurrentibus) editum fuisse, ad annum Periodi Julianæ 4587, ostendimus. Hoc autem decretum, in gratiam Hyrcani II. filii Alexandri factum, Munychionis quidem Artici, die XI (circa Aprilis Juliani diem XXVIII) ab Eucle Menandri Alimufio scribâ exaratum, Panemi verò Macedonici *πέμπη ἀπὸντος* sive die XXVII (Junii Juliani diei XX respondente) Ducibus est traditum, archonte Athenis Agathocle: ut in libelli de Macedonum & Asianorum anno Solari capite 1^o significavimus.

Quintus Cicero primus sumptu remigum & classis parandæ civitates Asiæ levavit. [*M. Cicero, in orat. pro Flacco.*] et urbes complures pene desertas, in quibus unam Ioniæ nobilissimam Samum, alteram Cariæ Halicarnassum, recreavit. [*Id. lib. 1. epist. 1. ad Quintum fratrem.*]

Triumphum ad Natalem suum Pompeius distulit. quem & tertio & pridie Kalendas Octobris (qui dies natalis fuit, in mensem Julium vel Junium Julianum tunc incurrens) duxit, M. Messalâ & M. Pisone Consulibus; ut partim ex Fastorum triumphalium fragmentis marmoris, plenius autem ex ipsius Pompeii triumphorum actis à Plinio lib. 7. cap. 26. & lib. 37. cap. 2. commemoratis, intelligitur. Et licèt magnificentissimum de tot regibus per biduum egerit triumphum: (ut est apud Velleium Paterculum, lib. 2. cap. 40. & Appian. in Mithridaticis:) illud tamen bidui tempus triumphum magnitudinem non cepisse, docet Plutarchus; sed apparatus magnam partem, quæ ad exornandum alium triumphum satis seppeditasset, non fuisse spectatum.

Qui Pompeium in omnibus cum Alexandro contendunt & conferunt, 34 annis minorem eum tum fuisse volunt; cum reverâ 40 annorum fuerit: si Plutarchum audimus. Et quidem ipse Pompeius à primâ adolescentiâ, sermone fautorum, similem fore se credens Alexandro regi, facta consultâque ejus æmulatus erat. [*Salust. Historiar. lib. 3. apud Nonium Marcellum, in voc. æmulus.*] Verùm in atate tanti viri eos ut nimium occupatos non invenustè notavit Velleius, [*lib. 2. cap. 53.*] quos sefellit quinquennium: cum à Caio Atilio & Quinto Servilio Consulibus tam facilis esset annorum digestio. id quod Plutarcho, illos alios corrigenti, hîc accidit; dum 40 tantum ætatis annos Pompeio nunc assignat, qui reverâ fuerunt 45.

Primum ex Africâ, alterum ex Europâ, tertium hunc ex Asiâ, Pompeius triumphum duxit: & quot partes terrarum orbis erant, totidem fecit monumenta victoriæ suæ. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 40. Plutarch. in Pomp.*] Unde & magnus ille qui nunc agebatur triumphus de Orbe terrarum inscriptionem prætulit. [*Dio, lib. 37.*] Magnûsque à totâ concione hîc consalutatus est. [*Liv. lib. 103.*] quo cognomento, jam pridem à populo illi dato, contentus fuit: tamerfi multa

4653 61

multa nova nomina de tot rebus gestis accipere potuisset. [Dio, ut *supr.*]

Triumphii Præfatio (ex actis ejus à Plinio lib.7. cap.26. descripta) hæc fuit. *Cùm oram maritimam à prædonibus liberasset, & imperium maris populo Romano restituisset; ex Asiâ, Ponto, Armeniâ, Paphlagoniâ, Cappadociâ, Ciliciâ, Syriâ, Scythis, Judæis, Albanis, Iberiâ, insulâ Cretâ, Basternis, & super hæc de regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit. quibus Mediam, Colchidem, Mesopotamiam & Arabiam, Plutarchus; Hæmichos & Achaos addit Appianus.*

In portus adduxit Pompeius naves 700 integras. Plaustrorum, quibus arma in pompâ sunt transvecta, ingens fuit numerus, & in his rostra navium: posthæc multitudo captivorum ac piratarum, non victorum, sed cultorum habitu patrio. Ipsum sublimem præcedebant regum satrapæ vel duces vel filii, partim captivi partim obsides, in summâ 324. [Appian.]

Inter hos Tigranes, Tigranis regis Armeniæ filius, fuit cum conjugè & filiâ, & ipsius Tigranis uxore Zosime: adhæc Mithridatis soror & quinque filii (Artaphernes, Cyrus, Oxathres, Darius, Xerxes) & duæ filiæ, Orsabaris & Eupatra. Traductus est & Colchorum rex Olthaces, & Judæorum rex Aristobulus, tyrannique Cilicum: Scytharum item regiæ foeminæ, duces tres Iberorum, Albanorum duo, cum Mênandro Laodicensi, qui equitum Mithridatis præfectus fuerat. Albanorum quoque & Iberum obsides, & Commagenorum regis. Trophæa etiam permulta traducta sunt, numero pugnis omnibus paria, quibus aut ipse aut per legatos palmam tulerat. [*Idem, cum Plutarcho.*]

Absentium effigies transvehantur, Tigranis & Mithridatis, pugnantium & cedentium ac fugientium. Mithridatis verò etiam oppugnatio & noctu tacita fuga repræsentata fuit: ac postremò etiam mors ejus subjecta fuit spectatorum oculis; appictis & virginibus mortis ejus focius. Præferebantur & tabulæ cum filiorum & filiarum ante illum defunctorum imaginibus; & deorum barbaricorum figuræ cum ornatu patrio. [Appian.]

Ipse Pompeius gemmato curru vehebatur, amictus, ut fertur, Alexandri Macedonis chlamyde. Currum sequebantur socii hujus expeditionis præfecti militum, partim equites, partim pedites. [*Idem.*]

Pridie Kalend. Octobr. die natalis sui transtulit Pompeius alveum cum tesseriis lusorium è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor, (in quo fuit Luna aurea pondo 30.) lectos tricliniarios tres, vasa ex auro & gemmis abacorum novem, signa aurea tria, Minervæ, Martis, & Apollinis; coronas ex margaritis triginta tres, montem aureum quadratum cum cervis & leonibus & pomis omnis generis, circumdatâ vite aureâ. (*de quâ *supr.* ad fin. anni Mundi 3939.*) Musæum ex margaritis; in cujus fastigio horologium erat. Ipsi Pompeii imaginem, è margaritis. [Plin. lib. 37. cap. 2.] In triumpho arbores quoque se duxisse scribit Pompeius: ebenum videlicet, & balsamum uni terrarum Judææ concessum. [*Id. lib. 12. cap. 4. & 25.*]

Carpenta quoque traduxit & fercula onusta auro & ornamentis aliis variis in quibus erat lectus Darii Hytaspis filii, & sella ac sceptrum Mithridatis Eupatoris, aureaque ipsius effigies octo cubitorum pectore tenus. [Appian.] Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto, argentea statua: & currus aurei argenteique. [Plin.lib.33.cap.12.] argenteique signati septem millia myriadum & 510 drachmæ insuper. [Appian.] Tabulis quoque ostensum est, universa populi Romani vectigalia 5000 myriadum antea fuisse, cum his quæ ipse populo Romano acquisierat ad myriadas 8500 jam crevisse. [Plutarch.]

Translata est & tabula, breviarium rerum à Pompeio in Oriente gestarum continens, hoc inscripta titulo. « Naves rostratæ 800 ca-
« præ sunt. Urbes conditæ 8 in Cappadociâ, in Ciliciâ Coelefyriâ:
« que 20. in Palæstinâ, Seleucis. Reges victi, Tigranes Armenius,
« Artoces Iberus, Orezes Albanus, Darius Medus, Arétas Nabatæ-
« us, Antiochus Commagenus. Hæc titulus. [Appian.] Cui simili-
lem & Plinius commemorat, [lib.7.cap.26.] ab eo in delubro Miner-
væ positum, quod ex manubiis dicabatur. *Cn. Pompeius Magnus Im-
per. bello XXX annorum confecto, fufis, fugatis, occisis, in deditonem ac-
ceptis hominum vicies semel centenis LXXXIII millibus, depreffis aut
captis navibus DCCCXLVI. opidis, castellis MDXXXVIII. in fidem
receptis, terris à Mæoti lacu ad Rubrum mare subactis, Votum merito
Minervæ.*

In ærarium retulit vasa, aurum & argentum signatum ad viginti millia talentum. [Plutarch.] Inter dona in Capitolio ab eo dicata, Mithridatis regis dactylothea fuit; ut M. Varro aliique ejusdem ætatis authores confirmant: quæ primùm ad margaritas gemmâsque Romanorum mores inclinavit. [Plin.lib.37.cap.1.] Ibiçémque pretiosissima quæque Mithridatis dicata sunt, in Novo castello reperta. [Strabo lib.12. pag.556,557.] & Vitis illa aurea ex Judæâ allata. [Id. apud Josephum, lib.14. cap.5.] & sex pocula murrhina, in Urbem tum primùm inducta: quæ protinus ad hominum usum transiere, abacis etiam escariisque vasis inde expetitis. [Plin.lib.37.cap.2.]

Ubi triumphans pervenit Pompeius in Capitolium, neminem captivum necavit ut triumphatores alii; sed publicis impensis remisit quemque in suam patriam, exceptis regis. [Appian.] Nam quod addit Appianus, [pag.243. & 253.] Aristobulum mox interemptum esse, & post eum Tigranem; deceptum hinc eum fuisse apparet. Aristobulum enim in patriam postea rediisse, Josephus & Dio; Tigranem verò post triumphum apud Flavium Senatorem in catenis à Pompeio fuisse depositum, & ex ejus custodia à Clodio tribuno plebis fuisse ereptum, Asconius Pedianus in Orationem Milonianam, confirmat.

3944

Gazenses (anno jam tertio à Judæorum potestate liberati) hinc tempora suâ dinumerârunt. [Fasti Siculi; anno 4. Olymp.179.] Circa Octobris verò Juliani diem 27 Gazenses annum suum inchoâsse, ex Marco Gazensi diacono in Vitâ Porphyrii Gazensis episcopi colligimus.

Ne Quinto Ciceroni in Asiaticâ præturâ succederetur, Marcus fra-

ter effecit : ut ipse in epistolâ ad eum scriptâ indicat. in quâ, inter alia in provinciâ à Quinto præclare gesta, etiam illud recenset; sublata Mysiæ latrocinia, cædes multis locis repressas, pacem totâ provinciâ constitutam, neque solum illa itinerum atque agrorum, sed multo etiam plura & majora opidorum & furta & latrocinia esse depulsa. [*Lib. 1. epist. 1. ad Quint. frat.*]

Quum M. Cicero commentarium Consulatus sui Græcè à se compositum ad Posidonium (Apamenum, philosophum & historicum) Rhodum misisset, ut ornatiùs de iisdem rebus scriberet; eum ille legens, non modò non excitatum se esse ad scribendum, sed etiam planè perterritum, rescripsit. [*Lib. 2. epist. 1. ad Atticum.*]

Ptolemæo Auletæ senior filius est natus, qui ipsi in regno successit : siquidem non plures quàm XIII annos ille egit, quando ad eum post pugnam Pharsalicam Pompeius profugit; ut in libro 42° Dio innuit.

Pompeius à Senatu postulabat, ut multa quæ regibus, dynastis, & civitatibus ipse concesserat, Patres rata haberent. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 432.*]

Lucullus tum otii voluptatibus divitiisq; fruendis sese dediderat : sed monente Senatu excitatus ut auctoritatem suam accommodaret ad rempublicam capeffendam, confestim Pompeium adortus est. [*Plutarch. in Pompeio.*] Itaque & ille & Metellus Creticus, acceptæ injuriæ memores, & cum iis pars optimatum refragabatur, ne aut promissa civitatibus à Pompeio, aut benemeritis præmia, ad arbitrium ejus, perfolverentur. [*Vellei. Patere. lib. 2. cap. 40.*] Jubebâtque Lucullus, ut de singulis suis factis seorsum Pompeius referret; neque peteret, ut simul omnia approbarentur. Nam & aliàs iniquum esse dicebat, simpliciter ejus omnia acta, quæ qualia essent nemo ipsorum compertum haberet, tanquam à domino quodam patrata, rata haberi : et quum ipse ex Luculli actis quædam rescidisset, postulabat, ut utrisque in Senatu expositis, is utra approbatione digna visa forent confirmaret. Lucillum Cato, Metellus Celer consul, & alii qui cum iis sentiebant, enixè defendebant. [*Dio, lib. 37.*] Mithridaticam victoriam suam fuisse illo jactante, Crasso quoque in suum favorem pertracto. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 432, 433.*] Indèque decreta sua, quæ aboleverat Pompeius, obtinuit; [*Plutarch. in Pomp.*] sanctiones verò, quas Pompeius devictis fecerat regibus, rescidit : ac quum rogationem de agris militi dividendis tulisset, rem adjectore Catone impedivit. [*Id. in Lucullo.*]

Ita in Senatu jactatus Pompeius, ad Tribunos plebis coactus est confugere. [*Id. in Pomp.*] Et cum L. Flavius tribunus, qui de agro militibus Pompeianis dividendo rogationem ferebat, etiam hoc ei addidisset, omnibus civibus suffragium esse dandum, quo & hoc faciliùs juberetur, & acta Pompeii rata pronuntiarentur : Metellus Consul tantâ contentione id impugnavit, ut ab eo in carcerem duceretur. Consule nihilominus cum aliis in sententiâ pertinaciter persistente, Pompeius à petitione demum destitit : serò pœnitens, quòd dimissis exercitibus seipsum inimicorum injuriis exposuisset. [*Dio, lib. 37.*]

Interea C. Julius Cæsar Romam venit, Consulatum petiturus.

Eum

465460

Eum Pompeius adjunxit sibi socium, operam se daturum jurejurando pollicitus, ut consul fieret: hoc tandem modo effecturum se sperans, ut acta ipsius in transmarinis provinciis, quibus tot obtrectabant, per Cæsarem confirmarentur consulem. Cùmque Pompeius & M. Crassus inter se inimicitias exercerent ex consulatu, quem summâ discordiâ simul gesserant; non solum utrumque inter se reconciliavit, sed etiam cum utroque potentiæ societatem iniit, ne quid ageretur in Republicâ quod displicuisset ulli è tribus: quæ conspiratio urbi orbique terrarum, ac sibi ipsis tandem exitiabilis fuit. [*Liv. lib. 103. Velles. Patercul. lib. 2. cap. 44. Sueton. in Julio Cesare, cap. 19. Plutarch. in Lucullo, Crasso, Pompeio & Cesare. Appian. Bell. civil. lib. 2. Dio, lib. 37.*]

Hanc trium principum civitatis conspirationem Varro, nobilissimus hujus temporis scriptor, uno libro complexus, Τριπλιτην sive *Tricipitinam* inscripsit. [*Appian. pag. 433.*] Atque ab eadem, in Metelli Celeris consulatu initâ, belli civilis historiam scribere exorsus est Asinius Pollio: ut Horatius, libro 2^o Carmin. Ode 1^a, & ejus interpretes Acron & Porphyrio confirmant. Neque enim (ut plurimi existimabant) Cæsaris & Pompeii dissensio civilia invexit bella, sed conjunctio potius ad convellendos optimates conspirantium primùm, deinde tandem inter se dissidentium. [*Plutarch. in C. Cesare.*]

Ab hoc etiam anno, quo Olympias CLXXX est acta, & Athenis Herodes (alius ab Herode illo Attico, cujus ut suo tempore celebratissimi meminit Pausanias & A. Gellius) archon fuit, rerum Cæsarianarum initium Diodor. Siculus deducit: qui & eo anno Ægyptum se lustravisse indicat, regnante Ptolemæo qui ὁ νέος Διόνυσος sive *novus Bacchus* dicebantur. [*Bibliothec. historic. lib. 1. part. 1. & 2.*]

3945

Præturæ Asiaticæ Quinti Ciceronis tertius annus est additus; licet parum secundâ famâ proconsulatum Asiæ administratum ab illo fuisse, dicat Suetonius. [*in Octav. Augusto, cap. 3.*] Unde hoc anno à Marco Cicerone de bene gubernandâ provinciâ luculentâ illa scripta est epistola, quæ inter scriptas ad Quintum fratrem primo legitur loco.

Marcio Philippo in præfecturâ Syriæ Senatus Lentulum Marcellinum, virum Prætorium, successorem misit. Το ἅξι ἀνατολῆς dieis ἐπιπέδη χερσὶν, τὲς γείτονας ὀροχλέβλας Ἀραβίας ἀμυνόμεθα, inquit Appianus in Syriacis. [*pag. 120.*] Ab utraque quidem (separatim utique, non conjunctim) biennale actum est tempus, cum Arabibus ex vicino infestantibus conflictato.

Julius Cæsar Consul, neque Lucullo neque aliorum quoquam repugnante, omnia Pompeii acta, uti pollicitus fuerat, confirmavit. [*Appian. Bell. Civil. lib. 2. pag. 435. Dio, lib. 38.*]

Pervicitque Pompeius, ne Senatus honores, quos Ponticis quibusdam Lucullus promiserat, ratos haberet: iniquum esse dictitans, bello alterius operâ confecto alterius in potestate præmiorum & honorum distributionem poni. [*Strabo, lib. 12. pag. 558.*] Urbæque armis & militibus completâ, Catonem & Lucillum dejecit foro, atque actâ sua per vim firmavit. [*Plutarch. in Lucullo, & Pompeio.*]

In primo hoc Consulatu suo societates ac regna pretio dedisse Cæsarem

rem scribit Suetonius: [cap. 54.] ut qui uni Ptolemæo, propè sex millia talentorum suo Pompeiique nomine abstulerit. Et Ptolemæum quidem (Auletam) magnam pecuniæ summam, partim de suo partim mutuò acceptam, in Romanos quosdam impendisse, refert etiam in libro 39^o Dio; ut ab illis Ægypti regnum sibi confirmaretur, utque amicus ac socius appellaretur. Et debuisse Cæsari Auletam 1750 *μωριάδας*, in Cæsaris vitâ refert Plutarchus: quarum mille, postquam occiso Pompeio in Ægyptum venerat, Cæsar ad sustentandum exercitum exegerit; quum cæteras Auletæ liberis antè condonasset.

Hoc vero anno, quo primum egit Cæsar Consulatum, Auletam in populi Romani societatem ex lege & Senatusconsulto fuisse receptum, in 3^o Belli civilis commentario Cæsar ipse indicat: eumque honorem, ante proscriptionem Ptolemæi Cyprii fratris sui, (quæ sequente anno est facta) illum à Senatu consecutum fuisse, in Sextianâ oratione confirmat Cicero. qui & in lib. 2. ad Attic. epist. 16. est consulendus.

C. Antonius, frustra cum defendente M. Cicerone (qui ejus in Consulatu collega fuerat) damnatus est. [Dio, lib. 38.] Qui in Cephaleniâ exul degens, totâque sub se insulam tanquam suam possessionem habens, urbem ibi extruere cœpit, sed non absolvit. [Strabo, lib. 10. pag. 455.]

P. Clodio legatio ad Tigranem Armeniæ regem est decreta. Quâ ille contemptâ, ex patricio plebeius adoptione factus est: ut eâ ratione Tribunus plebis designari posset. [Cicero, lib. 2. ad Attic. epist. 7. & orat. pro domo sua. Dio, lib. 38.]

Brithagoras, vir inter Heracleenses Ponti summæ autoritatis, cum filio suo Propylo ad Julium Cæsarem est profectus: & propius in amicitiam ejus admissus, annis 12 per omnes terras eum est secutus, ut civium suorum prosperitati consulere. [Memnon, cap. 62.]

P. Clodius, tribunus plebis factus, ut novos Consules ad partes suas pertraheret, amplas eis decrevit provincias: A. Gabinio Syriam, cum Babylone & Persis; L. Pisoni Achaiam, Thessaliam, Græciam, Macedoniam, omnemque Bœotiam. [Cicero, pro P. Sextio, pro domo sua, & de Provinciis Consularib. Plutarch. in Cicerone.]

Quintus Cicero, quum triennium Asiæ præfuisset, ex provinciâ decessit: ut in epistolis [lib. 2. ad familiar. epist. 15. & lib. 6. ad Attic. epist. 6.] confirmat Marcus frater ejus. qui Thessaloniciæ in exilio tum degens, ita ad Atticum de itinere fratris sui scribit. [lib. 3. ep. 9.] *Quintus frater cum ex Asia discessisset ante Kalendas Maias (sub Februarii Juliani exitum) & Athenas venisset Idibus; valde fuit ei properandum, ne quid absens acciperet calamitatis, siquis fortè fuisset qui contentus nostris malis non esset. Itaque cum malui properare Romam, quam ad me venire.*

P. Clodii lege tribunitiâ, Magnæ Matris in urbe Phrygiæ Pessinunte sacerdos spoliatus sacerdotio est; & Brogitarus Gallogræcus (qui Bogodiatorus ille esse putatur, cui Mithridatium à Ponto avulsum dedisse Pompeium scribit Strabo, lib. 12. pag. 567.) homo nefarius, qui fanum illud non colendi sed violandi causâ appetens, pecuniâ grandi per legatos suos à Clodio emerat, in locum ejus est substitu-

tus.

tus. Cùmque Sacerdotes Pessinuntii antiquius reguli quidam fuissent, (ut in loco notato Strabo indicat :) eadem lege tribunitiâ, non solum Deiotarus, sæpe à Senatu regali nomine dignus existimatus; sed etiam gener ipsius Brogitarus, qui id numquam à Senatu postulaverat, sed pecuniâ tantum de eo per syngrapham cum Clodio pactus fuerat, Rex appellari iustus est. Deiotarus verò partem eam legis quæ congruebat cum iudicio Senatus, ut ipse Rex esset, recepit, nullo nummo Clodio dato: Pessinuntem verò in pristinâ religione servavit; maluitque generum munere Clodii, quàm illud fanum antiquâ suâ religione carere. [*M. Cicero, de Aruspicum respons. & pro P. Sextio.*]

Idem quoque Clodius, ut Ptolemæum Cypri regem, Ptolemæi Auletæ regis Alexandrini fratrem (& omnibus morum vitiis, si Velleium Paterculum audimus, illi simillimum) quòd ipsum à piratis captum olim neglexisset, ulcisceretur, quum avito regali otio quietus ille perfrueretur, causâ incognitâ ac nullâ commemoratâ injuriâ, de regno ejus in provinciæ formam redigendo & de pecuniâ & bonis ejus omnibus publicandis legem tulit: & sub honorificentissimo ministerii titulo, Marcum Catonem à republicâ relegavit; lege quoque latâ, ut ille, licet perinvitus, ad rem administrandam cum prætorio imperio, adjecto etiam quæstore, in Cyprum mitteretur. [*Cicero, pro P. Sextio, & pro domo suâ. Liv. lib. 104. Florus, lib. 3. cap. 9. Strabo, lib. 14. pag. 684. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 45. Plutarch. in Catone minore. Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 441. Dio, lib. 38.*] de quo, in Sextianâ oratione, Cicero. *Ille Cyprius miser, qui semper socius, semper amicus fuit, de quo nulla unquam suspicio durior aut ad Senatum aut ad imperatores nostros allata est, vivus (ut aiunt) est & videns, cum victu ac vestitu suo publicatus. En, cur ceteri reges stabilem esse suam fortunam arbitrentur, quum hoc illius funesti anni perditio exemplo videant, per tribunum aliquem & sexcentas operas, se fortunis spoliari & regno omni posse nudari.* Unde & Ammianum Marcellinum [*libro 14.*] dicere non piget; avidè magis (ob ærarî sui angustias) hanc insulam populum Romanum invasisse, quàm justè. et Sextum Rufum, in Breviario: famosam divitiis insulam, paupertatem populi Romani & penuriam ærarîi, ut occuparetur, sollicitavisse; ita ut jus ejus avariùs magis quàm justius illi fuerint affecti.

Tigranes, regis Tigranis filius & hostis, in vinculis etiamnum jussu Pompeii apud L. Flavium, qui hoc anno Prætor fuit, detinebatur. Clodius tribunus plebis, pecuniâ corruptus, petiit à Flavio, ut ad coenam Tigranem adduci juberet, quòd eum videret. Adductum collocavit in convivio: atque vinculis exemptum dimisit liberum; nec repetenti Pompeio reddidit. Cùmque ad navem adductus, profugeret ille; tempestate delatus est Antium. Clodius tribunus ilico Sextum Clodium misit, ut eum ad se deduceret. Flavius quoque, re cognitâ, ad Tigranem corripendum profectus est. Ad quartum lapidem ab Urbe pugna facta est; in quâ multi ex utràque parte ceciderunt, plures tamen ex Flavii: inter quos & M. Papius eques Romanus publicanus, familiaris Pompeio. Flavius sine comite Romam vix

per fugit. Indignatos Pompeium Gabiniũque Clodius tribunus contumeliis infectatus est: eorũque affectas verberibus & vulneribus multavit, Gabinii consulis fasces confregit, facultatesque ejus sacras esse jussit. [*Cicero, pro domo sua. Ascon. Pedian. in orat. Miloniana. Plutarch. in Pompeio. & Dio, lib. 38.*]

Serapidem, & Isidem, & Harpocratem cum Cynocephalo, Capitolio prohibitos Piso & Gabinius Consules, everfis etiam aris eorum, abdicaverunt; turpium & otiosarum superstitionum vitia cohibentes. [*Tertullian. in Apologetico.*]

Ptolemæus Auletes, Cyprum à Romanis poscere, aut amicitia eorum renuntiare, ab Ægyptiis jussus, non parebat. Et tum ob hanc causam, tum ob ingentia tributa quæ vi ab Ægyptiis exigebat, ut æs alienum dissolveret, quod in emendâ Romanorum societate contraxerat, in odia eorum incurrit. Itaque quum neque persuadere eis ut quiescerent, neque vi eos adigere posset, (conducticios enim milites nullos habebat:) ex Ægypto aufugiens, Romam navigavit. [*Liv. lib. 104. Dio, lib. 39.*] ut Pompeius & Cæsar ipsum cum exercitu reducerent. [*Plutarch. in Catone minore.*] Timagenes tamen (qui sub Augusto historias scripsit: de quo Seneca, lib. 3. de Irâ, cap. 23.) sine causâ Ptolemæum & nullâ compulsam necessitate discessisse affirmat; ac Theophanis suafu, Pompeio quæstus occasionem & novorum bellorum materiam parantis, Ægyptum reliquisse. [*Idem, in Pompeio.*]

Catoni ad Cypriacam expeditionem proficiscenti Clodius tribunus neque navem, neque militem, neque ministrum attribuit, præter duos scribas; quorum fur & improbissimus alter, alter ipsius Clodii cliens erat. Quasi autem leve munus ei Cypri negotium imposuisset, insuper Byzantinorum exules imperavit ei reducere: moliens ut in tribunatu suo abesset Cato quàm diutissimè. [*Id. in Catone minore.*]

Cato per Canidium amicum, quem præmisit in Cyprum, egit cum Ptolemæo ut sine certamine cederet; ostensâ spe, neque inopem neque abjectum ipsum victurum: sacerdotium enim ei Veneris Paphiæ populum daturum. Interim Rhodi ipse substitit, simul & apparatus intentus & responsum operiens: [*Id. ibid.*] Ptolemæus verò, quum quid de se decretum esset percepisset, & neque arma sumere adversus Romanos auderet, neque regno exutus vitam sibi ferendam duceret; omni pecuniâ impositâ navibus in altum processit, ut classe perforatâ suo arbitrio periret, & ut hostes prædâ carerent. Sed cum non sustinuisset mergere aurum & argentum, futurum suæ necis præmium domum revexit, haustoque veneno vitam finit; titulo Rex insulæ, animo autem pecuniæ miserabile mancipium. [*Id. ibid. Florus, lib. 3. cap. 9. Strabo, lib. 14. pag. 684. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 45. Valer. Maxim. lib. 9. cap. 14. Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 441. Dio, lib. 39. Ammian. Marcellin. lib. 14. Sextus Rufus, in Breviario.*]

Ptolemæus Auletes Romam navigans, quum Rhodum appulisset, ibique Caronem convenire vellet, misit ad eum; sperans illum ad se venturum. Is verò Ptolemæum jussit, si ei visum esset, ad se venire.

Post-

Postquam ille venit, neque obviam ei processit, neque assurrexit; sed quasi unum de vulgo salutavit, & asidere iussit. Id primum commovit illum: qui miratus est tantum in populari & exiguo ornatu supercilium & severitatem. Ubi sermonem deinde de rebus suis exorsus est, inculcavit eum Cato, quod tantâ relictâ felicitate, tantis sese subiecisset indignitatibus, laboribus, largitionibus, & avaritiæ principum Romanorum; quos redacta in argentum Ægyptus vix esset expletura. Consulebátque ut cum classe reciperet se, & cum civibus rediret in gratiam: comitem etiam seipsum offerens & in reconciliando adiutorem. Rex, quasi ex insaniâ & amentia ab eâ oratione ad mentem reductus, veritate perspectâ & Catonis prudentiâ, instituit illius uti consiliis. Cæterum aversus iterum ab amicis, ut primum Romam apulit, atque ad fores unius accessit in magistratu positi; deflevit inconsulta sua cœpta, quod divina tanti viri fastidivisset oracula. [*Plutarch. in Catone minore.*] Romanis verò adventus ejus ex alterâ parte tantam postea exhibuit molestiam; ut M. Crassus (referente Cicerone in oratione pro Cœlio) de eo illud Tragoedi usurpaverit: *Ultimam ne in monte Pelio.*

Alexandrini, quum Ptolemæi profectionem in Italiam ignorarent, mortem oppetiisse arbitrati, filiam ejus Berenicen, quæ legitima erat, unâ cum seniore ejus sorore Tryphânâ (quæ & Cleopatra senior) regno præfecerunt. [*Strabo, lib. 17. pag. 796. Dio, lib. 39. Porphyrius, in Græc. Eusebii. Scaligeri, pag. 226.*] Miseruntque Menelaum & Lamponem & Callimandram ad Antiochum Pium (vel Asiaticum potiùs illius filium; quem Pompeius Syriæ regno exuerat) ut simul cum foeminis in Ægypto regnaret. Sed ille, morbo correptus, interiit. [*Porphyr. ibid. pag. 227.*]

Ambo Consules paludati in provincias exierunt, Piso in Macedoniam, Gabinius in Syriam: populo execrationibus eos prosequente. [*Cicero, pro Sextio; & in L. Pisonem.*] Quum autem Gabinius, in Syriam navigaturus, M. Antonium (qui postea Triumvir fuit) ad captandum militiâ invitaret, abnuvit privatum sequuturum se: sed delatâ sibi equitum præfecturâ, sequutus est illum ad bellum. [*Plutarch. in Antonio.*]

T. Ampius, operâ P. Clodii tribuni plebis, Ciliciam provinciam extra ordinem obtinuit. [*Cicero, pro domo sua: cum lib. 1. ad Familiar. epist. 3.*]

De rebus Gabini in profectione, & primo adventu in Syriam ita meminit in oratione de Provinciis Consularibus M. Cicero. *Ejus iter in provinciam fuit ejusmodi, ut rex Ariobârzanus consulem vestrum ad eadem faciendam, tanquam aliquem Thracem, conduceret. Deinde adventus in Syriam primus, equitatus habuit interitum: post concise sunt optime cohortes. Cujus amissionis equitatus & cohortium idem etiam in oratione pro Sextio refricat memoriam.*

1947

Quum magna vis pecuniæ à Ptolemæo Cypriorum rege relictâ diceretur, decrevit Cato Byzantium primò proficisci. In Pamphylia fororis ejus filius M. Brutus (Julii Cæsaris postea interfector) colligendi sui ex imbecillitate gratiâ tunc agebat. Ei, ut quamprimum inde

inde in Cyprum navigaret, scripsit Cato: quòd Canidium in tractandis pecuniis temperatas non habiturum manus suspicaretur. Quam profectiorem Brutus suscepit perinuitus: tum Canidii verecundiã, ut ignominiosè à Catone habiti; tum prorsus ejuscemodi actum & procurationem, utpote juvenis & literis deditus, neque liberalem censens neque se dignum. Attamen ita curam hîc intendit, ut fuerit à Catone commendatus. [*Plutarch. in Catone, & in Bruto.*]

Alexander Aristobuli filius, qui à Pompeio ex itinere fugerat, Judæam incursionibus vexabat: Hyrcano jam non valente ei resistere, & de muris Hierosolymorum reficiendis cogitante, quos Pompeius dejecerat; à quo tamen conatu Romani qui ibi erant eum cohiberunt. Alexander verò pervagando regionem multos Judæos armavit: collectisque properè decem millibus peditum & 1500 equitibus, munionibus firmavit Alexandrium castellum juxta Coreas situm, & Hyrcanium, & Machæruntem non longè à montibus Arabum. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 6. & lib. 14. Antiquit. cap. 10.*]

Adversus hunc expeditionem suscepit Syriæ præses A. Gabinius: præmissis M. Antonio cum aliis ducibus. Hi conjuncti cum Judæis in officio manentibus, quorum duces erant Pitholæus & Malichus, assumptis etiam Antipatri auxiliis; occurrerunt Alexandro, sequente cum reliquo exercitu Gabinio. Alexander recepit se propius Hierosolyma: ubi conferto prælio, Romani occiderunt hostium circiter tria millia, neque pauciores ceperunt. Gabinius autem ubi Alexandrium castellum venit, conclusos ad pacem invitavit, veniam præteritorum pollicendo. Et cum multi hostium extra castellum stationem haberent, Romani eos adorti sunt: ubi multis cæsis egregiam operam navavit M. Antonius. [*Id. ibid.*] Qui hospitio ab Antipatro amicissimè exceptus, quum Triumvir post annos 16 in Syriam venisset, erga filios illius Phasaëlum & Herodem humanitatis hujus non immemorem se fuisse ostendit. [*Id. lib. 1. Belli, cap. 10. & lib. 14. Antiquit. cap. 23.*]

Gabinius, relicta ad Alexandrii oppugnationem parte exercitus, ipse reliquam Judæam perlustravit: & quotquot invenit urbes dirutas, ædificari mandavit. Atque hoc pacto Samaria, Azotus, Scythopolis, Anthedon, Apollonia, Jamnia, Raphia, Dora, Marissa, Gaza, atque aliæ non pauca instauratae sunt: quorum posthæc habitatio tuta permanfit, cum antè longo tempore deserta fuissent.

His ita per regionem dispositis, ad Alexandrium reversus est Gabinius: & cum intenderetur oppugnatio, per legatos veniam petiit Alexander; offerens castella Hyrcanium & Machæruntem, & postremò Alexandrium. Quæ quidem Gabinius omnia, consilio matris Alexandri, funditus diruit; ne rursus belli alterius receptaculum forent. Mulier enim de marito & liberis, qui captivi Romam abducti fuerant, sollicita, Romanis favebat; & Gabinium omnibus obsequiis prosecuta, quicquid ab eo petiit impetravit. [*Id. lib. 1. Belli, cap. 6. & lib. 14. Antiquit. cap. 10.*]

Mox Gabinius, rebus dispositis, Hyrcanum Hierosolyma deduxit: curaque Templi & Sacerdotii ei demandata, cæteris Reipublicæ partibus

465757

tibus optimates præfecit; & constitutis quinque juridicis conventibus, in totidem æquales partes totam provinciam distribuit: ita ut alii Hierosolymis, alii Gadaris (al. Doris) alii Amathunte, alii Jerichunte, alii Sepphoris jura peterent. Atque ita singulari unius dominatione Judæi liberati, aristocraticè libenter regebantur. [*Id. ibid.*]

Philippus Evergetes Antiochi, Grypi & Tryphænæ, filia Ptolemæi octavi Ægyptiorum regis, filius (qui ante annos 35 Syriæ rex fuerat) ab Alexandrinis ad Ægypti regnum capessendum accersitus, à Gabinio Syriæ præside est cohibitus. [*Porphyr. in Græcis, Eusebian. Scaliger. pag. 227.*]

Ptolemæus Auletam Romæ Pompeius suscepit & Senatui commendavit, ac de reductione ejus egit. [*Strabo, lib. 17. pag. 796.*] Ptolemæus verò, ut à Cornelio Lentulo Spinthere Consule, cui provincia Cilicia mandata erat, restitueretur petiit. [*Dio, lib. 39.*] ipsoque Lentulo refereate, ut ab eo reduceretur, Senatusconsultum factum est. [*Cicero, lib. 1. ad famil. epist. 1. cum orat. in L. Pisonem, & pro Rabirio Postumo.*]

Atque ab eodem Consule datum fuisse consilium dicebatur, ut Pompeio omnis potestas rei frumentariæ per totum imperium Romanum terrâ marique tribueretur: ut majore imperio ita Pompeio adstricto, ipse regi Ptolemæo mitteretur auxilio. [*Plutarchi in Pompeio.*]

Alexandrini centum viros Romam ablegaverunt, qui & contra Ptolemæi accusationes ipsos defenderent, & vicissim ipsum de illarum injuriis accusarent. Cujus legationis Dio Academicus princeps fuit. [*Strabo, lib. 17. pag. 796. Dio, lib. 39.*]

Ptolemæus, emissis in omnes partes certis hominibus, legatis insidias posuit, ac plerosque in ipso itinere interfecit: cæteros partim in ipsâ urbe occidit, partim injecto terrore, aut pecuniis corruptos, eò perduxit, ne causam cujus gratiâ missi erant apud magistratus agerent, ullamve interemptorum mentionem facerent. [*Dio, ibid.*] Quò spectat, quod de legatis Alexandrinis contra jus factique interfectis, in oratione de Aruspicum responsis; & quod de Alexandrinorum pulsatione Puteolanâ, in oratione pro Cœlio, habet Cicero.

Hæc res in tantum rumoribus vulgo jactabatur, ut Senatus vehementer indignaretur, eos singulatim movente Marco Favonio: quòd & multi sociorum legati Romam missi (quorum unum Theodosium, legatum ad Senatum à civitate liberâ missum, P. Clodii & Hermachi Chii operâ Cicero de Aruspicum responsis sicâ percussum commemorat) per vim vitâ spoliati essent; & quòd magnus eo tempore Romanorum esset numerus, qui muneribus se corrumpi visissent. Itaque principem legationis Dionem ad se vocaverunt; ut ab eo de veritate rei fierent certiores. Sed adhuc tantum pecuniâ poterat Ptolemæus, ut neque Dio in senatum venerit, neque ulla de cæde interemptorum mentio, quamdiu ipse Romæ fuit, fieret. [*Dio, ut supra.*]

Tandem verò Dio quoque ipse, homo doctissimus, qui tum apud

L. Luceium (hominem item eruditissimum: à quo, in libro 5. ad familiar. epist. 12. petit Cicero, ut res à se in Consularu gestas litteris mandet) qui fuerat ei cognitus Alexandria, habitabat, per insidias est necatus. Cujus cædis neque P. Ascitius, qui ut ejus conscius accusatus est, neque Ptolemæus ullas poenas dedit. Judicio enim liberatus est Ascitius: Regem verò domi suæ accipiebat Pompeius, & enixè juvabat. Et licèt multi, quòd se muneribus corrumpi passi essent, insequenti tempore in judicium essent pertracti; pauci tamen convicti sunt: quòd quum essent complures eidem crimini obnoxii, unusquisque sibi metuens alteri auxilium ferebat. Ea tum mortales pecuniæ studio perpetrabant. [*Cicero, in orat. pro Cælio. Dio, lib. 39.*]

M. Cato, reconciliatis exulibus cum cæteris civibus compositòque concordia Byzantio, in Cyprum navigavit: quem haud gravatim Cyprii receperunt, pro servis se jam deinceps amicos sociòsque populi Romani futuros sperantes: Amplum verò & regium in poculis, mensis, gemmis, purpurâ, invenit ibi Cato apparatus: quem cum distrahendum & redigendum in argentum curavisset, paulo minus septem millia argenti talentum inde coëgit. [*Plutarch. in Catone minore, & Bruto. Strabo, fin. lib. 14. Dio, lib. 39.*]

Hic verò curiosè omnia quum vellet ille persequi, omniâque ad summum intendere pretium, atque ipse interesse omnibus & adhibere extremum calculum, ne consuetudini quidem fori credidit; verùm simul omnes suspectabat apparitores, præcones, sectores, amicos. Ipse denique cum licitantibus colloquebatur seorsim, & propellebat singulos, atque eâ ratione pleraque promercialia addixit. Quare tum multos amicos quasi diffidens eis offendit, tum intimum omnium Munatium ad offensionem lacepsivit propè implacabilem. Et Julio Cæsari Anticatoem postea scribenti materiam dedit criminandi locus hic amarissimam. Munatius enim hic (cui Rufi cognomentum tribuit Valerius, lib. 4. cap. 3.) de Catone & expeditione ejus Cypriacâ commentarium edidit; quem potissimum est Thraseas securus. In quo tamen commentario, non ex Catonis diffidentia extitisse scribit Munatius istam simultatem: sed quòd, cum seridus ipse in Cyprum venisset, Cato eum neglexit, & Canidium, qui initio adfuerat fidemque & abstinentiam suam ei probaverat, ipsi prætulit. [*Plutarch. in Catone.*]

Extremo Consulatus sui mense (in Septembrem Julianum tunc incidente) quando novi tribuni plebis magistratum inierunt, P. Cornelium Lentulum Spintherem iter in Ciliciam provinciam suam paravisse, & Ptolemæum Auletam Româ discessisse, locus ille ex lib. 22. Annal. Fenestellæ à Nonio Marcello citatus ostendit. *Ut magistratum inierunt Tribuni, C. Cato turbulentus adolescens & audax, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduè invidiam & Ptolemæo simul, qui jam profectus ex Urbe erat, & P. Lentulo Consuli, paranti jam iter, concitare secundo quidem populi rumore capis.* A Cicrone verò causa Ptolemæi defensa est: ut & ipse in oratione pro Coelio subindicat, & Fortunatianus apertius confirmat, orationem ejus de rege Ptolemæo nominatim citans.

Initio

3948

Initio Consulatus L. Marcii Philippi & Cn. Lentuli Marcellini, statua Jovis in Albano monte coelitus tacta, restitutioni Ptolemæi aliquantum moræ injecit. Quum enim Sibyllini libri consularentur: Regem Ægypti *dolosus consilius* (ut apud Ciceronem est, in orat. pro Rabirio Postumo) Romam venturum, Sibylla prædixisse dicebatur; & de ejus susceptione, in hanc sententiam (ut habet Dio) pronuntiâsse. *Si rex Ægypti auxilii alicujus indigens venerit, amicitiam ei ne denegaveritis, nullis autem copiis eum adjuveritis: sin secus feceritis, labores & pericula habebitis.* Quod oraculum in populum evulgatum est, C. Catonis tribuni plebis operâ. non enim licebat Sibyllinum ullum carmen populo enuntiare, nisi id Senatus decrevisset: quantoque minus id licere videbatur, tanto plebs ægrius rem ferebat. Veritus itaque Cato ne sententia oraculi supprimeretur; eam Latinè redditam Pontifices ille plebi exponere coëgit, priusquam Senatus quicquam eâ de re statueret. [*Dio, lib. 39.*] Hæc tamen opinio populi Romani fuit, à Lentuli Spintheris (Ciliciæ Proconsulis) obrectatoribus nomen inductum fictæ religionis fuisse: neque tam ut illum impedirent, quàm ut nequis propter exercitus cupiditatem (quem inter alios Pompeius maxime ambiebat) Alexandriam vellet ire. [*Cicero, lib. 1. ad familiar. epist. 4.*]

Ammonius Ptolemæi legatus, reductionem regis per Spintherem aperte pecuniâ oppugnabat. Pauci illi qui Regis causæ bene volebant, omnes rem ad Pompeium deferri volebant. Senatus religionis calumniam, non religione sed malevolentia & illius regis largitionis invidia, comprobabat. [*Id. ibid. epist. 1.*] Et, quasi rei religionis obfisti jam non posset, factum est Senatusconsultum, cum multitudine Regem reduci, periculosum Reipublicæ videri. [*Id. ibid. epist. 2. & lib. 2. ad Quint. frat. epist. 2. cum Appiano, in Syriac. pag. 120. & Parthic pag. 134.*]

Ptolemæus, oraculo intellecto, pro Spinthere dari Pompeium sibi ducem petiit: inventique libelli sunt per forum & in Curiâ disseminati, quibus id significabatur. Unde Regis hæc de re litteris ab Aulo Plautio tribuno plebis publicè recitatis, collega ejus Caninius (apud Plutarchum *Canidius* perperam dictus) legem tulit, ut sine exercitu Pompeius duobus lictoribus comitatus Regem cum Alexandrinis in gratiam reduceret. Quæ lex licet Pompeio displiceret non videretur, ne hæc ipsa tamen res cum adhuc majorem efficeret; à Senatoribus sub prætextu partim mandatæ annonæ partim salutis ipsius (uti meture præ se ferebant) explosa ea est. [*Plutarch. in Pompeio. Dio, lib. 39.*]

In Senatu autem hæc de re variæ fuerunt sententiæ. Bibulus, ut à tribus legatis, ex iis qui privati essent; Crassus, ut à tribus legatis, sive privatis, sive in imperio constitutis: Volcatius, Lupo tribuno plebis referente, (cum quo Afranius, Libo, Hypsæus, & Pompeii familiares omnes concurrabant) ut à Pompeio, Hortensius, Lucullus & Cicero, ut à Lentulo Spinthere, Ptolemæus sine exercitu reduceretur, censuerunt. Servilius verò reduci eum omnino negavit oportere. [*Cicero, lib. 1. ad familiar. epist. 1. & 2.*]

O O 2

Mense

Mense Febuario (sive Novembri Juliano) C. Cato tribunus plebis legem promulgavit de imperio Lentuli abrogando, quod filio ejus vestitum mutandi occasionem dedit: ut in lib. 2. ad Quintum fratrem epist. 3. M. Cicero memorat: quod de Ptolemæi in regnum reducendi imperio, ex Senatusconsulto in Consulatu ipsi concessio, intelligendum. Ciliciæ enim proconsulatum, Cypri etiam (M. Catone inde discedente, tributariæ factæ, ut in libro 14^o Ammianus Marcellinus, & in prætoriarum provinciam à Romanis redactæ, ut in fine libri 14 Strabo indicat) adjectione auctum; ex Ciceronis ad eum scriptis epistolis (lib. 1. ad familiar. epist. 7. & sequentibus) post legis hujus promulgationem retinuisse ipsum constat.

Ptolemæus, cum neque per Pompeium (quod maximè cupiebat) neque per Lentulum reduci se in regnum posse videret, de reditu jam desperans, Ephesum profectus in Dianæ templo commoratus est. [*Dio, lib. 39.*]

Aristobulus, cum filio Antigono, Româ elapsus in Judæam reversus est: ubi magnâ iterum Judæorum manu constatâ, partim mutationis cupidorum partim quibus olim dilectus erat, Alexandrium recens dirutum denuò munire conatus est. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 6. & lib. 14. Antiquit. cap. 11.*]

Adversus eum hæc molientem præses Syriæ Gabinus milites misit, ducibus Sisennâ (filio) Antonio & Servilio; qui Alexandrium occupari non sinerent, & darent operam ut ipsum comprehenderent. Ad Aristobulum verò & alii multi Judæorum propter nominis celebritatem confluerunt, & Pitholaus Hierosolymorum præfectus cum mille armatis transfugit. Cùmque in eo confluxu multi fuissent non satis armis instructi, Aristobulus, iis ut inutilibus dimissis, assumptisque armatorum octo tantum millibus (inter quos Pitholaus erat cum suis) Machæruntem contendit. Eos secuti sunt Romani: habitoque conflictu, aliquamdiu pars Aristobuli fortiter dimicando perseveravit, donec quinque virorum millibus desideratis terga vertere coacta est. Prope verò ad duo millia in quendam tumulum confugerunt: unde dilapsi, ut quisque potuit, salutem sibi quæsierunt. Cæteri mille cum Aristobulo, perruptâ Romanorum acie, Machæruntem perfrugerunt, castrumque munire cœperunt. Sed non ultra biduum oppugnationem sustinere valens Aristobulus, multis acceptis vulneribus captivus, cum Antigono filio, ad Gabinium adductus est. [*Id. ibid.*]

Plutarchus in *Antonio* rem gestam ita amplificat; victoriam totam Antonio acceptam referens. *Adversus Aristobulum, qui Judæos ad rebellandum sollicitaverat, missus, amplissima arcis muros primus transcendit, presidiiisque illum omnibus exiit reliquis. Inde signis collatis ingentes copias ejus parvâ manu fudit, paucisque demptis occisione eas occidit. Ipse unâ cum filio Aristobulus captus est.* Dio, lib. 39. non ita rectè, ipsum Gabinium in Palæstinam profectum, Aristobulum (qui Româ profugus, tumultus aliquos ciebat) comprehendisse & Pompeio misisse scribit; imperatoremque Judæis stipendio, inde in Ægyptum, ad reducendum Ptolemæum profectum esse.

Tyrannio, in ædibus M. Ciceronis docens, Bibliothecam illius pulcherrimè

cherimè disposuit; Dionysio & Menophilo, librariis ab Attico mis-
sis, usus administris. [*Cicero, lib. 2. ad Quint. frat. epist. 4. & lib. 4. ad
Attic. epist. 4. & 8.*] Tyrannio videlicet Amisenus; qui (ante annos
14) à Lucullo captus, & Romæ clarus ac dives factus, librorum ul-
tra 30 millia sibi comparavit. [*Suid. in voc. Τυραννίου.*] qui ex Syllanâ
bibliothecâ libros Aristotelis describendos curavit: à quo Andro-
nicum Rhodium exemplaria ferunt accepisse, easque quas habemus
Aristotelis tabulas evulgasse. [*Strabo, lib. 13. pag. 608. & Plutarch. in
Syllâ.*]

In Cyprico negotio administrando, abstinentiæ & continentiæ
M. Catonis testes producit Valerius, [*lib. 4. cap. 3.*] *Epirum, Achaiam,
Cycladas insulas, maritimam partem Asia, provinciam Cyprum. unde quum
pecunie deportanda ministerium sustineret, tam aversum animum ab omni
venere quam à lucro habuit; in maximâ utriusque intemperantia versatus
materiâ. nam & regia divitiis potestate ipsius continebantur, & fertilis-
sima deliciarum totius Græciæ urbes necessaria totius navigationis diverti-
cula erant. Atque id Munatius Rufus, Cypricæ expeditionis fidus comes,
scriptis suis significat.*

Longam navigationem veritus Cato, multa vasa paravit; quo-
rum singula bina talenta & 500 drachmas capiebant. Singulis longum
alligavit funiculum, cujus capiti corticem suberis prægrandem an-
nexuit; ut, si fractum esset navigium, alligatus ab imo locum com-
monstraret. Atque argentum quidem omne, pauco excepto, pro-
sperè transvectum est. At rationes omnium quæ procuraverat habebat
in duobus codicibus diligenter descriptas: quorum alterum libertus
ejus Philargyrus ferens, quum ex Cenchreis solvisset, demerso na-
vigio unâ cum sarcinis amisit; alterum ipse Corcyram usque serva-
verat. verum quum in foro tetendisset, nautæ autem crebras pyras
ob gelu nocte incendissent; inflammatis tentoriis simul codex est
desideratus. Quamvis verò inimicos quidem & calumniatores red-
dituri erant procuratores præsentis regii elingues: pupugit tamen
res Catonem; qui non ad suam probandam fidem confecerat ratio-
nes, sed sedulitatis præbere aliis exemplum gestiebat. [*Plutarch. in
Catone minore.*]

Ita Cyprias ille opes, velut hostiles exuvias classi impositas, li-
burnis per Tiberinum ostium maximâ cum diligentia in Urbem de-
portavit. [*Florus, lib. 3. cap. 9. Vellei. Patere. lib. 2. cap. 45. Valer. Maxim.
lib. 4. cap. 1. Ammian. Marcellin. lib. 14.*] quam rem latius ærarium po-
puli Romani quàm ullum triumphum implevisse, affirmat Florus.
[*ut supr.*]

Catonis adventu Romæ nuntiato, ilicò omnes magistratus &
sacerdotes, unâ cum Consulibus (quorum alter, L. Marcius Philip-
pus, Marcie uxoris Catonis pater fuit) universo Senatu & frequenti
populo obviam ei ad flumen prodierunt, & ripas utrinque comple-
verunt: nihilque à triumphi specie & splendore discessit ejus subve-
ctio. Cujus tamen in eo notata est insolentia, quòd ad Consules
& Prætores effusos obviam non descenderit, neque cursum inhibu-
erit, sed hexeri regiâ ripam prævectus non antè egressus fuerit quàm

ad eum locum classe fuerit navali investus, ubi erat exponenda pecunia. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 45. Plutarch. in Catone minore.*] Nave nihilominus egredienti Consules & cæteri magistratus, & universus Senatus populûsque Romanus officii gratiâ præstò fuit: non quòd magnum pondus auri & argenti, sed quòd M. Catonem classis illa incolumem advexerat, lætatus. [*Valer. Maxim. lib. 8. cap. ult.*]

Translatæ per forum pecuniæ, speratâ longè majoris, cepit populum admiratio. [*Plutarch.*] Et quia multis mancipiis pecuniisque ex facultatibus regiis collectis, Cato nulli in se repetundarum accusationi locum dederat, sed ab omni crimine liber cuncta Romanis tradiderat; tandem rei bene gestæ non minorem, quàm si victor è bello rediisset, honorem adeptus fuit. Quòd enim complures muneribus se corrumpi paterentur, id effecerat, ut pecunias despiciere quàm hostes superare rior virtus haberetur. [*Dio, lib. 39.*]

Unum ex Cypriâ hâc legatione philosophum deportavisse Catonem, refert Plinius. [*lib. 7. cap. 30.*] Niciæ regio procuratori, de ejus fide & diligentia testatus, Cato libertatem à Senatu obtinuit. [*Plutarch. in Catone.*] Clodius servos ex Cypro advectos, *Clodios* nominare intendit, quòd ipse Catonem eò amandasset: sed quia Cato obstabat, non obtinuit. Igitur eis *Cypriorum* cognomen datum est. nam ne *Porcios* quidem eos nominari, quod nonnulli instituerant, Cato passus est. [*Dio, lib. 39.*]

Clodius Catoni, quòd sibi se opposuisset, succensens, administrationem ejus calumniis impetiit, rationesque eum actorum suorum postulavit: non quòd putaret se cum alicujus injusti facti posse arguere; sed quia naufragio commentarii Catonis ferè omnes perierant, id pro se nonnihil facturum Clodius arbitrabatur. Adjuvit in hoc etiam negotio Cæsar Clodium, quanquam absens: & (ut quidam referunt) accusationes ei contra Catonem per litteras misit. [*Dio, ibid.*] Cato verò tantum prædicavit se ex Cypro argenti Reipublicæ coëgisse, quum ne unum quidem equum vel militem ipse accepisset, quantum ex tot bellis & triumphis concusso orbe terræ non retulisset Pompeius. [*Plutarch. in Catone minore.*]

M. Ciceroni, nihil eorum quæ Clodius in tribunatu gessisset ratum habendum esse in Senatu contendenti, M. Cato se opposuit: non in gratiam Clodii, sed quòd inter illius acta rescindenda quoque esset ipsius in Cypro procuratio, ut ex illegitimi rogatione tribuni missi non legitimè. [*Plutarch. ibid. & in Cicerone.*]

Phraati II. à filiis per scelus sublato Orodes in Parthorum regno successit: fratre suo Mithridate ex Mediâ, cui imperabat, ejecto. Ita in libro 39^o, Dio. Verùm filius de regno contendentibus, Orodes ipse primùm, deinde Mithridates in exilium pulsus fuisse videtur. Orodem verò ab exilio reduxit Surenas, vir opibus, genere atque auctoritate inter Parthos post regem secundus; cui prærogativa erat gentilitia, ut novo regi Parthorum primus diadema imponeret. Hic enim Seleuciam magnam in Orodis potestatem redegit; ante alios ascensis mœnibus, profligatisque suâ manu propugnatoribus. Et quum nondum trigessimum annum exegisset illo tempore, summam tamen

tamen consilii & prudentiæ existimationem est consecutus. Hæc enim de eo referunt, Plutarchus in *Crasso*, & Appianus in *Parthicis* [pag. 140, 141.] Qui idem Appianus tamen, tum in *Parthicis*, [pag. 134.] tum in *Syriacis*, [pag. 120.] aliâ vice Mithridatem à fratre Orode regno Parthico pulsus fuisse agnoscit. Quanquam Mithridatem propter crudelitatem regno à senatu Parthico pulsus fuisse, & fratrem ejus Orodem regnum vacans occupavisse, in lib. 42. cap. 4. Justinus significet. licet ibi Mithridatem hunc cum Mithridate Parthorum rege, cui res gestæ Magni cognomen dedere, eundem perperam faciat: quum inter Magnum illum & hujus fratrem Orodem, *variam complurum regum in Parthis successionem* extitisse, vel ex ipso Prologo libri 42 Trogi Pompeii (cujus epitomen Justinus nobis dedit) satis appareat.

Regno, sive à senatu Parthico, sive à fratre Orode pulsus Mithridates, ad Gabinium Syriæ Proconsulem, expeditionem in Arabes tum parantem, venit: cumque permovit, ut ommissis Arabibus contra Parthos duceret, ipsumque in regno recuperando adjuvaret. [*Appian. in Syriacis, pag. 120. & Parthicis, pag. 134. Dio, lib. 39.*]

Idibus Maiis (in Februarium Julianum incurrentibus) lectis in senatu frequenti litteris A. Gabinii de re bello cum maximis Syriæ gentibus ac tyrannis (quo nomine, Judææ, Commagenæ, Chalcidis, Eme sæ, Trachonitidis, Batanææ, & Abilenæ principes appellari solebant) bene gestâ fides non est habita; & supplicatio, quam eo nomine in templis Romæ faciendam petiit, denegata. [*Cicero, lib. 2. ad Quint. frat. epist. 7. orat. de provinciis Consularib. & in L. Pisonem.*]

Quum Gabinius Aristobulum regem cum filius Romam misisset: illum quidem Senatus in vinculis ibi detinuit, filios autem in Judæam mox remisit; quod ex Gabinii litteris cognovisset, matri eorum pro traditione castellorum promissum illud fuisse. Ita Josephus lib. 1. Belli ca. 6. & lib. 14. Antiqu. cap. 11. ubi regnum simul & Pontificatum per annos tres & menses sex obtinuisse Aristobulum addit: quod Arabicus historiæ Judaicæ collector (ad calcem Bibliorum πολυγλώτων Parisiensium editus) capitulo 40. de prioris principatus spatio accipit; *donec captivus adductus est primâ vice*: quum de priore illo & posteriore hoc, simul sumpto, intelligendum potius fuisse videatur. ut ante priorem quidem captivitatem annos tres & menses totidem (ut in lib. 20. Antiquit. cap. 8. disertè Josephus confirmat) post reditum verò ex urbe Romanâ, & ante secundam captivitatem tres alios menses in regno ille exegerit.

M. Cicero, oratione de Provinciis Consularibus in Senatu habitâ, ut L. Pisonem & A. Gabinio (quibus Consulibus ipse in exilium pulsus fuerat) revocatis, eorum provinciæ, Macedonia & Syria, futuris Consulibus decernerentur, suavit: ista, inter alia, Gabinio obijciens. *In Syriâ, imperatore illo, nihil aliud actum est, nisi pacationes pecuniarum cum tyrannis, decisiones, direptiones, latrocinia, caedes; cum populâ Romani imperator, instructo exercitu, dexteram tendens, non ad laudem milites hortaretur, sed omnia sibi & emptâ & emenda esse clamaret. Famam verò publicanos miseris tradidit in servitutem Judæis & Syris, nationibus*

bus natis servituti. Statuit ab initio, & in eo perseveravit, jus publicano non dicere; pactiones sine ullâ injuriâ factas rescidit, custodias sustulit, vectigales multos ac stipendiarios liberavit: quo in opido ipse esset, aut quò veniret, ibi publicanum aut publicani servum esse vetuit.

Gabinus, quum multis maleficijs Syriam afflixisset, adeoque plus damni quàm prædones, qui tum maximè vigeant, dedisset provinciæ; omnem quæstum quem inde ceperat pro minimo ducens, ad expeditionem in Parthos faciendam, quòd prædivites essent, animum adjecit, atque ad eam se paravit. [*Dio, lib. 39.*]

Gabinii amicus Archelaus fuit Comanorum in Ponto à Pompeio Pontifex constitutus. (ut suprâ, ad annum Mundi 3940. est dictum.) Is cum Gabinio tunc degens, se ei socium in bello Parthico, quod ille parabat, futurum speravit: sed id Senatus non permisit. [*Strabo, lib. 12. pag. 558. & lib. 17. pag. 796.*]

Quum Gabinus, adversus Parthos ducto exercitu, Euphratem trajecisset; Ptolemæus Auletes cum litteris Pompeii advenit; magnamque pecuniam tum Gabinio, tum exercitui se, partim illico partim postquam restitutus esset, daturum pollicitus est. Decem millium talentum mercedem Gabinio ab illo fuisse oblatam, non solum Plutarchus sed etiam Cicero confirmat, in oratione pro Rabirio Postumo: ubi & bis millies atque quadringenties sestertium eam summam æstimat. Plerique duces refragati sunt; & Gabinus bellum hoc dubitavit suscipere, quamvis vehementer decem illis millibus talentum mancipatus. Antonius verò rerum avidus magnificarum, & Ptolemæo cupiens gratificari roganti, præsidè ei fuit ad inducendum atque incendendum ad suscipiendum hoc bellum Gabinium. Et tametsi lex vetaret, ut neque præfides provinciarum finibus excederent, neque arbitrio suo bella susciperent; atque etiam populus, Sibyllinorum carminum religione inductus, ne Ptolemæus reduceretur interdixisset: Gabinus tamen quanto magis id vetitum sciebat, tanto majorem inde quæstum fecit; Parthicoque negotio omisso, in Alexandrinos expeditionem suscepit. [*Joseph lib. 1. Belli, cap. 6. & lib. 14. Antiqu. cap. 11. Plutarch: in Antonio. Appian. in Syriac. pag. 120. & Parthic. pag. 134. Dio, lib. 39.*]

Regnum Ægyptiorum obtinebat câ tempestate Berenice, Auletæ filia: quæ ex Syriâ accersito quodam Seleuco, qui se è Syriacorum regum stirpe ferebat, cum & maritum appellavit & regni bellique consortem fecit. Hic turpissimarum fordium homo, (ut cum in *Vespasiano* describit Suetonius, cap. 19.) Ptolemæus *Cocces* & *Cybiosactes* & Παρσιωνίης sive *Subditivus* per contemptum cognominatus, aureum alveum, in quo Alexandri Magni corpus Alexandria conditum jacebat, rapuit: sed nullam è prædâ utilitatem percepit. Regina enim, ubi nullius pretii hominem vidit, intra paucas dies eum strangulavit; cum ejus sordes, illiberalitatemque pati non posset. Et cum ei jam quæreretur maritus regio sanguine natus; Archelaus ille Comanorum Pontifex in Syriâ tum degens, & filium Mithridatis Eupatoris (sub quo pater ipsius Archelaus contra Syllam & Romanos bellum gesserat) se esse simulans, per amicos quosdam ad regi-

reginam deductus est : à quâ, ut vir rebus gerendis aptus, eisdem quibus Seleucus conditionibus receptus, sex menses simul cum eâ regno potitus est. [*Sirabo, lib. 17. pag. 794. & 796. & lib. 12. pag. 558. Dio, lib. 39.*]

C. Clodius, P. Clodii frater, ex Præturâ (quam hoc anno eum gefisse, in libro 39 Dio indicat) Asiam provinciam obtinuit. [*Cicero, ad Attic. lib. 4. epist. 14.*] Cujus in eâ Quæstor C. Scribonius Curio fuit : ad quem Ciceronis, in libro 2^o ad Familiares, scriptæ epistolæ extant.

3949

Novis Consulibus, lege à C. Trebonio tribuno plebis latâ, ad quinquennium provinciæ decretæ sunt ; Cn. Pompeio Hispania & Africa, M. Licinio Crasso Syria cum vicinis regionibus : potestate utrique datâ, ut sumerent sibi quantum vellent militum ex civibus & sociis, bellumque & pacem cum quibus ipsis videretur contraherent. [*Liv. lib. 105. Plutarch. in Crasso, Pompeio, & Catone minore. Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 437, 438. Dio, lib. 39.*]

Crassus, mox ut sortitus est provinciam suam, gaudium suum dissimulare non potuit ; nihil unquam sibi accidisse feliciter existimans. Apud familiares autem multa vana effundebat & juvenilia. præter ætatem ac ingenium : non de Syriâ tantum & Parthiâ victoriam sibi prædestinans, sed usque ad Bactros & Indos Orientalémque Oceanum spes suas vanas proferens. Et quamvis in lege, quæ de imperio ejus lata erat, bellum Parthicum non fuerat adscriptum : sciebant tamen omnes Crassum in eam prædam inhiare ; & Cæsar ex Galliâ scribens, laudabat ejus propositum, & ut pergeret hortabatur. [*Plutarch. in Crasso.*]

A. Gabinus, relicto in Syriâ filio Sisennâ admodum parvo natu cum perpaucis militibus, atque ita provinciâ cui præfectus fuerat prædonum injuriis magis expositâ, per Palæstinam in Ægyptum profectus est. [*Dio, lib. 39.*] contra Archelaum, quem sibi regem asciverant Ægyptii. [*Liv. lib. 105.*] In quâ expeditione Hyrcano & Antipatro amicis usus est ad omnia quæ militiæ necessitas exigebat. Nam & pecuniâ & armis & frumento & auxiliis Antipater eum adjuvit. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 6. & lib. 14. Antiquit. cap. 11.*]

Quum iter per altum & siccum sabulum esset faciendum circa eluvium & Sirbonidis paludes, quas Typhonis exhalationes vocant Ægyptii : missus cum equitatu M. Antonius (quem tum juvenem præfectum equitum Gabinii fuisse, in lib. 5. Bell. civil. pag. 676. notat Appianus) non modò angustias occupavit, sed Pelusium quoque cepit, amplam urbem : [*Plutarch. in Antonio.*] Antipatri consilio Judæis, qui Pelusium accolebat ceu custodes Ægypti aditus, in societatem pertractis. [*Joseph. ut supr.*]

Ita in potestatem redacto Pelusii præsidio, simul iter præstitit Antonius exercitui securum, & spem imperatori victoriæ firmavit. Ptolemæus verò, simulatque Pelusium inivit, irâ & odio inflammatus Ægyptios trucidare instituit : sed intercedens Antonius, id prohibuit. [*Plutarch. in Antonio.*]

Pelusio duplici acie instructâ, progressus Gabinus, eâdem die Ægyptios

P P

gyptios

gyptios occurrentes fudit. [*Dio, lib. 39.*]

Cicero, Romæ oratione habitâ, Commageno regi ignobili non modò Zeugma opidulum in Euphrate positum extorsit, sed etiam multa in eum dicens, togam ejus prætextam, quam erat adeptus Cæsare Consule, magno hominum risui exposuit. [*Cicero, lib. 2. ad Quintum frat. epist. 11.*]

Idibus Februariis (in Novembrem Julianum incurrentibus) Tyriis est senatus datus frequens: frequentes contra Syriaci publicani. Vehementer vexatus est Gabinus: exagitati tamen à Domitio publicani, quòd eum essent cum equis persecuti. [*Id. ibid. epist. 12.*]

Circa IIII Kalendas Maias, (in Februarium Julianum incidentes) Puteolis magnum fuisse rumorem, Ptolemaum esse in regno, scribit Cicero. [*ad Attic. lib. 4. epist. 9.*] Et in Ægypto quidem ille tunc fuit; & adversarium Archelaum, opinione citiùs occurrentem, ceperat Gabinus ut jam ab eo nihil negotiù restaret. Sed veritus Gabinus ne, quasi nullâ magnâ re gestâ, minus pecuniæ quàm convenerat à Ptolemæo acciperet; ad hæc sperans, propterea quòd acris ac magni nominis Archelaus haberetur, majorem sibi pecuniæ summam futuram: in super ab ipso Archelao magnâ vi nummorum acceptâ, hominem, quasi is aufugisset, dimisit. [*Dio, lib. 39.*]

M. Antonius postea in præliis & certaminibus, quæ magna & crebra commissa fuerunt, multa fortitudinis & consilii imperatorii facta edidit: liquidissimè autem, quum circumdedit & circumvenit à tergo hostes, indèque victoriam in frontem incurrentibus paravit. Et horum causâ eximiis donis honoratus est. [*Plutarch. in Antonio.*]

Populus Ægyptius, ductu Archelai adversus A. Gabinium moenibus urbis egressus, quum castra vallo atque fossâ cingere jubere- tur, universus succlamavit, ut id opus publicâ pecuniâ faciendum locaretur. Quapropter deliciis tam enerves animi spiritum Romani exercitus sustinere non potuerunt. [*Valer. Maxim. lib. 9. cap. 1.*] Inde rursus & in flumine navibus, & terrestri pugnâ victoriam Gabinus obtinuit. Nam Alexandrinis quidem ad audienda omnia satis est animorum, naturâque sunt ad effutiendum linguâ quidvis quod eis ad animum acciderit maximè præcipites ac temerarii: & iidem ad bellum ejusque labores omnium ineptissimi: quanquam in seditionibus (quæ apud eos & frequentissimæ & maximæ eveniunt) ad cædes subinde deveniant, in iisque perire bonum quoddam in primis expectandum existiment. [*Dio, lib. 39.*]

Iis igitur victis Gabinus, occisòque præter alios in pugnâ Archelao, è vestigio omni Ægypto potitus est, eamque Ptolemæo reddidit. [*Dio, ibid. Liv. lib. 105. Strabo, lib. 12. pag. 558. & lib. 17. pag. 796.*] Quam totam causam ita perstringit Cicero, in oratione contra Pisonem de furore Gabini agens. *Effusâ jam maximâ prædâ, quam ex fortanis publicanorum, ex agris urbibusque sociorum exhausserat, cum partem ejus præda profunda libidines devorâssent, partem nova quadam & inaudita luxuries, partem etiam in illis locis ubi omnia diripuit emptiones, partem permutationes ad hunc Tusculani montem extruendum: cum illa ejus intermissa intolerabilis adificatio constisset; seipsum, fascis suos,*
exerc-

4659 55

exercitum populi Romani, numen interdictumque deorum immortalium, responsa Sacerdotum, auctoritatem Senatus, iussa populi, nomen ac dignitatem imperii, regi Egyptio vendidit. Cum fines provincie tantos haberet, quantos voluerat, quantos optaverat, quantos pretio mei capitis emerat, his se tenere non potuit. Exercitum eduxit ex Syria. qui licuit extra provinciam? Tribuit se mercenarium comitem regi Alexandrino. quid hoc turpius? In Egyptum venit: signa contulit cum Alexandrinis. quando hoc bellum aut hic ordo (Senatorius) aut populus susceperat? Cepit Alexandriam. quid aliud expectamus à favore ejus, nisi ut ad Senatum tantis de rebus gestis litteras mittat? Nullas tamen eum misisse, notavit Dio; ne ipse suorum facinorum delator existeret.

Interfecti Archelai corpus requisitum M. Antonius (cui cum illo familiaritas & jus hospitii intercesserat) regio cultu funeravit. Unde magnam is sui memoriam Alexandrinis reliquit. [*Plutarch. in Antonio.*] In Ponto verò Comanorum sacerdotium Archelai filius post patrem accepit. [*Strabo lib. 12. pag. 558.*]

Gabinus ex suo exercitu milites præsidii causâ Alexandriæ apud regem Ptolemæum reliquit: qui in consuetudinem postea Alexandriæ vitæ atque licentiæ venerunt, & nomen disciplinamque populi Romani dederunt, uxoresque duxerunt; ex quibus plerique liberos habebant. [*Cæsar. Commentar. Bell. civil. lib. 3.*] ad quos spectant illa Lucani, libro 10.

———— pars maxima turba
Plebis erat Latia: sed tanta oblivio mentes
Cepit, in externas corrupto milite mores,
Ut duce sub famulo jussuque satellitis irent,
Quos erat indignum Phario parere tyranno.

Ptolemæus regno restitutus filiam suam, Berenicen reginam, è medio sustulit. [*Strabo, lib. 17. pag. 796. Dio, lib. 39. Porphy. in Græc. Ensch. Scalig pag. 226.*] Idemque reliquorum primatum locupletiores, ut qui plurimâ pecuniâ opus haberet, interemit. [*Dio, ut supr.*]

C. Rabirius Postumus eques Romanus, qui Ptolemæo & regnanti absens, & Romam adventanti indeque postea discedenti præsens pecuniam non suam solum sed etiam amicorum temerè crediderat, ut eam recuperaret, Romanâ togâ cum Græco pallio Alexandriæ mutatâ, curationem & quasi dispensationem regiam suscipere coactus est; Diacetes regius ab Auletâ constitutus. Custodiam tamen regiam postea ille pertulit, vidit in vinculis familiares suos, mors ob oculos sæpe versata est; nudusque atque egens ad extremum fugit è regno. [*Cicero, pro C. Rabirio.*]

Dum in Ægypto morabatur Gabinus, Alexander Aristobuli filius, denuò in vaso per vim principatu, multos Judæorum ad defectionem reduxit: collectoque magno exercitu, regionem obeundo, interfecit Romanos quotquot adipisci potuit, reliquos in montem Garizim compulsos obsedit. Reversus verò Gabinus, Antipatrum propter notam viri prudentiam præmisit ad tumultuatores: qui multos illorum reduxit ad officium. Sed Alexander, 30 Judæorum millia secum habens, ausus est occurrere Gabinio; & collatis signis decer-

nere ad montem Itabyrium : quo prælio desiderata sunt ex acie Judaicâ decem millia. Tum Gabinius, urbis Hierosolymitanæ rebus ex Antipatri sententiâ constitutis, contra Nabatæos profectus, hos quoque profligavit uno prælio. [*Joseph. lib. 14. cap. 11.*]

Mithridates rex (Phraatis II. filius) à Gabinio derelictus, non quidem Arabum ope regnum Parthicum recuperavit, (ut ex pravâ interpretatione verborum Appiani, in Syriacis pag. 120. vulgò est creditum) sed Babylonem potius se recepit; ut ex Justino colligitur. Quam cum frater ejus Orodes diu obsedisset, & fame coactos opidanos in deditionem tandem compulisset: Mithridates, fiducia cognitionis, ultrò se in potestatem ejus tradidit. Sed Orodes plus hostem quàm fratrem cogitans, in conspectu suo trucidari eum iussit. [*Justin. lib. 42. cap. 4.*]

Gabinius nobiles Parthos, Mithridatem & Orsanem, qui ad ipsum profugerant, clam dimisit; sparso inter milites rumore, quòd aufugissent. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 6. & lib. 14. Antiquæ cap. 11.*]

Quum Syri plurimum de Gabinio quererentur, & aliis de causis, & quòd ob absentiam ejus à prædonibus infestati vehementer essent; quum item crebræ accederent publicanorum querelæ, qui quòd per eos impediti vectigalia exigere nequissent, magnum æs alienum conflaverant: irati Romani, sententias concipiebant, parati Gabinium condemnare. Ciceròque cum aliàs vehementer Gabinium accusavit, tum consilium quoque dedit, ut denuò Sibyllina carmina legerentur: persuadens sibi pœnam aliquam adscriptam, ubi violata fuissent. Sed Consulum alter Pompeius Gabinio ultrò studebat, alter Crassus, simul ut collegæ rem gratam faceret, simul etiam ob acceptas quas Gabinius miserat pecunias. Quare uterque apertè eum defendens, nihil decerni patiebantur: inter alia Ciceròni quoque exilium exprobrantes. [*Dio, lib. 39.*]

Pompeius, in secundo hoc suo Consulatu, ludis & spectaculis magnificentissimis exhibitis, Theatrum suum dedicavit. [*Cicero, lib. 2. Offic. & lib. 7. ad familiar. epist. 1. Ascen. Peditan. in orat. Pisonianam.*] quanquam theatrum illud non ab ipso Pompeio constructum dicebatur, sed à Demetrio (Gadatenò) liberto ejus id ex pecuniis quas, dum miles sub eo esset, paraverat, conditum fuisse. qui quidem nomen operis ad Pompeium retulerit: ne malè audiret, quòd libertus tantum pecuniæ collegisset, unde tantos sumptus facere posset. [*Dio, lib. 39.*]

Gabinius legatum à Crasso, ut in Syriæ provinciâ ipsi succederet, missum non admisit; sed magistratum, quasi perennem eum accepisset, retinuit. [*Dio, ibid.*]

Quum tribuni plebis Crasso consuli obstarent ne milites conscriberet, eique decretam expeditionem rescindere conarentur; Crassus ad arma se convertit. Tribuni plebis, quia suam libertatem armis destitutam in actionibus ejus prohibendis infirmam esse videbant; à reclamando desisterunt: sed multis eum diris devoverunt. et Crasse in Capitolio consuetas expeditionis causâ preces obsecrantes, auspicia infesta prodigiâque obnuntiaverunt. [*Id. ibid.*]

Quum

Quum Ateius tribunus plebis pararet inhibere ejus exitum, & multi unanimiter indignarentur hominibus pacatis & foederatis arma inferri; timens Crassus, oravit Pompeium ut se deduceret: erat enim magna illius apud plebem autoritas. Multos igitur tunc ad reclamandum & impediendum Crassum paratos, conspectus ante eum Pompeius placido intuitu ac vultu lenivit; ita ut silerent & transeuntibus cederent. [*Plutarch. in Crasso.*]

Ateius verò tribunus Crasso occurrens, primùm voce cohibebat, denuntians ne procederet: deinde apparitorem jussit manus in eum injicere & in carcerem abducere. Sed reliquis tribunis plebis id non permittentibus, Crassus extra pomerium evasit. [*Id. ibid. cum Dione, lib. 39.*] Ateius tamen ad portam interim accurrens, focum ibi accendit: & Crasso prætereunte suffitum faciens libansque insuper, diris eum devovebat imprecationibus; nova & horrenda nomina deorum invocans. Cujusmodi arcanas & priscas execrationes eâ præditas vi Romani existimabant, ut nemo sic devotus posset evadere, neque illi etiam bene cederet qui devoveret. [*Plutarch.*]

Tribunum plebis Metellum hostilibus diris exeuntem Crassum devovisse, scribit Florus. [*lib. 3. cap. 11.*] Et quidem tribunos plebis communiter diris eum publicè devovisse, Velleius Paterculus, [*lib. 2. cap. 46.*] Appianus [*lib. 2. Bell. civil. pag. 438.*] & Dio [*lib. 39.*] significant:

—————*Crassumque in bella secuta*

Sava Tribunitia moverunt praelia dira;

ut in libro 3^o Lucanus cecinit. Præ aliis tamen P. Ateium obnunciavisse ei diras, signoque objecto monuisse eum quid eventurum esset, nisi cavisset; in libro 1^o de Divinatione confirmat Cicero: à cujus penè laribus in provinciam Crassus est profectus, cum apud ipsum coenavisset, in hortis generi ejus Crasipedis. [*Id. lib. 1. ad familiar. epist. 9.*] Secedente deinde Cicerone in Tusculanum, circa medium mensis Novembris (in Sextilem Julianum tunc incidentis) Crassus paludatus profectus est. [*Id. lib. 4. ad Attic. epist. 12.*] et Brundusii exercitum navibus imposuit. [*Id. lib. 2. de Divinat.*]

Solvens Brundusio Crassus, pelago etiamnum ex tempestate turbido, non paucas naves amisit: è reliquis expositum militem terrestri itinere duxit per Galatiam. Ubi quum reperisset regem Dejotarum, admodum senem, novam urbem condere, cavillans, *O rex,* inquit, *duodecimâ horâ edificare incipis.* Cui ille arridens, *Ne tu quidem, imperator, quantum video, matutinus contra Parthos profiscisceris.* Excesserat enim jam Crassus annum sexagesimum; plus tamen quàm pro ætate senii vultu præferens. [*Plutarch.*]

3950

Cicero in Senatu Crassi absentis causam contra novos Consules & multos Consulares summâ contentione defendit. [*Id. lib. 5. ad familiar. epist. 8.*]

Quum quod in Syriâ magnopere ageret nihil Crassus haberet, (nam & Syri quæti erant, & qui prius Syriam bellis vexarant potentiâ Crassi perterriti, nihil tum movebant) in Parthos, sine ullâ belli causâ, expeditionem suscepit. Tantùm prædivices eos fuisse acceperat:

4660 54

& Orodem, qui nuper rex factus esset, superatu facilem sperabat. [*Dio, lib. 40.*]

Auditâ verò Hierosolymitani Templi opulentia, quam Pompeius intactam reliquerat; in Palæstinam divertit, Hierosolymam adiit, Templum pervasit, opes diripuit. [*Oros. lib. 6. cap. 13.*]

Erat tum in Templo trabs ex auro solida, 300 minas Hebraicas sive libras 750 pendens, inserta trabi cavæ lignæ, ex quâ aulæa templi pendebant; quorum admiranda pulchritudo erat & apparatus pretiosissimus. Hoc cæteris ignotum solus sciebat Eleazarus sacerdos sacri thesauri custos: qui Crassum totum in colligendo auro esse videns, timensque omnibus templi ornamentis, auream hanc illi trabem redemptionem pro omnibus ei tradidit; quum prius eum jurejurando obstrinxisset, nihil aliud loco moturum. Crassus tamen & hanc accepit, & mox violato jurejurando non solum duo millia talentorum quæ Pompeius non attigerat, sed etiam totum reliquum aurum, cujus summa accedebat ad octo talentorum (Atticorum) millia, templo abstulit. Quas tantas divitias, cum vix fidem apud exteros inventuras Josephus perspiceret; eas à Judæis in Europâ, Asiâ, Ægypto & Cyrenaicâ degentibus longo tempore congestas fuisse, ex Strabonis Cappadocis libris historicis (hodie non extantibus) & aliis astruere nititur. [*lib. 14. Antiquit. cap. 12.*]

Crassus, extructo ponte, facile ac tuto trans Euphratem duxit exercitum; multisque Mesopotamiæ civitatibus ultrò se deditibus positus est. [*Plutarch. in Crasso.*] Inexpectatò enim ejus transitus barbaris acciderat: indèque nullum in Mesopotamiâ præsidium alicujus momenti constitutum fuerat. [*Dio, lib. 40.*]

Talymenus Ilaces (vel Sillaces) regionis illius satrapes, paucis equitibus ad Ichnias castellum cum Crasso congressus victusque, accepto vulnere ad Regem se recepit; cumque de Crassi expeditione certio-rem fecit. [*Dio, ibid.*]

Interim Crassus & urbes recepit, Græcas potissimum, atque in his Nicephorium. Macedonum enim aliorumque Græcorum, quos bellorum socios aliquando Macedones habuerant, complures coloniam Parthorum graviter ferentes, atque in Romanis, à quibus Græcos amari sciebant, multum spei collocantes, haud gravatim ad eos defecerunt. [*Id. ibid.*]

Soli Zenodotiæ cives, quorum tyrannus erat Apollonius, centum milites Romanos intra muros, quasi se in fidem eorum daturi, receptos obruncaverunt. Unde Crassus, admoto exercitu, eam expugnavit & diripuit, & incolas ejus sub hastâ vendidit. Et cum, præter hoc unum, nihil tunc neque fecisset neque passus esset hostile Crassus; tamen salutari se ab exercitu Imperatorem sustinuit. Ob quod, magnam ille subiit infamiam, abjectusque est habitus; quasi majora non speraret, successu qui tam se efferret tenui. [*Id. ibid. cum Plutarcho in Crasso.*]

Domitio & Appio Consulibus in Italiam reversus est A. Gabinius. [*Ascen. Pedian. in init. orat. Pisonian.*] Iisdemque Consulibus de eo adhuc absente, ut pro eo Pompeius steterit, iterum dictæ sunt sententiæ:

tia: quarum pleræque ipsi adversæ fuerunt. Nam & Domitius ob contentionem in petitione consulatus inimicus Pompeio erat, quod eo invito magistratum cepisset: & Appius, quanquam affinis Pompeio esset, tamen quia studio permulcendæ plebis ducebatur, sperabátque fore ut siquid nunc tumultus iniecisset pecuniâ deinceps à Gabinio corrumperetur; omnes suas actiones eò dirigebat. Decretum ergo est, ut Sibyllina carmina relegerentur: quantumvis Pompeius reclamaret. Interim pecuniæ à Gabinio præmissæ Romam venerunt. Eæ, non modò absens, sed ne præsens quidem gravius quicquam ut pateretur, effecerunt. Eo enim tum tempore confusio Romæ erat, ut quum Gabinius exiguam earum pecuniarum, quibus ipse corruptus fuerat, partem magistratibus quibusdam iudicibusque largiretur, non modò nullam officii rationem illi habuerint, sed reliqui quoque docti sint pecuniæ causâ improbè agere, quippe quum se eâ facîle à supplicio redimere possent. [*Dio, lib. 39.*]

XII. Kalend. Octobr. (circa mensem Julium Julianum) Gabinius ad Urbem accessit: IV Kalend. Octobr. noctu urbem introivit. [*Cicero, lib. 3. ad Quint. frat. epist. 1.*] Ipse enim turpium facinorum conscientia ita urgebatur, ut & serò in Italiam advenerit, & noctu in urbem evectus sit; multisque diebus extra domum suam prodire non ausus fuerit. [*Dio, lib. 39.*]

Gabinium tres factiones postulabant: L. Lentulus, flaminis filius, qui cum de majestate postulavit; T. Nero cum bonis subscriptoribus, & C. Memmius tribunus plebis cum L. Capitone. Cùmque edicto C. Alfi Prætoris de majestate accusatus adesset; concursu magno & odio universi populi penè afflictus est. [*Cicero, lib. 3. ad Quint. frat. epist. 1.*]

Decimo post adventum in urbem die, quo ipsum oportebat hostium numerum & militum renuntiare, mirè hæsit summâ in frequentia. Appius Consul majestatis eum accusavit, nomina data, ille verbum edidit nullum. Cùm vellet exire, à Consulibus retentus est, & introducti publicani. Homo undique actus, cum à Cicerone maximè vulneraretur, non tulit, & eum trementi voce exulem appellavit. Consurrexerunt senatus cum clamore ad unum, sic, ut ad corpus ejus accederet: pari clamore atque impetu publicani. VI. Id. Octobr. Gabinium ad populum luculenter calefecit Memmius; sic, ut Calidio verbum pro eo facere non licuerit. Postridie ejus diei, divinatio apud Catonem (prætozem) fuit, de accusatore in Gabinium constituendo: sive Memmio, sive Ti. Nerone, sive C. & L. Antoniis Marci filiis. [*Id. ibid. epist. 2.*]

Accusationes in Gabinium multæ, & actores haud pauci extiterunt: primùm autem de Ptolemæi reductionis crimine, cognitum est. In eâ actione universus ferè populus ad tribunal confluit: æpiusque illis eum discerpere animus fuit; præsertim quod nec Pompeius aderat, & Cicero eum accerrimè accusabat. [*Dio, lib. 39.*] Sed ipse Cicero, in epist. 2. & 4. libri tertii ad Quintum fratrem, eum accusasse se negat: vel quod inimicitia sibi periculosa suscipienda essent contra Pompeium, vel quod non desperaret rem & sine se &

nonni-

nonnihil per se confici potuisse, vel quòd infamia sempiterna esset ei subeunda si tam infamis reus, ipso agente, esset elapsus. Ego verò, inquit ille in epistolâ 4^a, *hac de mediocritate delector: ac mihi illud iucundum est, quòd, cum testimonium secundum fidem & religionem gravissimè dixissem, reus dixit, si in civitate sibi esse licuisset, mihi se satisfacturum; neque me quidquam interrogavit.* et in epistolâ 9^a. *Feci summâ cum gravitate, ut omnes sentiunt, & summâ cum lenitate, qua feci. Illum neque urse, neque levavi. Testis vehemens fui: præterea quievi.*

In hoc de maiestate iudicio, Gabinius accusatoribus frigidissimis usus, odio tamen omnium generum premebatur: quæsitior gravis & firmus erat Alfius; Pompeius vehemens in iudicibus rogandis. [*Cicero, lib. 3. ad Quint. frat. epist. 3.*] Gabinius se Ptolemæum reduxisse dicebat Reipublicæ causâ; quòd classem Archelai timeret, quòd mare refertum fore prædonum putaret: lege etiam id sibi licuisse dicebat. [*Id. in orat. pro Rabirio Postumo.*] Socii Pompeii & Cæsaris promptissimè ei opitulabântur; aliud tempus à Sibyllâ aliúmque regem indicatum dicentes: eoque maximè nitebantur, quòd nulla in eo carmine rei perpetratæ poena erat assignata. [*Dio, lib. 39.*] Accusatoris L. Lentuli incredibilis erat infantia: quem fremebant omnes prævaricatum, sed tamen nisi mira contentio, & preces Pompeii, dictaturæ etiam rumor, plenus timoris fuisset; ipsi Lentulo Gabinius non respondisset. Cum verò iudices 70 tulissent sententias, 32 condemnârunt, 38 absolverunt. [*Cicero, lib. 4. ad Attic. epist. 16. & lib. 3. ad Quint. frat. epist. 4.*]

Gabinium, cum de tantis criminibus iudicium sustineret, immensam pecuniæ vim elargitum fuisse, eoque absoluto parum abfuisse, quin ipsos iudices populus interfecisset, in 39^o historiarum suarum libro tradit Dio. A Memmio verò ad populi iudicium Gabinium fuisse productum, & intercessionè Lælii tribuni plebis eodem fuisse exemptum, in libri 8. cap. 1. hunc in modum refert Valerius Maximus: A. Gabinius in maximo infamiæ suæ ardore suffragiis populi C. Memmio accusatore subjectus, abruptæ esse spei videbatur: quoniam & accusatio partes suas plenè exhibebat, & defensionis præsidia invalidâ fide nitebantur; & qui iudicabant, irâ præcipiti, poenas hominis cupidè expetebant. Licitor igitur & carcer ante oculos obverfabantur; cum interim omnia ista propitiæ fortunæ interventu dispulsa sunt. Filius namque Gabinii Sisenna consternationis impulsu ad pedes se Memmii supplex prostravit: inde aliquod fomentum procellæ petens, unde totus impetus tempestatis eruperat. Quem truci vultu à se victor insolens repulsum, excusso manu annulo humi jacere aliquandiu passus est. Quod spectaculum fecit, ut Lælius tribunus plebis approbantibus cunctis Gabinium dimitti juberet, ac documentum daretur, neque secundarum rerum proventu insolenter abuti, neque adversis properè quemquam debilitari oportere.

Neque sic tamen evasit Gabinius. De maiestate enim absolutus, tum ob alias nonnullas causas, tum quòd ex provinciâ centena millia (drachmarum vel denariorum) eoque amplius compilasset, post in iudicium pertractus, repetundarum damnatus est. Pompeius qui ad rem frumentariam

mentariam explicandam profectus Urbe fuerat (nam frumentum permultum exundatione Tiberis corruptum fuerat) ac tum in Italiã versabatur, ad hoc iudicium ut veniret properavit. Sed quum seriùs venisset, ex suburbanis non antè recessit, quàm id consummatum esset. Idemque populo extra pomœrium congregato, quia ipsi proconsulare imperium jam gerenti in Urbem venire non licebat, multa pro Gabinio verba fecit, recitatis etiam littetis ad se pro Gabinii salute à Cæsare missis; iudicésque deprecatus est: & Ciceronem non modò à Gabinio accusando avertit, sed ut ejusdem causam ageret effecit. Nihil tamen ea Gabinio profuerunt. Nam iudices, partim quòd populum timerent, partim quòd nullum à Gabinio magnum munus accepissent, (is enim levioribus de causis in jus vocatus, nullos sumptus jam faciebat: haud dubius causã se tum quoque statutum) exilio eum damnaverunt: ex quo postea Cæsar eum reduxit. [*Dio, lib. 39.*]

Gabinium, ex tantis inimicitiiis receptum in gratiam, summo se studio defendisse, in oratione pro Rabirio Postumo ipse agnoscit Cicero. In quo, licet ejus humanitas à Valerio Maximo [*lib. 4. cap. 2.*] laudetur: inde tamen Ciceroni nomen criminèque perfugæ auctum vehementer fuisse, confirmat Dio. Et oblitus omnino est Marcus illius, quod ad Quintum fratrem antea scripserat. [*lib. 3. epist. 5.*] *Gabinium si, ut Pansa putat oportuisse, defendissem, concidissem. Qui illum oderunt (si sunt toti ordines) propter quem oderunt, meipsum odisse cepissent.* quanquam, in oratione illà pro Rabirio hanc facti sui rationem ipse reddiderit. *Mihi causa defendendi Gabinii fuit reconciliatio gratiæ: neque me verò pœnitet mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere.*

Timagenes Alexandrinus (vel, ut quidam volunt, Ægyptius) regii argentarii filius, qui bello captus, Romam à Gabinio deductus & à Fausto Syllæ filio redemptus fuerat, Romæ sub Pompeio, Julio Cæsare & Triumviris, Rhetoricam docuit, & multos libros edidit. [*Suid. in Τιμαγένης.*]

P. Cornelius Lentulus Spinther Proconsul Ciliciæ, re bello bene gestã, ab exercitu Imperator appellatus est. [*Cicero, lib. 1. ad familiar. epist. 8. & 9.*]

395 I

Appius Claudius Pulcher, sub exitum Consulatus sui Senatufconsulto successor P. Cornelio Lentulo designatus, sine lege Curiatã, suo sumptu in Ciliciam est profectus. [*Id. ibid. epist. 9. & lib. 3. ad Quint. frat. epist. 2. & lib. 4. ad Attic. epist. 16.*] Cui in provinciam venienti obviam processit Lentulus. [*Id. lib. 3. ad familiar. epist. 7.*] post quem suscipiens imperium Appius, miserimè provinciam afflixit, & penè perdidit. [*Id. ad Attic. lib. 5. epist. 16. & lib. 6. epist. 1.*]

Quum Crassus eodem impetu barbaròrumque terrore usus, quo prima Mesopotamiæ loca ceperat, procedere, ac Babylonem Seleuciamque, Parthis semper infestãs urbes, tentare debuisset; in Mesopotamiã commorari gravatus, & quietem otiumque in Syriã desiderans, Parthis se ad bellum parandi spatium, relictòsque in Mesopo-

tamiâ Romanos milites opprimendi occasionem præbuit. [*Plutarch. in Crasso. Dio, lib. 40.*]

Ille igitur dispositis per dedititias urbes præsiidiis, quæ peditum septem millium fuerunt & mille equitum, retrò in Syriam hybernaturus cessit. Ibi filium (Publium Crassum) excepit à Cæsare venientem è Galliâ, donis militaribus ab illo ornatum, & adducentem delectos mille equites. [*Plutarch.*]

In Syriâ moram trahens Crassus, exactori magis quàm imperatori similem se exhibuit. Non enim comparandis armis tempus impensum est, aut exercendo militi: sed supputabat civitatum reditus, & deæ Hierapolitanæ thesaurum ponderibus & trutinis per multos dies examinabat. Populis quoque ac regulis milites imperans, mox remittebat eis militiam acceptâ pecuniâ: atque ita in contemptum veniebat. Exeuntibus verò è deæ Hierapolitanæ templo patre & filio, primus in foribus adolescens Crassus procidit, & mox incurrens in illum senex. [*Id.*] Urbs autem Hierapolis ea est, quam Bamyce & Edessam alii, Magog Syri vocata: ubi dea Syra Atargatis, Græcis Derceto dicta, colebatur. [*Strabo, lib. 16. pag. 748. Plin. lib. 5. cap. 23.*]

Rabirio Postumo, Ptolemæum Alexandriam crediti servandæ causâ secuto, majestatis crimen apud iudices motum est. [*Sueton. in Claudio, cap. 16.*] Gabinio enim jam reperundarum damnato & in exilium pulso, C. Memmius Rabirium accusavit, quòd Gabinium Alexandriam proficisci impulerit; quòd diocetes Regis factus Alexandriæ pallium sumpserit, & pecuniam Gabinio sibi ex imperatis tributis coëgerit. Defendit eum Cicero quando vis frigorum hyemsque invalescebat: ut ex Oratione ejus, quæ adhuc extat, intelligitur.

M. Crassus, interfecto Publio filio exercitûque deleto, trans Euphratem cum ignomiâ & dedecore periit. [*Cicero, lib. 2. de Divinat.*] Eam cladem in libro 40 enarrat Dio, sed multo plenius in Crassi Vitâ Plutarchus: ex quo ea omnia ad verbum penè sunt descripta, quæ in Appiani Parthicis hæc de re leguntur. Quare hujus celebratissimæ historiæ præcipuas partes, inde petitas, cum Saliano, operæ pretium fuerit hic subjicere.

Orodes Parthorum rex in Syriam legatos ad Crassum misit: qui & exoptularent cum eo quòd Mesopotamiam invasisset, & causas belli exquirerent. Misit præterea Surenam cum exercitu ad recipienda ea, quæ vel capta fuerant, vel defecerant: ipse expeditionem in Armeniam instituit; ne Artabazes Tigranis filius, qui tum ibi regnabat, ipse de suo regno sollicitus, ullum Romanis auxilium mittere posset. [*Dio.*]

Crassum in Syriâ ex hybernis copias convocantem legati Orodis adierunt, (licet Florus in Mesopotamiâ hoc factum referat, quum apud Nicephorium Crassus castra posuisset) percussa cum Pompeio Syllaque fœdera in memoriam illi revocantes: simulque denunciantes; si missus esset à populo Romano exercitus contra Parthos, gesturos illos bellum implacabile in Romanos: sin patriâ invitâ, Crassus privati quæstus gratiâ arma Parthis intulisset, & urbes occupasset; acturum Regem moderatè, Crassi senectutis misericordiâ motum,

4661 53

motum, populóque Romano milites remissurum. Quibus Crassus, regiis inhians thesauris, nihil, ne imaginario quidem jure, sed Seleuciae (urbs ea Mesopotamiæ est, à Græcis habitata) causas se belli editurum respondit. [*Florus, lib. 3. cap. 11. Plutarch. & Dio.*] Tum ridens legatorum princeps Vagifès, & volam sinistrae manus digitis dextrae percutiens, *Antè, inquit, hinc pili nascentur, quàm tu Seleuciam aspicias.* Atque ita legati abierunt, Orodi regi bellum nuntiaturi.

Interea præsidarii quidam, qui magno cum periculo è Mesopotamiâ evaserant, formidolosa de Parthorum multitudine, armorum genere, pugnandi ratione propria docti experientiâ referentes, adeò fregere animos Romanorum; ut quidam ex præfectis Crasso subsistendum censerent, atque ex integro de summâ rerum concilium convocandum. In his erat Crassi Quæstor Cassius. Aruspices quoque à progrediendo deterrebant. Quos omnes Crassus repulit.

Inprimis enim erexit cum Armeniorum Rex Artabazes, qui in castra cum sex millibus equitum venit, qui dicebantur esse Regis stipatores & satellites; aliâque pollicebatur decem millia cataphractorum, & 30 millia peditum, qui propriis sese alerent sumptibus. Suadebar autem Crasso, ut per Armeniam irrueret in Parthiam; omnia se affatim exercitui subministraturum: tutum etiam iter fore, propter regionis asperitatem, equitatu, quò uno maximè Parthi valerent, minùs obnoxiam. At Crassus sapientissimum consilium neglexit, & collaudatum Armenum dimisit; ostendens se per Mesopotamiam ducturum, ubi multos egregiosque milites Romanos reliquisset.

Ergo Zeugma ad oram Euphratis adit: ubi multorum prodigiorum minas neglexit, quæ fusiùs Plutarchus, & Dio commemorant: quorum præcipuum illud, à Julio Obsequente in libro de prodigiis ita notatum. *Cum coorta tempestas signifero signum arreptum (vel ereptum) merisset gurziti, & offendente nimborum caligine prohiberentur transire, pertinaciter Crassus perseveravit. et à L. Floro, [lib. 3. cap. 11.] ita. Cum Zeugma transisset exercitus, rapta subitis signa turbinibus hausit Euphrates.* Etiam consilium Cassii neglexit monentis, ut dum aliquid certi de Parthis allatum esset, in aliquâ urbium in quibus præsidium habebat, reficeret exercitum. Sin minùs, ut secundo flumine Seleuciam peteret; sic nave commeatum suppeditaturas & castra secuturas; amnem quoque præstiturum, ne circumveniri ab hoste possent.

Hæc. perpendentem Crassum à salubri consilio abduxit Augarus seu Abgarus Osroënus. Ita enim rectè à Dione nominatur; qui à Floro [*lib. 3. cap. 11.*] Mazares Syrus, variantibus verò Breviarü Sexti Rufi exemplaribus Mazarus, Marachus, Macorus & Abgarus etiam appellatur. Apud Plutarchum, Arabum Phylarchus Ariamnes ille dictus reperitur: licet in quibusdam Plutarchi codicibus, & in his quæ ex eo in Appiani Parthica sunt traducta, Acbarus nuncupatus inveniatur. Hic verò Romanis antea foedere junctus sub Pompeio, barbarorum partes tum potiores habuit. Et quum Partho studeret, simulavit se Crassi amicum, liberalitèrque ei pecuniam suam impendens, & exploravit omnia ejus consilia & Parthis enuntiavit. Cùmque Crassus Seleuciam contendere decre-

decrevisset, indèque ad Ctesiphontem urbem trajicere; id consilium, tanquam multo tempore opus habiturum, ut repudiaret, atque ut rectà adversum Surenam & Sillacem Orodis regis duces, (qui solus & subvehere comiteus, & munire poterat, à tergo relicto Euphrate) exercitum duceret, persuasit.

Exercitum ille deinde per infinitam planitiem deduxit, viâ arenosâ & sitiente, omni stirpe virgultisque destitutâ. Et jam dolus cœperat esse suspectus, cum Artabazes nuncios Crasso mittit, non posse se illi auxilia mittere, gravi quippe bello urgeri, Orode Armeniorum vicos vastante: monere autem maximè Crassum, ut illuc se converterat, & junctis cum Armenis copiis, cum Orode decernat. Quod si non placeat, ita progrediatur, ut regiones declinet equitabiles. Id consilium Crassus etiam cum stomacho rejecit; regemque nullo rescripto dignatus, sibi non superesse nunc tantum otii dixit, ut curaret Armeniam, sed in reditu Artabazum daturum pœnas proditiōnis. Mox verò Abgarus, priusquam doli compertus esset, subduxit se; quum Crasso persuasisset, se hostium exercitum circumventurum, & perturbaturum.

Non multum progressi fuerant, cum pauci speculatores accurrentes, nunciaverunt reliquos ab hoste occisos; eosque adesse ingentibus animis, copiisque instructos. Hic Crassus obstupuit, exercitus percussus est metu. Et Crassus quidem primùm Cassii sententiam secutus, aciem explicatiorem instruxit: mox malè mutato consilio contractis copiis quadratam aciem & profundam fecit. Alterum cornu Cassio alterum filio C. Publio attribuit: ipse in mediâ acie constitit. Cum ad rivum Balissum nomine ventum esset, cum plerique ducum suaderent, ut ibi castra ponerentur, & pernoctarent; interimque explorandum, quæ essent hostium copiarum, & quàm instructæ: id quoque consilium respuit Crassus, ejus filio cum suis equitibus prælium affectantibus: jussitque, ut in acie stantes, quibus liberet cibum caperent & biberent. Quod priusquam factum esset ab omnibus, incomposito gradu properavit, non lento & interquiescente, donec hostes in conspectu fuere.

Surenas non totam à principio aciem exhibuit, nec armorum dignitatem, sed idoneo ad terrorem Romanorum loco, quos primùm infestis hastis loco movere institerunt. Cæterum ut altitudinem confertæ aciei & militum videre stabilitatem, gradum retulere. Cum autem ordines suos dissolvere viderentur, priusquam id Romani adverterent, undique se ipsorum aciei circumfundere. Cum verò levem armaturam Crassus procurrare jussisset, haud longè sunt progressi, sed grandine sagittarum malè accepti, retro se inter gravem armaturam receperunt, initiumque tumultus & pavoris præbuerunt, cernentibus vim telorum omnia perumpentium, & vulnerum magnitudinem.

Hic Parthi divulsi, undique in confertam aciem sagittas eminus ejaculari cœperunt, tanto damno, nullum ut telum esset irritum; tantâ vi, ut immanes plagas mortalesque frequentissimas afferrent, tantâ constantiâ, ut ne fugientes quidem à jaculando cessarent. Et
spera-

ſperabant quidem Romani fore, ut effuſis ſemel telis ad manus venirent. Ut verò cognoverunt multos camelos illis præſto eſſe ſagittis onuſtos, à quibus circumveſti primi ſagittas ſumebant; obtorpuìt Cräſſus videns nullum fore ſagittandi finem, donec omnes telis confixi jacuiſſent: juſſitque filium eniti cum hoſte conſerere, prius quam ab eo circumfunderetur.

Juvenis igitur aſſumptis 1300 equitibus (quorum mille à Cæſare acceperat) ſagittariis 500, & proximis clypeatorum octo cohortibus, impetum in Parthos fecit; fugientes de indiſtriâ, uſque dum ille longiùs abſtractus à patre eſt. Tum verò converſo vultu Romanos aggreſſi, cinctos undique ſagittis confixerunt. Ipſe Publius (quem ut *lectiſſimum juvenem*, in lib. 6. cap. 13. Oroſius, ut *clariſſimum & præſantiſſimum juvenem*, in libro 6. commendat hîc Eutropius) quia non poterat uti manu tranſfixâ, armigero latus ferendum præbuit. Ex duobus ejus ſodalibus, Cenſorinus ſenator ac orator eodem modo periſſe dicitur; Megabacchus, animi corporiſque fortitudine eximiùs, ſe ipſe confodit, ut & nobiliores cæteri. Reſiduos ſubeuntes collem barbari contis confoderunt pugnantes. Vivi non ampliùs quingenti in eorum poteſtatem veniſſe dicuntur.

Capite Publii truncato, in Cräſſum ilicò contenderunt; qui filii reditum expectabat, dum minùs aliquanto inſtaret hoſtis. At nunciis aliis, ſuper alios ſupervenientibus, actum eſſe de Publio, niſi valido auxilio quamprimum ſuccurreretur, inſtitit cum exercitu progredi; cùm ſupervenere hoſtes clangore terribiles, & victoriâ ferociores, Publii caput haſtâ ſuffixam ferentes. Id ſpectaculum Romanos vehementer intregit; Cräſſus tamen animare conatur ſuos, ad extorquendam hoſti lætitiã, & ſævitiã vindicandã. Redintegratum eſt prælium; ſed cùm Romani iterum ſagittarum grandine conſicerentur, miſerè multi peribant. Nam qui temere, ne ſagittis conſigerentur, in hoſtem irruerant, contis validis, quibus illi ſubinde bina corpora uno impetu tranſverberabant, in anguſtum cogebantur: donec appetente nocte receperunt ſe Parthi, jactantes unam noctem ſe Craſſo largiri, ad filium lugendum.

Eâ nocte Octavius & Caſſius, centuriones & milites convocârunt; nam Cräſſus publico privatiſque obrutus luctu, obvoluto capite in tenebras abdiderat ſe; cùm metus futurorum reliquos exercitus ad fugæ conſilium impulit. Exercitus ſine tubâ excitatus ſilentio abire cœpit. Mox autem debilibus ſentientibus ſe relinquere, ingens tumultus & confuſio, cum eſulatu & comploratione caſtra occupavit. Inde perturbatio & pavor progredientes occupavit: quòd clamore excitum hoſtem incurſurum putarent. Et ſenſit ille quidem abeuntes; ſed inſequi neglexit. Trecenti, equites expediti, Egnatio duce, Carras inſtempetâ nocte pervenerunt; & appellatis excubitoribus nunciari juſſerunt præfecto Coponio, Cräſſum ingentem pugnam cum Parthiſ commiſſe: nec alio verbo addito, ad urbem Zeugma properârunt. Coponius ex confuſâ oratione infauſtam rem nunciari exiſtimans, ſuos arma extemplo, & Craſſo per debiliũ curam lentiùs progredienti occurrit, eũque cum exercitu urbe recepit.

Ubi diluxit, Parthi castra Romanorum adeunt, & ibi relictos ad quatuor millia contrucidârunt. Multos quoque in campo palantes equitatu exceperunt: in his quatuor cohortes, quas eâdem nocte Vargunteius legatus ducebat, & noctu à viâ aberraverant. Has in colle circumvecti pugnantes oppresserunt; præter viginti milites, qui per medios hostes perrumpentes, Carras incolumes pervenerunt. Cuius Vargunteii cladis meminit & Orofius. [*lib. 6. cap. 13.*]

Incertus animi Surenas an Carris esset Crassus cum Cæsio, an aliò se ex fugâ contulissent; Carras dimittit certos homines, qui id perdiscerent, specie foederis ineundi cum Romanis si excederent Mesopotamiâ. Quod cum Romanis, quibus omnia propè desperata erant, placuisset, tempusque & locum congressus Crassi & Surenæ peterent; Surenas intelligens hostem inclusum Carris, postridie cum exercitu affuit, opidum vehementer premens, imperansque Romanis si cupiant inducias, sibi Crassum & Cæsium victos dari. Hic nimirum ingemuerunt Romani se deceptos, & longinquâ inanisque spe auxilii Armeniorum omisâ, de fugâ cogitabant.

Id consilium nemini Carrenorum ante tempus aperiendum erat; aperuit tamen Crassus omnium perfidissimo Andromacho, quem insuper delegit itineris ducem: itaque omnia consilia Parthi didicerunt, Andromacho singula prodente. Et quoniam noctu pugnare neque solitum Parthis est, neque facile; Crassus autem noctu exiverat, ne hostes longiùs à tergo fugientium relinquerentur, Andromachus Romanos aliis atque aliis viis deducebat: postremò in profundas paludes, & loca fossis concisa deflexit. Fuerunt nonnulli qui, Andromachi circumflexiones suspectas habentes, eum sequi noluerunt. Nam Cassius retulit se Carras. & inde cum equitibus quingentis, proripuit se in Syriam. Alii fidos nacti duces, loca montosa, quæ Synaca dicuntur, ceperunt, & ante lucem in tutum pervenere, fere quinque millia, quibus præfectus erat vir fortis Octavius.

Crassum insidiis Andromachi implicatum in locis difficilibus, & palude, occupavit dies cum quatuor cohortibus legionariorum, & paucis equitibus, & quinque lictoribus, cum quibus labore magno eluctatus difficultates itineris, jam appropinquantibus hostibus in alium tumulum refugit duodecim ferme stadiis ab Octavio distantem, non tam munitum aut equis impervium, sed subjacentem Synacis, & conjunctum longâ cervice tendente per mediam planiciem. Itaque periculum ejus Octavius latere non poterat. Ergo primus cum paucis accurrit in ejus auxilium; deinde reliqui se invicem increpantes sequebantur, repressisque hostibus à tumulo, Crassum in medium receperunt. Scutisque objectis jactabant nullum Parthorum telum posse corpus Imperatoris attingere, priusquam propugnatores omnes ad unum cecidissent.

Itaque Surena videns Parthos jam segniùs subire pericula, & periculofum esse pugnare cum desperatis, è loco præsertim editiore pugnantibus, & si fortè nox supervenerit, Romanos jam montana tenentes capi non posse, sed ad Armenios belli redintegrandi gratiâ profecturos, (ut ait Dio) alteram fraudem perfidiâque machinatus est.

Dimisit

Dimisit enim aliquot captivos, qui barbaros de industriâ confabulantes audiverant, Regem non abhorrere à pace cum Romanis sarcindâ, exhibiturumque Crasso omnem humanitatem, si id per ipsum fieri posset. Interim abstinebant à pugna barbari, & Surena cum optimatibus paulatim ad tumulum accedens levavit arcum, & protensa dextrâ, Crassum ad foedera invitavit: Parthorum vim eum jam expertum, nunc humanitatem, si velit, experturum. Non assentiebatur Crassus, & meritò fraudem timebat, ut qui nullam ejus mutationis causam videret.

At milites etiam cum convitio pacem petebant. Ille conabatur precibus & ratione persuadere, ut reliquum diei perdurarent, noctu per montosa iter facturos, ne propinquæ salutis spem abrumperent. Sed cum indignantes & arma concutientes minarentur, territus pergit ad hostes, & tamen conversus ad suos, *Vas, inquit, Octavi & Petroni, & quotquot adestis præfecti Romani, cernitis quam vim patiar. Verùm cateris mortalibus nunciate, ubi incolumes fueritis, deceptum ab hostibus Crassum, non à civibus deditum, periisse.* Quod videri potest dixisse, hâc amicâ voce tentans eorum pertinaces animos infringere, dum famæ ipsorum curam gerit. Octavius autem & cæteri non hæserunt in tumulo, sed simul descenderunt: lictores sequi honoris causâ volentes Crassus à se removit.

Primi ex barbaris occurrerunt duo semigræci, qui Crassum ex equis desilientes adoraverunt, salutarumque Græcè rogabant, ut præmitteret, qui Surenam cæterosque, qui ad colloquium veniebant, pertentarent an inermes venirent. Misit ille duos Roscios fratres, quos extemplo Surenas retinuit, atque cum primoribus proventus equo, cum Crassus pedes iret, iussit ad eum equum adduci, & ad fluvium usque, ad scribendas pacis leges progredi, quod Romani non essent admodum pactorum memores, simulque dexteram ei porrexit. Quumque Crassus equum accerseret, negavit esse opus. Hunc enim tibi, inquit, Rex dono dat. Moxque admotus ei is equus auro frenatus, in quem stratores eum sustulerunt, & affectati sunt, verberibus concitantes equum. Ibi Octavius primus arripuit frenum, & secundum illum unus ex tribunis Petronius, mox reliqui circumfusi inhibere paraverunt equum, atque illos, qui ex utrâque parte urgebant Crassum, retrahere.

Cumque se mutuo protruderent, turbarentque, ventum est ad verbera. Octavius stricto gladio occidit unius barbari equisonem; alius Octavium, à tergo feriens. Petronius telum non habuit, sed percussus in lorica resiliit integer. Cæterum Crassum Parthus Pomaæthes vel Maxarthes nomine interfecit, aut ut aliis placet, jacentis caput & dexteram detruncavit. Dio in dubio relinquit, an ab aliquo suorum occisus sit, ne vivus in hostium manus veniret; an verò ab hostibus. Comprehensum & ne quid vivus pateretur, repugnantem interemptum fuisse, in libro 106. Livius retulit. *Ipse in colloquium sollicitatus, signo dato, vivus in hostium manus incidisset, nisi tribunis reluctantibus, fugam ducis barbari ferro occupassent:* ait in lib. 3. cap. 11. L. Florus. et eum secutus Sextus Rufus, in Breviario, ad Valentinia-
num

num Aug. Ipse Crassus quum ad colloquium sollicitatus vivus penè capi potuisset, repugnantibus tribunis evaserat, & dum fugam petit occisus est.

Ita ad Sinnacam Mesopotamiæ urbem Surenas Parthorum imperator Crassum dolo captum interemit. [Strabo, lib. 16. pag. 747.] quamvis vivum auferre maluisset. [Oros. lib. 6. cap. 13.] Unâ cum parte majore Romani exercitus eum interemptum dicit Velleius Paterculus. [lib. 2. cap. 46.] Omnes cum eo Lucanos milites, quorum magnus numerus in exercitu erat, interemptos fuisse ait Plinius. [lib. 2. cap. 56.] Undecim legiones penè cum suo capite eum amississe, scribit Jornandes. [de regnor. successione.] Summa omnium interfectorum 20 millia dicitur fuisse; eorum qui vivi in potestatem hostium venerunt decem millia, ut apud Plutarchum legitur. Ex centum verò millibus vix decem millia refugisse in Syriam, affirmat Appianus. [lib. 2. Bell. civil. pag. 438.] Mense autem Junio gesta hæc fuisse; in libro 6^o Faistorum Ovidius indicat; mediâ ætate (μεσσηνίου τῆς Σέπτος) in Historiarum suarum libro 40. Dio: ubi & Parthos hoc tempore omnem ditionem intra Euphratem recuperavisse, adjicit.

Reliquiæ Romani exercitus, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriamque distractæ, vix nuntium cladis retulerunt. [Florus, lib. 3. cap. 11.] Cognitâ verò hæc Romanorum clade, multæ Orientis provinciæ à societate vel fide populi Romani defecissent; ni Cassius collectis ex fugâ militibus paucis, intumescens Syriam egregiâ animi virtute ac moderatione pressisset. [Oros. lib. 6. cap. 13.] Hic Cassius, quum ei Garris à militibus odio Crassi imperium esset delatum, atque ipse etiam Crassus ob magnitudinem calamitatis ultrò id concederet, non acceperat: nunc autem necessitate rerum adductus, Syriæ administrationem suscepit. [Dio, lib. 40.] Estque hic Crassi Quæstor, qui Syriam in populi Romani potestate nunc retinuit, idem ille Caius Cassius, qui unâ cum Bruto Julium Cæsarem postea interemit. [Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 46. cum 56. & 58.]

Surenas caput dextramque Crassi ad Orodem misit in Armeniam: ipse verò sparsis Seleuciæ rumoribus per nuntios quòd vivum Crassum duceret, subornato Caio quodam inter captivos illi simillimo, pompam ibi quandam ridiculam instruxit, quam contumeliæ causâ appellavit triumphum. [Plutarch.]

Interea Orodes cum Artabaze sive Artavasde Armenio in gratiam redierat, ejus sorore desponsâ Pacoro suo filio: moxque secuta sunt convivia comestationesque; & inter alia, Græca quoque introducta sunt acroamata. nam Orodes nec linguæ Græcæ rudis erat nec literarum: Artavasdes verò etiam tragœdias scribebat & orationes & historias. Tum tragœdo Jafone Tralliano canente ex Euripidis Bacchis carmen de Agaue, ingressus virorum cœnaculum Sillaces, caput Crassi projecit in medium: quod exiliens à cœnâ Pomaxæthres sive Maxarthes ad se trahebat, tanquam sibi potius quàm illi debitum. [Id.]

Inter alias contumelias, nonnulli referunt etiam in os Crassi Parthos

thos aurum liquefactum, verbis insuper insultantes, infudisse. [*Dio, lib. 40.*] Inter hos L. Florus est: cujus [*in lib. 3. cap. 11.*] hæc de re verba sunt ista. *Caput ejus recisum, cum dexterâ manu, ad regem reportatum, ludibrio fuit, neque indigno. Aurum enim liquidum in rictum oris infusum est; ut cujus animus arserat auri cupiditate, ejus etiam mortuum & exangue corpus auro ureretur.* Quibus similia & Sextus Rufus in Breviario habet, & eum secutus Jornandes.

Surenas non multo post perjuriq dignas pœnas dedit; ab Orode, gloriæ illius invidente, occisus. [*Plutarch. in Crasso.*]

Romæ, loco Crassi junioris in bello Parthico occisi, M. Cicero Augur factus fuit. [*Id. in Cicerone.*]

Patre illius M. Crasso eodem tempore sublato, *Tricipitina* Varro-
nianæ unum caput recisum est, & belli civilis inter Pompeium & Cæsarem jacta fundamenta. Occiso enim Crasso, qui utrique imminēbat, reliquum erat Cæsari, quo evaderet maximus, ut eum qui supererat profligaret. [*Plutarch. in Cæsare, & in Pompeio.*]

*Nec quenquam jam ferre potest, Cæsarve priorem,
Pompeiusve parem.* [*Lucan. lib. 1.*]

3952 Senatusconsultum per interregnum factum est, ne quis Consul neve quis Prætor ante quinti annui exitum provincias exteras sortiretur. Idque paulo post à Pompeio confirmatum est. [*Dio, lib. 40.*] qui ab Interrege Ser. Sulpitio V. Kalend. Mart. mense intercalari, (circa initium sc. Decembris Juliani) Consul ceatus est. [*Ascon. Pedian. in orat. Milonian.*]

Parthi Syriam invaserunt, non magno tamen exercitu; quòd in eâ neque milites neque Imperatorem ab Romanis esse putabant: itaque Cassius eos non magno negotio repulit. [*Dio, lib. 40.*]

4662 52

Cassius veniens Tyrum, invisit etiam Judæam. ubi Tarichæas primo impetu cepit, & Judæorum circiter 30 millia abduxit in servitium. Pitholaum quoque, qui Aristobuli seditionem fovebat, interfecit; hortante Antipatro, qui plurimum apud eum poterat. Antipater enim, cum maximam inter Idumæos autoritatem haberet, aliorum etiam qui ubique potentes essent amicitiam hospitium familiaritatēque conquirebat. Præcipuè autem regem Arabum per affinitatem sibi sociavit: apud quem etiam, dum bellum contra Aristobulum gereret, liberos suos deposuit. At Cassius, Aristobuli filio Alexandro per conditiones ad quietem compulso, ad Euphratem castra movit, Parthos transitu prohibiturus. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 6. & lib. 14. Antiquit. cap. 12.*]

4663 51

3953 M. Marcello & C. Sulpitio Consulib. foedus cum Rhodiis renovatum est: quo cautum est, ne alter populus alterum armis impeteret; sed auxilia mutua sibi invicem præberet. Juraveruntque Rhodii, eosdem hostes se habituros, quos Senatus populūque Romanus. [*P. Lentulus, apud Cicer. lib. 12. ad familiar. epist. 15. cum Appiano, lib. 4. Bell. civil. pag. 627. & 630.*] Atque eâ occasione Posidonius Apameensis, qui Rhodi scholam habuit, Romam venisse videtur, consule M. Marcello: ut apud Suidam legitur. [*in voc. Ποσειδώνιος.*] nobilis nimi-

R o r rum

rum ille Philosophus, Mathematicus & Historicus : de cujus Sphærâ, in libro 2^o de naturâ Deorum, ita meminit Cicero. *Si in Scythiam aut in Britanniam, spheram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius ; cujus singula conversiones idem efficiunt in Sole, & in Lunâ, & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in cælo singulis diebus & noctibus : quis in illâ barbaricè dubitet, quin ea sphaera sit perfecta ratione ?*

Quum ex Senatusconsulto & lege Pompeiâ, superiore anno latâ, nullus Consularem Prætoriamve provinciam obtinere posset, nisi qui quinquennio Consularis Prætoriusve fuisset : M. Calpurnius Bibulus qui per septem, & M. Tullius Cicero qui per undecim annos Consulares jam fuerant, neque in ulla provincias adhuc iverant ; ille Syriam, hic Ciliciam provinciam est fortitus. De Syriâ testis est Dio, in libro 40. de Ciliciâ ipse Cicero, lib. 3. ad familiar. epistolâ 2. quam jam Proconsul designatus *Appiô Pulchro Imp.* (ob rem enim bello in Ciliciâ bene gestam Imperatoris nomen exercitus illi tribuit) cui successurus erat, ille scripsit : in quâ, & contra voluntatem suam & præter opinionem accidisse significat, ut ex Senatusconsulto sibi cum imperio in ipsius provinciam proficisci necesse esset. Legatos verò habuit Cicero, Quintum Tullium fratrem, C. Pomptinum, L. Tullium, & M. Anneium : Quæstores L. Messinium & Cn. Volusium.

Exercitum Ciceroni obvenisse 12000 peditum & 2600 equitum, in Vitâ illius refert Plutarchus. Ipse se nomen tantum duarum legionum exilium habuisse dicit. [*lib. 5. ad Attic. epist. 15.*] qui exercitus vix unum saltum tueri posset : uti ad ipsum scripsit M. Coelius. [*ibid. lib. 8. epist. 5.*]

Die XI. Kalend. Junius (qui ut Romæ tum annus agebatur, in Martii Juliani diem 6. incidit) Cicero, in provinciam profecturus, Brundisium venit. Ibi prætor ei fuit Q. Fabius Appii Claudii Pulchri, cui successurus erat, legatus : qui cum monuit, præsidio firmiori opus esse ad istam provinciam. Censebantque omne ferè, ut in Italiâ supplementum Ciceronis & Bibuli legionibus scriberetur. Id Ser. Sulpicius Consul passurum se negavit : tantusque consensus Senatus fuit, ut maturè Cicero & Bibulus proficiscerentur, parendum ut fuerit. Idque ita factum est. [*ibid. lib. 3. epist. 3.*]

Ante civile Cæsaris & Pompeii bellum, Juliani Martii die 7. paulo post meridiem, facta est horrenda Solis defectio, digitorum 10 cum dimidio : de quâ in libro 41. Dio. *ὁ ἥλιος σύμπασι ἐξέλιπε*, Sol totus deliquium pertulit. et Lucanus, libro 1.

*Ipse caput medio Titan cum ferret Olympo,
Condidit ardentes atrâ caligine currus ;
Involvitque orbem tenebris, genésque coëgit
Desperare diem.*

Brundisio solvens Cicero, Actium venit XVII. Kalend. Quintiles (Martii Juliani die 29.) indeque iter pedibus faciens, Athenas VII Kalendas Quintiles (Aprilis Juliani die 8.) pervenit. [*lib. 5. ad Attic. epist. 9. & 10.*] quum pridie quàm illuc venisset, Memmius (qui de ambitu condemnatus ibi tum exulabat) Mitylenas profectus fuisset. [*ib. ep. 11.*]

Mense

Mense Aprili Juliano Ptolemæus Auletes obiit: de quo M. Cœlius in epistolâ ad M. Ciceronem Româ Kalendis Sextilibus (Maii Juliani die 15.) perscriptis, [*lib. 8. ad familiar. epist. 4.*] quum in sequentem annum Consul jam designatus esset C. Marcellus. *Nuntiatum nobis, & pro certo jam habetur, regem Alexandrinum mortuum.* In ejus Testamento hæredes erant scripti ex duobus filiis major, & ex duabus filiabus ea quæ ætate antecedebar. Hæc uti fierent, per omnes deos, perque fœdera quæ Romæ fecisset, eodem testamento Ptolemæus populum Romanum obtestabatur. Tabulæ testamenti, unæ per legatos ejus Romam sunt allatæ, ut in ærario ponerentur; alteræ, eodem exemplo, relictæ atque obsignatæ Alexandria servabantur. [*Cæsar, lib. 3. Commentar. Bell. civil.*]

Hoc itaque testamento præcipiebatur, ut Ptolemæus filius natu major cum seniore sorore Cleopatrá, more majorum apud Ægyptios, matrimonio jungeretur; simulque regnum illi tenerent, sed ita tamen, ut sub tutelâ populi Romani essent. [*Dio, lib. 42.*] de quo, Cleopatra ad Cæsarem; apud Lucanum, libro 10.

— non urbes prima tenebo

Fœmina Niliacas: nullo discrimine sexus

Reginam scit ferre Pharos. lege summa perempti

Verba patris, qui jura mihi communia regni

Et thalamicum fratre dedit.

Hujus testamenti tabulæ Romam delatæ, cum propter publicas occupationes in ærario poni non potuissent, apud Pompeium sunt depositæ. [*Cæsar, lib. 3. Bell. civil.*] quem novo regi, propter juvenilem ejus ætatem, tutorem datum fuisse, refert Eutropius. [*lib. 6.*]

Decem ipsos dies Athenis moratus M. Cicero, pridie Nonas Quintiles (Aprilis Juliani die 19.) inde profectus est. [*lib. 2. ad familiar. epist. 8.*] quo die à Piræo solvens ad Zotera delatus est vento molesto, qui eum ibidem Nonis tenuit. VIII. Idus (Aprilis die 25.) ad Cei vicum, inde Gyarum, hinc Scyrum, inde Delum cursum confecit. [*lib. 5. ad Attic. epist. 12.*] XI. Kalend. Sextil. (Maii Juliani die 5.) Ephesum venit: tardius navigans propter aphractorum Rhodiorum imbecillitatem. Ibi incredibilis multitudo præstò ei fuit: Græcique ei quasi Ephesio prætori se alacres obtulerunt. [*ibid. epist. 13.*] Prætor verò Asiaticarum diocesium (quæ à Ciliciæ provinciâ sejunctæ fuerant) tum Q. Thermus Ephesi fuit: cum quo, de re M. Anneii legati sui, qui cum Sardianis habuit controversiam, Cicero egit; atque ad eum, pro eodem & aliis, varias postea epistolas scripsit. [*lib. 13. ad familiar. epist. 53, 54, 55, 56, 57. & lib. 5. ad Attic. epist. 20.*] Bithyniæ verò Prætorem P. Silium eodem tempore extitisse, ex lib. 13. ad familiar. epist. 61. colligitur.

Ephesi Ciceronem expectabat P. Nigidius, Romam ex legatione decedens, vir doctissimus; & Mitylenis, ejus salutandi & visendi causâ, venit eodem Cratippus, Peripateticorum illius temporis facile princeps: ut in Præfatione ad Platonis Timæum, Latinè à se conversum, ipse testatur Cicero.

Epheso relicta, Tralles profectus est Cicero, æstuosa & pulverulenta viâ. [*lib. 5. ad Attic. epist. 14.*] VI. Kalendas Sextiles (Maii Juliani die 10) Tralles venit: ubi præstò illi fuit L. Lucilius cum litteris Appii Pulchri. [*lib. 3. ad familiar. epist. 5.*] unde intellexit, inter alia, seditionem militum sedatam ab Appio, stipendiumque eis usque ad Idus Quintiles persolutum. [*lib. 5. ad Attic. epist. 14.*]

Pridie Kalendas Sextiles (Maii Juliani die 14.) Sulpicio & Marcello Consulib. Cicero Laodiceam, in provinciam (perditam ab Appio & planè eversam) venit: à quo die annuus hic magistratus, à Senatu illi commissus, numerari coeptus est. [*lib. 5. ad Attic. epist. 15, 16, 20. & 21. cum lib. 3. ad familiar. epist. 6. & lib. 15. epist. 2. & 4.*] Cùm verò à Cypriis legatis, qui Ephesum obviam ipsi venerant, intellexisset Cicero, Scaptium Appii in Cypro præfectum inclusum in curiâ senatum Salamine turmis aliquot equitum obsedisse, ut fame senatores quinque morerentur, quo die tetigit provinciam, litteras misit, ut equites ex insulâ statim decederent. [*lib. 5. ad Attic. epist. 21. & lib. 6. epist. 1.*]

Cùm propter anni tempus ad exercitum sibi confectum esse eundem videret, triduum Laodicæ moratus (dum pecunia acciperetur; quæ ipsi ex publicâ permutatione debebatur) III. Nonas Sextiles (Maii Juliani 17) iter Apamæam fecit: ibique quatuor vel quinque dies, Synnadis triduum, Philomeli quinque dies egit. Quibus in opidis cùm magni conventus fuissent, multas civitates acerbissimis tributis, & gravissimis usuris, & magno ære alieno liberavit. [*lib. 3. ad familiar. epist. 5. & lib. 15. epist. 4. cum lib. 5. ad Attic. epist. 15, 16. & 20.*]

Appius Claudius, cùm ex lege Corneliâ (Cornelii Syllæ Dictatoris) triginta dies ad decedendum de provinciâ, post successoris adventum, concederentur: iisdem diebus Tarsi forum egit, quibus Cicero juris dicendi causâ conventum habebat Apamææ, Synnadis & Philomeli. [*lib. 3. ad familiar. epist. 6. & 8. cum lib. 5. ad Attic. epist. 16. 17.*]

M. Bibulus Proconsul circiter Idus Sextiles (Maii Juliani 25.) ab Epheso in Syriam provinciam suam navibus, quòd secundos ventos haberet, profectus est. [*lib. 15. ad familiar. epist. 3.*] Cui cùm milites in Asiâ conscribere Senatus permisisset, delectum habere noluit. [*ibid. epist. 1.*] Nam sociorum auxilia propter acerbicatem atque injurias imperii Romanorum, aut ita imbecilla erant, ut non multum eos juvare possent; aut ita ab illis alienata, ut neque expectandum ab iis, neque committendum eis quidquam videretur. [*ibid.*]

Cùm ante Ciceronis in provinciam adventum seditione quâdam exercitus esset dissipatus, quinque cohortes sine legato, sine tribuno militum, denique etiam sine centurione ullo apud Philomelium confedissent, reliquus exercitus esset in Lycaoniâ: M. Anneio legato suo imperavit Cicero, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactoque in unum locum exercitu, castra in Lycaoniâ apud Iconium faceret. Quod cùm ab illo diligenter esset actum; Cicero in castra VII. Kalend. Septembr. (Junii Juliani die 7.) venit: cùm interea superioribus diebus ex Senatusconsulto, & evocatorum militum firmam

firmam manum, & equitatum satis idoneum, & populorum libero-
rum regumque sociorum auxilia voluntaria comparavisset. [*Ibid.*
epist. 4.]

Dejotarus filius, qui Rex à Senatu appellatus est, Cicerones pue-
ros secum in regnum duxit, dum in æstivis Marcus Cicero bellum ge-
reret. [*lib. 5. ad Attic. epist. 17, 18.*] Cui uni filio ut Dejotarus pater Ga-
latiæ regnum stabiliret, cæteros filios omnes eum necavisse, in libro
de Stoicorum repugnantis tradit Plutarchus. Amborum verò De-
jotarorum, patris & filii, simul regnantium, in Philippicâ XI summâ
cum utriusque laude, meminit Cicero.

Pacorus Orodis Parthorum regis filius, quocum nupta erat regis
Armeniorum soror, cum maximis Parthorum copiis multarumque
præterea gentium magnâ manu Euphratem transiens, bellum in pro-
vinciam Syriam intulit. [*lib. 15. ad familiar. epist. 1, 2, 3, 4. & lib. 5.*
ad Attic. epist. 18.] Dux autem reverâ erat Ofaces: Pacoro, qui non-
dum ex ephebis excesserat, nomen tantum ducis gerente. [*Dio,*
lib. 40.]

Parthi in Syriam ita profecti, in itinere positis locis omnibus in su-
am potestatem redactis, Antiochiam usque progressi sunt, cum spe
reliquorum etiam potiundorum. Nam neque Romani justis copiis
eam provinciam tenebant: & populi Romanorum dominationem mole-
stè ferentes, ad Parthos, tanquam sibi vicinos & familiares, incli-
nabant. [*Dio, ibid.*] Proconsul quoque Bibulus nondum in Syriam
venerat. Cum enim annua tantum illi provincia, ut Ciceroni, à Se-
nato esset constituta; ob eam causam tardius ad provinciam suam ac-
cedere ille dicebatur, quòd tardius vellet inde decedere. [*Cic. lib. 5.*
ad Attic. epist. 16. & 18.]

Cicero III. Kalend. Septembr. (Junii Juliani 11.) exercitum lu-
stravit apud Iconium. [*lib. 3. ad Attic. epist. 19.*] Kalendis, vel III. No-
nas Septembr. legati missi à rege Antiocho Commageno venerunt in
castra ad Iconium: qui primi Ciceroni nuntiârunt, Parthorum ma-
gnas copias Euphratem jam transire cœpisse; dicique Armenium re-
gem in Cappadociam impetum esse facturum. Quo nuntio allato,
etiamsi essent nonnulli, qui ei regi minorem fidem habendam
putarent; Cicero tamen vehementer est commotus tum de Syriâ,
tum de suâ provinciâ, de reliquâ denique Asiâ. Itaque exercitum sibi
per Lycaoniam, & per Isauros, & per Cappadociæ regionem eam,
quæ Ciliciam attingeret, ducendum putavit. [*lib. 15. ad familiar. e-*
pist. 1, 2, 3, 4.]

Postquam igitur decem dies Iconii fuisset moratus, moto exercitu,
castra in Cappadociâ extremâ non longè à Tauro monte apud opi-
dum Cybistra locavit: ut Artavaldes rex Armenius, quocumque ani-
mo esset, sciret non procul à suis finibus exercitum populi Romani
esse, ipsèque simul & Parthi Cappadociâ se excludi putarent. sicque
conterminam Ciliciam ille tueretur, & Cappadociam tenens, nova
regum finitimorum consilia impediret; qui, etiamsi Romanis essent
amici, tamen apertè Parthis inimici esse non audebant. [*lib. 5. ad Attic.*
epist. 20. & lib. 15. ad familiar. epist. 2. & 4.]

Cybisfris equitatum Cicero in Ciliciam misit, ut & ipsius adventus eis civitatibus quæ in eâ parte erant nuntiatus firmiores animos hominum faceret; & ipse maturè, quid ageretur in Syriâ, scire posset. [*lib. 15. ad familiar. epist. 2.*]

Ibi etiam officium à Senatu sibi injunctum curavit: ut Ariobarzane Cappadocum regem tueretur, ejusque salutem, incolumitatem, regnumque defenderet. Cùmque rex ipse cum Ariarathe, fratre suo, & paternis amicis majoribus natu, ad Proconsulem in castra veniens, (ubi triduum quatrividuumve præsentem eum fuisse, ex lib. 6. ad Attic. epist. 2. intelligitur) de insidiis vitæ suæ structis conquereretur, & equitatum cohortesque de exercitu Romano ad suum præsidium postularer: Cicero amicos ejus hortatus est ut regis sui vitam, docti casu acerbissimo patris ejus, omni curâ custodiâque defenderent; & ipsum Regem, ut in suâ vitâ conservandâ primùm regnare disceret, à quibus perspexisset sibi insidias paratas, in eos uteretur jure regio; poenâ afficeret quos necesse esset, reliquos metu liberaret. præsidio exercitus Romani ad eorum qui in culpâ essent timorem potius, quàm ad contentionem uteretur: fore autem, ut omnes, quando Senatusconsultum nôssent, intelligerent, se regi, si opus esset, præsidio esse futurum. De quo, in fine [*2^a illius*] epistolæ ad Consules & Senatum scriptæ, ipsos eo studiosiùs fecisse certiores dicit Cicero: quòd in rege Ariobarzane ea sibi signa videretur virtutis, ingenii, fidei, benevolentiaque erga ipsos perspexisse; ut non sine causâ tantam curam in ejus illi salutem viderentur contulisse.

Mithram & Athenæum, ab Ariobarzane importunitate Athenæidis exilio mulctatos, maximâ apud regem autoritate gratiâque Cicero constituit. Cùmque magnum bellum in Cappadociâ concitaretur, si Sacerdos (Comanorum; quem majestate, imperio & potentiâ secundum à rege consensus gentis illius habitum fuisse, in libro de bello Alexandrino confirmat Hirtius) armis se, quod facturum putabatur, defenderet; adolescens & equitatu, & peditatu, & pecuniâ paratus, & sociis, qui novari aliquid volebant: perfecit Cicero, ut è regno ille discederet; rexque sine tumultu, ac sine armis, omni autoritate aulae communitâ, regnum cum dignitate obtineret. [*Ibid. epist. 4.*] quamquam idem alibi ita judicaverit: nihil illo regno spoliatus, nihil rege egenus. [*lib. 6. ad Attic. epist. 1.*]

Atque hoc modo servatum est Ariobarzane cum ipso rege regnum. [*Cato, in epist. 5. lib. 15. ad familiar.*] & Cappadocia illi conciliata atque obediens facta, sine armis & multâ cum gratiâ. [*Plutarch. in Cicerone.*] de quo, ad Atticum [*lib. 5. epist. 20.*] ita jactitat ipse Cicero. *Ariobarzanes operâ meâ vivit, regnat, èν τῷ ἀποδῶν, consilio & autoritate & quia insidiatoribus ejus ἀποστῶν me non modo ἀδωδὸν ὄντων prabui, regem regnumque servavi.*

Interea multorum litteris atque nuntiis cognovit Cicero, Cassium (absente adhuc à Syriâ Bibulo) Antiochiæ cum exercitu fuisse; magnas Parthorum copias & Arabum ad Antiochiam accessisse; magnùmque eorum equitatum, qui in Ciliciam transisset, ab equitum quos ipse eò præmiserat turmis, & à cohorte prætoriam, quæ erat
Epi

Epiphaniæ præsidii causâ, occidione occisum : Parthosque in Cyrrethica, parte Syriæ proximâ Ciliciæ, fuisse. Cùm videret igitur à Cappadociâ Parthorum copias averfas, non longè à finibus esse Ciliciæ; relictis Cybistris Cappadociæ, (ubi castra dies quinque habuerat) exercitum in Ciliciam duxit : atque in finibus Lycaoniæ & Cappadociæ, XIII Kalend. Octobr. (Junii Juliani die 30) litteras tum à Tarcondimoro, tum ab Iamblichio Phylarcho Arabum, qui reipublicæ Romanæ amici habebantur, accepit; nuntiantes Pacorum cum permagno equitatu Parthico transisse Euphratem, & castra posuisse Tybæ : de quo ille ad Consules & Senatam statim scripsit. [*lib. 15. ad familiar. epist. 1, 2. & 4. cum lib. 5. ad Attic. epist. 18. & 20.*]

Rumore adventus Ciceronis & Cassio, qui Antiochiâ tenebatur, animus accessit, & Parthis timor injectus est. Recefferunt igitur illi ab Antiochiâ ante Bibuli adventum feliciter inde à Cassio rejecti : qui & cedentes ab opido insecutus, rem bene gessit. [*lib. 5. ad Attic. epist. 20, 21. & lib. 2. ad familiar. epist. 10.*] Quam historiam pleniùs ita enarrat Dio.

Quum Antiochiæ capiendæ spe Parthi essent dejecti, Cassio magnâ vi eos depellente, (ipsi autem ad oppugnationem locorum ineptissimi erant) Antigoniam contenderunt : cujus urbis suburbana quum essent arboribus consita, atque eò ipsi accedere neque auderent neque possent : arbores succidere, locumque sylvâ despoliare instituerunt, ut audacter tutòque urbem eâ aggredi possent. Cùm nec hoc succederet, quia & magni laboris negotium erat, & tempus incassum terebatur, & Cassius palantes ab ipsis affligebat; aliò arma versuri, Antigoniam discesserunt. Interea Cassius collocatis in viâ quâ transituri erant insidiis, se iis cum paucis ostendit, atque ad insequendum pertraxit; tum suos circumjecit. [*Dio, lib. 40.*] ubi & magnâ autoritate Ofacse dux Parthorum vulnus accepit, eoque interiit paucis post diebus. [*Cicero, lib. 5. ad Attic. epist. 20.*]

Apud Justinum, [*lib. 42. cap. 4.*] non ita rectè historia descripta legitur. *Pacorus missus ad persequendas Romani belli reliquias, magnis rebus in Syriâ gestis, in Parthiam patri suspectus revocatur : quo absente, exercitus Parthorum relictus in Syriâ, à Cassio Quæstore Crassi cum omnibus ducibus trucidatur.*

C. Cassium quæstorem M. Crassi Parthos, qui in Syriam transenderant, cæcidisse, *Livius*; [*lib. 108.*] transgressus in Syriam Parthos, felici rerum eventu, fugavisse ac fudisse, *Velleius*; [*lib. 2. cap. 46.*] contra Persas (ita enim Parthos vocat) in Syriam irrupentes ter cum summâ admiratione conflixisse, eosque trans Euphratem redactos vastavisse, *Sextus Rufus* in Breviario; singulari animo perditas res tantâ virtute restituisse, ut Persas crebris præliis vinceret, narrat in libro 6. *Entropius*. Quibus addantur & illa Orofii, [*lib. 6. cap. 13.*] de eodem Cassio. *Antiochum copiasque ejus ingentes pralio vicit & interfecit : Parthos quoque ab Orode in Syriam missos, jamque ingressos Antiochiam, bello expulit, ducemque eorum Ofacem interfecit. et Ciceronis, in Philippicâ undecimâ. Magnas ille res gessit ante Bibuli summi viri adventum; cùm Parthorum nobilissimos duces maximasque copias fudit, Syriamque im-*
mani

mani Parthorum impetu liberavit. Neque enim fidem meretur, quod in Historiæ Judaicæ, quæ Arabicè edita secundi libri Maccabaici præfert titulum, capitulo 41. de Cassio adjectum habetur. *Prætergrediens Euphratem, expugnavit Persas, atque reduxit in Romanorum obedientiam. Reduxit quoque in eorum obedientiam viginti duos Reges quos subegerat Pompeius: & redegit in Romanorum obedientiam quicquid erat in regionibus Orientis.* Bellum autem Orientis cum viginti & duobus regibus gloriatum fuisse Pompeium, ex Orofio [lib. 6. cap. 6.] jam supra audivimus.

Pridie Kalendas Octobres (Quintilis Juliani die 11) Senatui Romæ in æde Apollinis coacto placuit, in Ciliciam & in octo reliquis provincias sortitò deinceps mittendos esse Proprætores, qui Romæ priùs Prætores, neque in provinciâ antè cum imperio fuerunt. [lib. 8. ad familiar. epist. 8.]

Cicero cum exercitu iter in Ciliciam per Tauri pylas faciens, III. Non. Octobr. (Quintilis Juliani die 16) Tarsum venit. [lib. 5. ad Attic. epist. 20.]

Nonis Octobrib. (Quintilis Juliani die 18.) eodem die in Senatu recitatae sunt victrices Cassii litteræ, quibus per se scripsit confectum fuisse bellum Parthicum; & litteræ Ciceronis, tumultum Parthicum nuntiantes. Indèque Cassii litteris parùm est creditum. [lib. 5. ad Attic. epist. 21.] Eodèmq; die, Tarso Cicero Amanum versus profectus est. [lib. 3. ad familiar. epist. 8.] qui mons ipsi cum Bibulo communis erat, Syriam à Ciliciâ aquarum divortiis dividens; hostium plenus sempiternorum. [ibid. lib. 2. epist. 10. & lib. 5. ad Attic. epist. 20.]

Postridie ejus diei (Quintilis Juliani 19) castra habuit in campo Mopsuestiæ: unde Romam ad Appium Pulchrum (cui in Proconsulatu successerat) scripsit epistolam 8. lib. 3. ad familiar. in cujus fine leguntur ista. *De Parthis quod quaeris, fuisse nullos puto. Arabes qui fuerunt, admisso Parthico ornatu, dicuntur omnes revertisse. Hostem esse in Syriâ negant ullum.* Nam quum ad Amanum Cicero pervenit, hostem ab Antiochiâ recessisse, & Bibulum Antiochiæ esse, cognovit indèque Dejotarum confectum jam ad ipsum venientem cum magno & firmo equitatu & peditatu, & cum omnibus suis copiis, certiozem fecit, non videri esse causam, cur abesset à regno: sèque ad eum, si quid fortè novi accidisset, statim litteras nuntiosque missurum esse. [lib. 15. ad familiar. epist. 4.]

Cùm autem vehementer interesse utriusque provinciæ Cicero consideraret, pacare Amanum, & perpetuum hostem ex eo monte tollere; discedere se ab eo monte simulavit, & alias partes Ciliciæ petere. Cùmque abesset ab Amano iter unius diei, & castra apud Epiphaniam fecisset; III. Idus Octobris (Quintilis Juliani die 23) cùm advesperasceret, expedito exercitu ita noctu iter fecit, ut ad III. Idus Octobres, cùm lucefceret, in Amanum ascenderet. [ibid.]

Distributis igitur cohortibus & auxiliis, quum aliis ipse simul cum Quinto fratre legato, aliis C. Pomptinus legatus, reliquis M. Anneius & L. Tullius legati præessent; plerosque nec opinantes oppressit: multique occisi, alii capti, reliqui dissipati sunt. Fugerana (vel Erana potiùs)

potius) quæ fuit non vici instar sed urbis, quod erat Amani caput & itémque Sepyra & Ceminoris (vel Commoris) acriter & diu repugnantes, Pomptino illam partem Amâni tenente, ex antelucano tempore usque ad horam diei decimam, magnâ multitudine hostium occisâ, captæ sunt. Castella munita sex improvise adventu capta sunt, complura incensa. His rebus ita gestis castra in radicibus Amani habuit Cicero apud Aras Alexandri, ad Issum: quo in loco Darius ab Alexandro est superatus. Ibi quatrimum in reliquiis ejus partis Amani montis quæ ad ipsius provinciam spectabat delendis, agrisque vastandis, consumpsit: & ob victoriam justam partam, Imperator ab exercitu appellatus est. Atque ita direpto & vastato Amano, die quinto Isso discessit. [*Ibid. cum lib. 2. epist. 10. & lib. 5. ad Attic. epist. 20. & Plusarcho, in Cicerone.*]

Interim Bibulus in Amanum veniens, laureolam in mustaceo & inanem Imperatoris appellationem ibi cœpit quærere. Sed fœdam plagam ille accepit. Cohortem enim primam totam perdidit, centurionemque primipili nobilem, sui generis Asinium Dentonem, & reliquos cohortis ejusdem; & Sext. Lucilium (T. Gavii Cœpionis, locupletis & splendidi hominis, filium) tribunum militum. [*lib. 5. ad Attic. epist. 20.*]

Exercitum adduxit Cicero ad infestissimam Ciliciæ partem, quæ ab Eleuthero-cilibus incolebatur, feris hominibus, & acribus, & omnibus rebus ad defendendum paratis: qui cum ne regibus quidem unquam paruissent, hoc tempore & fugitivos recipiebant, & Parthorum adventum acerrimè expectabant. Horum opidum Pindenissum, in altissimo & munitissimo loco positum, 57^o ante Saturnalia die (XII Kalend. Novembr. sive Sextilis Juliani die 1) aggressus, vallo & fossâ circumdedit, sex castellis castrisque maximis sepsit: aggere, vineis, turræque altissimâ, oppugnavit; multis sagittariis, & magnâ tormentorum copiâ hinc usus. quemadmodum, tum in epistolâ ad M. Cœlium Rufum Ædilem designatum, 25^o obsidionis die (Sextilis Juliani 25) scriptâ; [*lib. 2. ad familiar. epist. 10.*] tum in litteris ad M. Catonem, [*lib. 15. epist. 4.*] & Pomponium Atticum, [*lib. 5. epist. 20.*] post urbem captam exaratis, ipse Cicero significat.

3954
4.

Magno tandem labore atque apparatu, sine ullâ molestiâ sumptive sociorum, multis suorum sauciis, incolumi exercitu, negotium Cicero confecit: omnibusque partibus urbis disturbatis aut incensis ipso Saturnalium die (XIII Kalend. Januar. sive Septembris Juliani die 26) Pindenissenses compulsi in potestatem ejus pervenerunt. Militibus, equis exceptis, reliquam prædam concessit. Mancipia tertio Saturnalium vœnibant. A Tibarenis, qui Pindenissensibus finitimi pari erant scelere & audaciâ, obsides accepit. Hinc exercitum in hyberna dimisit: Quintumque fratrem negotio præposuit, ut in vicis aut captis aut malè pacatis exercitus collocaretur. [*Ibid.*] Atque ita æstivis ipse confectis, Quintum fratrem hybernis, & Ciliciæ præfecit. [*lib. 5. ad Attic. epist. 21.*] & ut æstivos menses rei militari, ita hybernos jurisdictioni dare instituit. [*Ibid. epist. 14.*]

P. Cornelius Lentulus Spinther ex Ciliciâ triumphum Romæ du-

xit: ut ex epist. ad Attic. lib. 5. epist. 21. (collat. cum lib. 1. ad familiar. epist. 9.) colligitur.

Orodis regis Parthorum filius in Cyrrhesticam Ciliciæ regionem venit: in quâ & Parthi hyemârunt. [*lib. 5. ad Attic. epist. 21. & lib. 6. epist. 1.*]

Q. Volusium certum hominem & mirificè abstinentem Cicero misit in Cyprum, ut ibi pauculos dies esset: ne cives Romani pauci, qui illic negotiabantur, jus sibi dictum negarent. nam evocari ex insulâ Cyprios non licebat. [*lib. 5. ad Attic. epist. 21.*]

Cicero in Ciliciæ civitatibus magnâ admiratione exceptus, Nonis Januariis (sive Octobris Juliani die 13) Tarso in Asiam profectus est. Taurum igitur mense imperii sui sexto transgressus, quacunque iter fecit, nullâ vi, nullo judicio, nullâ contumeliâ, autoritate & cohortatione perfecit, ut & Græci & cives Romani, qui frumentum compresserant, magnum numerum populis pollicerentur, ad famem, in eâ parte Asiæ tum grassantem (quum messis nulla fuisset) sublevandam. [*Ibid.*]

Dejotarus, cujus filio pacta erat Artavasis (Armenia regis) filia, & cujus auxiliis magnis Cicero erat usus, Laodiceam ad eum cum Ciceronibus pueris venit: nunciavitque, Orodem cum omnibus Parthicis copiis primâ æstate transiturum. [*lib. 5. ad Attic. epist. 20, 21. cum lib. 6. epist. 1.*]

Laodiceæ, ab Idibus Februariis (Novemb. Juliani die 19) ad Kalendas Maias (Februarii Juliani diem 26) forum egit Cicero dioecesium suarum Asiaticarum: ex Idib. Februar. Cybaticum, & Apameense; ex Idib. Mart. Synnadenſe, Pamphylium. Multæ civitates ære alieno liberatæ, multæ valde levatæ sunt: omnes suis legibus & judiciis usæ, *αὐτονομίαν* adeptæ, revixerunt. [*lib. 5. epist. 21. lib. 6. epist. 2.*]

b. Romæ Ciceroni, pro re in Ciliciâ præclare gestâ, supplicationes à Senatu decretæ sunt; L. Æmilio Paulo & C. Claudio Marcello Consulibus. [*lib. 2. ad familiar. epist. 15. lib. 8. epist. 11. lib. 13. 5, 6, 13. & lib. 7. ad Attic. epist. 1.*]

C. Cassius, qui M. Crassi Quæstor fuerat, post Parthicam victoriam à Syriâ discessurus, Ciceroni Laodiceæ adhuc commoranti M. Fabium commendavit. [*lib. 9. ad familiar. epist. 25. & lib. 15. epist. 14.*]

Cui rescribens Cicero, cum pro magnitudine rerum quas gesserat, tum pro opportunitate temporis illi gratulatur, quod de provinciâ decedentem summa laus & summa gratia provinciæ prosecuta fuerit. Romamque ut properet, monet: ubi, hæc recenti victoriâ tantâ, clarum adventum ipsius futurum pronunciat.

Cicero legatum suum M. Anneium, cujus prudentiam, virtutem & fidem in bello adversus Cilicas expertus fuerat, ad controversiam quam cum Sardonibus habebat profectum, Q. Thermo Asiæ Prætori commendavit: utque ante Kalendas Maias, quando in Ciliciam ire cogitabat, remitteretur rogavit. [*lib. 13. ad familiar. epist. 55. & 57.*]

P. Cornelius Dolabella, Tullia M. Ciceronis filia paulo post factus maritus, Appium Claudium Pulchrum, triumphum ob rem bello in Ciliciâ bene gestam Romæ petentem, majestatis atque ambitus reum

4664 50

reum fecit. Simulátque Dolabella accessit ad tribunal, Appius introiit in urbem, triumphique postulationem abjecit; ac demùm, Q. Hortensio & M. Bruto defendentibus, utriusque criminis absolutus est. [*lib. 8. ad familiar. epist. 6. & 13. lib. 2. epist. 13, 16. lib. 3. epist. 10, 11, 12. lib. 6. ad Attic. epist. 6. & lib. de claris Oratorib.*]

M. Bibuli Syriæ proconsulis duos egregiæ indolis filios relictos à Gabinio in Ægypto equites interfecerunt. [*Cæsar, de bello Civil. lib. 3. Valer. Maxim. lib. 4. cap. 1.*] Eorum interfectores victos regina Cleopatra ad Bibulum misit; ut gravissimæ cladis ultionem arbitrio suo exigeret. At ille intactos evestigio ad Cleopatram reduci iussit: dicendo, potestatem hujus vindictæ non suam, sed Senatus esse debere. [*Valer. ibid. Seneca ad Marciam.*]

Nonis Maii in Ciliciam proficisci cogitabat Cicero: [*lib. 2. ad familiar. epist. 13. & lib. 6. ad Attic. epist. 2.*] sed ante Nonas Junias (Aprilis Juliani diem 2.) Tarsum non venit. Ibi verò multa illum moverunt: magnam in Syriâ bellum; magnâ in Ciliciâ latrocinia. [*lib. 6. ad Attic. epist. 4.*]

Inde profectus, cùm esset in castris ad fluvium Pyramum, Tarso Q. Servilius litteras ad eum misit Appii Claudii Pulchri, Romæ Nonis Aprilis (Juliani Februarii die 1) scriptas; quibus se absolutum majestatis fuisse significabat. [*lib. 3. ad familiar. epist. 11.*]

Quum bello Parthico Syria arderet, & magnus Antiochiæ merus esset, & Bibulus in tanto mœrore suo (ob cædem filiorum) maximam curam belli sustineret: quamvis magna spes in Cicerone atque ipsius exercitu esset; dixisse tamen fertur Bibulus, quidvis se perpeti malle, quàm videri eguisse illius auxilio. Cùmque ad Thermum (Asiæ Prætozem) de Parthico bello scriberet, ad Ciceronem litteram nunquam misit; ad quem intelligebat ejus belli pertinere periculum. Legati tamen ejus litteras ad Ciceronem miserunt, ut subsidio veniret. [*lib. 2. ad familiar. epist. 17. & lib. 6. ad Attic. epist. 5.*]

Et infirmum quidem habebat Cicero exercitum; sed Galatarum, Pisidarum & Lyciorum auxilia bona. Officium verò suum esse putavit, exercitum habere quàm proximè hostem, quoad provinciæ præesse per Senatusconsultum illi liceret. Cujus annuæ provinciæ cùm propè adesset terminus; ipsi cum Dejotaro convenit, ut in ejus castris rex esset cum suis copiis omnibus. [*lib. 6. ad Attic. epist. 1. & 5.*] De quo, in Philippicâ XI, Cicero. *Fuimus imperatores ego & M. Bibulus in propinquis finitimisque provinciis: ab eorege adjuti sumus & equitatu, & pedestribus copiis.*

Parthi M. Bibulum in obsidione habuerunt. [*Cæsar, de bello Civil. lib. 3.*] qui, se opido munitissimo & copiosissimo tamdiu tenuit, quamdiu in provinciâ Parthi fuerunt; [*Cic. lib. 12. ad familiar. epist. 19.*] & pedem portâ, quoad hostis cis Euphratem fuit, non extulit. [*lib. 6. ad Attic. epist. 8. & lib. 7. epist. 2.*]

At Parthi repente Bibulum semivivum reliquerunt: [*lib. 7. ad Attic. epist. 2.*] incredibili felicitate è totâ Syriâ discedentes. [*Ibid. lib. 6. epist. 6. lib. 7. epist. 1. & lib. 2. ad familiar. epist. 17.*] Bibulus enim Parthos contra sese invicem concitavit; Ornodopante quodam satrapâ,

qui Orodi infensus erat, sibi adjuncto, persuasioneque per internuntios, ut Pacorum regem constitueret, atque ejus auxilio Orodi bellum faceret. [*Dio lib. 40.*]

Bibulus in litteris quas ad Senatum de rebus à se gestis misit, quod Cicero cum illo erat commune sibi soli attribuit, quod Ciceronis erat proprium sibi adscripsit, quod verò ipsius erat solius id cum Cicerone communicavit: ut in epistolâ ad Salustium Quæstorem ipsius [*lib. 2. ad familiar. epist. lib. 17.*] Cicero conqueritur. Ubi & illud pusilli animi & ipsâ malevolentia jejuni atque inanis in illis litteris notat; quòd Ariobarzanem, quem Senatus per Ciceronem regem appellavit ipsique commendavit, iste non regem, sed regis Ariobarzani filium appellaverit: Cùmque ille, qui nihil præclare gesserat, adniteretur de triumpho; & Cicero, in cujus exercitu spem illius exercitus habuit, idem non assequi dedecus existimaret: etiam ipse, consulentibus amicis, de triumpho cogitare coepit. [*lib. 6. ad Attic. epist. 7. 8. & lib. 7. epist. 2.*]

Parthorum metu jam sublato, Cicero præsidia, quæ magna & firma Apameæ & aliis locis paraverat, omnia deduxit. [*lib. 2. ad familiar. epist. 17.*]

Quum circa III Kalend. Sextil. (Maii Juliani diem 26) annui muneris terminus instaret, & à decedente ex Senatusconsulto relinquendus esset qui præfesset; Cicero provinciæ à metu Parthico jam liberæ C. Coelium Caldum, Quæstorem (loco Cn. Volufii) nuper Româ ad se missum, nobilem quidem adolescentem sed minùs gravem & continentem, præfecit. [*lib. 2. ad familiar. epist. 15. & 19. cum lib. 6. ad Attic. epist. 4 & 6.*]

III Nonas Sextiles (Maii Juliani die 29) jam imperio annuo terminato, ad Sidam Pamphylia navi accessit. [*lib. 3. ad familiar. epist. 12.*] Inde Laodiceam, extremum provinciæ limitem, profectus est: ibique Mefsinium quæstorem suum expectare jussit, ut confectas rationes lege Julia apud duas civitates (Laodicensem & Apameensem) in provinciâ posset relinquere. [*lib. 6. ad Attic. epist. 7. cum lib. 2. ad familiar. epist. 7. & lib. 5. epist. 20.*] De prædâ verò (ex Amano monte) nihil attigit ipse, sed illud totum, ut & ex annuo sumptu, qui ipsi decretus fuerat, ad mille sestertia (cohorte ejus ingemiscente, quæ omne illud distribui sibi oportere putabat) ærario reliquit: prædibus quoque publicæ omnis pecuniæ Laodiceæ quæsitis; ut & ipsi & populo cave-retur sine vecturæ periculo. [*lib. 7. ad Attic. epist. 1. lib. 2. ad familiar. epist. 17.*]

M. Bibulo, acceptis ipsius litteris, suadente Catone, à Senatu amplissima 20 dierum supplicatio decreta est. [*lib. 7. ad Attic. epist. 2. & 3.*] Sed legiones quas Senatus decrevit in Syriam per Marium (qui ibi Salustio in Quæstoris munere erat successurus) mittendas, liberatâ jam à Parthorum metu provinciâ, detentæ sunt. [*lib. 2. ad familiar. epist. 17.*] Factum verò fuerat Senatusconsultum, ut Bibulo ad bellum Parthicum legio una à Cn. Pompeio, altera à C. Cæsare, mitteretur. Pompeius ex iis quas tum secum habebat legionibus nullam dedit: sed qui huic negotio erant præfecti, eos jussit legionem, quam ipse

ipse Cæsari utendam prius dederat, à Cæsare petere. Cæsar, quum voluntate adversariorum se exspoliari nemini dubium esset, Pompeio legionem remisit; atque ex suo numero, ut Senatusconsulto satisficeret, transdidit alteram. Hæ igitur duæ legiones, ut in Parthos mittendæ, adornabantur: quum verò nullus earum ad id bellum usus esset, veritus Consul Marcellus ne Cæsari redderentur, in Italiâ retinuit & Pompeio tribuit. Quæ quorsum tenderent, licet Cæsar satis animadverteret, tamen omnia patienda statuit: quòd non absurdum prætextum retinendarum suarum legionum, & aliarum copiarum contrahendarum hinc sibi oblatum cerneret. [*Cæsar, commentarior. de bello Civili, lib. 1. Hirrius, de bello Gallico, lib. 8. Plutarchus, in Pompeio, & Dio, sub fin. lib. 40.*]

d. Q. Thermo Prætori ex Asiâ decedenti suavit Cicero, ut nobilem adolescentem Quæstorem suum (C. Antonium: ut in Annal. tom. 3. pag. 431. ostendit Pighius) provinciæ præfectum relinqueret. [*lib. 2. ad familiar. epist. 18.*]

Cicero pecuniam omnem, quæ ad ipsum salvis legibus pervenerat, id est, sestertiùm XXII millia, Ephesi apud publicanos deposuit. [*lib. 5. ad familiar. epist. 20.*] Ibiq; Etesis ventis vehementissimè tardatus, Kalendis Octobrib. (Quintilis Juliani die 25) Epheso conscendit, [*lib. 6. ad Attic. epist. 8.*] & Rhodum appulit: [*Plutarch. in Cicero.*] Ciceronum pucrorum causâ. [*lib. 6. ad Attic. epist. 7. cum lib. 2. ad familiar. epist. 17.*] ibique de Q. Hortensii morte audivit. [*initio Bruti, sive, De claris oratorib.*]

Adversis ventis usus, pridie Idus Octobris (Sextilis Juliani die 7) Cicero Athenas venit. [*lib. 14. ad familiar. epist. 5. & lib. 6. ad Attic. epist. 9.*]

Instantibus belli civilis inter Cæsarem & Pompeium motibus, Sol paulo post exortum, Sextilis Juliani die 21 eclipsim quinque ferè digitorum passus est: ad quam Petronii illud, de belli hujus prognosticis, referendum videatur.

————— *namque ore cruento*

Deformis Titan vultus caligine textit.

Civiles acies jam tum spirare putares.

M. Bibulus è Syriâ decessit, Veientone provinciæ præfecto: ut ad Atticum, in libri 7, epistolâ 3^a, V. Idus Decembris (sive Octobris Juliani die 1) datâ, ostendit Cicero.

3955

Kalendis Januariis (in Octobris Juliani diem 22 incidentibus) quibus C. Claudius Marcellus & L. Cornelius Consulatum inierunt, Senatusconsultum factum est, uti ante certam diem Cæsar exercitum dimittat, si non faciat, eum adversus Rempublicam facturum videri. Cui decreto quum frustra intercessissent tribuni plebis, M. Antonius & Q. Cæsius; inter Cæsarem & Pompeium civilis belli factum est initium. [*Cæsar, commentar. de bello Civili lib. 1. Cicero, in Philippic. 2. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 49. Dio, lib. 41. init.*]

Pridie Nonas Januarias (Octobr. 25) Cicero ad Urbem accessit: sicque ei obviam est proditum, ut nihil fieri potuerit honoratius. Sed incidit in ipsam flammam Civilis discordiæ vel potiùs belli. [*lib. 16. ad fami-*

familiar. epist. 11.] Urbem tamen non intravit: Senatu frequente, inter has ipsas turbas, triumphum ipsi flagitante; quem Lentulus Consul, quo majus beneficium suum faceret, distulit. [*ibid. cum lib. 7. ad Attic. epist.* 1.] Et quum decerneret ei triumphum Senatus, malle se dixit, factâ concordia, Cæsaris curram sequi. [*Plutarch. in Cicerone.*] Verum invalescens ea discordia, & ipsius & M. Bibuli triumphum non distulit tantum, sed etiam omnino sustulit. *Vid. lib. 9. ad Attic. epist.* 2. & 6. & *lib. 11. epist.* 6.

VII Idus Januarii (Octobris Juliani die 28) Senatusconsultum perscriptum est; ut Consules, Prætores, Tribuni plebis, quique Proconsules tunc ad Urbem fuerant, (inter quos erat Cicero) operam darent, ne quid Respublica detrimenti caperet. Profugeruntque statim ex Urbe tribuni plebis (qui Senatus decreto intercesserant) & sese ad Cæsarem contulerunt. [*Cæsar, Bell. civil. lib. 1. Cicero, ad familiar. lib. 16. epist.* 11. *Dio, lib. 41.*]

Proximis diebus habito Senatu extra Urbem, præsentem Pompeio, provinciæ privatis decretæ sunt; duæ Consulares, reliquæ Prætoriar. Scipioni obvenit Syria. [*Cæsar, ut supr.*] Fuit hic Metellus Scipio: qui filiam Corneliam, Publii Craasi apud Parthos occisi viduam, Pompeio hoc anno (*ante biennium, quam ille extingueretur*; ut in *lib. 2. cap. 54. Velleius* indicat) uxorem dederat, & cum eo in Consulatu collega anno abhinc tertio fuerat. [*Plutarch. in Pompeio. Dio, lib. 40.*] In Ciliciæ verò provinciâ Ciceroni Sestium vel Sextium successisse, ex *lib. 5. ad familiar. epist.* 20. cum *lib. 11. ad Attic. epist.* 7. collatâ: & in Cyprum, deinceps ab eâ separatam, cum jure prætorio primum Quæstorem missum fuisse Sextilium Rufum, ex *lib. 13. ad familiar. epist.* 48. colligitur. Tres quoque diœceses Asiaticas, (Cibyriticam, Synnadensem & Apameensem) Ciliciæ provinciæ ademptas, novo Asiæ Proconsuli P. Servilio tributas fuisse; ex ejusdem libri epistolâ 67. colligit Sigonius. [*de antiquo jure provinciar. lib. 1. cap. 11.*]

Eodem die, VIII Kalend. Mart. (Juliani Decembris die 11) quo Feralia celebrabantur, (ut in Gruteri inscriptionib. pag. CXXXIII. videre licet) Corfinio Cæsar post meridiem, & Canusio manè Pompeius Brundisium profectus est. [*lib. 8. ad Attic. epist.* 22. & *lib. 9. epist.* 1.] quum autumnus jam exiisset. [*Dio, lib. 41.*]

Brundisio Pompeius socerum Scipionem & Cneium filium ad parandam classem misit in Syriam. [*Plutarch. in Pompeio.*] De quo Cicero, in libri 9. ad Atticum epistolâ 1^a pridie Nonas Martias (Juliani Decembris die 23) scriptâ: *Scipio vel in Syriam proficiscitur sorte, vel cum genero honestè, vel Cæsarem fugit iratum.*

VII Idus Mart. (Juliani Decembris 26) Cæsar Brundisium venit, & ad murum castra posuit: ut ipse in epistolio ad Oppium & Cornelium Balbum scribit. [*lib. 9. ad Attic. epist.* 16.]

XVI Kalendas Apriles (ut in epistolâ 18 libri 9 ad Atticum habetur: non IIII Kalend. Martias: ut apud Lipsium legitur, in epistolâ 31. Centuriæ ad Germanos & Gallos) quo Liberalia celebrabantur, (ut ex Fastis marmoreis liquet; in Gruteri inscript. pag. CXXXIII) quæ in 3. diem Januarii Juliani tunc incidebant, Pompeius Brundisio, cum omni-

omnibus copiis quas habuerat, in Epirum profectus est. Quo ipso Liberalium sive Dionysiorum die filii ipsius pugna Mundensi in Hispaniâ victi sunt; post annos quatuor quam pater ad bellum profectus fuisse dicitur. [*Plutarch in Casare.*] eodem videlicet die, quo Pompeius pater, relicta Italiâ, belli sedem in Græciâ constituit: non, quo ab urbe bellum gesturus aufugit; ut per errorem, scriptum est ab Orosio. [*lib. 6. cap. 16.*]

Postero die Cæsar Brundisium introiit; ibique concionatus, Romam inde contendit; ante Kalendas ad Urbem esse volens. [*lib. 9. ad Attic. epist. 18.*]

Inde Aristobulum in patriam Palæstinam Cæsar dimisit; ut contra Pompeium is aliquid moveret. [*Dio, lib. 41.*] Aristobulum vinculis solutum in Syriam eum misisse refert Josephus; additis duabus legionibus, quo facilius ordinaret provinciam. verum spe suâ utrumque fuisse frustratum; veneno à Pompeianis Aristobulo sublato, & à Cæsarianis funerato. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 7. & lib. 14. Antiqu. cap. 13.*]

Alexander quoque Aristobuli filius, secundum Pompeii litteras, Antiochiâ à Scipione securi est percussus: accusatione pro tribunali prius habitâ super his quæ in Romanos admiserat. Ptolemæus verò Mennæus dynasta Chalcidis, quæ sita est in monte Libano, misso Philippione filio Ascalonem ad uxorem Aristobuli, filium illius Antigonom & duas filias ad se accersivit: quarum minoris Alexandræ captus amore Philippio, conjugio eam sibi copulavit. [*Id. ibid.*]

Pompeius annum spatium ad comparandas copias nactus (quod vacuum à bello, atque ab hoste otiosum fuerat) magnam ex Asiâ Cycladibusque insulis, Corcyrâ, Athenis, Ponto, Bithyniâ, Syriâ, Cilicia, Phœnice, & Ægypto classem coëgit; magnam locis omnibus ædificandam curavit: magnam imperatam Asiæ, Syriæ, regibusque omnibus, & dynastis, & tetrarchis, & liberis Achaïæ populis pecuniam exegit; magnam societates earum provinciarum, quas ipse obtinebat, sibi numerare coëgit. [*Cæsar, Bell. civil. lib. 3.*] Fertur ex Ægypto naves sexaginta ei missas à regibus Cleopatrâ fratremque hujus etiam tunc puero. Habebat etiam auxilia ex Ioniâ, sagittarios ex Cretâ, ex Ponto jaculatores, equites ex Galatiâ: Commageni missi ab Antiocho, Cilices & Cappadoces, & quidam ex minore Armeniâ, Pamphylii quoque & Pisidæ, ad eum venerunt. [*Appian. bel. Civil. lib. 2. pag. 458. & 472.*]

M. Cato in Asiam à Pompeio missus, ut cogentes illic navigia & milites adjuvaret, duxit secum sororem Serviliam, atque natum ex eâ Luculli filium. Ubi quum Rhodios benevolentiam Pompeio adjunxisset; Serviliâ cum filio apud eos relicta, ad Pompeium reversus est, egregiis pedestribus & navalibus viribus jam instructum. [*Plutarch. in Catone minore.*] Omnèsque terras, omnia maria movere, reges barbaros incitare, gentes feras armatas in Italiam adducere cogitabat. [*Cicero, ad Attic. lib. 8. epist. 11.*]

Ipsam quoque Parthorum regem Orodem, etsi post Crassorum cædem hostium in numero habitum, ad societatem suam pertrahere Pom-

Pompeius tentabat. Orodes, si Syria sibi concederetur, auxilium promisit: Syriam verò non adeptus, suppetias non tulit. [*Dio, lib. 41.*] quanquam aliàs Pompeianarum partium Parthi fuere: & propter amicitiam cum Pompeio bello Mithridatico junctam, & propter Crassi necem, cujus filium in partibus Cæsaris esse audierant; quem ultorem patris victore Cæsare futurum non dubitabant. [*Justin. lib. 42. cap. 4.*]

Magnam classem Alexandriâ, Colchis, Tyro, Sidone, Andro (vel Arado potiùs) Cypro, Pamphylia, Lyciâ, Rhodo, Chio, Byzantio, Lesbo, Smyrnâ, Mileto, Coö, comparatam ad intercludendos com meatus Italiae, & ad occupandas frumentarias provincias, Pompeius adhibuit. [*Cic. ad Attic. lib. 9. epist. 11.*]

Præerat Ægyptiis navibus Pompeius filius; Asiaticis D. Lælius & C. Triarius; Syriacis C. Cassius; Rhodiis C. Marcellus cum C. Pomponio; Lyburnicæ atque Achaicæ classi Scribonius Libo & M. Octavius. Toti tamen officio maritimo M. Bibulus præpositus cuncta administrabat: ad hunc summa imperii respiciebat. [*Cæsar. bell. civil. lib. 3.*]

3956
a. Julius Cæsar Dictator creatus, post undecim dies, seipso & P. Servilio Isaurico Consulibus declaratis, dictaturâ se abdicavit. [*Cæsar, initio lib. 3. Commentar. de Bello civili. Plutarch. in Cæsare. & Appian. lib. 2. Bell. civil. pag. 457.*]

A primâ hâc Cæsaris dictaturâ Syro-macedones *Cæsarianorum temporum* (cujusmodi epochæ in antiquo faxo, *Inscript. Græci pag. CCLXXXVII. 3.* occurrit mentio) numerationem instituerunt, à Septembris Juliani die 24 (quo Solarem Macedonum annum cœpisse alibi ostendimus) deductam. A quo die non Syro-macedones solum sed etiam Imperatores Romani *Indictiones* suas, sive quinquaginta annorum circulum; & Antiocheni æram suam (quæ per 15 divisa, Indictionem Imperatoriam semper exhibet) inchoarunt. licet anni formâ postea mutata, & Macedonicis mensibus ad Julianos conformatis, Antiocheni æræ suæ, & reliqui Orientales Indictionum initium ad novi sui anni exordium retulerint, & à 24 die ad Kalendas Septembres traduxerint. Quicquid verò sit de Indictionum origine (quam ad Constantiniana tempora communiter referunt:) Antiochenæ æræ caput à Septembri anni Periodi Julianæ 4665 esse referendum, extra omnem poni debet controversiam.

Exeunte anno quo Marcellus & Lentulus Consulatum gesserunt, Pompeius dux Romanorum constitutus, & Senatus qui in Epiro cum eo erat, regibus & populis bene de se merentibus honores impertierunt: ut in libro 5º Lucanus narrat.

— pelagique potens Phœbeia donis

Exornata Rhodos, gelidisque inculta juventus

Taygetis: famâ veteres laudantur Athena;

Masilique sua donatur libera Phocis.

Tunc^a Sadalen fortémque Cotyn, fidémque per arma

Dejotarum, & gelide dominum^b Rhasipolim ora

^a Salsalem filium Cotis regis Thraciæ appellat Cæsar. [*lib. 3. Bell. civil.*]

^b Rascipolim Macedonum ducem. [*Id. ibid.*]

Collan-

*Collaudant : Libyamque jubent auctore Senatu
Sceptrisfero parere Fuba.*

eodemque modo Ptolemæo puero Ægypti etiam regnum confirma-
tum tum fuisse adjicit. quò referenda & illa Pothîni nutricii Ptole-
mæi de Pompeio verba, apud eundem, in libro 8.

—quòd nobis scepra Senatus

Te suadente dedit.

Circa brumale solstitium nuntios Cæsar ad exercitum dimisit,
ut sibi ad Brundisium occurrerent: ipse Decembri mense Româ dis-
cessit, ne magistratus quidem sui respectu expectatis Kalendis incun-
tis anni proximis. Ita Appianus, [*Bell. civil. lib. 2. pag. 458.*] existi-
mans eandem anni Romani tum fuisse rationem, quæ suo ipsius tem-
pore extitit. quum tamen Kalendæ illæ Januariæ, quibus secundum
suum Consularum Cæsar erat initurus, Juliani Octobris diei 11 re-
sponderit. Simili quoque errore Florus [*lib. 4. cap. 2.*] Cæsarem,
quamvis hyems mediâ prohiberet tempestate, ad bellum navigavisse asserit:
pariterque Plutarchus, in *Pompeio*, Brundisium Cæsarem venisse scri-
bit, ἐν ἡρονταῖς ἡδὴ τῷ χειμῶνι ὄντι, & in *Cæsare*, inde illum solvisse,
χειμῶνι ἐν ἡρονταῖς ὄντι, ἰσαμῶντος ἰανουαρίου μῆνος, tempore brumalis
solstitii, ineunte mense Januario; quem Atheniensium Posideoni re-
spondere dicit. Et ipse quidem Cæsar, Commentariorum de bello ci-
vili libro 3^o, *pridie Nonas Januar. naves, impositis legionibus septem, sol-
visse* se confirmat, & *postridie terram attigisse Cerauniorum*. Sed non Ju-
lianus ille fuit Januarius, in quem Plutarchi tempore Posideon At-
ticus incurrebat, sed quem vitiosa anni Romani ratio tunc exhibebat;
quum Nonæ illius (quibus ad Ceraunia Cæsar appulit) Juliani Octo-
bris diei 15 responderunt. *Et jam hyemem appropinquavisse*, indèque
Pompeium *iter ex Macedonia in hyberna Apolloniam Dyrrhachiumque
habuisse*, ipse Cæsar postea significat; neutiquam verò *brumam*, id est,
hyemis ἀρχὴν tunc extitisse.

Frumenti verò vi maximâ ex Thessaliâ, Asiâ, Ægypto, Cretâ, Cy-
renis, reliquisque regionibus comparatâ, hyemare Pompeius Dyrra-
chio, Apolloniâ, omnibusque opidis maritimis constituerat, ut mare
Cæsarem (licet frustra) transire prohiberet. [*Cæsar, Bell. civil. lib. 3.*]

Syriæ præses Scipio, (Pompeii focer) detrimentis quibusdam circa
montem Amanum acceptis, sese Imperatorem appellavit. Quo factò
civitatibus tyrannisque magnas imperavit pecunias: item à publican-
is suæ provinciæ debitam biennii pecuniam exegit, & ab eisdem in-
sequentis anni mutuam præcepit; equitesque toti provinciæ impe-
ravit. Quibus coactis, finitimis hostibus Parthis post se relictis, le-
giones equitesque ex Syriâ dēduxit: cūque nonnullæ militum voces
audirentur, sese contra hostes si ducerentur ituros, non contra civem
& Consulem; deductis Pergamum atque in locupletissimas urbes in
hyberna legionibus, maximas largitiones fecit, & confirmatorum
militum causâ diripiendas iis civitates dedit. [*Id. ibid.*]

Interim acerbissimè imperatæ pecuniæ totâ provinciâ exigebantur.
Multa præterea generatim ad avaritiam excogitabantur. In capita sin-
gula servorum ac liberos tributum imponebatur. Columnaria,

ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturæ imperabantur: cuius modò rei nomen reperiri poterat, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur. Non solum urbibus, sed penè vicis castellisque singulis cum imperio præficiabantur: qui horum quid acerbissimè crudelissimèque fecerat, is & vir & civis optimus habebatur. Erat plena licitorum & imperiorum provincia, conferta præfectis atque exactoribus: qui, præter imperatas pecunias, suo etiam privato compendio serviebant. dictabant enim se domo patriaque expulsos, omnibus necessariis egere rebus: ut honestâ præscriptione rem turpissimam tegerent. Accedebant ad hæc gravissimæ usuræ (quod in bello plerumque accidere consuevit) universis imperatis pecuniis: quibus in rebus prolationem diei donationem esse dicebant. Itaque æs alienum provinciæ eo biennio multiplicatum est. Nec minùs ob eam causam civibus Romanis ejus provinciæ, sed in singulos conventus singulasque civitates certæ pecuniæ imperabantur: mutuasque illas ex Senatusconsulto exigi dictabant. [*Ibid.*]

Ephesi præterea à fano Dianæ depositas antiquitùs pecunias Scipio tolli jubebat. Cùm verò in fanum ventum esset, adhibitis compluribus Senatorii ordinis quos advocaverat Scipio, litteræ ei redduntur à Pompeio, mare transisse cum legionibus Cæsarem; properaret ad se cum exercitu venire, omniæque posthaberet. His litteris acceptis, quos advocaverat dimittit: ipse iter in Macedoniam parare incipit; paucisque post diebus est profectus. Hæc res Ephesiæ pecuniæ salutem attulit. [*Ibid.*]

Habebat interim Pompeius in exercitu suo, præter Romanas & Italicas legiones, & duas quas ex Asiâ Lentulus Consul conscribendas curaverat, sagittarios ex Cretâ, Lacedæmone, Ponto, Syriâ reliquisque civitatibus tria millia numero, funditorum cohortes sex, mercenarias duas, equites 7000. ex quibus equitibus, 600 Gallos Dejotarus adduxerat, 500 Ariobarzanes ex Cappadociâ. 500 Gallos Germanosque, quos Alexandriæ Gabinius præsidii causâ apud regem Ptolemæum reliquerat, Pompeius filius cum classe adduxerat. 300 Tarcundarius, Castor & Donilaus ex Gallogræciâ dederant: (horum alter unâ venerat, alter filium miserat:) 200 Commagenus Antiochus, cui magna præmia Pompeius tribuit, miserat; in quibus plerique erant hippotoxotæ. Cum Scipione verò ex Syriâ duæ expectabantur legiones. [*Id. ibid.*]

b. Post Cæsaris adventum in Epirum, multi jam menses transierant, & hyems præcipitaverat; neque Brundusio naves legionisque, in Italiâ relictae, ad Cæsarem veniebant. Tum verò M. Antonius & Fufius Calenus, nacti Austrum sibi faventem, naves solverunt; tresque veteranorum legiones & unam tironum, cum equitibus 800 ad Cæsarem adduxerunt. Quorum transitum cùm Q. Coponius, qui Lyrachii classi Rhodiæ præerat, impedire conaretur, tempestas exorta naves Rhodias ita afflixit, ut ad unam constratæ omnes numero 16 eliderentur & naufragio interirent; & ex magno remigum propugnatorumque numero pars ad scopulos allisa interficeretur, pars à Cæsarianis distraheretur: quos omnes conservatos Cæsar donum remisit. [*Id. ibid.*]

In

In Ægypto, Ptolemæus puer per suos propinquos atque amicos Cleopatram, sororem suam simul & conjugem, regno expulit. [*Cæsar, lib. 3. Bell. civil. Liv. lib. 111.*]

————— *habens sub jure Pothini*

Affectus ensesque suos :

ut apud Lucanum [*lib. 10.*] Cleopatram hîc conquestam legimus. Nam ut per pueri familiares, motâ seditione, ejectam eam fuisse narrat Strabo; ita Pothîno speciatim apud Plutarchum in *Cæsare* tributum illud invenitur. *Erat enim tum in procuratione regni, propter etatem pueri, nutricius ejus eunuchus, nomine Photinus,* (ut apud Cæsarem legitur) idem ille ipse, qui à Græcis scriptoribus Ποδογεινος: rectiore nomine est appellatus. Ita verò ejecta Cleopatra, cum sorore in Syriam secessit; [*Strabo, lib. 17. pag. 796.*] exercitum ibi paratura. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 480.*]

Pharnaces, Mithridatis regis Ponti filius & Bosphori Cimmerii rex, quum civile hoc bellum, quod diuturnum fore speraverat, inter Romanos coortum, & procul abesse Cæsarem audivisset, cupiditate totius paterni regni recuperandi impulsus, à Romanis defecit; & Bosphori tutelâ Afandro creditâ, Colchidem nullo certamine, itémque omnem Armeniam (cum Moschicâ regione, in quâ Leucothææ templum eum spoliavisse notat Strabo, lib. 11. pag. 498.) Dejotaro absente, adhæc urbes aliquot Cappadociæ Pontique, quæ Bithyniæ jurisdictioni subjacebant, in suam potestatem redegit. [*Dio, lib. 42.*] Sinopè captâ, Amisum quoque appetiit. [*Appian. in Mithridatic. pag. 254.*] Sed eam tum obtinere non potuit.

Pompeius uxorem suam Corneliam in Lesbum insulam clam misit; ut Mitylenis, à bellicis tumultibus secura quiesceret. [*Lucan. lib. 5. fin.*] cum quâ & privignum ejus Sextum, minorem Pompeii filium, eodem eum misisse, Plutarchus [*in Pompeio*] & Dio [*lib. 42.*] referunt: quem in castris tamen apud patrem mansisse, Lucanus narrat. [*lib. 6. fin.*]

L. Hirtilius (al. Hirrius) à Pompeio ad Parthos legatus missus (ut ex Cæsaris commentario 3. de bello civili intelligitur) ab Orode rege non modò suppetias non impetravit, sed etiam ab eo, jure gentium violato, in vincula coniectus est. [*Dio, lib. 42.*] ob negatam nimirum illi Syriam: ut suprâ, ex eodem Dione, [*lib. 41.*] dictum est.

c. Dyrrachii, per quatuor penè menses, Pompeium maximis operibus obsessum, ad extremum Pharsalico prælio Cæsar fudit. [*Sueton. in Julio Cæsare, cap. 35.*]

Quo tempore in Thessaliam (ubi ad Palæopharsalum est pugnatum) Cæsar, & paucis post eum diebus Pompeius, venit; *segetem propè jam maturam fuisse*, ipse testis est Cæsar. [*Bell. civil. lib. 3.*] & instante pugná, prodiisse Cæsarianos βῆτι Cυτολογια Appianus, [*Bell. civil. lib. 2.*] ad *segetum raptus* Lucanus [*lib. 7.*] confirmat. Erátque tum ἀκμή δέρας ἔξ καὶ μετὰ πολὺ *adultæ ætas & æstus plurimus*: si Plutarcho [*in M. Bruto*] credimus.

Eodem die quo Pharsalicum prælium est commissum, Antiochiæ in Syriâ tantus clamor exercitus, signorum sonus crepitúsque ar-

morum est exauditus, bis, ut in muros armata civitas discurreret. Hoc idem Ptolemaide accidit. Pergami à templi Bacchi adyto, quò præter sacerdotes adire fas non erat, tympanorum cymbalorumque sonitus ortus, per totam urbem permeavit. Item Trallibus, in templo Victoriæ, ubi Cæsaris statuam consecraverant, palma viridis in tecto inter coagmenta lapidum ex pavimento extitisse ostendebatur. Syris quoque duo juvenes pugnae hujus exitum annuntiantes, nusquam postea apparuisse dicebantur. [*Cæsar, Bell. civil. lib. 3. Julius Obsequens de prodigiis. Plutarch. in Cæsare. Dio, lib. 42.*]

In Pompeii exercitu fuerunt omnes fermè nationes quotquot versus Orientem per circuitum mare accolunt; Thraces, Hellepontii, Bithyni, Phryges, Iones, Lydi, Pamphylii, Pisidæ, Paphlagones, Cilices, Syri, Phœnices, Hebræi, contiguèque his Arabes, Cyprii, Rhodii, Cretenses funditores, & insulani cæteri. Aderant & reges dynastæque; Dejotarus tetrarcha Gallogræcorum, & Ariarathes rex Cappadocum. Armenios Ciseuphratenos ducebat Taxiles; Transuphratenos Megabates legatus Artapæ regis. Alii quoque minores dynastæ adjutabant pro viribus. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 472.*] Cùmque illius exercitus majori parte ex Asianis constaret, nullumque belli usum habentibus, victus est. [*Dio, lib. 41.*] & ut cecinit Petronius,

*Ille tremor Ponti, sævi quoque terror Hydaspis,
Et piratarum scopulus; modo quem ter ovantem
Jupiter horruerat, quem fracto gurgite Pontus
Et veneratus erat submissâ Bosphorus undâ,
(Proh pudor!) Imperii deserto nomine fugit.*

Cæsar, captis Pompeii scriniis, secretas litteras, quæ benevolentiam quorundam erga eum & animi acerbitatem adversus ipsum Cæsarem prodebant, neque legit neque descripsit, sed optimâ fide extemplo concremavit: ne quid gravius in quenquam statuere ex litteris cogeretur. [*Plin. lib. 7. cap. 25. fin. Dio, lib. 41. fin.*] Idemque postea & regulis & populis qui auxilia Pompeio tulerant, imperatâ tantum pecuniâ, neque ullo alio supplicio imposito, veniam dedit. Nullam enim sibi aut certè exiguam cum iis intercessisse notitiam, considerabat; quum Pompeii multa magnâque in eos constitissent merita: longèque plus laudis eis tribuebat, quàm illis, qui quum à Pompeio beneficiis essent affecti, in periculo eundem destituisent. [*Dio, ut supra.*]

Pompeius, castris relictis, Larissam paucis comitantibus, profugit. Urbem ipsam, quanquam invitantibus civibus, ingressus non est; ne se recepto, culpam Larissæ sustinendam haberent: sed postquam eos ad victoris amicitiam accedere jussit, ipse rebus necessariis acceptis, ad mare progressus est. [*Dio, lib. 42.*]

C. Cassius, cum classe Syrorum & Phœnicum & Cilicum, in Siciliam venit: & Cæsarianis navibus incensis, postquam de prælio facto in Thessaliâ cognitum est, cum classe discessit. [*Id. ibid.*]

Classis Rhodia, cui C. Coponius imperio prætorio præfuerat, post cladem Pharfalicam Pompeianis desertis, domum rediit. [*Cicero, lib. 1. de Divinat.*]

L. Lentu-

L. Lentulus (Crus) qui superiore anno Consul fuerat, & P. Lentulus (Spinther) consularis, cum aliis qui ex fugâ Pompeium insecuti, ad Rhodi insulam venientes, opido ac portu non sunt recepti: missisque ad eos nunciis, ut ex iis locis discederent, contra voluntatem suam naves solvere jubebantur. [*Cæsar, Bell. civil. lib. 3.*]

Cæcilius Bassus, equestris ordinis vir Pompeianarum partium, Tyrum se recepit: ibique in eo loco, ubi mercatorum negotiationes exerceri solent, laritavit. [*Dio, lib. 47. & Libo, apud Appianum, lib. 3. Bell. civil. pag. 576.*]

M. Claudius Marcellus, Cæsarem metuens, Mitylenas concessit; ibique in studio bonarum artium beatissimè vixit: (ut ex Bruto refert Seneca in consolatione ad Albinam:) frustra suadente Cicerone, ut inde Romam rediret, & à Cæsare veniam peteret. [*lib. 4. ad familiar. epist. 7. & 8.*]

Ex fugâ Pharsalicâ veniens Labienus, Pompeiani exercitus ciadem nuntiavit Dyrrachii: ubi M. Cato cum 15 cohortibus & 300 triremibus relictus fuerat. Unde & ille & Cicero, & cum eis alii, subito perterriti metu, naves conscenderunt: & noctu ad opidum respicientes, flagrantes onerarias, quas incenderant milites, quia sequi noluerant, viderunt. Cato verò in Corcyram (insulam sub Epiro ad confine maris Ionii & Adriatici positam) ubi classis erat, cum iis quibus eadem sententia placebat, trajecit: ibique reliquos quoque qui ex prælio Pharsalico effugerant, aut alioquin easdem partes sequebantur, ad se accepit. Ex prælio L. Scipio Pompeii socer, Labienus, Afranius, & alii plurimi viri illustres venerunt. Paulo post Octavius etiam, qui Ionium mare tenens Caium Antonium ceperat, iis se adjunxit. Cnæus quoque Pompeius (senior Magni filius) qui classe Ægyptiâ circumvectus in Epirum incursiones fecerat, patre superato, quum Ægyptii domum avecti essent, Corcyram ipse concessit. Hujus factum C. Cassius quoque, qui Siciliam vexaverat, atque alii complures imitati, ad Catonem perfugerunt; quem virtute cæteris præstare animadvertabant. [*Cicero, lib. 1. de Divinat. Plutarch. in Catone minore. Appian. bel. Civil. lib. 2. pag. 482. Dio, lib. 42.*]

Ibi Cato Ciceroni, ut consulari prætorius, imperium deferebat. Quod cum Cicero (vir nihil minùs, ut in libro 111^o notavit Livius, quam ad bella natus) recusaret, militiamque subterfugeret, penè fuit interemptus: Pompeio adolescente ejusque amicis proditorem eum vocantibus, & gladios distringentibus. Sed obsistens Cato, vix illum cædi eripuit, & ex castris eduxit. [*Plutarch. in Catone, & in Cicerone.*]

Classè deinde divisâ inter amicos Pompeii præcipuos, Cassius in Pontum navigavit ad Pharnacem, exciturus eum contra Cæsarem; Scipio verò in Africam, fretus Varo & ejus copiis, Jubæque Mauri auxiliis. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 482.*]

Ipsè Cato, Pompeium Magnum in Ægyptum vel Africam conjiciens elapsus, properansque ad illum, conscendit cum omnibus suis, atque vela fecit: potestate tamen antè abeundi & remanendi factâ illis qui non prompti erant ad sequendum. [*Plutarch. in Catone.*] Ejus navigationem in libr. 9^o ita Lucanus depinxit.

*Corcyra secreta petit, ac mille carinis
Abstulit Emathia secum fragmenta ruinæ.
Quis ratibus tantis fugientia crederet ire
Agmina? quis pelagus victas arctâsse carinas?
Dorida tunc Malean, & apertam Tænaron umbris,
Inde Cythera petit; Boreaque urgente carinas
Creta fugit: Diçtæa legit, cedentibus undis,
Littora. tunc ausum classi præcludere portus
Impulit, ac sævas meritum Phycunta rapinas
Sparsit.*

Est autem Phycus regionis Cyrenaicæ promontorium, & opidum; quod diripiendum militibus Catonem dedisse, Poëta significat. Sed ulteriore Catonis navigatione hîc intermissâ, ad Pompeii Magni & cum insequentis Julii Cæsaris itinera convertendus est sermo.

d. Cæsar Pharfali biduo moratus, ad celebrandam sacrificiis victoriam reficiendumque fessum prælio militem, tertiâ diè Pompeium insecutus est. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 482.*] Omnibus enim rebus relictis, persequendum sibi Pompeium existimavit, quascumque in partes ex fugâ se recepisset; ne rursus copias comparare alias, & bellum renovare posset: &, quantum itineris equitatu efficere poterat, quotidie progrediebatur; legionemque unam minoribus itineribus subsequi jussit. [*Cæsar, l. 3.*]

Pompeius ad mare perveniens, ibi quod nocti supererat in tuguriolo piscatorio quievit. Circa diluculum, navigium fluviatile conscendit, acceptisque omnibus qui liberæ conditionis erant, servisque ad Cæsarem absque timore ire jussis, à terrâ recessit. [*Plutarch. in Pomp.*] de quo Lucanus, libro 8.

*Littora contigerat, per quæ Peneius amnis
Emathiâ jam clade rubens exibat in aquor.
Inde rates trepidum, ventis & fluctibus impar
Flumineis vix tuta vadis, evexit in altum.*

Quum verò in hoc navigio terram ille legeret, navem conspexit prægrandem onerariam, quæ vela factura erat. Nauclerum habebat ea Peticium civem Romanum: qui agnitum Pompeium ex cymbâ in navem suam recepit; unâ cum ambobus Lentulis (*Consularibus*; quos Rhodo exclusos, ex Cæsare diximus) & Favonio (*Prætorio*; ex Velleio, *lib. 2. cap. 53.*) & aliis quos ille volebat omnibus. Mox regem Dejotarum (qui auspiciis fide adhibitâ, quæ secunda sibi facta fuisse credebatur, ad Pompeium venerat; ut in libro 1^o de Divinatione Cicero indicat) videntes ex terrâ ad ipsos properantem, eum quoque accipere. [*Plutarch. in Pompeio.*]

Ibi Pompeius ad anchoram unâ nocte constitit: &, vocatis ad se Amphipoli hospitibus, & pecuniâ ad necessarios sumptus corrogato, cognito Cæsaris adventu, ex eo loco discessit. [*Cæsar, l. 3.*]

Ita prævectus Amphipolim, paucis diebus ad littus Lesbi insulæ applicuit. [*Cæsar, & Plutarch. ut supr. Dio, lib. 42.*]

Mitylenis ille uxorem ad mare accersivit: multaque ibi simul sunt conquesti. Tum illa afferri ex opido res suas jussit, evocavitque ancillas.

cillas. Mitylenæis verò Pompeium salutantibus & invitantibus in opidum, abnuit; atque monuit illos victori ut parerent, bonoque essent animo: nam clementem & benignum Cæsarem esse. Tum ad Cratippum philosophum conversus (ille enim ex urbe ad eum visendum descenderat) conquestus est, & cum eo disputavit nonnihil de providentiâ. asserente philosopho, *Ἐξ ἧ κακοπολιτείας, propter perversam reipublica administrationem, jam opus esse monarchiâ; & à Pompeio quærente. Quis & quo signo credamus, si Cæsarem vicisses, rectius te quam illum fortunâ usurum fuisse?* [Plutarch.]

Biduum tempestate ibi retentus, navibusque aliis additis actuariis, res suas in quatuor triremes imposuit, quæ à Rhodo & Tyro venerant; & cum conjugè atque amicis prope continentem Ciliciam usque navigavit, portus sequens ubi aquare & accipere poterat necessaria. [Cæsar, l. 3. cum Plutarcho, in Pomp. Appiano, pag. 479, 480. & Dione, lib. 42.]

His addantur, ex libro 8^o. Lucani illa:

*Sparsus ab Emathiâ fugit quicumque procellâ,
Assequitur Magnum: primûsque à littore Lesbi
Occurrit natus, procerum mox turba fidelis.
Nam neque dejecto fatis, acieque fugato
Abstulerat Magno reges Fortuna ministros:
Terrarum dominos & sceptrâ Eoa tenentes
Exul habet comites. jubet ire in devia mundi
Dejotarum, qui sparsa ducis vestigia lægit.*

Deinde exposito mandato, quo ad Parthos auxilia rogaturus missus est Dejotarus, (quod ille tamen nunquam præstitit) Pompeii deinceps navigationem Poëta ita enarrat.

— — dimisso in littore rege,
*Ipsè per Icaria scopulos, Ephesumque relinquens,
Et placidi Colophona maris, spumantia parva
Radit saxa Sami: spirat de littore Coe
Aura fluens; Gnidon inde fugit, clarâque relinquit
Sole Rhodon, magnosque sinus Telmessidos unda
Compensat medio pelagi. Pamphylia puppi
Occurrit tellus: nec se committere muris
Ausus adhuc ullis: te primum parva Phaselis
Magnus adit. nam te metui vetat incola rarus,
Exhaustaque domus populis; majorque carina
Quam tua turba fuit.*

Primum opidum Attaliam Pisidiæ iniit Pompeius. Ibi ei nonnullæ naves ex Ciliciâ occurrerunt, militésque contracti ad eum sunt, atque rursus 60 ordinis senatorii ad eum convenerunt. Ubi cum accepisset classem adhuc salvam esse, & Catonem magnâ vi militum ex fugâ collectâ in Africam trajecisse: quod ipse tam procul à classis subsidio prælium cum Cæsare conseruisset, serò illum poenituit. [Plutarch. in Pomp.] Selinunte verò in Ciliciâ Pompeium cum Lentulo superioris anni Consule, & reliquis qui eum secuti fuerant Senatoribus, de tutif-

fimo

fimo ad quem se reciperet loco consilium cepisse, in libro 8^o, Lucanus retulit.

Ex Ciliciâ in Cyprum Pompeius pervenit. [*Cæsar, l. 3.*] ubi, qui Paphum profecuti eum sunt, honorificam de M. Cicerone factam ab eo fuisse mentionem confirmant. [*Cicero, in Philippicâ 2.*] Hic cognovit consensu omnium Antiochensium, civiûmque Romanorum qui illic negotiarentur, arcem Antiochiæ antè captam esse, excludendi sui causâ; nunciôsque dimissos ad eos qui se ex fugâ in finitimas civitates recepisse dicerentur, ne Antiochiam adirent: id si fecissent, magno eorum capitis periculo futurum. Jâmque de Cæsaribus adventu fama ad civitates perferebatur. Quibus rebus cognitis Pompeius, deposito adeundæ Syriæ consilio, pecuniâ societatis sublata & à privatis quibusdam sumptâ, & æris magno pondere ad militarem usum in naves imposito, duobûsque millibus hominum armatis, (partim quos ex familiis societatum delegerat, partim à negotiatoribus coegerat, quôsque ex suis quisque ad hanc rem idoneos existimabat) Pelusium navigavit. [*Cæsar, l. 3.*]

Theophanes enim Lesbius & amicorum aliû illi suaserant ut, aliis locis posthabitis, Ægyptum peteret, (regionem non solum trium dierum itinere propinquam, sed etiam opulentam & potentem) ubi auxilium à pupillo rege expectare posset: quum & patrem ipsius per Gabinium regno Pompeius restituisset, & non ingratus filius naves Pompeio contra Cæsarem auxiliarias jam misisset. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 53. Plutarch. in Pomp. Appian. pag. 480. Dio, lib. 42.*] Ut igitur ea sententia obtinuit; consensâ Seleucide triremi, ex Cypro Pompeius cum uxore solvit. Alii, pars in navibus longis, pars in onerariis, eum comitati sunt. [*Plutarch.*] ad quam navigationem spectat Lucani hoc in libro 8^o carmen.

*Hac ubi deseruit Pompeius littora, totos
Emensus Cyprî scopulos quibus exit in austrum,
Inde maris vasti transfuso vertitur aestu:
Nec tenuit Caspium nocturno lumine montem,
Infimâque Ægypti pugnasi littora velo
Vix tetigit, qua dividui pars maxima Nilû
In vada decurrit Pelusia septimus annis.*

Cæsar, (ut ad res ab eo Pompeium persequente gestas revertamur) propter triremium inopiam modicis navigiis Hellepontum trajecit. Cui pontone quodam vecto, Cassius ad Pharnacem properans cum decem rostratis navibus in medio freto occurrit. Neque refugit tamen Cæsar, sed cominus tendens, ad deditionem adversarium hortatus est: qui horrendâ Cæsaribus felicitate attonitus, ratûsque illum contra se navigare de industriâ, manus supplices è triremi tendens orabat veniam; moxque classem, 70 (si Appiano credimus) navibus constantem, ei dedit. [*Sueton. in Julio Cæs. cap. 63. Appian. pag. 482, 483. Dio, lib. 42.*]

Quum Asiam Cæsar attigisset, Cnidius Theopompi qui fabulas collegit gratiâ libertatem concessit. [*Plutarch in Cæsare.*] Iones & Æolas, cæterâsque nationes quæ minorem Asiam incolunt, per legatos veniam

veniam petentes recepit in gratiam. [Appian. pag. 483.] pecuniâ tantum eis imperatâ: quam alio tamen compensavit beneficio. Asiam enim à publicanis, qui eam acerbissimè habuerant, liberavit; partemque vectigalium convenientem in tributi collationem convertit. [Dio, lib. 42.] cunctisque Asiam incolentibus remisit tertiam tributum partem. [Plutarch. ut supr.]

T. Ampius pecunias Epheso ex fano Dianæ tollere volens, senatores omnes ex provinciâ vocavit; ut iis testibus summâ pecuniæ uteretur. Sed interpellatus adventu Cæsaris profugit. Ita duobus temporibus Ephesæ pecuniæ Cæsar auxilium tulit. [Cæsar, l. 3.]

Quum nemo dicere haberet quò intenderet fugam Pompeius, nihilque esset certi; aliquantulum itineris Cæsar solus cum M. Bruto (quem à Pompeianis partibus ad se reversum inter præcipuos amicos habuit) faciens, periclitatus est sententiam ejus: & quia ex certis rationibus collectis optimam videbatur de fugâ Pompeii conjecturam facere, omissis aliis in Ægyptum contendere instituit. [Plutarch. in M. Bruto.] veritus ne is eo regno præoccupato vires recolligeret. [Dio, lib. 42.] Rhodum igitur trajecit; ac ne hîc quidem expectato exercituum dum in unum conveniret, conscensis Cassianis & Rhodiis triremibus cum eis quas circa se habebat copiis, nemini aperiens quò cursum flexurus esset, sub vesperam solvit, jussis aliis gubernatoribus ignem prætorianæ sequi & signum ejus interdium: suo verò jam longè à terrâ semotus mandavit ut Alexandriam versus tenderet. Atque ita die tertiâ per altum eò devecti sunt. [Appian. pag. 483.]

Lucanus libro 9, poëtice magis quàm historicè Cæsaris hoc iter explicans, ad Ilium & illi vicina loca diutiùs eum moratum narrat; indeque solventem, post noctem septimam ad Ægyptum pervenisse.

*Sic fatus, repetit classes, & tota secundis
Vela dedit Coris; avidusque urgente procellâ
Iliacas pensare moras; Asiâque potentem
Prævehitur, pelagôque Rhodon spumante relinquit.
Septima nox Zephyro nunquam laxante rudentes
Ostendit Phariis Ægyptia litora flammis.
Sed prius orta dies nocturnam lampada texit,
Quam tutas intraret aquas.*

At nemo certiùs quàm ipse Cæsar rem totam aperuerit: in tertio de Bello Civili commentario ita de se scribens.

“ Cæsar, paucos dies in Asiâ moratus, cum audisset Pompeium
“ Cypri visum, conjectans eum in Ægyptum iter habere, propter ne-
“ cessitudines regni reliquasque ejus loci opportunitates, cum legi-
“ onibus, unâ quam ex Thessaliâ se sequi jusserat, & alterâ quam ex
“ Achaiâ à Fulio legato evocaverat, equitibusque 800, & navibus
“ longis Rhodiis 10 & Asiaticis paucis, Alexandriam pervenit. In
“ his erant legionibus hominum 3200. reliqui, vulneribus ex præliis
“ & labore ac magnitudine itineris confecti, consequi non potuerant.
“ Sed Cæsar, confusus famâ rerum gestarum, infirmis auxiliis profi-

U u

“cisci

“ cisci non dubitaverat ; atque omnem sibi locum tutum fore existi-
“ mabat.

Anni tempestatem, quâ Pompeius ante Cæsarem Ægyptum atti-
gerat, in 8^o libro Lucanus ita descripsit.

*Tempus erat, quo Libra pares examinat horas
Non uno plus aqua die ; noct'que rependit
Lux minor hyberna verni solatia damni.*

In fine nimirum Septembris, ut annus tunc quidem agebatur, periisse Pompeium ille legerat ; & sub finem ejusdem mensis in Juliano anno, qui ipsius tempore in usu fuit, in Libram Solem ingredi solitum esse noverat : indéque, diversâ temporum ratione non consideratâ, circa autumnale æquinoctium ad Ægyptum pervenisse Pompeium scripsit. Cùm reverâ Sol tunc in Leonem ingredi cœperit, quando sub ortum Caniculæ intumescere Nilus maximè incipiebat ; non in Libram, quando intra ripas revocari idem fluvius solebat.

Non longè à Pelusiaco Nili ostio, circa montem Casium, inter Ægypti & Arabiæ fines interpositum, casu eo tempore rex erat Ptolemæus, magnis copiis, cum sorore Cleopatrá gerens bellum, quam paucis antè mensibus regno expulerat : castrâque Cleopatráe non longo spatio ab ejus castris distabant. [*Cæsar, l. 3. cum Plutarcho in Pompeio. Appiano, pag. 480. & Dione, lib. 42.*] Puerum atate hunc fuisse dicit Cæsar, adultâ atate puerum Hirtius, [*de bello Alexandr.*] *μαίεξις* puerulum Strabo, [*lib. 17. pag. 796.*] *παῖδα ἔτι νεμυδῆν* admodum puerum Dio, [*lib. 42.*] *adolefcentem* Orofius, [*lib. 6. cap. 15.*] *νεμυδῆν ἔτι νεμυδῆν* admodum adolefcentem Plutarchus ; [*in Pomp.*] *puero quàm juveni propiorum* Velleius, [*lib. 2. cap. 53.*] XIII ad summum annos natum Appianus [*pag. 480.*] fuisse scribit.

Pompeius igitur, conspecto in littore tanto exercitu, quia egredi in terram, nisi tuto sibi id liceret, non audebat ;

Comperit ut regem Casio se monte tenere,

Flexit iter (quemadmodum in 8^o libro habet Lucanus :) & ad regem aliquos de suis misit, qui adventum suum supplicibus verbis illi nuntiarent ; & ut, pro hospitio atque amicitia patris & beneficio in illum collato, Alexandria reciperetur, atque illius opibus in calamitate tegeretur, orarent. [*Cæsar, l. 3. Plutarch. in Pomp. Appian. pag. 480. Dio, lib. 42.*] Sed qui ab eo missi erant, confecto legationis officio, liberiùs cum militibus regis colloqui cœperunt, eosque hortari, ut suum officium Pompeio præstarent, néve ejus fortunam despicerent. In hoc erant número complures Pompeii milites, quos ex ejus exercitu acceptos in Syriâ Gabinius Alexandriam transfuderat, belloque confecto apud Ptolemæum, patrem pueri, reliquerat. [*Cæsar, ut sup.*]

Ipsè rex puer nihil respondit. Sed amici ejus qui in procuratione erant regni, Ægyptius Achilles militiæ & pecuniarum curator eunuchus Pothinus, consultare cœperunt de Pompeio : adhibito in consilium, inter cubicularios alios, Theodoto vel Chio vel Samio,

mer-

mercenario quidem Rhetoricorum doctore, sed qui apud regem, ut præceptor ejus, authoritatem habebat maximam. [*Liv. lib. 112. Plutarch. & Appian. ut supr.*]

In isto confesso, alii recipiendum, arcendum alii Ægypto Pompeium censebant. Theodotus verò, facundiam & declamandi ostentans facultatem, utramque partem falli declaravit; unumque in præsentia expedire, ut receptum interficerent: adjiciens in peroratione, Mortuum non mordere. [*Plutarch. in Pompeio, & in Bruto.*]

Ejus sententiam secuti reliqui, sive timore adducti, ut postea prædicabant, ne sollicitato exercitu regio Pompeius Alexandriam Ægyptumque occuparet, sive despectâ ejus fortunâ, ut plerumque in calamitate ex amicis inimici existunt, iis qui erant à Pompeio missi palam liberaliter responderunt, eumque ad regem venire jusserunt; sed clam Achillam præfectum regium, singulari hominem audaciâ, & L. Septimium tribunum militum, qui in bello prædonum apud ipsum Pompeium ordinem duxerat, ad illum interficiendum miserunt. [*Cæsar, l. 3.*]

Hi cum Salvio altero centurione & tribus vel quatuor ministris naviculâ parvulâ conscensâ, ad navem Pompeii provecti sunt. Interim exercitus tanquam in hospitis honorem secundum littus totus instructus est in aciem; rege in medio versante, conspicuo veste purpureâ. Simul naves aliquot regiæ compleri conspiciebantur: ut nec elabi se, si mutarent consilium, viderent posse. Appropinquante naviculâ, prior affurrexit Septimius ac Latine Pompeium imperatorem appellavit. Achilles verbis Græcis salute datâ, hortatus est eum ut in naviculam suam descenderet. nam & navem ipsius propter magnitudinem, quodque ibi vadofum esset mare, nec triremis ob breviam fabulosa patiens, ad terram adduci non posse; & cupere regem, ipsum quamprimum videre. Primores omnes eorum qui Pompeium comitabantur ad eum conscendentes, quique unâ cum eo navigabant omnes, monuerunt eum, dum extra telorum jactum essent, retrorsum ut in mare navem ageret: ipseque cum eis considerans instructam aciem, vilem ad se missam naviculam, non regem obvium, non purpuratorum aliquem, multa suspicabatur. Corneliâ nihilominus salutatâ, quæ exitum ejus jam antè deplorabat, duos centuriones, ex libertis unum Philippum, & servum Scynem nomine, ante se in naviculam jussit descendere. Porrigente deinde ei dexteram Achillâ, ingressus est & ipse: quum prius, ad uxorem & filium conversus, Sophoclis illa iambica pronunciaffer.

Ὅστις γὰρ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται,
Κεῖνός ἐστι δούλος, καὶ ἐλπίδων μὴ ἔχει.
*Nam cum tyranno si cui negotium est,
Fit servus ejus, liber etsi venerit.*

Dein cunctis inter navigandum silentibus, aucta est ejus suspicio: tenensque in parvo libello conscriptam abs se Græcam orationem, quâ uti apud Ptolemæum statuerat, eam cœpit legere. Postquam terræ appropinquatum est, Pompeium illi, ne cum Ptolemæo congressus, vel ab ipso rege, vel à Romanis, quos secum habebant, vel ab

Ægyptiis (horum enim in ipsum magna erat benevolentia) incolunitati affereretur, veriti, antequam ad littus appellerent, interficere statuerunt. Cornelia cum amicis ex navi anxia speculabatur eventum: coepitque Pompeius sustollere animos, quod ad descensionem multos ex regniis cerneret honoris & recipiendi ejus gratiâ concurrentes. Sed dum Philippum manu ille prehenderet, quo surgeret commodius, Septimius primus à tergo eum trajecit, inde secundum eum Salvius & mox Achilles enses in eum strinxerunt. Ille, cum se neque defendendi sui neque effugiendi facultatem habere vidit, ambabus manibus facie togam intexit: nec quicquam indignum se locutus est nec fecit, tantum suspirio edito patienter ictus excepit. [*Id. ibid. Plutarch. Appian. Dio.*]

Hoc procul viso, uxor amicique qui in navibus erant, magno cum ejulatu, ad littus usque exaudito, deos foederum vindices sublatis in coelum manibus implorârunt; anchorisque properè solutis, fugæ se mandaverunt. [*Plutarch. & Appian.*] Hi partim ab insequentibus Ægyptiis capti sunt, partim fugâ sese eripuerunt. [*Dio.*] quum Tyrum prius appulissent. A Tyriis enim in fugâ eos fuisse receptos, Dio libro 42 indicat. Ex his qui evaserunt, Cornelia uxor & Sextus Pompeii filius in Cyprum refugerunt. [*Liv. lib. 112.*] Cætera Pompeiana classis direpta est; omnibus qui in eâ erant crudelissimè trucidatis: ibique & Pompeius Bithynicus (*cujus in Bruto, seu de claris Oratoribus, ut sui aequalis meministi Cicero*) occisus est. Lentulus verò vir consularis apud Pelusium interfectus est. [*Oros. lib. 6. cap. 15.*] L. Lentulus sc. (superioris anni Consul:) quem comprehensum à Rege & in custodiâ necatum fuisse scribit Cæsar. [*Bell. civil. lib. 3.*] Eum unâ cum Pompeio Cyprum petiisse, sed non ante posterum à funerato Pompeio diem ex Cypro in Ægyptum pervenisse, & paulo post egressum ex mari comprehensum & necatum fuisse, Plutarchus in *Pompeio* significat.

Caio Cæsare & Publio Servilio Consulibus, jugulatus Pompeius est; duodesexagesimo ætatis anno (completo;) pridie natalem ipsius. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 53.*] eâ ipsâ die, quâ quondam de Mithridate & piratis triumphaverat. [*Dio, lib. 42.*] Per biduum autem triumphum illum cum duxisse, III & pridie Kalend. Octobris, qui posterior dies natalis ejus fuit, ex Plinio [*lib. 7. cap. 26. & lib. 37. cap. 2.*] suo loco ostendimus. Ut minùs accuratè Plutarchus undescaginta annos vixisse Pompeium, & postridie Natalis sui fato functum fuisse scripserit; annum unum & dies duos vitæ illius adjiciens. Ultimus verò ille Septembris dies, qui Pompeio supremus fuit, hoc anno, uti vitiosè tempora tum Romæ numerabantur, in Quintilis Juliani diem 25 juxta nostras rationes incidit.

Pompeii caput à Septimio (ut ait Lucanus) resectum, servatum est in adventum Cæsaris, expectatione maximi præmii: truncus verò è naviculâ nudus projectus, spectare cupientibus est relictus. Philippus ejus libertus, dum satiârunt oculos, remansit apud eum. Inde aquâ marinâ abluit corpus, ac tuniculâ quâdam suâ involvit. Quum nihil aliud ad manum esset, circumspiciens littus reperit parvulâ naviculâ

culæ piscatoriæ marcidas quidem reliquias, sed quæ sufficerent ad ro-
gum cadaveri nudo, nec eo integro. Has congerenti & componenti
quidam jam gravi ætate civis Romanus assistens, qui prima stipendia
juvenis sub Pompeio fecerat, funeris peragendi consortem se adjun-
xit. [*Plutarch. in Pomp.*] In littore quendam eum sepelisse, aggesto
exiguo tumulo, scribit Appianus; [*pag. 481.*] eique aliam quem-
piam hanc inscriptionem addidisse,

*Τῷ ναοῖς βεβιδονῆς πρὸς πᾶντις ἐπλετο τιμῆς·
Vix caperet templum, quæ parva recondit arena.*

Apud Aurelium Victorem, [*de viris illustr. cap. 77.*] truncus Nilo ja-
ctatus, à Servio Codro rogo inustus humatúsque fuisse legitur; in-
scribente sepulchro, HIC SITUS EST MAGNUS
POMPEIUS. de quo & Lucanus, libro 8^o.

*E latebris pavidus decurrit ad æquora Codrus.
Quæstor ab Idalio Cinyræe littore Cypri
Infaustus Magni fuerat comes. ille per umbras
Ausus ferre gradum, victum pietate timorem
Compulit, ut mediis quesitum corpus in undis
Duceret ad terram, traberetque ad littora Magnum.*

In mari enim cadaver ejus rectius quærit Poëta, quàm Aurelius Vi-
ctor in Nilo: quum non procul à Cassio monte Magnum Pompei-
um jugularum & tumulatum fuisse, tum ex aliis, tum ex Strabone
quoque [*lib. 16. pag. 760.*] & Plinio [*lib. 5. cap. 12.*] liqueat.

Hic magni Pompeii vitæ fuit exitus: qui inter Romanos habitus
antea potentissimus, ut Agamemnon etiam cognominaretur, quòd
mille navibus & ipse cum imperio præfuisset, tunc quasi unus de ex-
tremæ sortis Ægyptiis in naviculâ prope Ægyptum interiit. quum-
que omnes cives de gente Cassiâ ex oraculo quondam suspectos ha-
buisset, à nemine Cassio insidiis petitus est, sed ad montem Cassium
& cæsus est & tumulatus. [*Dio, lib. 42.*] Qui mons non longè à Ju-
dææ finibus situs est; quam ille primus Romanorum jugo subdidit.

Qui cum Catone erant, in Cyrenem venientes, de Pompeii morte
audiverunt. [*Dio, lib. 42.*] eò ex Cypro delatâ Corneliâ cum privi-
gno Sexto Pompeio: ut illa Lucani, in 9^o libro indicant.

*Prima ratem Cypros spumantibus accipit undis:
Inde tenens pelagus, sed jam moderatior, Euris
In Libycas egit sedes, & castra Catonis.*

Addit deinde, Pompeii filium (seniorem, Cnæum) qui cum Catone
fuerat, à fratre (juniore, Sexto) qui cum Corneliâ erat, patris mortem
ibi didicisse; Corneliâ Pompeii exuvias in littore combussisse, ejus-
que exemplo reliquum exercitum accensis rogis eorum manibus qui
in Pharsaliâ occubuerant parentasse, atque Catonem funebri oratione
Pompeii memoriam celebrasse.

Hinc, variantibus sententiis, hi quibus spes veniam à Cæsare con-
sequendi nulla supererat, Catoni adhæserunt: alii, quòd quemque ca-

sus deferebat, discessione factâ se contulerunt ; alii rectâ ad Cæsarem profecti, impunitatem adepti sunt. [*Dio, lib. 42.*] Cornelia quoque, propositâ impunitate, Romam postea incolumis rediit. [*Id. ibid.*] ibique in Albano mariti reliquias ad se delatas posuit. [*Lucan. lib. 8. cum Plutarcho, in fine Pompeii.*]

Catonis copiarum, præcipuè classiarum Cilices quorum dux erat Tarcho, discedere ab eo parantes, illius verbis moti redierunt ad officium. [*Lucan. lib. 9.*]

Cyrenis Cato à civibus est admissus; quum paucis antè diebus portas clausissent Labieno. [*Plutarch. in Catone.*] Lucanus, lib. 9.

*Proximus in muros & mœnia Cyrenarum
Est labor : exclusus nullâ se vindicat irâ ;
Pœnâque de victis sola est, vicisse, Catoni.
Indepeti placuit Libyci contermina Mauris
Regna Fube.*

quum Cyrenis intellexisset Cato, à rege Jubâ Scipionem Pompeii focerum fuisse receptum, & Appium Varum, cui data à Pompeio provincia Africa fuerat, illis se cum exercitu conjunxisse. [*Plutarch. ut supr.*]

Cæsar post tertium diem insecutus, (quantum ex libri 112 Liviani epitome colligi potest) Alexandriam advectus est, rege Ptolemæo circa montem Cassium adhuc hærente. [*Appian. pag. 483.*] Ibi quum tumultuantes ob cædem Pompeii Alexandrinos reperisset, non ausus statim in terram egredi, portu relicto substitit aliquamdiu : ut in libro 42^o habet Dio. et in libro 9^o Lucanus :

*— ibi plena tumultu
Littora, & incerto turbatas murmure voces
Accipit : ac dubiis veritus se credere regnis
Abstinuit tellure rates.*

Tum, cognitâ Pompeii morte, primùm è navi egrediens Cæsar, clamorem militum audit, quos rex in opido præsidii causâ reliquerat ; & concursum ad se fieri vidit, quòd fasces anteferrentur. In hoc enim omnis multitudo majestatem regiam minui prædicabat. [*Cæsar, l. 3.*] Cujus rei, & in libro 42 Dio, & in libro 10 Lucanus ita meminit :

*Sed fremitu vulgi fasces, & jura querentis
Inferri Romana suis, discordia sensit
Pectora, & ancipites animos.*

Sine periculo tamen Alexandriam tumultuantem Cæsar intravit : [*Liv. lib. 112.*] in regiam fugiendo se recipiens. Militibus autem ejus aliquibus arma adempta sunt : reliqui, dum omnes naves ad littus pervenirent, retro avecti sunt. [*Dio, lib. 42.*]

Cæsar, quum ei Theodotus caput Pompeii & anulum obtulisset, infensus est : anulumque accipiens, illachrymavit. [*Liv. lib. 112. Plutarch. in Cæsare.*] Caput ab Achillâ Ptolemæi satellite, Ægyptio velamine

velamine involutum, cum annulo Cæsari præsentatum fuisse; eumque, non continentem lachrymas, illud plurimis & pretiosissimis odoribus cremandum curavisse: apud Aurelium Victorem [*de vir. illustr. cap. 77.*] legimus. Et de capite quidem per satellitem allato, ita Lucanus, libro 9^o.

— *dira satellites*

Colla gerit Magni, Phario velamine tecta.

De lachrymis vero; quas ille, ut & Dio, simulatione expressas fuisse vult:

*Non primo Cæsar damnavit munera visu,
Avertitque oculos, vultus, dum crederet, hæsit:
Usque fidem vidit sceleris, tutumque putavit
Fam bonas esse soci, lachrymas non sponte cadentes
Effudit, gemitusque expressit pectore lato;
Non aliter manifesta putans abscondere mentis
Gaudia, quam lachrymis.*

Et de capitis funeratione, ita præcipientem Cæsarem inducit:

— *Vos condite busto*

*Tanti colla ducis: sed non, ut crimina tantum
Vestra segat tellus. justo date thura sepulchro,
Et placate caput, cineresque in litore fusos
Colligite, atque unam sparsis date manibus urnam.*

Caput autem in suburbio sepeliri iussit: sacellumque ibi dedicavit Nemescos. [*Appian. pag. 484.*]

Atque ut affectum suum in Pompeium amplius declararet, amicos & familiares ejus, qui eâ in regione palantes capti à rege fuerant, benignè accepit omnes, ac beneficiis sibi devinxit: Romamque ad amicos scripsit, eum ex victoriâ capere se maximum & jucundissimum fructum, quod quotidie aliquos cives, qui oppugnaverant se, servaret. [*Plutarch. in Cæsare.*]

Cæsar, priusquam exercitus ejus ad ipsum appulisset, propter infrequentiam suorum dabat se otio; comiter excipiens obvios, & visendi causâ urbem obambulando mirabatur ejus pulchritudinem, & sapientiæ professores plerosque stans audiebat: quod otium ei gratiam & bonam existimationem paravit apud Alexandrinum populum. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 483. fin. & 484. init.*] Tempa illum invisisse, & antrum in quo Alexandri Magni corpus jacebat, ita Lucanus narrat, in libro 10.

— *vultu semper celante timorem,*

*Intrepidus Superum sedes, & templa vetusti
Naminis, antiquas Macædum testantia vires.
Circuis: & nullâ captus dulcedine rerum,
Non auro, cultuque deum, non manibus urbis,
Effusam tumulis cupide descendit in antrum.
Illic Pellæ proles vesana Philippi
Felix prado jacet; terrarum vindice fato
Raptus.*

Cn. Domi-

Cn. Domitio Calvino Cæsar Asiæ finitimâsque provincias administrandas tradidit. [*Hirtius, in lib. de bello Alexandrino.*] utque exercitus qui in Asiâ erant ad sese recipiens, cum Pharnace rege bellum gereret iussit. [*Dio, lib. 42.*] Quum verò crebras Alexandriæ continuis diebus ex concursu multitudinis concitationes fieri, complurêsque milites omnibus urbis partibus interfici, Cæsar animadverteret; legiones sibi ex Asiâ afferri iussit, quas ex Pompeianis militibus confecerat. Ipse enim Etesis necessariò tenebatur; qui Alexandriâ navigantibus sunt adversissimi venti. [*Cæsar, l. 3.*] Aquilones enim isti sunt: qui sub finem Sextilis Juliani flare desinunt; ut tum in Gemîni & Ptolemæi ephemeridibus, tum in Plinio [*lib. 2. cap. 47.*] & Columellâ [*lib. 2. de re rust.*] videre licet. Unde error Lucani detegitur, qui autumnalis demum æquinoctii tempore Pompeium ad Ægyptum venisse in libro 8^o tradidit: & laboriosum M. Catonis in Africâ per deserta cum legionibus iter, (de quo, in libro 112, Livius) postquam Cyrenis de morte Pompeii audit. ab illo susceptum, ad hyemem illud subsequentem in libro 9^o retulit.

Nam quum Cyrenis discedens classe Syrtes trajicere conatus, tempestate in Tritonidem paludem rejiceretur; Sexto Pompeio cum copiarum parte in cultioribus Africæ relicto, cum reliquo exercitu Catonem pedestri itinere, hyeme mari jam clauso, per deserta ad Jubam Mauritanæ regem contendisse narrat. Sic enim ille:

*His igitur depulsa locis, ejectâque classis
Syrtybus, haud ultra Garamantidas attigit undas:
Sed duce Pompeio Libyes melioris in oris
Mansit: at impatiens virtus herere Catonis
Audet in ignotas agmen committere gentes,
Armorum fidens, & terrâ cingere Syrtim.
Hac eadem suadebat hyems, qua clauserat aquor.*

Quod ipsum Plutarchus etiam in Catonis Vitâ affirmat: *Ἐπιπέδῳ ὡπερ* pedestre hoc iter susceptum ab eo fuisse scribens.

Ejus verò exercitus in regione Nasamonum, Syrtibus vicinâ, ventis arenam impellentibus, alibique vehemente siti & serpentum varii generis occurrentium multitudine, miserè afflictus est. Et ad templum Jovis Ammonis perveniens Cato, suadente Labeone ut de rebus futuris oraculum consulere, id facere recusavit. Ac tandem, duobus mensibus per arenosa Africæ deserta vagatus, Leptim pervenit; ibique hyemem exegit. [*Lucan. lib. 9.*] Quâ exactâ, ad Jubam milites adduxit; qui non multo minus decem millia erant. [*Plutarch. in Catone.*]

Cæsar (ut ad eum, Etesis Alexandriæ detentum redeamus) in Ægypto cogendis pecuniis, dijudicandâque lite inter Ptolemæum & Cleopatram, tempus trahebat. [*Dio, lib. 42.*] Ex ingente enim pecuniæ summâ quæ à Ptolemæo Auletâ patre regis pueri ipsi debebatur, aliquam partem ad sustentandum exercitum tunc exigebat. [*Plutarch. in Cæsare.*] quam exactionem Ægyptii, multitudinis numinum præ aliis omnibus mortalibus supersticiosissimi cultores, co mole-

molestiùs ferebant; quòd nec à sacris ipsorum Cæsar abstineret. [*Dio, lib. 42.*] quanquam & hîc à tutoribus ille eludebatur, quo minùs pecuniam acciperet, templa sua astu spoliantibus; ut & regiones thesauros vacuos esse ostenderent, & in invidiam Cæsaris populum concitarent. [*Oros. lib. 6. cap. 15.*] Ad quam augendam, Pothînus eunuchus, qui maximâ erat autoritate præditus, propalàm multa loquebatur faciebátque. Nam vitiosissimum & vetustissimum militibus metiebatur frumentum; addens, ferrent & acquiescerent, quòd viderentur alienis. Sibi quoque ipsi ad cœnas vasis ligneis & figlinis iussit ministrari; aurea & argentea Cæsarem ferens omnia accepisse ad debiti solutionem. [*Plutarch. ut supr.*]

Controversias verò regum ad populum Romanum & ad se, quòd esset Consul, Cæsar pertinere existimabat: atque eo magis officio suo convenire, quòd superiore ipsius Consulatu cum patre horum Ptolemæo, facta esset societas. Sibi igitur ostendit placere, regem Ptolemæum atque sororem ejus Cleopatram exercitus quos haberent dimittere; & de controversiis jure apud se potiùs, quàm inter se armis, disceptare. [*Cæsar, l. 3.*]

Pompeii mors Romæ non est credita, nisi post eò missum ipsius annulum; in quo tria trophæa erant insculpta (sive, ut Plutarchus vult, Leo enses ferens.) Tum verò Romani honores in Cæsarem certatim effuderunt: potestate ei datâ, ut de Pompeianis arbitrato suo statueret. Ut ei belli pacisque jus in omnes homines esset; etsi neque ad populum de iis retulisset. Ut quinque continuis annis Consulatum gereret. Ut Dictator non ad semestre tantùm spatium, ut olim, sed in integrum annum diceretur. Ut tribunitiam potestatem per omnem vitam haberet, ipsis Tribunis assidendo, deque rebus agendis unâ cum ipsis statuendo: quod nulli unquam concessum fuerat. [*Dio, lib. 42.*]

His acceptis honoribus Cæsar, quamvis extra Italiam erat, statim Dictaturam iniit. [*Id. ibid.*] Ut rectè hinc principatum illius Josephus arcessiverit; tres annos cum dimidio illi assignans. [*lib. 14. Antiqu. cap. 17.*] Atque in Syriâ, ut à primâ Dictaturâ Antiocheni, ita à secundâ hâc Dictaturâ Laodicensi tempora Cæsariana dinumerâsse videntur. Laodicensam enim æram unico tantùm anno Antiochenâ posteriorem fuisse, Eusebius in Chronico ad annum 2^{um} imperii Probi indicat.

3957
a. Regem, eòsque quorum autoritate ille regebatur, Cæsarem tentavisse insidiis, author est Velleius Paterculus, [*lib. 2. cap. 54.*] Quod ipsum de Ptolemæo rege affirmat Suetonius [*in Julio cap. 35.*] & Eutropius, [*lib. 6.*] & de Pothîno euncho, Plutarchus. Ob quas clam illi structas insidias, corporis sui tuendi causâ in convivio pernoctare eum coepisse ferunt. Cùmque Pothînus diceret ei, in præsentia ut abiret & magnis negotiis insisteret, posteaque cum gratiâ reverteretur: responso dato, minimè se Ægyptiorum consilium requirere, Cleopatram clam ex agro accersit. [*Plutarch. in Cæs.*]

Nam Cleopatra, quum hætenus per alios causam suam contra fratrem apud Cæsarem egisset, simulatque naturam ejus cognovit, quòd

quòd mulierum amoribus quàm maximè esset obnoxius : per internuntios Cæsari quæsta fuerat, se prodi ab amicis, cuperèque ipsam per se apud eum litem suam prosequi. [Dio, li. 42.] Quo jam impetrato, unum illa secum trahens ex amicis Siculum Apollodorum, exiguo acatio conscenso primis tenebris applicuit ad regiam. Et quum nullâ aliâ ratione possiet latere, culcitram involutâ protendit se in longum : Apollodorus verò constrictam loro culcitram per portam ad Cæsarem intulit. [Plutarch.] Ejus ad Cæsarem adventum ita in libro 10. Lucanus enarrat.

*Fam Pelusiaco veniens è gurgite Nili,
Rex puer, imbellis populi sedaverat iras
Obside quo pacis Pellæâ tutus in aulâ
Cæsar erat : cum se parvâ Cleopatra biremi,
Corrupto custode Phari laxare catenas,
Intulit Emathiis ignaro Cæsare tectis ;
Dedecus Ægypti, Latio feralis Erinnyis,
Romano non casta malo.*

Cleopatra affusa Cæsaris genibus, partem regni reposcebat. Aderat puellæ forma, & quæ duplicaretur ex illo, quòd talis passa videbatur injuriam : odiùmque ipsius regis, qui Pompeii cædem partium fato non Cæsari dederat, haud dubiè idem in ipsum ausurus, si expidisset. [Florus, lib. 4. cap. 2.] Ubi verò Cæsar Cleopatram vidit, loquentemque nonnihil audivit, ita confestim mancipium ejus factus est ; ut statim sub auroram Ptolemæum accersierit, pacificationemque tentaverit : Cleopatram, cujus antè judex esse voluerat, tunc advocatum agens. Quæ res, quòdque improvise suam sororem intus esse videbat, ita pueri animum irâ inflammavit ; ut profiliens ad populum, proditum se clamaret, ac denique diadema capite detractum abjiceret. [Dio, lib. 42.]

Magno inde tumultu coorto, Ptolemæum Cæsariani milites intro abriperunt, Ægyptii autem commoti sunt : ac, nisi Cæsar metu percussus ad eos prodissset, deque loco tuto omnia se quæ vellent facturum promisisset ; ipso primo impetu regiam, quam terrâ marique jam invadebant, occupassent. neque enim Romanis, qui se apud amicos versari credebant, ullæ ad resistendum aderant vires. [Dio, ibid.]

Posthæc Cæsar in concionem cum Ptolemæo & Cleopatram progressus, patris eorum testamentum de scripto recitavit : quo præcipiebatur, ut more majorum apud Ægyptios, inter se quidem illi matrimonio jungerentur, regnùmque tenerent ; sed ita tamen, ut sub tutelâ populi Romani essent. His addebat Cæsar suum esse, qui Diætaturam gereret omnemque populi potestatem obtineret, ut & liberos curaret & patris voluntatem exequeretur. Ptolemæo igitur & Cleopatram regnum Ægypti dedit ; Arfinoæ autem Ptolemæoque juniore, germanis horum, Cyprum largitus est. In eum enim tunc terrorem venerat, ut his quoque de suo aliquid concederet, nedum ipse ex rebus Ægypti quicquam adipisceretur. Atque ad hunc modum is tumultus tunc sedatus fuit. [Id. ibid. cum Cæsare, lib. 3. Livio, lib. 112. & Plutarcho, in Cæsare.]

Ad

Ad Cn. Domitium Calvinum, Cæsaris in Asiâ legatum, rex Dejotarus veniens oravit, ne Armeniam minorem, regnum suum, néve Cappadociam, regnum Ariobarzani, possideri vastarique pateretur à Pharnace: quo malo nisi liberarentur, imperata sibi facere, pecuniâque promissam Cæsari non posse se persolvere. Domitius nuncios confestim ad Pharnacem misit, Armeniâ Cappadociâque ut decederet. Quam denunciationem cum majorem vim habituram existimaret, si propius eas regiones cum exercitu accessisset; ad legiones profectus, ex tribus quas habebat, unam XXXVI secum ipse duxit, duas reliquas in Ægyptum ad Cæsarem misit, litteris ejus evocatas. Legioni XXXVI duas alias adjunxit Domitius à Dejotaro acceptas, quas ille disciplinâ atque armaturâ Romanâ complures constitutas habebat, equitêsque centum; totidémque ab Ariobarzane sumpsit. Misit quoque P. Sextium ad C. Plætorium Quæstorem; ut legionem adduceret, quæ ex tumultuariis militibus in Ponto confecta erat: Quintumque Pariscum in Ciliciam, ad auxilia accersenda. Quæ copiæ celeriter omnes jussu Domitii Comana convenerunt. [*Hirtius, de bello Alexandrino.*]

Interim legati responsum à Pharnace referunt: Cappadociâ se discessisse, Armeniam minorem recepisse, quam paterno nomine jure obtinere deberet; denique ejus regni causa integra Cæsari servaretur, paratum enim se facere quod is statuisset. Cappadociâ verò ille idcirco discessit, quòd facilius Armeniam defendere posset subjectam suo regno, quàm Cappadociam longius remotam. Quod cum Domitius animadvertisset, perseverare cœpit ut eo quoque regno decederet: neque enim aliud jus esse Cappadociæ, atque Armeniæ; neque justè eum postulare ut in Cæsaris adventum res integra differretur, id enim esse integrum, quod ita esset ut fuisset. His responsis datis; cum supradictis copiis profectus est in Armeniam. Complures interim legationes Pharnaces ad Domitium misit quæ de pace agerent, regiâque munera ei ferrent: quæ constanter omnia aspernabatur Domitius; nec sibi quidquam antiquius, quàm dignitatem populi Romani & regna sociorum recuperare, legatis respondebat. [*Id. ibid.*]

Cæsare bellum Alexandrinum gerente, regem Dejotarum illius utilitatibus paruisse, & exercitum Cn. Domitii suis testis & copiis sustentavisse. in Oratione pro eo habitâ confirmât Cicero.

In Ægypto Pothinus eunuchus, cui regiarum pecuniarum totiûsque regni procuratio commissâ fuerat, veritus ne ob priorem Ægyptiorum seditionem, quam ipse præcipuè concitaverat, ad supplicium deposceretur; novi & difficilis belli author extitit. Is primùm inter suos questus, regem ad dicendam causam evocari, reliquis deinde, quos ad partes suas pertrahere volebat, suspicionem iniecit, Cæsarem quidem componendæ turbæ causâ regnum utrisque simul dedisse, sed progressu temporis soli Cleopatrarum id attributum. Achillam verò, copiarum omnium præfectum, qui etiamnum apud Pelusium morabatur, incitatum suis, & regis inflatum pollicitationibus, per litteras & nuncios movit, ut exercitum regium equitatumque omnem à Pelusio clam Alexandriam adduceret. [*Cæsar, Bell. civ. lib. 3. Dio, lib. 42.*]

Cæsaris copiæ nequaquam erant tantæ, ut eis extra opidum, si esset dimicandum, consideret: relinquebatur, ut se suis locis opido teneret, consiliûmque Achillæ cognosceret. Milites tamen omnes in armis esse iussit: Regemque hortatus est, ut ex suis necessariis, quos habebat maximæ autoritatis, legatos ad Achillam mitteret; & quid esset suæ voluntatis, ostenderet. A quo missi Dioscorides & Serapion, qui ambo legati Romæ fuerant, magnamque apud patrem Ptolemæum auctoritatem habuerant, ad Achillam pervenerunt. Quos ille, cum in conspectum ejus venissent, prius quam audiret aut cuius rei causâ missi essent cognosceret, corripere atque interficere iussit. Quorum alter accepto vulnere occupatus, per suos pro occiso sublatu; alter interfectus est. Quo facto, regem ut in suâ potestate haberet, Cæsar effecit: magnam regium nomen apud suos auctoritatem habere existimans, & ut potius privato paucorum & latronum consilio, quam regio, susceptum bellum videretur. [*Cæsar, ibid.*]

Erant cum Achillâ copiæ, ut neque numero, neque genere hominum, neque usu rei militaris contemnendæ viderentur. Millia enim viginti in armis habebat. Hæ constabant ex Gabinianis militibus: qui jam in consuetudinem Alexandrinæ vitæ atque licentiæ venerant, & nomen disciplinamque populi Romani dedidicerant. Huc accedebant collecti ex prædonibus latronibusque Syriæ Ciliciæque provinciæ, finitimarumque regionum. Multi præterea capitis damnati exulæque convenerant; fugitivisque omnibus Romanis certus erat Alexandria receptus certaque vitæ conditio, ut, dato nomine, militum essent numero: quorum si quis à domino comprehenderetur, concursu militum eripiebatur; qui vim suorum, quod in simili culpâ versabantur, ipsi pro suo periculo defendebant. Hi regum amicos ad mortem deposcere; hi bona locupletum diripere, stipendii augendi causâ, Regis domum obsidere, regno expellere alios; alios accersere, vetere quodam Alexandrini exercitus instituto consueverant. Erant præterea equitum millia duo, qui inveteraverant compluribus Alexandria bellis. [*Id. ibid.*]

His copiis fidens Achilles, paucitatemque militum Cæsaris despiciens, occupatâ Alexandria, primo impetu domum Cæsaris irrumperere conatus est. Sed Cæsar, dispositis per vias cohortibus, impetum ejus sustinuit. Eodemque tempore pugnatum est ad portum: ac longè maximam ea res attulit dimicationem. Simul enim, diductis copiis, pluribus viis pugnabatur: & magnâ multitudine naves longas occupare hostes conabantur. Harum erant auxilio quinquaginta missæ ad Pompeium: quæ prælio in Thessaliâ facto, domum redierant. Illæ triremes omnes & quinqueremes erant, aptæ instructæque omnibus rebus ad navigandum. Præter has, XXII erant, quæ præsidii causâ Alexandria esse consueverant, constratæ (vel rostratæ) omnes. Quas si hostes occupassent, classe Cæsaris ereptâ, portum ac mare totum in suâ potestate haberent; comæatque & auxiliis Cæsarem prohiberent. Itaque tantâ est contentione actum, quantâ agi debuit; cum ille celerem in eâ re victoriam, hi salutem suam consistere viderent. Sed rem obtinuit Cæsar: omnesque eas naves, & reliquas

liquas quæ erant in navalibus, incendit; quòd tam latè tueri tam par-
vâ manu non poterat. [*Id. ibid.*]

— nec puppibus ignis
Incubuit solis: sed quæ vicina fuere
Tecta mari longis rapuere vaporibus ignem.
Et cladem fovère Noti; percussâque flamma
Turbine, non alio motu per tecta cucurrit,
Quàm solet atherio lampas decurrere sulco,
Materiaque carens, atque ardens aère solo:

ut in libro 10. Lucanus cecinit.

Ea flamma cùm partem urbis invasisset, quadringenta millia libro-
rum proximis fortè ædibus condita exussit: singulare monumentum
studii curæque majorum; qui tot tantâque illustrium ingeniorum opera
congefferant. [*Oros. lib. 6. cap. 15.*] Elegantiæ Regum curæque egregi-
um id opus fuisse, dixit hîc Livius: ut est apud Senecam, in lib. de
Tranquillitate animi, cap. 9. ubi & idem numerus 400 millium libro-
rum Alexandriae arfisse legitur. Millia tamen 700 A. Gellius, [*lib. 6.
cap. 17.*] & ex monumentorum veterum concinente (ut ille loquitur) fide,
Ammianus Marcellinus [*lib. 22.*] conflagrâsse refert: & quidem cùm
in fine Alexandrini belli à militibus postea civitas diriperetur. Verùm
in ipso belli hujus initio, ex navalibus depascente incendio, magnam
Bibliothecam deflagravisse, Plutarchus in *Cæsare*; & cum navali pe-
num quoque frumentarium bibliothecamque incensas fuisse, in libro
42º confirmat Dio.

A classis incendio Cæsar confestim ad Pharum insulam (quæ angu-
sto aggere 900 passuum longitudinis & ponte urbi conjuncta, por-
tum efficit) hostibus in pugna occupatis, milites suos navibus expo-
suit, atque ibi præsidium collocavit. Quâ re effectum est, uti tutò
frumentum auxiliâque navibus ad eum supportari possent. [*Cæsar, l. 3.*]
Unde Lucanus, lib. 10. de captâ ab eo Pharo agens:

*Ille duci geminos bellorum præstitit usus.
Abstulit excursus & fauces aquoris hosti:
Cæsaris auxiliis aditus & libera ponti
Ostia permisit.*

Reliquis opidi partibus sic est pugnatum, ut æquo prælio discederetur;
neutris propter locorum angustias loco pulsus, paucisque utrimque
interfectis. Cæsar loca maximè necessaria complexus, noctu præmu-
niit. In eo tractu opidi pars erat regiæ exigua, in quam ipse habitandi
causâ initio erat inductus, & theatrum conjunctum domui, quod ar-
cis tenebat locum, aditumque habebat ad portum & ad reliqua nava-
lia. Has munitiones insequentibus auxit diebus; ut pro muro obje-
ctas haberet, neu pugnare invitus cogeretur. [*Cæsar, l. 3.*]

Quum Ægyptii, metuentes ne Cæsar navali certamine jam victor
urbis portum occuparet, introitum ejus, parvo relicto spatio, ag-
gere injecto obstruxissent: ipse illud quoque spatium, onerariis
navibus lapidum plenis eo demersis obturavit; omnemque è portu

exeundi facultatem navibus hostium interclusit. Unde effectum est, ut minori negotio res necessarias, aquamque (nam aquationem Achilles, intercisis aquæductibus, ei ademerat) petere posset. [*Dio, lib. 42.*]

Misit Cæsar circum omnes propinquas regiones, atque inde auxilia evocavit. [*Cæsar, l. 3.*] Rhodo atque ex Syriâ Ciliciâque omnem classem accersit: ex Cretâ sagittarios, equites ab rege Nabatæorum Malco evocavit; tormenta undique conquiri, & frumentum mitti, auxiliâque adduci iussit. [*A. Hirtius, de bello Alexandrino.*] Domitium Calvinum per litteras de magno suo periculo edocuit; flagitavitque ab eo, ut quamprimum sibi subsidia mitteret, propiusque ipse Alexandriam per Syriam accederet. [*Id. ibid.*] Mithridates verò Pergamenus, magnæ nobilitatis domi scientiæque in bello & virtutis, fidei dignitatisque in amicitiam Cæsaris, in Syriam Ciliciamque est missus, ad auxilia accersenda. [*Id. ibid. cum Josepho, lib. 14. cap. 14. & Dione, lib. 42.*]

Interim Ganymedes eunuchus Arsinoën negligentius custoditam furtim ad Ægyptios traduxit: eaque illi reginâ constitutâ, jam eo majori studio bello incubuerunt, quod ducem ex Ptolemæorum prosapia nacti essent. [*Dio, lib. 42.*] De quâ Lucanus, libro 10.

—————*subrepta paratis*

*A famulo Ganymede dolis, pervenit ad hostes
Cæsaris Arsinoë: que castra carentia rege
Ut proles Lagea tenet.*

et ipse Cæsar; sub finem Commentariorum belli Civilis. *Filia minor Ptolemæi regis, vacuum possessionem regni sperans, ad Achillam se ex regiâ transiecit, unâque bellum administrare cæpit. Sed celeriter est inter eos de principatu controversia orta: que res apud milites largitiones auxit. Magnis enim jacturis sibi quisque eorum animos conciliabat.*

Hæc dum apud hostes geruntur, Pothinus, nutricius pueri, & procurator regni in parte Cæsaris, cum ad Achillam nuncios mitteret, hortareturque ne negotio desisteret neve animo deficeret, indicatis deprehensisque internunciis, à Cæsare est interfectus. [*Cæsar, ibid.*] qui deinceps puerum regem palam diligentem custodiâ asservavit: coque facto Ægyptiorum animos magis exasperavit. [*Dio, lib. 42.*]

Dum hæc in Ægypto geruntur, Domitius Calvinus adversus Pharnacem profectus, magnis & continuis itineribus confectis, castra posuit longè à Nicopoli (urbe minoris Armeniæ à Pompeio conditâ; in quâ jam antè à se occupatâ tum degebat Pharnaces) circiter septem passuum millia. Ubi cum à Pharnace frustra paratæ in illum fuissent insidiæ, postero die propius accedens Domitius, castra opido contulit: aciemque Pharnaces instruxit more & instituto suo. Proximâ verò nocte Pharnaces, interceptis tabellariis qui de Alexandrinis rebus litteras ad Domitium ferebant, de Cæsaris periculo & avocatione Domitii edoctus, victoriæ loco ducebat, si trahere tempus posset. Domitius autem, quum Cæsaris magis periculo quàm suo commoveretur, copias extra castra eductas in prælium paravit: XXXVI^a legione in dextro cornu, Ponticâ in sinistro, Dejotari legionibus in mediâ

mediâ acie collocatis. Cùmque utrimque instructâ acie processum esset ad dimicandum, Ponticâ legione penè totâ amissâ, magnâ parte Deiotari militum interfectâ, XXXVI. legio in loca montana se recepit, non amplius 250 desideratis. Ceciderunt eo prælio splendidi ac illustres viri nonnulli equites Romani. Quo tamen incommodo Domitius accepto reliquias exercitus dissipati collegit, itineribûsque tutis per Cappadociam, appetente jam hyeme, in Asiam rediit. [*Hirtius: cum Appiano, lib. 2. Bell. civil. pag. 484. & Dione, lib. 42.*]

Cæsariani atque Alexandrini certatim inter se munitionibus atque operibus contenderunt. Cæsar studebat maximè, ut quam angustissimam partem opidi palus à meridie interjecta efficiebat, hanc operibus vineisque agendis à reliquâ parte urbis excluderet: sperans, primùm, ut, cùm esset in duas partes urbis divisa, acies uno consilio atque imperio administraretur; deinde, ut laborantibus succurri atque ex alterâ opidi parte auxilium ferri posset, in primis verò, ut aquâ pabulôque abundaret, quod utrumque palus largè præbere poterat. Alexandrini in omnes partes Ægypti legatos conquistoresque delectus habendi causâ, miserunt, magnûmque numerum in opidum telorum atque tormentorum convexerunt; & alia, ab Hirtio in Commentario de bello Alexandrino commemorata, peregerunt.

Quum hostium subinde numerus augetetur, ad amicitiam eos perducendi Cæsar consilium cepit: Ptolemæumque eo in loco unde ab illis exaudiri posset constitutum Ægyptiis dicere iussit, neque se quicquam adversi pati, neque bello opus esse: proinde pacem componerent; seque curaturum, ut conditiones convenirent. Sed illi suspicati ad hoc eum à Cæsare subornatum fuisse, nihil à proposito deflexerunt. [*Dio, lib. 42.*] Et maturè expellendum esse Cæsarem dicebant; qui, tempestatibus propter anni tempus jam interclusus, recipere transmarina auxilia non posset. [*Hirtius.*]

Interim, dissensione gliscente inter Achillam, qui veterano exercitui præerat, & Arsinoën regis Ptolemæi (Aulæ) minorem filiam; cùm uterque utrique insidiaretur, & summam imperii ipse obtinere vellet: præoccupavit Arsinoë per Ganymedem eunuchum nutricium suum, atque Achillam, quasi rem navalem ille prodidisset, interemit. Quo occiso, ipsa sine ullo socio & custode omnè imperium obtinuit, dux verò exercitus Ganymedes constitutus est. Is, suscepto officio, largitionem in milites auxit, & reliqua pari diligentia administravit. [*Hirtius, & Dio.*]

Cùm Alexandria tota ferè suffossa sit, specusque habeat ad Nilum pertingentes quibus aqua in privatas domos inducitur ut paulatim subsidat & potabilis fiat; Ganymedes interseptis specubus, atque omnibus urbis partibus quæ à suis tenebantur, magnam aquæ vim è mari rotis ac machinis in eam urbis partem redundare coëgit quâ Cæsariani continebantur: ut jam ob repositarum in proximis ædificiis aquarum salsedinem ad extremum casum omnes deducti viderentur, & fugam plerique molendam censerent. At eo consilio improbato, Cæsar puteos opere nocturno fodi iussit, magnaque dulcis aquæ copiâ inventâ, operosæ Alexandrinorum machinationes irritæ redditæ sunt.

[*Hirtius.*]

Eo

Eo biduo legio XXXVII. ex dedititiis Pompeianis militibus, cum frumento, armis, telis, tormentis, imposita in naves à Domitio Calvino, ad littora Africæ paulo supra Alexandriam delata est. altera enim legio, quæ itinere terrestri per Syriam ab eo erat missa, ad Cæsarem non venit. Naves verò illæ, Euro multos dies continenter flante, in anchoris stabant, portumque capere prohibebantur. De quo certior factus Cæsar, navem conscendit atque omnem classem sequi iussit; nullis suis militibus impositis, ne munitiones nudaret. Cùmque ad eum locum accessisset qui appellatur Cherrhonesus, & aquandi causâ remiges in terram exposuisset; nonnulli ab hoste excepti, Cæsarem ipsum in classe venisse, nec ullos milites in navibus habere, docuerunt. Itaque instructis omnibus navibus, Cæsari redeunti cum legione Domitii occurrunt; & quamvis eo die Cæsar dimicare nollet, una tamen Rhodia navis in dextro Cæsaris cornu, longè ab reliquis collocata, à quatuor hostium navibus constratis aliisque apertis invaditur: cui Cæsar auxilium ferre coactus, felicissimè rem gessit; & nisi nox prælium diremisset, totâ classe hostium potitus fuisset. [*Id.*]

Hoc damno accepto, Ægyptii à Ganymede confirmari, tametsi amplius 110 naves longas in portu navalibusque amiserant, omni tamen studio ad reparandam classem incubuerunt. Navibus ergo ex omnibus Nili ostiis & ex occultis regiæ navalibus contractis, paucis diebus contra omnium opinionem quadriremes 22, & quinqueremes 5, præter minores apertisque complures, confecerunt; & omnes milite instructas ad pugnam præpararunt. [*Id.*] apertoque portus introitu, ibi navibus suis in statione locatis, multum Romanis negotii exhibuerunt. [*Dio, lib. 42.*]

Cæsar Rhodias naves novem habebat (nam, decem missis, una in cursu littore Ægyptio defecerat) Ponticas octo, Lycias quinque, ex Asiâ 12. Ex his quinqueremes quinque erant, & quadriremes decem: reliquæ infra hanc magnitudinem, & pleræque apertæ. Cum his Pharon circumvectus Cæsar, adversas naves hostibus constituit. Erant inter duas classes vada transitu angusto: satisque diu ab utrisque expectatum est, ab utris transeundi fieret initium; quòd quæ prius transissent ab hostili multitudine prius opprimi possent, quàm cæteræ transire & pugnam capeßere valerent. Rhodiæ tamen naves primum sibi transitum depoposcerunt; & singulari arte ita multitudinem hostilem, nunquam obversis lateribus, sustinuerunt, ut cæteris & trajectum & pugnam liberam præberent. [*Hirtius.*]

Victoria penes Cæsarianos stetit: quorum naves omnes incolumes mansere. Alexandrinorum quinqueremis una capta est, & biremis cum defensoribus remigibusque, tres depressæ; reliquæ propinquam fugam ad Pharum opidum cepere: quas cives protexerunt ex molibus atque ædificiis imminentibus, & Cæsarianos propius adire prohibuerunt; sed inde mox industriâ Romanorum ejecti, opidum atque insulam multis desideratis amiserunt. Cùm autem insulam gemino ponte continenti jungeretur, altero derelicto ab hoste facilè Romani potiti sunt: in altero quum aliquorum temeritate perturbata res fuisset, in fugam versi, cursu ad naves contenderunt. Eorum pars, proximas

ximas noctæ naves, multitudine hominum atque onere depressa est; pars, resistens & dubitans quid esset capiendum consilii, ab Alexandrinis interfecta est: nonnulli, expeditas ad anchoras naves consecuti, incolumes discesserunt; pauci ad proxima navigia adnatârunt. Cæsar in suum navigium se recepit: quò multitudine hominum insecuta quum irumperet, fore quod accidit suspicatus, sese ex navigio eiecit, atque ad eas quæ longius constiterant naves adnavit: indèque suis laborantibus subsidio scaphas mittens, nonnullos conservavit. Navigium vetò ejus, multitudine depressum militum, unâ cum hominibus interiit. [*Id.*]

Neque hîc tacendum quod, ab Hirno præteritum, à Suetonio [*in Julio, cap. 64.*] & cum secuto Orosio, [*lib. 6. cap. 15.*] de Cæsare memoriæ est proditum: nando per 200 passus, evasisse eum ad proximam navem; elatâ lævâ, ne libelli quos tenebat madefierent. quod ipsum de libellis servatis refertur etiam à Plutarcho [*in C. Cæsare,*] & Dione. [*lib. 42.*] Appianus verò [*lib. 2. bell. Civil. pag. 523.*] ita rem narrat. Solus in ponte interclusus premente hoste abiecit purpuram & in mare defiliit: insectantibusque regiis diu sub aquis natavit, per intervalla tantùm respirans prolato capite, donec ad unicam navem adnavans, porrectis manibus agnitus est & servatus. Et licet scribat Suetonius, paludamentum quoque Cæsarem mordicus traxisse, ne spolio potiretur hostis: Florus tamen [*lib. 4. cap. 2.*] unâ cum Plutarcho, relictum ab eo in fluctibus fuisse paludamentum dicit, seu fato, seu consilio; ut illud ingruentibus hostium telis saxisque peteretur. Et Ægyptios paludamento potitos, trophæo, quod de fugatis tum hostibus statuerant, illud affixisse, tanquam ipsum ducem cepissent; & ab Appiano [*lib. 2. bell. Civil. pag. 484.*] à Dione [*in lib. 42.*] est traditum.

Hoc prælio desiderati sunt ex numero legionariorum militum circiter 400. & paulo plures classarii atque remiges. Alexandrini eo loco castellum magnis munitionibus multisque tormentis confirmaverunt; atque, egestis è mari lapidibus, liberè sunt usi eo postea ad mittenda navigia. [*Hirtius.*]

Mithridates interea Pergamenus ex Syriâ & Ciliciâ magnas copias celeriter, & propensissimâ civitatum voluntate & suâ diligentia, collegit. [*Idem.*] Primò autem solus veniens Ascalonem, deinde ad se accersivit gubernatorem Judææ Antipatrum; qui tria millia militum ei adjunxit, suoque hortatu, ut Hyrcanus Pontifex & cæteri dynastæ socia arma conferrent, effecit: quemadmodum ex Hypsicrate (Phoenicum historico) refert Strabo. [*apud Josephum, lib. 14. cap. 15.*] Egit enim cum Arabum primatibus, ut & ipsi venirent auxilio: ejusque potissimùm operâ certatim opem tulerunt Cæsari Iamblichus dynasta & Ptolemæus ejus filius & Tholomæus Sohemi filius Libanum montem incolentes, & urbes Syriæ penè universæ. [*Joseph. ibid. cap. 14.*]

Quum Romanos detrimento nuper accepto vehementiùs incitatos Alexandrini cernerent, & adversis rebus æquè ac secundis confirmari; legatos ad Cæsarem miserunt, ut Regem dimitteret & ad suos

transire pateretur, paratâ jam multitudinæ belli tædio facere quod Rex imperâisset: eo si auctore in Cæsaris amicitiam venturi essent, facillè deditionem futuram. Cæsar, etsi tam Regis quàm Alexandrinorum dabiâ habebat fidem, dimittere tamen voluit, quòd illius adventu, nec hostium vires crescerent, & bellum sibi gloriosius futurum esset: simulque monuit, ut regno suo confuleret, & fidem populo Romano sibi que præstaret. Ille, dissimulato per lachrymas gaudio, orabat ne dimitteretur: à Cæsare tamen dimissus, contra eum acriter bellum coepit gerere. [*Hirtius: cum Dion.*]

Quum, ducè assumpto, Alexandrini nihilo se firmiores factos aut languidiore Romanos animadverterent, eludentibusque militibus Regis ætatem atque infirmitatem, magnum dolorem acciperent, neque se quidquam proficere viderent; rumoresque existerent, magna Cæsari præsidia terrestri itinere ex Syriâ Ciliciâque adduci (quod nondum Cæsari auditum erat:) comœatum, qui Romanis mari supportabatur, intereipere statuerunt. Itaque expeditis navigiis, locis idoneis ad Canopum in statione dispositis navibus, insidiabantur comœatibus. [*Hirt.*] Et quia evocati ex Syriâ milites Cæsaris jam appropinquabant; omnia littora custodierunt; multumque iis copiis detrimenti attulerunt. Et his quidem qui in Africam inciderunt, aliquam Cæsar opem tulit: sed apud ostia Nili multos Ægypti ignibus editis, perinde ac si Romani ea loca obtinerent, deceptos comprehenderunt; ita ut reliqui eò accedere non auderent. [*Dio.*]

Hinc classem instrui Cæsar iussit, cui præfectus est Tiberius Claudius Nero. Proficiscebantur in eâ classe Rhodiæ naves, atque in his Euphranor, quem solita in pugnando felicitas hinc destituit. Cùm enim ad Canopum ventum esset, instructâque utrimque classis conflixisset, & suâ consuetudine Euphranor primus prælium commisisset, & illic triremem hostium perforâisset ac demersisset; proximam longius insecutus, parum celeriter insequentibus reliquis, circumventus ab Alexandrinis est: atque ita qui unus ex omnibus eo prælio bene rem gessit, solus cum suâ quadriremi victrice periiit. Hostibus tamen prælio victis, ut sui tutò terræ adnavigare possent, Tiberius effecit. [*Hirtius: cum Dion.*]

Sub idem tempus Mithridates Pergamensis è Syriâ veniens, itinere pedestri, quo conjungitur Ægyptus Syriæ, Pelusium magnas copias adduxit. [*Hirt.*] Conatus verò in ostium Nili, quod ad Pelusium est, adverso fluvio contendere, quum navigiis introitum Ægypti obstruxissent noctu, ad fossam advectus est; in eamque navibus transportatis (neque enim pertingit ad mare) in Nilum navibus successit: deinde eos qui ostia Nili custodiebant subito mari fluvioque simul adortus, ostia ipsa liberavit; Pelusiumque classe terrestribusque copiis aggressus est. [*Dio.*] Idque opidum, firmo præsidio occupatum ab Achillâ propter opportunitatem loci, (namque tota Ægyptus maritimo accessu Pharo, pedestri Pelusio, velut claustris, munita existimatur) repente magnis circumdatum copiis, multiplici præsidio pertinaciter propugnantibus, & copiarum magnitudine, quas integras vulneratis defensisque subiciebat, & perseverantiâ constantiâque oppugnandi,

gnandi, quo die est aggressus, in suam redegit potestatem; præsi-
diumque ibi suum collocavit. [Hirt.] Ibi præcipuam operam navavit
Antipater; primusque dejectâ quâdam parti parte, aditum cæteris
irrupentibus in urbem aperuit. [Joseph. lib. 14. cap. 14.]

Inde, re bene gestâ, Alexandriam ad Cæsarem Mithridates con-
tendit. [Hirt.] et quum Dioscoridem quondam obviam sibi ire au-
disset, cum positis insidiis interfecit. [Dion.] cæque regiones, per
quas iter faciebat, auctoritate eâ quæ plerumque adest victori, placavit, atque in amicitiam Cæsaris redegit. [Hirt.]

Mithridatem & Antipatrum properantes ad Cæsarem transitu ar-
cebant Judæi Ægyptii, qui regionem quæ Oniæ dicitur incolabant.
Hos Antipater ut tribules in partes suas traduxit: maximè cum osten-
disset Hyrcani Pontificis litteras, in quibus rogabantur, ut amicos
se præberent Cæsari, etimque comæatibus juvarent & rebus exerci-
tui necessariis. [Joseph. lib. 14. cap. 14.] Asinius verò (Trallianus, Belli
civilis scriptor) ipsum Hyrcanum Pontificem cum Mithridate Ægy-
ptum invasisse scripsit: ut ex Strabone Josephus [ibid. cap. 15.] re-
tulit. Pro quo & illa Cæsaris de Hyrcano verba faciunt, Tabulæ æneæ
in illius gratiam ab eo inscripta. [ibid. cap. 17.] Εἰς τὸ ἐγγύστα ὄν Α-
λεξάνδρειαν πολέμου μὲν χριστῶν παρὰ τῶν Ἰουδαίων ἔρα πρὸς τὸν ἑαυτοῦ Συμμαχῶν,
καὶ πρὸς Μιθριδάτην ἀποσταλῆς ὑπὲρ ἐμοῦ, πάντας ἀνδραίους τῶν ἐν ταῖς
ὑπερέβαλε. In proximo Alexandrine bello in auxilium venit cum 1500
militibus; & ad Mithridatem à me missus, virtute cessit, nominari.

Judæi, regionis Oniæ incolæ, auctoritate Antipatri atque Hyrcani
Pontificis libenter paruerunt. Quod ubi audiverunt qui Memphim
accolebant, & ipsi Mithridatem accesserunt; & ille eò profectus,
hos quoque adjunxit suis partibus. [Joseph. lib. 14. cap. 14.]

Quum loco qui à Græcæ literæ similitudine nominatur Delta, non
ita longè ab Alexandriâ, appropinquare Mithridatem Rex Ptolemæus
cognovisset, & transeundum ei Nilam flumen sciret; magnas adver-
sus eum copias misit, quibus aut vinci aut certè retineri posset, ne se
cum Cæsare conjungeret. Quæ primæ copiarum flumen à Delta trans-
ire, & Mithridati occurrere potuerunt, prælium commiserunt, festi-
nantes præripere subsequenter victoriæ societatem. Quorum im-
petum Mithridates magnâ cum prudentiâ, Romano more castris val-
latis, sustinuit. Cum verò incautè atque insolenter succedere eos
munitionibus videret; eruptione undique factâ, magnum numerum
eorum interfecit. Quod nisi locorum noticiâ reliqui se texissent, par-
tîmque in naves, quibus flumen transirant, recepissent; funditus de-
leti essent. Qui ut paululum ab illo timore se recreârunt, adjunctis iis
qui subsequebantur, rursus Mithridatem oppugnare cœperunt.
[Hirtius.]

Commisâ pugna est circa locum qui Castra Judæorum dicitur.
Curbat dextrum cornu Mithridates, sinistrum Antipater. In pugnâ
Mithridatis cornu inclinatum est, videbaturque cladem accepturum,
nisi maturè præter fluminis ripam accurrens cum suis Antipater, qui
jam adversarios profligaverat, exemptis sociis periculo, Ægyptios
jam vincentes cœgisset terga vertere. Qui adeo fugientibus insitit,

ut castra quoque hostium caperet: advocato etiam in prædæ partem Mithridate, quem insectando hostem longè à tergo reliquerat. Ex suis Mithridates 800 amisit: Antipater 50. (vel 80. ut est apud Josephum, *lib. 1. Belli, cap. 7.*) Mithridates verò de his Cæsarem per litteras certiozem reddidit: ingenuè fassus Antipatrum & salutis sibi causam fuisse & victoriæ. [*Joseph. lib. 14. cap. 15.*]

b.

Sub idem penè tempus & rex Ptolemæus ad opprimendum Mithridatem profectus est; & Cæsar ad recipiendum. Celeriore fluminis Nili navigatione Rex est usus, in quâ magnam & paratam classem habebat. Cæsar eodem itinere uti noluit; ne navibus in flumine dimicaret. [*Hirt.*] Noctu igitur navibus solutis, tanquam ad ostium quoddam Nili properaret, accensisque per omnes naves plurimis facibus, quo magis eò contendere videretur, initio navibus est provectus, post luminibus extinctis retro navigavit: circumvectusque urbem, ad peninsulam Africæ adhaerentem appulit; & expositis militibus, paludem circumvixit. [*Dio.*] priusque Regis copiis occurrit, quàm is Mithridatem aggredi posset: eumque ad se victorem incolumi exercitu recepit. [*Hirt.*]

4667 47

Confederat Rex cum copiis in loco excelssiore, naturaque munitissimo: ab eo Cæsar septem millia passuum circiter aberat, & interjectus erat fluvius, in quo trajiciendo etiam cum Alexandrinis pugnandum fuit. Eo superato, simulque Alexandrinis transitum prohibentibus magnâ ex parte cæsis, non magno intervallo à castris Regis: castra Cæsar posuit. Postero die castellum, quod Rex in proximo vico non longè à suis castris muniverat, brachisque cum opere castrorum conjunxerat, vici obtinendi causâ, Cæsar aggressus omnibus copiis expugnavit: indeque fugientes Alexandrinos in castra milites ejus insectati, munitionibus successerunt, acerrimèque eminus præliari cœperunt. Sed diversis telis illi figebantur, adversi ex flumine, in quo multæ naves instructæ funditoribus & sagittariis eos impugnant. [*Hirt.*]

Cæsar, cum videret milites acrius præliari non posse, nec tamen multum profici propter locorum difficultatem; animadvertit excelssimum locum castrorum relictum esse ab Alexandrinis, quod & per se munitus esset, & studio partim pugnandi partim spectandi decurrissent in eum locum, in quo pugnabatur. Cohortes igitur illico circuire castra, & summum locum aggredi iussit: hisque Carsulenum præfecit, & animi magnitudine & rei militaris scientiâ virum præstantem. Quò ut ventum est, paucis defendentibus munitionem, Cæsarianis contra militibus acerrimè pugnantibus, diverso clamore & prælio perterriti Alexandrini, trepidantes in omnes partes discurrere cœperunt. Quorum perturbatione Romanorum animi adeò sunt incitati, ut penè eodem tempore ex omnibus partibus, primi tamen editissimum locum castrorum caperent: ex quo decurrentes, magnam multitudinem hostium in castris interfecerunt. Quod periculum plerique Alexandrini fugientes, acervatim se de vallo præcipitaverunt in eam partem quæ flumini erat adjuncta: quorum primis in ipsâ fossâ munitionis magnâ vi oppressis, cæteri faciliorem fugam habuerunt. [*Idem.*]

Constat

Constat fugisse ex castris Regem ipsum, receptumque in navem, & multitudine eorum, qui ad proximas naves adnatabant, demerso navigio periisse. [*Idem: cum Livio, lib. 12. Diono, lib. 42. & Orofio, lib. 6. cap. 16.*] Corpus ipsius obrutum limo ad Nili ripam devolutum, lorice aureæ (eujusmodi usus fuisse Ptolemæos, Julius Capitolinus in *Maximino juniore* confirmat) indicio cognitum fuit. [*Florus, lib. 4. cap. 2. Eutrop. lib. 6. Orof. lib. 6. cap. 16.*] Post patris Auletæ mortem, annis 3. & mensib. 8. ille superstit. unde regno ejus quadriennium à Porphyrio tribuitur. [*in Grec. Euseb. Scaligeri pag. 226.*]

In hoc bello 20 millia hominum cæsa, 12 millia cum 70 longis navibus dedita; 500 ex victoribus cecidisse, referuntur. [*Orof. lib. 6. cap. 16.*] In eo vulnera quoque accepit Antipater, quum ejus operâ forti in rebus periculosissimis Cæsar usus fuisset. [*Ioseph. lib. 14. cap. 15.*]

Cæsar, magnæ victoriæ fiducia, proximo terrestri itinere Alexandriam cum equitibus contendit; atque eam partem opidi victor introiit, quæ præsidio hostium tenebatur. Omnis verò multitudo opidanorum, armis projectis munitionibusque suis relictis, veste rã sumptâ quâ supplices dominantes deprecari consueverunt, sacrisque omnibus prolatis quorum religione precari offensos iratosque animis regum erant soliti, adveniēti Cæsari occurrerunt, seque ei dederunt. Cæsar in fidem receptos consolatus, per hostium munitiones in suam partem opidi magnâ gratulatione venit suorum: qui non tantùm bellum ipsum ac dimicationem, sed etiam talem adventum ejus felicem fuisse lætabantur. [*Hirtius.*]

In fastis Kalendaribus marmoreis, [*Inscript. Græci pag. CXXXIII.*] ad VI Kalendas Apriles, annotatum habetur. HOC DIE CÆSAR ALEXAND. RECEPIT. Ut autem annus hoc tempore Romæ agebatur, dies ille in 14. Januarii Juliani diem incidit. Tunc igitur bellum Alexandrinum est finitum: quod à Cæsare gestum neque loco, neque tempore æquo, sed hyeme anni, refert Suetonius. [*in Julio, cap. 35.*]

Cæsar Ægypto potitus, Romanorum dominio eam non subjecit, sed Cleopatræ cōcessit, cujus gratiâ totum bellum gesserat. Metuens tamen ne Ægyptii mulieris imperio traditi denuo tumultuarentur, neve Romanorum in se animos cum hujus rei tum suæ cum Cleopatrá consuetudinis causâ commoveret, conjugem eam fratris superstitis esse iussit, regnumque utrisque commune fecit. Id quidem in speciem agebat, re ipsâ totum Cleopatræ regnum, deferrebat. Maritus enim ejus *παίδιον* puer ætate erat, (11 tantùm annorum: unde & *ἑὸν παῖδον* eum fuisse dicit Strab. li. 17. p. 796.) ipsa autem apud Cæsarem gratiâ nihil non poterat. Iraque sub prætextu conjugii, quo fratri jungebatur, regni que cum eo ex æquo obtinendi, ipsa sola rerum potiebatur, ac Cæsaris consuetudine utebatur. Hæc liberius Dio, [*lib. 42.*] quæ mollius, in Cæsaris gratiam, A. Hirtius ita retulit. *Cæsar, Ægypto atque Alexandriâ potitus, reges constituit, quos Ptolemæus testamento scripserat, atque obtestatus erat populum Romanum ne mutarentur. Nam, majore ex duobus pueris rege amisso, minori transdidit regnum, majorique ex duabus filiæ Cleopatrá, que*

manserat in fide presidijque ejus. et Suetonius: [in Julio, cap. 35.] Regnum Egypti victor Cleopatra fratrisque ejus minori permisit: veritus provinciam facere, ne quandoque violentiores presidem nacta, novarum rerum materia esset.

Cum Cleopatrá Cæsar & convivâ in primam lucem sæpe protraxit, & in Nilum unâ cum ipsâ 400 navibus subvectus, eadem nave thalamo penè Athiopâ tenuis Egyptum penetravit, nisi exercitus sequi reculasset. [Sueton. ibid. cap. 52. tum Appiano, lib. 2. Bell. civil. pag. 484.]

Alexandriæ Cæsar columnam arcem statuit, pura quæ Alexandrinis Judæis ipse concessit inscripta continentem. [Joseph. lib. 14. Antiquit. cap. 27. & lib. 2. contr. Appian. pag. 1063.]

Pharnaces, rebus secundis elatus, quum de Cæsare ea quæ optabat, speraret, Pontum omnibus copiis occupavit: ibique & victor, & crudelissimus rex, quum sibi fortunam paternam feliciore eventu destinaret, multa oppida expugnavit, bona civium Romanorum Ponticorumque diripuit, supplicia constituit in eos qui aliquam formæ atque ætatis commendationem habebant ea, quæ morte essent miseriora; Pontumque nullo defendente, paternum regnum se recepisse glorians, obtinebat. [Hirtius.]

Præcipuè verò crudelitatem suam in Amisum urbem Ponticam exercuit: quam, quum diu resistisset, vi expugnatam diripuit, puberibus interfectis & impuberibus ad unum exactis omnibus. [Appian. lib. 2. Bell. civil. pag. 484. Dio, lib. 42.]

6. Asander, cui tutelam Bosphori Pharnaces crediderat, bonæ gratiæ à Romanis incundæ causâ spèque regni Bosphorani ab eis accipiendi, contra dominum suum insurrexit. [Dio, ibid.]

Cæsar ex Egypto ad M. Ciceronem litteras misit, ut esset idem qui fuisset, & Imperatoris (ob rem in Ciliciâ gestam) appellationem retineret: & C. Pansa nuntium perferente, concessos fauces laureatos Cicero tenuit, quoad tenendos putavit. [Cic. pro Ligario.] Post reditum enim ex Ciliciæ provinciâ, Romam adhuc ille non introierat: sed lictores cum fascibus secum circumferebat, triumpho frustra inhians. [lib. 11. ad Attic. epist. 6.] Redditæ sunt autem Cæsaris litteræ Ciceroni, pridie idus Sextil. [lib. 14. ad familiar. epist. ult.] sive postremo die Maii Juliani.

Pharnaces, Bithyniâ occupatâ & Cappadociâ, Armeniæ minori imminet, omnesque illius oræ reges & tetrarchas concitabat. [Plutarch. in Cæsare.] In Asiam quoque, spè ejusdem successus quo pater ejus Mithridates usus fuerat, contendebat. [Dio, lib. 42.]

In Egypto Cæsarem menses novem exegisse, Appianus indicat. [lib. 2. Bell. civil. pag. 484.] Ac vel diutius ibi Cleopatra eum detinisset, vel Romam proficiscentem comitata fuisset, nisi Pharnaces eum & Egypto invitum detraxisset, & in Italiam properare vetuisset. [Dio, lib. 42.] Cleopatra verò filium brevi post illi peperit, Cæsariionem ab Alexandrinis appellatum. [Plutarch. in Cæsare.] eo nomine à matre, ipso Cæsare permittente, filio imposito. [Sueton. in Julio, cap. 52.] Eam tamen, post Cæsaris discessum, cum hoste ipsius Cneo Pom-

Statuit autem Cæsar, Hyrcanum & liberos ejus ethnarchiam & pontificatum Judæorum perpetuò retinere more patrio: atque in sociorum & amicorum suorum numerum recipi. et si qua controversia exorta fuerit de Judaicâ disciplinâ, judicium penes ipsum esse. adhæc nec hyberna militi debere, nec pecunias ab eo exigi. dedicarique æream tabulam hæc continentem in Capitolio, & apud Tyrum, Sidonem, Ascalonem, in templis, inscriptam Romanis atque Græcis literis: & ut decreta hæc ad omnia loca mittantur. [*Lib. 14. Antiquit. cap. 17.*]

Cæsar commoratus ferè in omnibus Syriæ civitatibus quæ majoris erant dignitatis, præmia benemeritis & viritim & publicè tribuit: de controversiis veteribus cognovit ac statuit. Reges, tyrannos, dynastas provinciæ, finitimósque (qui omnes ad eum concurrerant) receptos in fidem, conditionibus impositis provinciæ tuendæ ac defendendæ, dimisit & sibi & populo Romano amicissimos. [*Hirtius.*]

Tyri omnia Herculis donaria Cæsar sustulit; quòd conjugem & filium Pompeii in fugâ recepissent. [*Dio, lib. 42.*]

Paucis diebus in Syriæ provinciâ consumptis, Sextum Cæsarem amicum & necessarium suum legionibus Syriæque eum præfecisse, ait Hirtius: Sexto quæstori ac cognato suo omnia ibi eum commisisse, scribit Dio. [*lib. 47.*] Legionem ab eo, jam tum de bello Parthico cogitante, in Syriâ relictam, & ἀξιωματὶ sive præfecturæ dignitatem consanguineo suo Sexto Julio adolescentulo concessam fuisse, Appianus indicat. [*lib. 3. Bell. civil. pag. 575. & lib. 4. pag. 623.*]

Cæsar, ordinatis rebus Syriæ, eadem classe quâ venerat profectus est in Ciliciam. [*Hirtius: cum Iosepho, lib. 14. cap. 16.*] Cujus provinciæ civitates omnes evocavit Tarsum: ibique, rebus omnibus provinciæ & finitimarum civitatum constitutis, cupiditate proficiscendi ad bellum (Ponticum) gerendum non diutiùs moratus est. [*Hirtius.*]

Hic Tarcondimoto (cujus suprâ, ex Ciceronis epistolâ 1. libri 15 ad familiares, facta est mentio) qui Ciliciæ partem sibi subiectam habebat, & re navali Pompeium plurimùm juverat, ignovit. [*Dio, lib. 41.*]

Antipater, ubi de Syriâ Cæsarem profectus est, in Judæam reversus, obeundo provinciam novarum rerum cupidos compescuit, tum minis agens tum consiliis. Fore enim, ut si Hyrcano contenti sint principe feliciter degant fruendo suis quisque possessionibus. Sin novas sibi spes polliceantur, & lucra ex rebus turbatis captent: se quidem pro præside habituros dominum, Hyrcanum verò pro rege tyrannum, tum Romanos atque Cæsarem acerbos hostes pro principibus. Hos enim nequaquam laturus mutari aliquid ex his quæ ipsi constituerint. Cùm tamen Hyrcanum stupidum ac segnem animadverteret, per se statum provinciæ componebat. Et Phasaëlum quidem è liberis suis natu maximum Hierosolymis & circumjacenti regioni Ducem constituit: Herodi secundo, admodum adolescenti, Galilæam curandam commisit. [*Ioseph. lib. 1. Belli, cap. 8. & lib. 14. Antiquit. cap. 16, 17.*]

Herodem tum *quindecim* tantùm annorum fuisse, apud Iosephum legimus.

legimus: [*lib. 14. cap. 17.*] eundem quoque ex eo numerum Rufino in versione suâ, Photio in Bibliothecâ, [*cod. 238.*] Pseudogorionide Hebræo, [*lib. 5. cap. 3.*] & Nicephoro Callisti, [*lib. 1. histor. Eccles. cap. 6.*] retinentibus. Verùm primorum Herodis descriptores, Ptolemæus & Nicolaus Damascenus, ex quibus sua Josephus hausit, non 15 sed 25 scripsisse videntur; & nota $\alpha\epsilon$ in $\overline{15}$, facili librariorum errore, deinde transivisse. Ab hoc enim tempore ad Herodis mortem anni numerantur 43. cum dimidio ferè. Quibus anni additi 25, annos conficerent 68 atque anni dimidium: cujus dimidium alterum si ille exegisset, ætatis annum 70 attigisset. Quum verò extremo morbo laboraret, $\alpha\epsilon$ ϵ τ Θ . ἰβδομνησὸν , circa annum septuagesimum fuisse illum, ipse quoque Josephus agnoscit. [*lib. 17. cap. 8.*]

Phasaëlo natus est filius Phasaëlus; cui postea Salampisio Herodis & Mariammes filia nupsit. [*Ioseph. lib. 18. cap. 7.*] siquidem septennis ille erat, quum pater Phasaëlus mortuus est. [*Id. lib. 14. cap. 25.*]

Pharnaces adversus Asandrum, qui in Bosphoro ab eo defecerat, expeditionem instituit. Sed quum esse in viâ Cæsarem, atque in Armeniam properare audiret; perterritus, magisque ab impetu quàm exercitu ejus sibi timens, multos ad eum antequam propius accederet legatos de pace misit, si quacunque tandem ratione præfens discrimen evitare posset. Idque inprimis obtendebat, se Pompeium nullo auxilio juvisse: sperabatque se Cæsarem, in Italiam Africamque properantem, ad pacificationem adducturum, à cujus discessu bellum renovare facile posset. Quod ipsum Cæsar suspicatus, primos ac secundos ejus legatos comiter accepit; ut spe pacis quàm maximè incautum posset invadere. [*Dio, lib. 42.*]

Cæsar, magnis itineribus per Cappadociam confectis, biduum Mazace commoratus, venit Comana, vetustissimum in Cappadociâ Bellonæ templum: quod tantâ religione colebatur, ut sacerdos ejus majestate, imperio & potentiâ secundus à rege consensu gentis illius haberetur. (*de quo videndus Strabo, lib. 12. pag. 535.*) Hoc sacerdotium Cæsar homini nobilissimo Nicomedi Bithynio adjudicavit: qui, regio Cappadocum genere ortus, jure minimè dubio, vetustate tamen interrupto, illud repetebat. [*Hirtius.*] Et si enim cæteris qui pro Pompeio contra se steterant, ditionum quas à Pompeio acceperant possessionem confirmaverit: Comanorum tamen sacerdotium in Nicomedem transtulit ab Archelao. [*Appian. in Mithridatic. pag. 254.*] quod patri ipsius Archelao, sororis Cleopatraz natu maximæ marito, à Gabinio in Ægypto occiso, Pompeius tribuerat. [*Strabo, lib. 12. pag. 558.*]

Quum propius Pontum finesque Gallogræciæ Cæsar accessisset, Dejotarus terrarches Gallogræciæ, tunc quidem penè totius, quod ei neque legibus neque moribus concessum fuisse cæteri Tetrarchæ contendebant, sine dubio autem rex Armeniæ minoris ab Senatu appellatus, depositis regiis insignibus, neque tantùm privato vestitu sed etiam reorum habitu, supplex ad Cæsarem venit oratum, ut sibi ignosceret, quòd in Cn. Pompeii castris fuisset: seque ignorantia status Italiæ ac necessitate exercituum Pompeii, quibus vallatus erat, defendebat. Eam excusationem Cæsar rejiciebat: sed tamen se concedere

id factum dicebat superioribus suis beneficiis, veteri hospitio atque amicitia, dignitati ætatiq; hominis, atque precibus eorum qui frequentes concurtissent, hospites atque amici Dejotari, ad deprecandum. De controversiis Tetrarcharum postea se cogniturum esse dixit: & regium vestitum ei restituit. Legionem autem eam quam ex suis Dejotarus disciplinâ Romanâ constitutam habebat, equitatumque omnem ad bellum (Ponticum) gerendum adduci iussit. [*Idem.*] Hunc tamen Dejotarum hospitem suum pecuniâ Cæsar multavit: & Armeniam minorem à Senatu illi datam, sed à Pharnace tunc occupatam, Ariobarzani Cappadociae regi attribuit. [*Cicero, in orat. Philippic. 2. & de Divinat. lib. 1. & 2. Dio, lib. 41.*]

Imperatam pecuniam, iterum & tertio auctionibus factis Dejotarum dedisse, quâ Cæsar uteretur ad bellum, in oratione pro eo rege habitâ Cicero indicat. ubi etiam, ad gratiam conciliandam, ita ille ad Cæsarem hæc de re perorat. *Quid retineat per se meminit, non quid amisit: neque se à se multatum arbitratur; sed, cum existimaret multis tibi multa esse tribuenda, quò minus à se, qui in alterâ parte fuisset, ea sumeres, non recusavit. &c. Omnia tu Dejotaro, Cæsar, tribuisti; cum & ipsi filio nomen regium concessisti. Hoc nomine retento atque conservato, nullum beneficium populi Romani, nullam judicium de se Senatus imminutum putat.*

Cum in Pontum Cæsar venisset, copias omnes in unum locum coëgit: quæ numero, atque exercitatione bellorum mediocres erant. Exceptâ enim legione VI, quam secum adduxerat Alexandria veteranam, (multis laboribus periculisque functam, multisque militibus partim difficultate itinerum ac navigationum, partim crebritate bellorum, adedò diminutam, ut minus mille hominum in eâ esset) reliquæ erant tres legiones: una Dejotari; duæ, quæ in eo prælio, quod Cn. Domitius fecit cum Pharnace, fuerant. [*Hirtius.*]

Adventante Cæsare territus Pharnaces, legatos de pace misit à ducentesimo stadio ferentes ei coronam auream, & satis stultè regis sui filiam offerentes in matrimonium. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 484.*] In primis autem deprecabantur, ne ejus adventus hostilis esset: facturum enim omnia Pharnacem, quæ imperata essent, maximèque commemorabant, nulla Pharnacem auxilia contra Cæsarem Pompeio dare voluisse; cum Dejotarus, qui dedisset, tamen ei satis fecisset. Cæsar respondit, se fore æquissimum Pharnaci, si quæ polliceretur repræsentaturus esset. Monuit autem, ut solebat, mitibus verbis legatos, ne aut Dejotarum sibi objicerent, aut nimis eo gloriarentur beneficio, quod auxilia Pompeio non misissent. [*Hirtius.*] atque hoc ipsum Pharnaci vitio vertit, quod & improbus & impius in benefactorem suum fuisset. [*Dio, lib. 41. & 42.*] Jubebat denique, ut Ponto confestim ille decederet, familiâque publicanorum remitteret, cæteraque restitueret sociis civibusque Romanis, quæ penes eum essent: si fecisset, tum demum munera recepturum se dixit, quæ bene rebus gestis imperatores ab amicis accipere consueverant. [*Hirtius.*]

Pharnaces omnia liberaliter pollicitus, cum festinantem ad Urbem Cæsa-

Cæsarem speraret libentiùs etiam crediturum suis promissis; lenitiùs agere, decedendi diem postulare longiorem, pactiones interponere, in summâ frustrari cœpit. Cujus calliditate cognitâ, Cæsar' ita negotium acceleravit, ut celeriùs omnium opinione manum confereret.

[*Idem.*]

Ad castra igitur Pharnacis quum venisset, in hanc vocem erumpens, *Ergo jam non dabit pœnas patricida?* in equum insiliit; & ad primùm clamorem editum in fugam hostem vertit, magnâque stragem edidit: adjutus circiter mille equitibus, qui primi procurrentem secuti sunt. Ita Appianus, in *Bel. civ. lib. 2.* [*pag. 485.*] Similiter & in libro *Historiæ suæ 42.* Dio: Eadem die quâ ad hostem pervenerat, ex itinere ad dimicationem descendit; & aliquandiu ab equitatu curribusque falcatis hostium conturbatus, tandem victoriam obtinuit. In colle Cæsarem aciem instruxisse, notat Julius Frontinus; [*Stratagemas. lib. 2. cap. 2.*] eamque rem ei expeditam fecisse victoriam: quòd pila ex edito in subeuntes barbaros emissa protinus eos avertebant. Cum Cæsare quoque Dejotarum in acie contra Pharnacem fuisse, corpusque suum periculo objecisse; in oratione pro eo rege habitâ confirmat Cicero.

Commisssa pugna circa Scotium montem est, non multo longiùs tribus passuum millibus ab urbe Zelâ distitum; juxta quem Pharnacis pater Mithridates Triarium exercitumque Romanum magnâ clade affecerat. [*Hirtius: cum Plutarcho in Cæsare, Appiano in Mithridatic. pag. 254. & Dione, lib. 42.*] Eum montem Pharnaces, (ut accuratior rem totius hujus pugnae historiam ex Hirtio repræsentemus) veteribus paternorum castrorum relictis operibus, copiis omnibus suis occupavit. Cæsar, qui ab hoste millia passuum quinque castra posuerat, valles regis castris proximas, occupaturus, proximâ nocte, vigiliâ quartâ, legionibus omnibus expeditis impedimentisque in castris relictis, cum ipsum locum cepit in quo Mithridates prælium adversus Triarium fecerat.

Pharnaces, quum id repenti primâ luce animadvertisset, copias suas omnes pro castris instruxit: & sive loci felicitate impulsus, sive auspiciis & religionibus inductus, (*quibus obtemperasse eum postea audiebamus*; inquit Hirtius) sive contemptu paucitatis Romanarum copiarum, quarum magnam partem jam sub Domitio fuderat, ultrò Romanos castra sua munientes iniquo loco invalit. Quod illis, subito ab operibus vocatis & nondum ordinibus instructis, magnum terrorem attulit. Falcatae regiae quadrigae, permistos milites perturbabant: quae tamen celeriter multitudine telorum sunt oppressae. Insecuta has est acies hostium: acrique cominus prælio facto, dextro cornu, quo veterana legio VI. erat collocata, initium victoriæ natum est ab eâ parte; sinistro deinde cornu mediâque acie totae profligatae sunt copiae regis. Itaque multis militibus partim interfectis partim suorum ruinâ oppressis, qui velocitate effugere poterant, armis tamen projectis, vallem transgressi, nihil ex loco superiore inermes proficere poterant. Romani verò victoriâ elati, subire iniquum locum munitionisque aggredi non dubitarunt: & defendentibus castra iis cohortibus quas

Pharnaces præsidio reliquerat, celeriter castris hostium sunt potiti. [*Id.*]

Ita Pharnacem Cæsar uno &, ut sic dixerim, non toto prælio obtulit, more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percussit, abscessit. Nec vana de se prædicatio est Cæsar's, antè victum hostem esse quàm visum. [*Florus, lib. 4. cap. 2.*] Jactabatque ille, eadem die & pervenisse se ad hostem, & vidisse eum, & vicisse. [*Dio, lib. 42.*] quod in litteris ad amicum quendam Amintium sive Anitium Romanam missis ab eo tribus illis verbis est expressum: VENI, VIDI, VICI. [*Plutarch. in Cæsare. Appian. lib. 2. Bell. civil. pag. 485.*] Intra quintum enim quàm adfuerat diem, quatuor quibus in conspectum venit horis, unâ Pharnacem profligavit acie. [*Sueton. in Julio, cap. 35.*] crebrò commemorans Pompeii felicitatem, cui præcipua militiæ laus in bello Mithridatico de tam imbelli genere hostium contigisset. [*Id. ibid. cum Appiano, lib. 2. Bell. civil. pag. 485.*]

Pharnaces, interfectâ multitudine omni aut captâ suorum, cum paucis equitibus profugit. Cui nisi castrorum oppugnatio facultatem attulisset liberius profugiendi, vivus in Cæsar's potestatem adductus esset. [*Hirt.*] Sinopen verò ille cum mille equitibus refugit. [*Appian. Mithridatic. pag. 254.*]

Cæsar, incredibili est lætitiâ affectus, quòd maximum bellum tantâ celeritate confecerat: eratque subiti periculi recordatio lætior, quòd victoria facilis ex difficillimis rebus acciderat, [*Hirt.*] Prædam omnem regiam & manubias, quamvis plurimæ erant, militibus donavit. [*Id. & Dio.*] Cùmque trophæum eo in loco Mithridates de Triario statulisset, quia id consecratum diis belli evertere fas non erat, ipse de Pharnace suum opposuit, atque ita Mithridaticum obscuravit quodamque modo dejecit. Postea receptis omnibus quæ vel Romanis vel eorum sociis Pharnaces ademerat, singula iis qui amiserant restituit, parte quâdam Armeniæ, quam Ariobarzani dono dedit, exceptâ. Amisendorum calamitatem libertate eis datâ compensavit. [*Dio.*] Legionem VI. decedere ad præmia atque honores accipiendos in Italiam iussit; auxilia Dejorari domum remisit: duas reliquas legiones cum Coelio Viniciano in Ponto reliquit. Itaque per Gallogræciam Bithyniâque in Asiam iter fecit: omniumque earum provinciarum de controversiis cognovit & statuit; jura in tetrarchas, reges, civitates distribuit. [*Hirt.*]

In Asiâ pecuniam obiter colligebat, magnâ publicanorum per singulos populos acerbè exigentium invidiâ. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 485.*] (cujus tum Proconsul fuit, Cæsar's & Ciceronis in augurato collega, P. Servilius Isauricus: ut ex lib. 13. ad familiar. epist. 68. intelligitur.)

Brithagoras, vir inter Heracleenses Ponti summæ authoritatis, qui civium suorum causâ Cæsarem per orbem hucusque secutus fuerat, illo Romam jam redire instituyente, senectâ & laborum assiduitate exhaustus, vivere desiit; grandem patriæ luctum relinquens. [*Memnon, in Excerptis Photii, cap. 62.*]

Mithridatem Pergamenum (à quo res feliciter celeriterque gesta
in

in Ægypto fuit) regio genere ortum, disciplinis etiã regis educa-
tum, (nam eum Mithridates, rex Asiæ totius, propter nobilitatem
Pergamo parvulum secum asportaverat in castra, multosque tenu-
erat annos) regem Bosphori Cæsar constituit, quod sub imperio
Pharnacis fuerat: provinciãque populi Romani à Barbaris, atque
inimicis regibus, interposito amicissimo rege, munivit. [*Hirt.*] De quo
videndus Strabo, lib. 13. pag. 625. (cum notis Casauboni :) & Appi-
anus in Mithridaticis, pag. 254.

Eidem bellum contra Asandrum mandavit: ut Bosphoro potitus,
ejus in amicum ulcisceretur perfidiam. [*Dio, lib. 42.*] Eidem quoque
Trocmorum in Gallogræciã (Ponto & Cappadociæ confinia possi-
dentium) tetrarchiam, ut materni generis jure ipsi debitam, adju-
dicavit; occupatam & possessam paucis antè annis à Deiotaro. [*Cice-
ro, in orat. Philippic. 2. & lib. 2. de Divinat. Hirtius, de bello Alexandr.
Strabo, lib. 12. pag. 567. & lib. 13. pag. 625. Dio, lib. 42.*]

In Græciam Italiãque deinde Cæsar navigavit: magnã vi pecu-
niæ undique quibuscunque titulis confectã, veluti antè ab ipso quo-
que factum fuerat. Partim enim eam pecuniam, quæ Pompeio pri-
ùs promissa fuerat, exegit; partim, aliis obtentis causis, alias impe-
rabat. Multas quoque à principibus regibusque aureas coronas ac-
cepit, partarum victoriarum ergò. Duasque res esse prædicabat, qui-
bus & pararentur & conservarentur & auferrentur imperia; milites &
pecunias: earumque alteram per alteram consistere; & alterutrã de-
ficiente, alteram simul concidere. [*Dio, lib. 42.*]

Ille ad Kalendas Septembr. (quæ inciderunt in Junii Juliani diem 17)
*Athenis non videtur fore. Multa enim eum in Asiã dicuntur morari: maxi-
mè Pharnaces: inquit Cicero ad Atticum. [lib. 11. epist. 24.] Verùm
Pharnace sine ullâ belli morâ victo,* (ut in libri Liviani 113. epitome
legitur) cæterisque rebus celerrimè confectis, *in Italiam celerius omni-
um opinione venit: ut in fine libri de bello Alexandrino notavit
Hirtius.*

Romam verò Cæsar venit, circumagente se anno quo Dictator ite-
rùm designatus fuerat, (qui magistratus nunquam antè fuerat annu-
us) & in proximum annum Consul declaratus est. [*Plutarch. in
Cæsare.*]

Pharnaces Domitio (Calvino.) qui ad ipsum persequendum à Cæ-
sare relictus fuit, Sinopen tradidit: & pace acceptã dimissus cum
mille suis equitibus, equos interfecit; iniquissimè id ferentibus eorum
dominis. Inde conscensis navibus, *in Pontum* eum fugisse, apud Ap-
pianum in Mithridaticis [*pag. 254.*] legimus, quum, *ex Ponto*, fuisset
dicendum. Nam & in Ponto ipsa Sinope fuit: & in Bosphoranum
regnum à Pompeio sibi traditum refugisse Pharnacem, in libro 2. Bell.
civil. [*pag. 485.*] idem ipse Appianus confirmat.

Herodes Galidiæ præfectus, Ezechiam Judæum, qui cum magno
latronum agmine Syriæ fines incurfare solebat, comprehensum cum
multis latrocinii sociis interfecit. Quod ejus factum magnam ei apud
Syros & per eos apud Sextum Cæsarem, qui tunc Syriam provin-
ciam administrabat, conciliavit gratiam. [*Joseph. lib. 1. Belli,*

cap. 8. & lib. 14. *Antiquit. cap. 17.*]

Phasaëlus, excitatus ad æmulationem fraternæ gloriæ, Hierosolymitanorum gratiam sibi conciliavit: omnia negotia publica per se obeundo, nec abutendo potestate ad cujusquam injuriam. Quo factum est, ut pater ejus Antipater haud secus quàm si rex esset, à torâ gente coleretur: nec propterea tamen minùs fidelis aut benevolus Hyrcano ipse fuit. [*Id. ibid.*]

3958

Cæsar, contra P. Cornelium Scipionem Pompeii Magni focerum, M. Catonem & Mauritaniæ regem Jubam expeditione susceptâ, XIV. Kalend. Januar. in Lilybæum pervenit: indèque, VI. Kalend. Januar. navem conscendens, post diem quartam in conspectum Africæ venit. [*Hirtius, in lib. de bello Africano.*] XIV. verò Kalend. Januar. dies, in Septembris Juliani proleptici diem 30 & ultimum eo tempore incidebat: ut sequentis longi anni dierum 445 retrograda à primi anni Juliani Kalendis Januariis facta patefaciet numeratio. Quod minùs animadvertentes Plutarchus & Dio: ille quidem [*in Casare.*] *Ἐπιπροσώτῃς ἡμέρῃς ἐνταῦθα* circa Solstitium brumale, in Siciliam; hic [*libro 43.*] *ἡμέρῃς ἐν τῇ μεσοδύτης* mediâ hyeme in Africam, Cæsarem trajecisse retulit. Ante brumam verò in Africam illum transmisisse, etiam Ciceronis illa in libro 2^o, de Divinatione satis indicant. *Cæsar, cum à summo aruspice moneretur ne in Africam ante brumam transmitteret, nonne transmisit? quod ni fecisset, unum in locum omnes adversariorum copia convenissent.*

Kalendis Januariis (in Octobris Juliani diem 13. incurrentibus) Cæsar castra ad opidum Ruspina habuit: & pridie Nonas Januarii (Octobris 16.) post diem tertium quàm Africam attigit, ab horâ diei quintâ usque ad Solis occasum acerrimo prælio habito, Labienum & Petreium vicit: atque VI. Kalend. Februar. (Novembris Juliani 6^o) hostilem exercitum Labieni & Scipionis denuò repulit. [*Hirtius.*]

Pharnacem, in Bosphorum vi intrare tentantem, ab Asandro in carcerem conjectum atque interemptum fuisse, in libro 42^o Dio significat: quod ab Appiano in Mithridaticis [*pag. 254.*] ita latiùs habetur explicatum. Pharnaces, collectâ Scytharum ac Sarmatarum manu, Theudosiam Panticapæumque occupavit. Et quum ab Asandro bello peteretur, equites ejus, equis destituti nec assueti pedestri prælio, vincebantur: solus Pharnaces egregiè pugnans, tandem consauciatus cecidit quinquagenarius, postquam regnavit in Bosphoro annis 15. ut habet Appianus. vel 17. potius: quot à cæde patris ejus Mithridatis hucusque numerantur.

Cæcilius Bassus, ordinis equestris, qui à pugnâ Pharsalicâ post devictum Pompeium fugiens Tyri latitaverat, sui similibus nonnullis ad se receptis, sibique modò his modò illis militibus Sexti Syriæ præsidis diversis temporibus ad custodiam urbis venientibus conciliatis, quum multæ res adversæ Cæsaris in Africâ nuntiarentur: non contentus jam præsentis sorte, ad novas res consurrexit. Deprehensus verò in hoc à Sexto antequam sese paravisset, auxilium se Mithridati Pergameno ad occupandum Bosphorum parare dixit: habitaque sibi fide, dimissus est. [*Dio, lib. 47.*]

Opti-

Optimates Judæorum videntes Antipatrum cum filiis tantopere crescere, tam favore gentis quàm Hyrcani pecuniis & percipiendis ex Judæâ reditibus, malignè erga eum affecti sunt. Jam enim amicitiam contraxerat cum Romanis imperatoribus, & persuaso Hyrcano ut pecuniam eis mitteret, ipse hujus muneris sibi usurpavit gratiam: tanquam de proprio mittens, & non quasi ab Hyrcano acceptam. Quæ Hyrcanus audiens ad eò nihil curabat, ut gaudere etiam facto videretur. Sed maximè terrebat Judæorum primates violentum ac audax Herodis ingenium & tyrannidis cupidum. Adeuntes igitur Hyrcanum, apertè jam incusabant Antipatrum: de filio ejus Herode maximè conquesti, quòd Ezechiam cum plerisque aliis, nullâ ab Hyrcano potestate acceptâ, interfecisset; legibus contemptis, quæ hominem quantumvis scelestum non sinunt affici supplicio, nisi priùs damnatum ex sententiâ judicum. Matres quoque eorum quos ille necaverat, per singulos dies in templo non desinebant precibus suis tum regem tum populum obtundere, rogantes ut Herodes coram Synedrio facti sui rationem reddere cogeretur. Permotus igitur his Hyrcanus, Herodem ad judicium & dicendam causam evocavit. [*Joseph. lib. 14. cap. 17.*]

Herodes, ordinatis Galilææ rebus quemadmodum existimabat sibi conducere, à patre præmonitus ne privati more ad judicium veniret, mediocre sed tamen sufficiens sibi præsidium adjunxit in itinere: ne vel Hyrcanum terreret si plures adduceret, vel ipse sine tutelâ subiret judicii periculum. Quin & Sextus Cæsar præses Syriæ scripsit ad Hyrcanum ut eum abolveret; minis si contra fecisset additis. Cùm constirisset igitur Herodes coram Synedrio porpuratus cum armatis stipatoribus, omnes sunt attoniti: nec quisquam eorum qui absentem accusaverant ausus est hircere; sed hærebant inopes consilii. Tum unus è confesso Sameas, vir justus & ob hoc invictus terroribus, (quem fervidioris tamen fuisse ingenii, vetus illud Hebræorum dictum ostendit: *Esto humilis ut Hillel, & non iracundus ut Samai*;) assurgens, non solum Herodem audaciæ ac violentiæ accusavit, sed ejus culpam in judices & regem ipsum, qui hæc ei concesserunt licentiam, derivavit: quos ipsos etiam postea, justo Dei judicio, pœnas Herodi esse duros prænuñciavit. Quod rei eventus, & confessus illius judicibus & Hyrcano ab Herode rege facto interceptis, verum fuisse comprobavit. Hyrcanus verò animadvertens judices propensiores ad damnandum Herodem, rem in sequentem diem distulit: & clam eum admonuit, ut fugâ sibi consuleret. Atque ita ille secessit Damascum, quasi regem fugiens: cùmque convenisset Sextum Cæsarem, & res suas in tuto collocasset, palàm præ se tulit quòd non esset compariturus si denuò citaretur ad judices. Illi verò indignabantur, & Hyrcanum conabantur docere, quòd in ipsius perniciem hæc omnia tenderent. [*Id. ibid.*]

In Africâ Cæsar, XII. Kalend. Apriles (Januarii Juliani die 21) illustrato exercitu, postero die, productis universis copiis in acie constitit: sed postquam satis diuque adversarios à se ad dimicandum invictos superfedere pugnæ animadverteret, reduxit copias. [*Frontin., de bello Afric.*]

Cæci-

4668 46

Cæcilius Bassus ex litteris, quas à Scipione sibi missas fingebat, retulit; Cæsarem in Africâ victum interiisse, sibi que imperium Syriæ mandatum. Itaque cum iis quos ad hoc instruxerat militibus Tyrum occupavit: hincque ad Sexti copias procedens, ab obvio sibi facto eo victus, vulnus accepit; indeque vi quidem adversus eum quicquam agere in posterum non conatus est. [*Dio, lib. 47.*]

Cæsar, pridie Nonas Apriles (Februarii Juliani die 4) tertiâ vigiliâ ab opido Agar egressus, XVI millia passuum eâ nocte progressus, Thapsum eâ die circummunire cœpit. Ubi & Jubam & Scipionem memorabili pugna superavit: postquam M. Cato Uticæ sibi ipsi manus intulit. [*Hirt. de bello Afric.*]

Sextus Cæsar, acceptâ pecuniâ, Herodem Cœlesyriæ præfecit. Herodes, impatienter ferens quòd vocatus fuisset in iudicium, exercitum contra Hyrcanum duxit: sed patris Antipatri & fratris Phasaëli occursum & precibus cohibitus est quòd minùs invaderet Hierosolyma; placantium eum & rogantium, ut terruisse contentus reipsâ læderet neminem, néve ulterius adversus authorem suæ dignitatis procederet. Quorum monitis ille paruit; ratus sufficere sibi ad futuras spes, quòd potentiam genti declaravisset. [*Joseph. lib. 14. cap. 17.*]

In Africâ Cæsar per quietem magnum exercitum vidisse dicitur, appellantem se flentemque: & permotum eo somnio, in memoriales tabellas retulisse confestim de condendâ Carthagine Corintho que. [*Appian. in Libycis, pag. 85.*]

Julium Cæsarem Hyrcanus per legatos rogavit, ut confirmaret cœptam societatem & amicitiam. [*Joseph. lib. 14. cap. 17.*]

Cæcilius Bassus missis suis ad Sexti Cæsaris milites, qui certas spes ipsis proponerent, adeo eos sibi associavit, ut Sexto occiso legio ejus ad ipsum transferretur. [*Id. ibid. Liv. lib. 114. Libo: apud Appian. lib. 3. Bell. civil. pag. 576. Dio, lib. 47.*] quanquam ab aliis hunc in modum ea referatur historia. Sextus adolescens voluptatibus vacans, legionem quam Julius Cæsar in Syriâ reliquerat indecènter secum circumducebat. Id reprehendentem Bassum, qui legionis illius curam habebat, aliquando rejecit cum contumeliâ: & aliquanto post quum vocanti obediret tardius, jussit eum attrahi. In eo tumultu quum ad manus ventum esset, exercitus non ferens insolentiam jaculis Sextum confixit. Cùmque mox pœnitentia sequeretur & metus à Cæsare, conjurârunt, ni venia fidesque sibi daretur, usque ad mortem se decertaturos: coactio etiam Basso, ut fieret ejus conjurationis socius. Deinde ex novo defectu aliud agmen confecerunt, & assuescerunt eisdem quibus ipsi utebantur exercitiis. [*Appian. Bell. civil. lib. 3. pag. 575, 576. & lib. 4. pag. 623.*]

Bassus omnem exercitum, præter paucos qui Apameæ hyemaverant, quos inde ante suum adventum egressos in Ciliciam usque insectus frustra fuit, ad se pertraxit: revertensque in Syriam, prætor nominatus est, Apameamque munivit, ut eam domicilium quasi belli haberet: omnes qui validâ essent ætate, non liberos tantùm sed servos etiam, ad militiam delegit; pecuniam confecit, arma fabricavit. [*Dio, lib. 47.*]

Cæsar,

Cæsar, Africano bello confecto, Idibus Jun. (Aprilis Juliani die 14) Uticæ classem conscendit, & post diem tertium Carales in Sardiniam pervenit: unde III Kalend. Quintil. (Juliani Aprilis die 29) navibus secundum terram provectus, duodetricesimo die, (Maii Juliani die 26) eo quod tempestatibus cohibebatur, ad urbem Romam venit. [*Hirtius, in fine lib. de bello Afric.*]

Quatuor Romæ triumphos egit Cæsar eodem mense, sed interjectis diebus: diverso quemque apparatu & instrumento. [*Sueton. in Julio, cap. 37.*] Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africi ebore constitit. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 56.*] Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, VENI. VIDI. VICI. non acta belli significantem, sicut cæteri, sed celeriter confecti notam. [*Sæton. ut supr.*] In eo fuga Pharnacis risum populo movit. Alexandrinus de Ægyptiis triumphus medius insertus est, Gallicum inter & Ponticum: in eoque Achillæ Phorinique casus plausibilis fuit. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 491.*] Sed Arsinoës Ægyptiæ, & mulieris & pro reginâ tunc habitæ, quæ inter vinctos (quod nunquam Romæ contigit) ducebatur, conspectus plurimum commiserationis populo iniecit. Quæ post triumphum tamen, in germanorum gratiam, dimissa est. [*Dio, lib. 43.*]

Germani verò ejus, soror natu major Cleopatra & frater minor Ptolemæus, Cleopatrz maritus, à Cæsare acciti hoc anno Romam venerunt; atque ab eo inter amicos sociosque Romanorum sunt adscripti. In suis quoque ipsius ædibus Cæsar domicilium Cleopatrz assignavit; eamque non nisi maximis honoribus præmissisque auctam remisit: quod malè inde audiret, nihil omnino pensitans. [*Id. ibid. Sueton. in Julio, cap. 52.*] Quin & in æde Veneris Genitricis, ex voto instante pugna Pharsalicâ concepto extructâ (quam hoc anno dedicatam ab eo fuisse, confirmat etiam Dio) ad Veneris latus effigiem Cleopatrz Cæsar statuit. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 492.*]

In Syriâ C. Antistius (Vetus) atque alii Cæsariani duces, cum equestribus ac pedestribus copiis contra Cæcilium Bassum venientes, Apameæ eum obsidione circumcluserunt. Hisce finitimi quoque, qui Cæsaris rebus studebant, sese adjunxerunt: inter quos & Antipater, tam interempti quàm superstitis Cæsaris causâ, quod ambobus esset amicus, per filios suos subministravit auxilia. Quum autem aliquandiu æquis viribus esset certatum, neutrâque pars prævalere alteri posset, induciis pacto nullo firmatis, ad auxilia paranda alia bellum suspenderunt. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 8. fin. & lib. 14. Antiquit. cap. 17. fin. cum Dione, lib. 47.*]

Mithridates Pergamæus Leucothææ templum (in Moschicâ regione circa Phasim fluvium) à Pharnace prius compilatum denuò spoliavit. [*Strabo, lib. 11. pag. 498.*] Sed ut Pharnacem ita & hunc Bosphorum occupare tentantem, Asander (apud Strabonem Casander & Lysander perperam dictus) evertit; atque utroque sublato, regno Bosphori ipse quietè potitus est. [*Id. ibid. pag. 495. & lib. 13. pag. 625.*]

C. Julius Cæsar Pontifex Maximus, suo III. & M. Æmilii Lepidi Consulatu, Romani anni emendationem instituit: Sosigenis in astronomicis, Flavii scribæ in fastis ordinandis, usus operâ. Cùmque jam mense Februario dies 23. fuissent intercalati: ipse præterea inter Novembrem & Decembrem duos alios menses intercalares dierum 67. interposuit: ita ut præsens annus menses 15. dies verò 445. habuerit. [*Censorinus de die natali, cap. 8. cum Suetonio, in Julio, cap. 40. Plinio, lib. 18. cap. 25. Dione, lib. 43. Macrobio, lib. 1. Saturnal. cap. 14.*]

Pridie Kalendas Intercalares priores, (Septembris Juliani die 26) Cicero ad Cæsarem pro Q. Ligario orationem habuit. [*lib. 6. ad familiar. epist. 14.*]

A Kalendis Januariis, quibus Consulatum IV. Cæsar iniit, primus ordinationis Julianæ annus numeratus est. Inde enim anni à se constituti ille fecit principium. [*Censorin. ut supr.*]

In Hispaniâ Cæsar cum Pompeii liberis bellum gerens, XI. Kalend. Martias Ateguâ opido potitus est, & Imperator appellatus. Quum Libéralia (Plutarcho, in *Cæsare*, Διορύσια dicta) Romæ agerentur, (XVI. Kalend. April. ut ex vetere Calendario liquet) memorabilem illam ad Mundam urbem victoriam obtinuit. In quo prælio ceciderunt ex Pompeianis millia hominum circiter 30. cum duobus ducibus Labieno & Atio Varo, atque ordinis equestris millibus ferè tribus: ex Cæsarianis desiderati ad hominum mille, saucii ad 500. Interfecto deinde Cn. Pompeio adolescente, qui falces & imperium sibi arripuerat, pridie Idus Aprilis Cæsari, dum gradiebatur Hispalim, caput ejus allatum, & populo datum est in conspectum. [*Auber Commentarii de bello Hispaniensi.*]

Pridie Palilium (XII Kalend. Maias) sub vesperam, de hâc victoriâ nuntius allatus Romam fuit. [*Dio, lib. 43.*] & pridie Kalendas Maias, Hispali Cæsar ad M. Ciceronem litteras dedit consolatorias, [*Cic. ad Attic. lib. 13. epist. 20.*] ob mortem Tullie filie; quæ post repudiatam matrem Terentiam, apud P. Lentulum ex partu decessit. [*Ascon. Pedian. in orat. Pisonian. Plutarch. in Cicerone.*] quum ejus maritus P. Cornelius Dolabella in Hispaniâ apud Cæsarem fuerit: ut ex Philippicâ 2^a. & epistolarum ad Atticum libro 13. percipitur.

Habuit quoque Cæsar in hoc bello comitem Caium Octavium, nepotem sororis suæ Julie, 18 annos natum; nunquam aut alio usum hospitio, quàm suo, aut alio vectum vehiculo: Pontificatúsque sacerdotio puerum honoravit. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 59.*]

Dejotarus rex turbatus, legatum ex Galatiâ Blelamium in Hispaniam ad Cæsarem misit: qui litteris ad eum Tarracone datis, bene sperare & bonoregem esse animo iussit. [*Cicero, pro Dejotaro.*]

Dum bellum in Syriâ cum Cæcilio Basso trahitur, L. Staius (apud Velleium *Staius*, & Appianum *Sextius*) Murcus (apud Josephum *Marcus* perperam dictus) vir prætorius, à Julio Cæsare Sexti successor missus, cum tribus agminibus ex Italiâ venit: atque à Basso fortiter est repulsus. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 69. Joseph. lib. 1. Belli, cap. 8. fin. & lib. 14. Antiquit. cap. 17. fin. Appian. Bell. civil. lib. 3. pag. 576. & lib. 4. pag. 623.*] Nam & Bassi exercitum regio alebat, & socios ille permul-

tos habebat Arabum phylarchos, qui loca munita in proximo tenebant. Inter ea loca erat Lyfias ultra lacum fita qui juxta Apamiam est, & Arethusa, Sampficerami & filii ejus Iamblichii (cujus in epistolâ 1. libri 15. ad familiar. Cicero meminit) regio; qui phylarchi genti Emessenzæ imperabant. Propè etiam erat Heliopolis & Chalcis, sub Ptolemæo positæ Mennæi filio, qui Marfyam & Ituræorum montana obrinebat. [*Strabo, lib. 16. pag. 753.*]

Alchaudonius Arabs (Alchædamus Straboni dictus) Rhambæorum Nomadam intra Euphratem habitantium rex, qui antè cum Lucullo pactum inierat, deinde verò Parchis contra Crassum suppetias tulerat, à Ballo simul & adversarius ejus advocatus, in Mesopotamiam egressus est. Cùm autem in medium inter Apamiam & Cæsarianorum castra locum advenisset, priusquam alterutri parti quicquam responderet, auxilium suum vœnale proposuit. Ballo verò plura danti se conjunxit, ac in pugnâ sagittis longè superior hostibus fuit. [*Id. ibid. cum Dione, lib. 47.*]

Idibus Septembribus Cæsar in Laricano suo novissimum testamentum fecit, demandavitque virgini Vestali maximæ. In eo tres instituit hæredes sororum nepotes, C. Octavium ex dodrante (non ex parte tantum dimidiâ, ut apud Livium est, libro 116.) L. Pinarium & Q. Pedium ex quadrante reliquo. C. Octavium etiam in familiam noménque adoptavit: pluresque percussorum in tutoribus filii, si quis sibi nasceretur, nominavit. In secundis etiam hæredibus Decimum Brutum constituit, [*Sueton, in Julio, cap. 83.*] & M. Antonium. [*Dio, lib. 44. cum Floro, lib. 4. cap. 4.*] si priores designati hæreditatem non adirent. [*Appian, Bell. civil. lib. 2. pag. 518.*]

3960

Mense Octobri Cæsar Romam omnium victor ingressus, omnibus qui contra se arma tulerant ignovit. [*Vellei. Patere, lib. 2. cap. 56.*] Post actum verò initio hujus mensis Hispaniensem triumphum. Consulatu se abdicavit: & novo honorarios Consules suffiendi instituto introducto, trimestres fecit Consules, Q. Fabium Maximum & C. Trebonium. [*Dio, lib. 43. cum Græveri Inscript. pag. CCXCVIII. init.*] quorum prior Consul ex Hispaniâ III. Idus Octobr. triumphavit. [*Ibid. pag. CCXCVII.*] Unde, cùm in triumpho Cæsaris eborea opida Chrysipus vidisset translata, & post dies paucos Fabii Maximi lignea; thecas ea opidorum Cæsaris fuisse dixit. [*Quintilian, lib. 6. cap. 4.*]

Multi & maximi honores Cæsari à Senatu sunt decreti: & inter eos, ut Dictator in perpetuum esset; [*Liv. lib. 116.*] & insuper prænomen Imperatoris haberet. [*Sueton, in Julio, cap. 76.*] non eo sensu, quo & antè & postea etiam ob rem in militiâ bene gestam ducibus est tributum, sed quo potentia & autoritas in Republicâ summa significaretur. [*Dio, lib. 43.*] Nam & concessum illi est, ut solus milites & militiæ imperium haberet, solus publicas pecunias curaret; ac ne cui alterutro horum ipsius injussu uti liceret: atque ut magistratus omnes etiam plebei ejus potestati subjicerentur, jurarentque se nullis ejus decretis refragaturos. [*Id. ibid. & Appian, lib. 2. Bell. civil. pag. 494.*]

Indèque à postremo hoc ejus in Urbem reditu, *quinque menses*

principalis quietis illius, deducit Velleius Paterculus. [lib. 2. cap. 56.]

Getas, sive Dacos, qui se in Pontum & Thraciam effuderant, Cæsar coercere meditabatur. [*Sueton. in Julio, cap. 44. Appian. lib. 2. pag. 497.*] Ad quam expeditionem ille se parans, Octavium, Atiæ, filiæ sororis suæ Juliæ, filium Apolloniam, quæ Ionio mari imminet, ut litteras simul & rem militarem disceret, præmisit; mox belli Gerici, ac deinde Parthici, habiturus commilitonem. [*Velles. Patero. lib. 2. cap. 59. Sueton. in Octavio, cap. 8. Plutarch. in M. Bruto. Appian. lib. 3. pag. 531. Dio, lib. 45.*] ubi magistro dicendi usus est Apollodoro Pergameno; quem jam grandævum natu cõsecum ab Urbe eduxerat. [*Sueton. in Octavio, cap. 89. cum Strabone, lib. 13. pag. 625.*] Atque eõ etiam alæ equitum è Macedoniâ vicissim ad eum commeabant, cum quibus exerceretur: ubi comiter omnes excipiendõ gratiosus apud exercitum factus est. [*Appian. lib. 3. pag. 531.*]

Castor adolescens, à patre Castore Sacondario (ut eum appellat Strabo) & matre regis Dejotari filiâ incitatus, Romam ad accusandum avum profectus est: regis servo Phidippo medico spe promissisque corrupto, ut ficto crimine Dominum capitis arcesseret, quasi is Cæsarem in tetrarchiâ suâ hospitiõ exceptum interficere voluisset. Cui legati regii, Hieras, Blesamius, Antigonus & Dorylaus, sese opposuerunt: corpora sua pro salute regum suorum (patris & filii simul tunc regnantium) Cæsari offerentes. Pro eo Cicero, veteris hospitiõ & familiaritatis memor, in domo Cæsaris orationem habuit: ita inusitatum fuisse præfatus, regem reum capitis esse, ut ante hoc tempus non fuerit auditum. Ob hanc verò accusationem Dejotaris filiam suam unâ cum marito Castore Sacondario (nobili illo Chronographo) in ipsius Castoris regiâ Gorbeio trucidavit. [*Strabo, lib. 12. pag. 568. Suidas in Kætop.*] De quâ re totâ, videndus clarissimus Vossius (heu! quondam noster) in libri de Historicis Græcis primi capite ultimo.

Idibus Decembr. Q. Peditus (tertiuta intra hoc trimestre spâtiõ) ex Hispaniâ triumphum duxit. [*Græter. Inscript. pag. CCXCVII.*] in quo, ut ante eum Fabius, non eburneis sed ligneis scutulis usus, risum multum excitavit. [*Dio, lib. 43.*]

Parthi à Cæcilio Basso ad auxilium in Syriam evocati advenerunt: sed ob hyemem non diu adfuerunt, neque memorabile quicquam egerunt. Ita, in libro 47º, Dio. Eorum tamen adventu ab arctâ obsidione, quâ ab Antistio Vetere tum premebatur, in hõteris ad Balbum scriptis ipse Vetus confirmat: de quibus ita Cicero, lib. 14. ad Attic. epist. 9. *Balbus hic est, multumque mecum: ad quem à Vetere litteræ datæ prid. Kalend. Jan. cum à se Cæcilius circumfideretur, & jam teneretur: venisse cum maximis copiis Pacorum Parthum; ita sibi esse eum ereptum, multis suis amissis. in quâ re accusat Volcatium. Ita mihi videtur Ballum illud instare. sed Dolabella & Nicias viderint: quibus sc. provinciæ Syriæ & belli Parthici, post cædem Cæsaris, cura fuit commissa: quando hæc à Cicerone scripta fuit epistola.*

Romæ, pridie Kalend. Januariæ, Q. Fabio Maximo consule mortuo, C. Caninius Rebilus paucissimarum horarum Consulatum petiit.

tiit. [*Id. ibid. cum Plinio, lib. 7. cap. 53. & Suetonio, in Claudio cap. 15. & Trebellio Pollione, in XXX. tyranna.*] de quo Cicero; ad Curium: [*lib. 7. ad familiar. epist. 30.*] *Caninio consule, scito neminem prandisse: nihil tamen eo consule mali factum est. Fuit enim mirificâ vigilantia; qui suo toto consulatu somnare non viderit.* Vid. Macrobi. lib. 2. Saturnal. cap. 3. & lib. 7. cap. 3.

Proximo die quintum & postremum suum Consulatum Cæsar iniiit: in quo, ut Hyrcano Jûdæorum Pontifici & ethnarchæ gentique Jûdæorum, pro sua erga ipsum & populum Romanum affectu, gratiæ referrentur edidit: eundemque Hyrcanum habere & moenibus instruere Hierosolymorum urbem decrevit, & gubernare eam secundum suam voluntatem; atque ut Jûdæis secundo locutionis anno de rebus eorum subducerent, immunesque essent ab angariis & vectigalibus; concessit: ut apud Josephum, libro 14. Antiquit. cap. 17. videre licet. ut falli videatur idem; cum in præcedente capite Cæsarem in Syriâ agentem litteras Romam ad Consules misisse narrat, ut Hyrcano disjecta per Pompeium patriæ moenia restituendi daretur potestas; statimque, Cæsare ex Syriâ recedente, Ansipatrum strenuè operi illi incubuisse. Quod enim ille sub prelo Senatusconsultum, neque ad hunc Hyrcanum, neque ad muros Hierosolymitanorum restorationem, quicquam spectat: ut supra ad Mundi annum 3877. monuimus. de quo & Salmasius videndus, ad annum Mundi 4007. num. 36, 37.

In hoc eodem quinto Consulatu, anno Juliano secundo, in honorem Julii Cæsaris, legem ferente M. Antonio ejus in Consulatu collegâ, Quintilis mensis *Julius* appellatus est; quod hoc mense ad quartum Idus Quiriles Julius procreatus esset. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 494. Dio, lib. 44. Consolin. de die natali, cap. 91. & Macrobi. lib. 1. Saturnal. cap. 12.*] Unde, quam sequente mense *Senilis* M. Brutus, prætor urbanus post casum à se Cæsarem ludos Apollinares edendos præscripsisset **NONIS JUL.** ad Atrium suum [*lib. 16. epist. 1.*] scribebat Cleero. *Stomachartorum diem licet. quidquânnæ turpius, quam Brutus JULIIS?* atque de eo monitus ab illo ipse Brutus, sese scripturum aiebat, ut venationem quæ postridie ludos Apollinares futura esset, præscriberent **III. ID. QUINTIL.** [*ibid. epist. 4.*]

Cæsar Carthaginem & Corinthum, quæ prius uno tempore deletæ fuerant, (ut supra ad annum Mundi 3858. dictum est) deductis eò Romanorum coloniis, restauravit. [*Dio, lib. 43. cum Strabone, lib. 8. pag. 381. & lib. 17. pag. 833.*] Quod de Corintho, Pausanias in Corinthiacis; de Carthagine etiam Solinus [*capit. 30.*] & in fine Libycorum Appianus cætenus confirmant, quod inter everfam & restitutam Carthaginem annos 102 interjectos fuisse consentiant. Id enim temporis spatium ad præsentem hunc annum rectè nos deducit: in quem & M. Antonii & P. Dolabellæ, à Solino hic nominatus, Consulatus incurrit. Ut minus considerare Appianus à Cæsare Augusto has urbes restauratas fuisse significaverit.

Magna tum populorum Romanorum cupiditas Crassum amissumque cum eo exercitum ulciscendi, spēsque debellandi Parthos, incessabat. Id igitur bellum Cæsari unanimi consensu decreverunt, summoque ad

id studio sese comparaverunt. Ac præter cætera quæ ejus belli causâ agebant, ut & administrorum copia Cæsari esset, & eo absente neque sine magistratibus urbs esset, neque si ipsa eos delegisset res ad motus intestinos rediret, magistratus jam antè ad totum triennium (tantum enim temporis Parthicæ expeditioni impendendum existimabant) constituere intenderunt. Horum dimidiam partem Cæsar, quod lege quâdam (de quâ consulendus Suetonius in *Julio*, cap. 41.) ei concessum fuerat, reipsâ autem omnes designabat. [*Dio, lib. 43.*]

Getas verò, sive Dacos, volens prior aggredi, præmisit trans sinum Adriaticum legiones sedecim, & equitum decem millia. Mox Parthis inferre bellum per Armeniam minorem, nec nisi antè expertos aggredi prælio statuit. [*Sueton. in Julio, cap. 44. Appian. lib. 2. pag. 497.*]

Ad bellum Syriacum contra Cæciliam Bassam gerendum, Cornificium Cæsar misit, Syriamque provinciam illi tribuit. [*Cicero, lib. 12. ad familiar. epist. 18. & 19.*] Sed, dum legiones ad eum perducerentur, cædes Cæsaris intervenit: postquam ea provincia P. Cornelio Dolabellæ Consuli est assignata, (uti videbimus) Cornificio Africâ veterem datâ. [*Cic. ibid. epist. 19. & 21. Appian. lib. 4. pag. 620, 621.*]

Trium legionum quas Alexandria relinquebat curam & imperium Rufino liberti sui filio, exoleto suo, Cæsar demandavit. [*Sueton. in Julio, cap. 76.*]

VII. Kalend. Februar. Cæsar ovans ex monte Albano Urbem ingressus est. [*Inscripti. Gruteri, pag. CCXCVII.*] Decretum enim erat, ut ipse feriis Latinis peractis ita invehretur. [*Dio, lib. 44.*]

Cùm à sacrificio Latinarum revertentem & ex monte Albano in Urbem descendentem, nonnulli Regem salutavissent: indignante populo ille offensus, Cæsarem se non Regem esse respondit. Ubi quum obticivissent cuncti, planè tristis dolensque transit. Et cùm quidam è turbâ statuae ejus coronam lauream candidâ fasciâ (quod regium erat insigne) præligatam imposuisset: tribuni plebis Epidius Marullus & Coeselius Flavus coronam fasciæ detrahi, hominemque duci in vincula jusserunt. Cæsar verò dolens, seu parùm prosperè motam regni mentionem, sive, ut ferebat, ereptam sibi gloriam recusandi, tribunos graviter increpitos potestate privavit. [*Sueton. in Julio Cæsare, cap. 79. Plutarch. in eodem. Dio, lib. 44. cum Livio, lib. 116. & Appiano, lib. 2. Bell. civil. pag. 495, 496.*]

Lupercalibus (quæ 15 Februarii die celebrata fuisse, vetus Kalendarium indicat) ad Cæsarem sedentem in Rostris, amictum togâ purpureâ, in sellâ aureâ, coronatum, ipsius in Consulatu collega M. Antonius, nudus inter Lupercos currens, supplex accessit, & diadema illi populi Romani nomine obtulit: quod his ab eo capiti ipsius impositum Cæsar detraxit, & in sellâ reposuit. Responsûque dato, solum Jovem Romanorum regem esse, missûque in Capitolium ad Jovem diademate, adscribi jussit in fastis: *Ad Lupercalia, C. Cæsari Dictatori perpetuo M. Antonium Consulcm, populi jussu, regnum dedisse, Cæsarem uti noluisse.* Unde in suspicionem venit, quasi ex composito id fecisset, Regisque nomen adpeteret, sed ita ut cogi ad accipiendum id quodammodo vellet. [*Ibid. Cicero in Philippicâ 2, 3, & 13.*]

§ 13. *Velles. Patercul. lib. 2. cap. 56. Plutarch. in Antonio. Cassiodor. in Chronico.*]

Rumor deinde quidam, sive verus, sive falsus, (uti fabulæ nonnunquam confingi solent) passim emanavit, pontifices Quindecimviros dictos in libris Sibyllinis reperisse; vinci Parthos à Romanis posse, si Rege duce bellum eis movissent, esse ipsis alioquin insuperabiles: indeque proximo senatu L. Cottam Quindecimvirum sententiam dicturum, ut Cæsar rex appellaretur. Nonnulli verò jactabant, oportere eum Romanorum quidem dictatorem imperatorémque appellari, aut si quod nomen esset regio plausibilis: cæterarum verò gentium, quæ sub Romano essent imperio, disertè Regem nominari. [*Sueton. Plutarch. & Dio, ut supr. Appian. pag. 497.*] Quò referendum & Ciceronis illud, in libro 2. de Divinatione. *Sibylla versus observamus, quos illa furens fuisse dicitur. Quorum interpretes (L. Cotta) nuper falsa quedam hominum famâ dicturus in senatu putabatur: eum, quem re verà regem habebamus, appellandum quoque esse Regem, si salvi esse vellemus.*

Curabat omnino Cæsar ut quamprimum exiret Urbem, in quâ laboraret invidiâ. Verùm quadruido ante diem profectioi destinata à conjuratis confossus est. [*Appian. pag. 497.*] In eâ conjuratione fuisse amplius 40, confcios ferunt Senatores equitèsque Romanos. [*Sueton. in Julio, cap. 80. Eutrop. lib. 6. fin. Oros. lib. 6. cap. 17.*] cujus capita fuerunt M. Brutus, & C. Trebonius, & C. Cassius, & ex Cæsaris partibus Decimus Brutus. [*Liv. lib. 116.*] Cùm venisset igitur Cæsar in Curiam, expeditionem Parthicam meditans; ibi in curuli sedentem eum Senatus invasit: tribusque & viginti vulneribus occisus est. [*Id. ibid. Florus, lib. 4. Histor. Rom. cap. 2.*] Idibus Martiis, ætatis anno 56. [*Sueton. in Julio Casare, cap. 81, 88, 89. Plutarch. in eodem; & Appian. lib. 2. Bell. civil. pag. 522.*]

Sic ille, qui signis collatis quinquagies dimicaverat, & 1192 milia hominum præliis occiderat, (referente Plinio, lib. 7. cap. 25.) in eo senatu, quem majore ex parte ipse cooptaverat, in curiâ Pompeii, ante ipsius Pompeii simulachrum, tot centurionibus suis inspectantibus, à nobilissimis civibus, partim etiam à se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita jacuit, ut ad ejus corpus non modò amicorum sed ne servorum quidem quisquam accederet. [*Cicero, lib. 2. de Divinat.*]

P. Cornelius Dolabella, 25 annos natus ab ipso Cæsare quum Urbe esset abiturus, suo loco, in ejus anni reliquum Consul designatus, quum fasces atque insignia corripuisset consularia, in medium progressus, authorem suæ dignitatis multis convitiis proscidit: & ut quidam produnt, rogationem tulit, ut in posterum, ea dies natalis Urbis haberetur. [*Appian. lib. 2. pag. 505. & 509. cum Velleio Paterculo, lib. 2. cap. 58.*]

Post tertium à Cæsaris cæde diem, (ut in 2^a Philippicâ habet Cicero) quum Liberalia agerentur, (ut ex lib. 14. ad Atticum ep. 10. & 16. colligitur) id est, XVI Kalend. April. in ædem Telluris Senatu convocato, quum Consul Antonius, Planeus & Cicero de præteritorum oblivione & concordia verba fecissent, ut injuriarum obliteratâ memoria

moriâ pax inter cives constitueretur, atque ut Cæsaris acta rata essent, decretum est. [*Cicero, Philippicâ 1. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 58. Plutarch. in Cicerone, Bruto, & Antonio. Appian. lib. 2. Dio, lib. 44.*]

Atque illo primùm die (ut est in 1^a Philippicâ) M. Antonius, depositis inimicitîis, Dolabellam collegam sibi in Consulatu esse voluit: quanquam quum primùm Cæsar ostendisset se, priusquam proficisceretur, Consulem cum esse iussurum, acerrimè illi sese opposuisset; ut in Philippicâ 2^a ostendit Cicero, & Plutarchus in *Antonio*. Nam initio quidem statuerat ad consulatum non admittere, nondum ad eum pertinentem: sed ne seditionem moveret, collegam sibi esse jam passus fuit. [*Dio, lib. 44.*]

Sequente die Senatus rursus conveniens, percussoribus Cæsaris provincias decrevit: M. Bruto Cretam, Cassio Africam, Trebonio Asiâ, Cimbro Bithyniam, Decimo Bruto Galliam circumpadanam. [*Plutarch. in M. Bruto.*]

Ex his, priores duo Prætores Urbis erant: qui cum indecorum arbitrarentur ante magistratus exitum provincias ambitiosè invadere, neque tutum sibi esse viderent urbanas administrare iurisdictiones; privati in Italiâ reliquum anni agere statuerunt. Quo intellecto, Senatus præfecit eos frumento in urbem convehendo, usque ad tempus abundi in provincias. [*Appian. lib. 3. pag. 530.*] ut Brutus scilicet in Asiâ, Cassius in Siciliâ frumentum emendum ad Urbem mittendum curarent. Sed Cassius munus illud aspernatus est. [*Cicero, ad Attic. lib. 15. epist. 9, 11, 12.*]

Excogitatum est à quibusdam, ut privatum ærarium Cæsaris interfectoibus ab equitibus Romanis constitueretur: id facilè effici posse arbitrati sunt, si principes illius ordinis pecunias contulissent. Itaque appellatus est à C. Flavio Bruti familiari Atticus, ut ejus rei princeps esse vellet. At ille, qui officia amicis præstantia sine factione existimaret, semperque à talibus se consiliis removisset, respondit, si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum, quantum ex peterentur: se neque cum quoquam de eâ re collocuturum, neque coiturum. Sic ille consensionis globus hujus unius dissensione disiectus est. [*Corn. Nepos, in vitâ Attici.*]

In æde Castoris nominum litteræ quædam Antonii & Dolabellæ consulum excussæ sunt: quibus utrisque alienationem à patriâ significatam fuisse dicit Julius Obsequens, in libro de Prodigîis.

Consul Antonius collegæ suo Dolabellæ ut juveni ambitioso persuasit, peteret mitti se in Syriam & ad exercitum contra Parthos conscriptum. Perfecitque, ut populi suffragiis Syria illi obveniret provincia, simulque bellum Parthicum legionesque ad id destinatæ à Cæsare, unâ cum his quæ in Macedoniam præcesserant. Atque ipse deinde Macedoniam (exercitu ita denudandam) à Senatu obtinuit. [*Appian. lib. 3. pag. 530, 531, & 550.*]

Antonii potentiam metuens Cicero, statuit primùm legatus in Syriam cum Dolabellâ proficisci. [*Plutarch. in Cicerone.*] IIII. Nonas Aprili liberâ legatione concessâ, ut, cum vellet, introire, exire, liceret. [*Cic. ad Attic. lib. 15. epist. 11.*] Sed postea ab Hirtio & Pansâ, Consu-

Consulibus in sequentem annum designatis, persuasus consilium mutavit: & Dolabellâ omisso, ætatem Athenis agere decrevit. [*Plutarch. ut supr.*] iter in Græciam suscepturus ante Olympia. [*Cic. ad Attic. lib. 15. epist. 24. & lib. 16. epist. 7.*] Hoc verò anno Olympias 184. est acta.

Octavius, sexto postquam Apolloniam venerat mense, de Cæsaris avunculi cæde nuntio accepto, ex Epiro in Italiam transmisit: ubi Brundusii ab exercitu obviam progresso tanquam Cæsaris filius exceptus, omni morâ præcisâ (idque eo magis, quod secum magnam vim pecuniæ militumque à Cæsare præmissam habebat) statim nomen Cæsaris assumpsit; hæreditatēque iniiit. Atque ita Brundusii se in *Fuliam* gentem adsciscens, pro Caio Octavio se Caium Julium Cæsarem Octavianum deinceps appellavit. [*Liv. lib. 117. Fulius Obsequens, de prodigiis. Appian. lib. 3. pag. 531, 532. Dio, lib. 45.*]

Ad hoc nomen mox, non aliter quàm ad verum filium, undique magnus concursus fuit, partim amicorum Cæsaris, partim libertorum & mancipiorum; cum eisque militum etiam, vel qui apparatus & pecunias ferebant in Macedoniam, vel qui vestigalia pecuniæque aliam ex provinciis exactas portabant Brundusium. Ille tum multitudinem ad se confluentium, tum Cæsarei nominis vulgo gratiosissimi existimatione factus auctior & confidentior, ad Urbem iter fecit, cum haudquaquam contemnendo comitatu, indies torrentis modo crescente. [*Appian. ibid. pag. 532, 533.*]

XIII Kalend. Maii, Octavius Neapolim venit: ac postridie in Cumanis M. Ciceronem invisit. [*Cic. lib. 14. ad Attic. epist. 10.*] de quo ita Cicero ipse, in epistolâ ad Atticum X. Kalend. conscripserat. [*ibid. epist. 12.*] *Nobiscum hic perhonorificè & amicè Octavius: quem quidem sui Cæsarem salutabant, Philippus non.* Neque enim placebat Atiæ matri Philippoque vitrico, adiri nomen invidiosæ fortunæ Cæsaris: ut apud Velleium Paterculum legimus. [*lib. 2. cap. 60. cum Suetonio in Octavio, cap. 8. & Appiano, lib. 3. pag. 532, 533.*]

Octavio adventanti Romam immanis amicorum occurrit frequentia: & cum intraret urbem, Solis orbis super caput ejus, curvatus æqualiter rotundatusque in colorem arcus, (veluti coronam tanti mox viri capiti imponens) conspectus est. Ita Velleius. [*lib. 2. cap. 59.*] Et Julius Obsequens, de prodigiis: *Quum horâ diei tertiâ ingenti circumfusâ multitudine Romam intraret, Sol puri ac sereni cæli orbe modico inclusus, extrema linea circulo, qualis tendi arcus in nubibus solet, eam circumscripsit.* Varii nimirum coloris circulus, qualis esse in iride solet, orbem Solis tunc ambiit: ut in Senecâ, [*Natural question. lib. 1. cap. 2.*] Plinio, [*lib. 2. cap. 28.*] Suetonio, [*in Octavio, cap. 95.*] Dione, [*lib. 45.*] & Orofio, [*lib. 6. cap. 20.*] videre licet.

Octavius accitos sub noctem amicos iussit universos manè sibi præstò esse in foro cum comitatu idoneo: ubi Caium fratrem Antonii, prætorem urbanum, accedens, ait se adoptionem accipere: qui mos Romanus est, adoptioni auctoritatem prætoris interponere. Hoc verbo relato per scribas in acta publica, statim è foro Antonium consulem adiit. [*Appian. lib. 3. pag. 534.*] Eum Consul superbè excep-

pir, (neque is erat contemptus, sed metus) vixque admisso in Pompeianos hortos loquendi secum tempus dedit. [*Vellei, Paterc. lib. 2. cap. 60.*]

Circenses neglecti sunt ludi, quos Palilibus (XI Kalend. Maii) in Cæsaris honorem celebrari decretum fuerat; quòd de Hispaniensi ipsius victoriâ nuntius pridie illius diei Romam allatus fuisset. [*Dio, lib. 44. & 45.*] Sed Quinctus & Lania coronas ibi gesserunt, honoris Cæsaris causâ. [*Cic. lib. 14. ad Attic. epist. 16. & 22.*]

Quum percussores Cæsaris, quibus provinciæ sorte contigerant, in eas amandarentur: (ut in libro 44^o habet Dio;) C. Trebonius itineribus deviis in provinciam est profectus. [*Cic. lib. 14. ad Attic. epist. 10.*] Q. Philippo in Asiæ Proconsulatu successurus. [*lib. 13. ad familiar. epist. 73. & 74. collat. cum epist. 43. & 45.*] Cum eo Proquæstor ordinarius venit Patiscus: extraordinarius verò ad vectigalia in potestatem redigenda & cogendas pecunias à Senatu in Asiam missus est P. Lentulus P. Lentuli Spintheris filius. [*lib. 12. ad famil. ep. 14, 15.*]

XI Kalend. Jun. Trebonius Athenas venit; atque ibi Ciceronem adolescentem optimis studiis sub Cratippo operam dantem inueniens, utrumque in Asiam provinciam suam invitavit: ut ipse in litteris ad patrem VII Kalendas Junias datis narrat. [*lib. 12. ad familiar. epist. 16.*] quibus & Cicero pater in libri 15. ad familiares postremâ respondit epistolâ.

IV. Non. Jun. lex lata est quæ earum rerum, quas Cæsar statuisset, decrevisset, egisset, Consulibus cognitionem dedit, [*Cicero, ad Attic. lib. 16. epist. 18.*]

Antonius, postquam ei acta Cæsaris inspicere exequique quæ is fieri iussisset mandatum fuit, libellis corruptis & pro arbitrio immutatis, quicquid ipsi libitum fuit tanquam ex Cæsaris præscriptis egit: civitatibus dynastisque eâ ratione gratificans, & magnam pecuniæ vim sibi congerens. Non enim agros solum & vectigalia, sed libertatem etiam & jus Romanæ civitatis & alias immunitates vendebat ille; idque non tantum singulis, sed provinciis quoque totis & populis universis. Deque his omnibus toto Capitolio tabulæ figebantur. [*Cicero, in Philippicâ 2. & lib. 12. ad familiar. epist. 1. Vellei, Patercul. lib. 2. cap. 60. Plutarch. in Antonio. Appian. lib. 3. pag. 529. Dio, lib. 44.*] in quarum unâ civitates locupletissimæ Cretensium vectigalibus liberabantur; statuebatúrque ne post M. Brutum proconsulem, esset Creta provincia. [*Cic. ibid.*] Grandi quoque acceptâ pecuniâ, fixit Antonius legem quasi à Cæsare latam, quâ Siculi facti sunt cives Romani. [*Id. lib. 14. ad Attic. epist. 12.*]

Rex Dejotarus, simulatque audivit Cæsaris interitum, res sibi ab illo ablatas suo Marte recuperavit. Legati tamen ejus timidi & imperiti, sine reliquorum amicorum regis sententiâ, syngraphâ sestertium centies Fulviæ uxori Antonii datâ, decretum in Capitolio fixum obtinuerunt, quo à Cæsare ipso reddita illi omnia ridiculè figebantur. [*Id. ibid. & in 2. Philip.*]

Quum ludi victoria Cæsaris XIII Kalend. Sextil. (ut ex vetere Kalendario liquet, in Gruteri Inscript. pag. CXXXIII.) edendi essent;

non

non audentibus facere quibus obtigerat id munus, Octavius edidit. [Sueton. in Octav. cap. 10.] quum eorum apparandorum curam C. Matio viro doctissimo commisisset : qui minùs id probanti Ciceroni [lib. 11. ad familiar. epist. 27. & lib. 15. ad Attic. epist. 2.] hanc sui facti rationem [in dicti libri 11. epist. 28.] reddit. *Ludos, quos Caesaris victoria Caesar adolescens fecit, curavi. At id ad privatum officium, non ad statum Reipublicæ pertinebat. Quod tamen munus & hominis amicissimi memoria atque honoribus præstare, etiam mortui, debui : & optima spei adolescentis, ac dignissimo Casari, petenti negare non potui.*

Atque huc Dionis illa in libro 45. sunt referenda ; *ἐπεὶ οὐκ ἔστιν ἄλλο ἢ τὸ ἐπισημαίνον τῆς νίκης ἡμέραν ἐν τῷ ὀνόματι αὐτῆς ἐθεσίουσθαι. Supplicationibus quibusdam ob victorias die peculiari nomini ipsius dicato sacrificatum est. Cùmque priùs decretum fuisse & Appianus in libro Bellorum civilium 2. (pag. 494.) & in libro 43. ipse confirmet Dio ; ut publicè solennibus sacris celebrarentur dies quibus victorias adeptus fuerat ; in unum hunc diem sacris ipsius ἐπισημαίνον dicatum omnium simul victoriarum ab eo reportatarum conjecta videtur fuisse commemoratio. Pharsalicæ enim, reliquarum omnium celeberrimæ, diem in fastis non fuisse peculiariter signatum, Lucani illud in libro 7º indicat :*

*Tempora signavit leviorum Roma malorum,
Hunc voluit nescire diem.*

M. Brutus & C. Cassius Trebonium in Asiã & Tullium Cimbrum in Bithyniã clàm per litteras monuerunt, ut occultè pecunias colligerent, & de exercitu dispicerent. [Appian. lib. 3. pag. 529, 530.] Quibus auscultans Cimber, etiam classem comparavit. [Cassius, ad Ciceron. lib. 12. ad familiar. epist. 13.] Ebriosus nimirum ille Cimber : quem in seipsum ita jocatum fuisse, in epist. 83. refert Seneca. *Ego quemquam feram, qui vinum ferre non possum?*

Cæsar Octavianus annos undeviginti natus, exercitum privato consilio & privatâ impensâ comparavit : ut ipse in Breviario rerum suarum, Ancyrano marmori insculpto, indicat. [Inscr. Gruteri, pag. CCXXX.] ante diem IX Kalend. Octobris scilicet ; quo annua ætatis vicesimum ille est ingressus. Nam ante Antonii ex urbe discessum (qui sequente Octobri contigit) Ciceronis & aliorum qui Antonium oderant operâ Senatui commendatus, gratiam popularem ipse institit colligere, & milites ex coloniis cogere. [Plutarch. in Antonio.] sibi quæ & reipublicæ vires contra Antonium paraturus, deductos in colonias veteranos excitavit. [Liv. lib. 117.] de quo Florus. *Octavius Caesar ætate & injuriâ favorabilis, & nominis majestate quod sibi induerat, revocatis ad arma veteranis, privatus (quis crederet?) Consulē aggreditur.* Ita ille, lib. 4. cap. 4. ubi tamen intra decem & octo annos illum fuisse, non rectè statuit : ut nec Dio, qui 18 annorum tum fuisse scribit, quum Cæsaris nomen assumpsit hæreditatēque iniit. [lib. 45. pag. 271.] Neque etiam satis accuratè vel à Senecâ, [lib. 1. de Clementiâ, cap. 9.] *duodevicesimum egressus annum, vel à Velleio Paterculo decimum nonum annum ingressus ille fuisse dicitur. Caius Caesar, inquit hic, decimum nonum annum ingressus, mira ausus, ac summa consecutus, privato*

consilio, majorem Senatu pro republicâ animam habuit. [lib. 2. cap. 61.]
Quum enim exercitum comparare cœpit, decimum nonum ætatis annum ille ferè exegerat : & ab eo tempore usque ad ejus excessum, anni numerantur 57. quot & principatui ipsius assignat Maximus monachus in Computo.

Hic pavescens Antonius, venit cum eo in colloquium in Capitolio ; & reconciliati sunt. Eâ nocte Antonio per quietem dextera manus fulmine visa est icta : & post paucos dies delatum ad eum est, Cæsarem insidias ipsi parare. Cùmque purganti se Cæsari ille non crederet, simultas exarsit de integro inter eos vehemens. [*Plutarch. in Antonio.*]

Antonius, majoribus hinc ratus sibi opus fore copiis, nec ignarus Macedonicas legiones tum virtute præstare, tum numero (erant enim sex) eisque adjunctam magnam manum sagittariorum & armaturæ levis ac velitum, equitatum præterea cæterumque apparatus absolutissimum, qui videbatur deberi Dolabellæ propter decretum ei bellum Parthicum, quando Cæsar contra Parthos paraverat ; cogitavit eas ad se pertrahere : quia propter propinquitatem statim trajecto mari supero poterant adesse in Italiâ. Cùmque falsus repente sparsus esset rumor, Getas auditâ morte Cæsaris incursionibus vastare Macedoniam ; Antonius à Senatu exercitum petiit, quo de hostibus poenas sumeret : dicens Macedonicum illum exercitum à Cæsare contra Getas paratum fuisse priusquam Parthos aggredi statuisset, & pacta esse impræsentiarum omnia circa limitem Parthicum. Tandemque, Dolabellæ unam legionem se traditurum pactus, imperator Macedonicarum copiarum electus est. [*Appian. lib. 3. pag. 541, 542.*]
Et lege de permutatione provinciarum per vim latâ obtinuit ; ut Macedoniam, quæ Marco Bruto sorte obtigerat provincia, frater ipsius Caius Antonius sibi vindicaret ; Galliam verò Cisalpinam, Decimo Bruto assignatam, ipse Consul Marcus Antonius, unâ cum Macedonico illo exercitu qui Apolloniam à Cæsare præmissus fuerat, consequeretur. [*Dio, lib. 45. cum Lævio, lib. 117. & Appiano, lib. 3. pag. 543, 545, 546.*]

Legiones Alexandrinæ in armis esse ; Bassum è Syriâ arcessi, Cassium expectari, ferebatur. [*Cic. ad Attic. lib. 15. epist. 13.*]

Instante ludorum tempore, quos editurus erat ædilis Critonius, Cæsar Octavianus patri sellam auream atque coronam parabat : id quod illi ex Senatusconsulto in perpetuum ludis omnibus decretum fuerat. Cùmque Critonius negaret se passurum honorari Cæsarem in iis ludis quos ipse sumptu suo faceret ; Cæsar illum ad Antonium duxit, ut consulem : Consul ad Senatum super eâ re se dixit relaturum. Cæsar indignatus, *Refer*, inquit : *ego interim sellam præponam.* Id Antonius exasperatus prohibuit : nec hoc contentus, prohibuit etiam ludis proximè secutis, quos Cæsar ipse celebrabat in honorem Veneris Genitricis institutos, quando ædes ei in foro & forum ipsum à patre dedicatum est. Quod Antonii factum exceptum est publico odio. [*Appian. ibid. pag. 543, 544.*]

Ad VI Kalend. Octobris, in veteris Calendarii fragmento marmoreo,

reo, [*in Inscript. Gruter. pag. CXXXV. fin. collas. cum integro altero pag. CXXXIII.*] habetur annotatum. VENERI. GENETRICI. IN. FORO. CÆSAR. Eo igitur die Octavianus ludos institutos ob perfectionem fani Veneris, quos vivo adhuc Cæsare quidam sese celebraturos receperant sed tunc negligebant, ipse suis sumptibus, tanquam ad se ratione generis pertinentes, ad captandam populi gratiam fecit. [*Dio, lib. 45.*] Quos dum ille ederet; Cometam repente emeruisse docet Seneca, in Natural. quæstion. lib. 7. cap. 17. Suetonius in *Fulio*, cap. 88. & Plinius, lib. 2. cap. 25. ubi de eo ipsius Octaviani hæc verba refert. *In ipsis ludorum meorum diebus, sidus crinitum per septem dies, in regione cæli qua sub septentrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque & omnibus terris conspicuum fuit. Eo sidere significari vulgus credidit Cæsaris animam inter Deorum immortalium nomina receptam: quo nomine id insigne simulachro capitis ejus, quod mox in foro consecravimus, adjectum est. Quod & in nummis quibusdam conspicitur post excessum ejus signatis, cum inscriptione DIVI JULII: & in illo Virgiliano est significatum, Æneid. 8. patriumque aperitur vertice sidus.*

3561 VII. Id. Octobr. Antonius Brundisium venit, profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, (è quinque) quas sibi conciliare pecuniâ cogitabat: [*Cicero, lib. 12. ad familiar. epist. 23. cum Appian lib. 3. pag. 552, 554. & Dione, lib. 45. pag. 276. editionis Græcolatine Hanovienfis.*] quasque à Senatu populoque Romano adversus Getas ei dadas, ipse transvexit in Italiam. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 61. cum Appiano, lib. 3. pag. 543. & 546. & 558. fin.*]

Eodem Octavianus & suos cum pecuniis, qui sibi illos milites conducerent, præmisit. [*Dio, ut supr.*] Ipse verò properavit in Campaniam; veteranos à patre in colonias deductos ad suam militiam revocaturus. Moxque primùm ad se pellexit Calatiæ veteranos, dein Casilini, ex utroque latere Capuæ positos: & representatis in singulos 500 denariis (quos Appianus & Dio drachmas, Græco more, redderunt) contraxit circiter decem millia virorum, neque justâ armaturâ instructorum, neque digestorum in militares ordines; omnes sub uno signo ductans tanquam satelitium. [*Cicero, lib. 16. ad Attic. epist. 8. & Philip. 3. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 61. Appian. lib. 3. pag. 552, 553.*] Atque his deinceps *Evocatorum* nomen est inditum: quod impetratâ missione militiæ, rursus ad eam vocati fuerint. [*Ser. Galba, ad Ciceron. in lib. 10. ad familiar. epist. 30. Dio, lib. 45. pag. 276. & lib. 55. pag. 565.*]

Brundisii interim quatuor Macedonicæ legiones incusantes Antonium obcessionem in persequendis Cæsaris percussoribus, sine acclamationibus deduxerunt eum ad tribunal; quasi rationem audituri ante omnia. Id silentium ille iniquo animo ferens, non continuit se quin eis exprobraret ingratitude, non agnoscentibus quanto præstaret in Italiam ire quàm in Parthiam, nec ullum signum grati animi edentibus. Præterea querebatur, quòd missos ab adolescente petulante (sic enim appellabat Cæsarem) concordie turbatores non adducerent ad ipsum: se tamen eos inventurum, exercitum verò du-

Æturum ad decretam sibi provinciam, fortunatam illam Galliam, & præsentium unicuique 100 drachmas sive denarios daturum. Hæc in promittendo parcitas risu excepta est: quem quum molestè ferret, aucto tumultu descrebatur. [*Appian. lib. 3. pag. 554. cum Dione, lib. 45. pag. 276. & Cicerone, lib. 16. ad Attic. epist. 8.*]

Quum Antonius à tribunis seditiosos expetisset, ex militari disciplinâ sorte duxit decimum quemque: nec tamen in hos omnes, sed in partem tantum animadvertit, putans se eos territurum paulatim. [*Appian. ibid. pag. 554, 555.*] atque in hospitis tectis Brundusii in sinu, non modò avarissimæ sed etiam crudelissimæ uxoris, Fulviæ delectos Mariæ legionis centuriones trucidavit. [*Cicero, Philip. 3, 5. & 13. Dio, lib. 45. pag. 276.*]

Hoc facinore irritatos milites ubi videre Cæsariani qui ad eos corumpendos missi fuerant, libellos spargebant per exercitum, pro Antonii sordibus & crudelitate revocantes superioris Cæsaris memoriam, & ad junioris liberalitatem invitantes. Quorum indicibus quum Consul magna præmia proposuisset, celatoribus contra interminatus esset poenam; nemine prodito ægrè ferebat, quasi exercitus eos tegetet. [*Appian. pag. 555.*]

Quum Cæsar Octavianus ad res gerendas accessisset, plebémque sibi devincire institisset; M. Brutus & C. Cassius, simul spe popularis reipublicæ status tenendi abjectâ, simul Cæsarem metuentes, ex Italiâ solverunt; Athenâsque delati, magnificè fuerunt accepti. Ita Dio. [*lib. 47. pag. 338, 339.*] Eisdem, quum superior esse cœpit Antonius, provinciarum quæ iis datæ erant à Consulibus desperatis rebus, in exilium profectos fuisse, scribit in Attici Vitâ Cornelius Nepos. et *nunc metuentes arma Antonii, nunc, ad augendam ejus invidiam, simulantes se metuere; testatos edictis, libenter se vel in perpetuo exilio dum reipublica constaret concordia, nec ullam belli civilis præbituros materiam*, Italiâ profectos fuisse, narrat Velleius Paterculus. [*lib. 2. ca. 62.*]

Quum alii ad Octaviani partes, alii ad Antonii discederent, atque exercitus vœnales tanquam sub hastâ pluris licitanti addicerent se: Brutus Italiam statuit relinquere, ac per Lucaniam pedestri itinere Eleam ad mare venit; indèque solvens, Athenas profectus est. Ubi Theomnestum Academicum & Cratippum Peripateticum (Mitylænum) audiens, unaque cum his vacans literis, omnino ferari videbatur & otari: cum in occulto tamen pararet bellum. [*Plutarch. in M. Bruto.*] Cassii verò classem paucis post diebus Brutum consequutam fuisse, in Philippicâ X. indicat Cicero.

Brutus & Cassius Macedoniam atque Syriam, ut sibi priusquam Antonio Dolabellæque assignatas, per vim invadere statuerunt. Quod consilium postquam detectum est; Dolabella properavit in Syriam, obiter invisurus Asiam, ut inde pecunias colligeret. Sic Appianus, de bellis civilibus libro 3º pag. 541. Putabat enim ille (ut &, ante eum, Florus, lib. 4. cap. 7.) Bruto Macedoniam & Cassio Syriam à Julio Cæsare, antequam ab his ipsis occideretur, decretas fuisse; earumque à Consulibus postea ipsis ademptarum loco, minores alias con-

concessas esse provincias, Cyrenem & Cretam insulam, vel ut alii produnt, has ambas Cassio, Bruto verò Bithyniam: atque his contemptis, illos exercitum ac pecunias collegisse, animo invadendi Syriam & Macedoniam. [*Appian. lib. 3. pag. 527, 530, 531, 533, 536, 550. & lib. 4. pag. 622.*]

Verum à Julio Cæsare Syriam Cornificio fuisse destinatam, ex Cicrone; & quarto post cædem illius die Bruto Cretam, Cassio Africam à Senatu fuisse decretam, ex Plutarcho suprâ audivimus. Indè que in Philippicâ XI, de Bruto, Cicero. *Neque enim est in provinciam suam Cretam profectus: in Macedoniam alienam advolavit. et de Cassio. Naturæ legi paruit, cum est in Syriam profectus: alienam provinciam, si homines legibus scriptis uterentur; his venò oppressis, suam, lege naturæ.* Utrunque etiam provincias sine ullo Senatusconsulto aut autoritate publicâ occupavisse, confirmat Velleius Paterculus: [*lib. 2. cap. 62.*] & de utroque, apud Athenienses diversantes, ita scribit Dio. [*lib. 47. pag. 339.*] Quum audirent Cæsarem augeri, Cretâ ac Bithyniâ (eò enim missi erant) neglectâ, quòd eas sibi provincias non magnopere profuturas judicarent, ad occupandas Syriam ac Macedoniam animum adjecerunt; nihil quidem ad eos pertinentes, sed quòd eo tempore pecuniâ copiisque florebat.

Dolabella, itinere per Achaiam, Macedoniam & Thraciam facto, tardiùs in Asiam venit. In Achaiâ verò milites atque equites habens, Veteri Antistio occurrit; qui, dimisso exercitu (quo adversus Cæcilium Bassum nuper usus fuerat) ex Syriâ erat reversus. ubi quodvis adire periculum ille maluit, quàm videri aut coactus esse pecuniam aut Dolabellæ dare, aut libenter dedisse. [*Dio, lib. 47. pag. 344. & Brutus; in lib. Ciceronis ad Brut. epist. 11.*]

Kalendis Novembribus litteræ Ciceroni ab Octaviano sunt redditæ: quibus consultabat, utrum Romam cum quatuor millibus veteranorum proficisceretur, an Capuam teneret & Antonium venientem excluderet: an iret ad tres legiones Macedonicas, quæ iter secundum mare superum faciebant, quas congiarium ab Antonio accipere nolentes suas sperabat futuras. [*Cic. lib. 16. ad Attic. epist. 8.*] Centurias Capuæ dinumeravit Octavius. [*epist. 9.*] Iter faciens in Samnium, venit Cales: mansit Theani. Municipiorum mirifica erat *ἀπαρμόσις*, & cohortatio. Romam venit cum manu magnâ. [*epist. 11.*]

Ibi ad plebem, sibi in hoc à Canutio (tribuno plebis) paratam, progressus, memoriam patris sui multis apud eos verbis renovavit, & res ab eo egregiè gestas recensuit: de se quoque multa modestè dixit, Antonium accusavit, milites qui se essent secuti laudavit; quòd ad auxilium Urbi ferendum adessent, seque ad id delegissent, ac per se universis hæc significarent. Laudatus hinc, partim propter alium apparatus, partim etiam propter militem illum numerosum quem secum habebat; in Hetruriam profectus est, militum ibi quoque cogendorum causâ. [*Dio, lib. 45. pag. 276.*]

Hoc tempore M. Cicero Marco filio, Athenis annum jam audienti Cratippum, (non nunc primùm eò missum, ut in lib. 45. pag. 277. Dio innuit) tres illos egregios de Officiis libros dicavit. [*lib. 16. ad Attic. epist.*]

epist. 11.] Extantque filii ad Tironem scriptæ litteræ: [lib. 16. ad familiar. epist. 21.] in quibus, de convictoribus suis agens; Bruto, inquit, ego locum in proximo conduxì, & ut possim, ex meis angustiis illinc sustento tenuitatem. Præterea declamitare Græcè apud Cassium institui: Latine autem apud Brutum exerceri volo. Utor familiaribus, & convictoribus, quos secum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis & illi probatissimis.

Ad hanc tenuitatem redactus Brutus, præter Ciceronem, cæteros quoque Romanos adolescentes, qui Athenis operam dabant literis, sibi adjunxit. Herostatum in Macedoniam, ad conciliandos eos qui præerant exercitibus, misit. Cùmque accepisset navigia Romana argento onusta dirigere Athenas cursum ex Asiâ, & prætorem iis navibus advehi probum virum & sibi familiarem, occurrit ei circa Caryston, & ad tradenda sibi induxit navigia, [Plutarch. in M. Bruto.]

Huic Brutus, Sami natalem suum celebrans, splendidius epulum paravit. Ibi, postquam ad computationes ventum est, cœperunt pro Bruti victoriâ & populi Romani libertate facere libamina. Tum Brutus, grandiore accepto poculo, hunc versum sine ullâ evidente causâ voce altâ pronuntiavit;

Ἄλλὰ με μῆρ' ὄλον, καὶ Λατοῦς ἐκλαυεν υἱός.
Sed me fors misera & Latona perdidit infans.

Quæ exclamatio pro cladis omine est habita: quum ad novissimum in Philippis pugnam processurus, signum militibus daret ille Apollinem. [Id. ibid. cum Appiano, lib. 4. pag. 668.]

Inde πενήτην μισθὸν Antistius, ex illâ pecuniâ quam portabat in Italiam, impertiit: ut eo in loco Plutarchus scribit. Vices sestertium Latinus interpretès reddidit: quantam ei summam Veterem Antistium utro & pollicitum esse & dedisse ex suâ pecuniâ, agnoscit ipse Brutus, in epistolâ quâ hunc Romam jam ad petitionem Præturæ profecturum Ciceroni commendat. [lib. ad Brut. epist. 11.] Pompeium Atticum quoque abjecto Bruto Italiâque cedenti sestert. C. M. munere misisse, eidemque Epiro absentem CCC jussisse dari, apud Cornelium Nepotem, in Vitâ Attici, legimus.

In Piræo deinde Cassius & Brutus distracti, alter in Syriam, alter in Macedoniam perrexit. [Plutarch.] Cassius, ut prohiberet Syriâ Dolabellam. [Cicero, Philippic. 11.] Brutus, ut Græciam Macedoniâque sibi adjungeret. [Dio, lib. 47. pag. 339.] Et sine autoritate publicâ provincias exercitûsque occupantes &, ubicumque ipsi essent, prætexentes esse rempublicam; pecunias, quæ ex transmarinis partibus Romam à quæstoribus deportabantur, à volentibus acceperunt. [Vellei. Paternul. lib. 2. cap. 62.]

Cassius in Asiam, anticipato Dolabellâ, ad Trebonium Proconsulem trajecit: acceptâque ab eo pecuniâ, permultos sibi equites ex iis qui à Dolabellâ in Syriam præmissi fuerant, (quos Cassio se primum tradidisse jactat P. Lentulus Asiæ Quæstor extraordinarius, in litteris ad Ciceronem; lib. 12. ad familiar. epist. 14.) multosque item alios Asianos & Cilices adjunxit. Tum Tarcondimotum ac Tarsenses

ses ad societatem secum ineundam compulit, & hos quidem invitos. nam adeò Cæsari priori ac ejus gratiâ etiam posteriori favebant, ut urbem suam pro Tarso Juliopolin vocaverint. [*Dio, lib. 47. pag. 342.*]

Brutus quoque, postquam ab Apuleio copias quantas tum ille habebat accepit, & in numerato circiter sedecim talentum millia, quæ ex tributis ac vestigalibus Asiæ collecta acceperat à Trebonio, venit in Boeotiam. [*Appian, lib. 4. pag. 632. cum Dio, pag. 339.*] Deinde milites collegit: partim ex Pompeianis, quos à Pharsalicâ pugna per Thessaliâ vagantes tunc reperit, partim ex iis qui cum Dolabellâ ex Italiâ profecti, ob morbum relictî vel ab ordinibus dilapsi fuerant. Equites insuper quingentos Cinnæ, quos in Asiam ducebat ad Dolabellam, ademit. [*Plutarch. & Dio, ut supr.*] Quò spectat illud de Bruto Ciceronis, in Philippicâ XI. *Legiones conscripsit novas, excepit veteres: equitatum ad se abduxit Dolabella, atque cum nondum parricidio (Trebonii) oblitum, hostem suâ sententiâ judicavit. nam ni ita esset, quo jure equitatum à Consule abduceret?*

His instructus Brutus, sub prætextu reipublicæ & suscepti contra M. Antonium belli, nullo omnino labore Græciam, in quâ nihil admodum militum erat, occupavit. [*Dio, ut supr. cum Livio, lib. 118.*]

Hinc Demetriadem profectus, magnam armorum vim Cæsaris dictatoris jussu ad bellum Parthicum paratorum, quæ deportabantur ad Antonium, in suam redegit potestatem. [*Plutarch. & Appian, lib. 3. pag. 567.*]

In Macedoniam autem venit eo ipso tempore, quo C. Antonius (M. Antonii consulis frater) eodem recens pervenerat, ac Q. Hortensius Macedoniæ Proconsul discessum parabat: neque ibi tamen admodum laborabat, quum & Hortensius statim se cum eo conjungeret, & Antonius prohibitus (Romæ tum rerum potente Cæsare) quicquam eorum agere quæ summi essent magistratus, nihil virium haberet. [*Dio, ut supr. cum Cicerone, in Philippic. 10.*]

Delectus verò habitus in Macedoniâ fuerat summo Q. Hortensii studio & industriâ. Legio quam L. Piso ducebat, legatus Antonii, Ciceronis filio (quem Athenis secum Brutus in Macedoniam adduxit) se tradidit. Equitatus, qui in Syriam ducebatur bipertitò, alter eum à quo ducebatur reliquit in Thessaliâ (ut dictum est) seseque ad Brutum contulit: alterum in Macedoniâ Cn. Domitius adolescens à legato Syriaco abduxit. [*Cicero, Philip. 10.*]

Audiens Brutus evestigio pergere C. Antonium ad copias quas Dyrrachii & Apolloniæ Gabinius habebat, & cum prævertere cupiens, repentè iter fecit per loca aspera & multam nivem; longèque præcurrit eos qui prandium suum ferebant. Ut prope Dyrrachium venit, est ex labore & algore bulimiâ correptus: quod mali apprehendit ferè & pecudes & homines, quum per nivem lassescunt. Ejus necessitate intellectâ, accurrerunt à statione hostes ipsi, cibumque & potum attulerunt. Pro quo beneficio Brutus, ubi deditum est ei opidum, non in hos modò, sed ipsorum etiam causâ clementem præbuit se in omnes. [*Plutarch.*] P. autem Vatinius, qui Illyriis finitimis præerat, inde

profectus Dyrrachium prior occupaverat; Bruto in totâ dissensione civili adversarius. Sed propter morbum à militibus contemptus, iis ad Brutum transeuntibus, Dyrrachii portas illi aperuit & exercitum tradidit. [*Dio, ut supr. cum Cicerone, in 10. Philippicâ, & Livio, lib. 118.*]

Quum Dolabellæ in Syriam pateret via certa, neque longa; cum legione præmisso Marso Octavio, Senatore quidem sed egente, qui popularetur agros & vexaret urbes, in Asiam irrupit alienam provinciam, ubi nulla belli erat suspicio. [*Cicero, Philip. 11.*]

Eò venientem neque Pergamus neque Smyrna voluit recipere: forum tantum extra mœnia illi præbitum est, tanquam Consuli. Cùmque iratus ille Smyrnæ oppugnationem frustra tentâset, Trebonius Proconsul Asiæ (qui urbes Bruti & Cassii receptaculo muniebat) pollicitus est se in Ephesum cum intromissurum: mandavitque suis ut Consulem illuc proficiscentem ex intervallo sequerentur. [*Appian. lib. 3. pag. 542.*]

Securæ postea sunt colloctiones familiarissimæ cum Trebonio: complexusque summæ benevolentia falsi indices extiterunt in amore simulato. [*Cicero, Philip. 11.*] Quo tamen ita deceptus est Trebonius, ut is summam sibi Dolabellæ benevolentiam polliceretur, ejus militibus alimenta ultro daret, ac cum eo citra omnem metum convictum haberet. [*Dio, lib. 47. pag. 344.*]

In Ægypto Ptolemæus junior, ætatis 15 annum agens, à sorore eadêmque conjugè suâ Cleopatrá, veneno sublatus est; anno regni sui 4º, & Cleopatrá (à morte patris Auletæ) 8º. [*Joseph. lib. 15. cap. 4. Porphyr. in Græc. Euseb. Scaligeri, pag. 226.*]

M. Antonius Consul, Brundisio Romam reversus, cùm edixisset ut adesset Senatus frequens ante diem VIII Kalend. Decembr. eumque diem obire neglexisset; in ante diem IIII Kalend. distulit, tumque in Capitolio adesse eum jussit. [*Cicero, Philip. 3.*]

Interim legiones Antonii Macedonicæ, cunctes in cisalpinam Galliam, tumultuatæ sunt: spretisque legatis sibi præfectis, complures ad Cæsarem transiverunt. [*Dio, lib. 45. pag. 276.*] Legio Martia universa, sublatis signis ad eum se conferens, Albæ constitit. Eamque imitata Quarta legio, duce L. Egnatuleio Quæstore, ad Cæsarem pariter transit. [*Id. ibid. Cicero, Philip. 3. 4, 5, 11, 13. cum lib. 11. ad familiar. epist. 7. Liv. lib. 117. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 6. Appian. lib. 3. pag. 556.*] His Cæsar acceptis quum, sicut prioribus, argentum divisisset, multos etiam reliquorum ad se pertraxit: elephantisque Antonii subito omnibus potitus est, quum in eos dum præteragerentur incidisset. [*Dio, ut supr.*]

Ingressurus ad Senatum Antonius (in Capitolio, die præstituto congregatum) ut quereretur de Cæsaris conatibus, in aditu Curia de legionum defectione nuntium accepit: quo ille territus, ne verbum quidem ausus est in Senatu facere de Cæsare; cùm de eo tamen constituisset ad Senatum referre, scriptamque attulisset Consularis quidam sententiam, quâ Cæsarem hostem judicaret. [*Cic. Philip. 3, 5. & 13. & Appian. lib. 3. pag. 556.*] Eodémque ipso die facta est vespertina

tina provinciarum in sequentem annum inter Antonii amicos sortitio; sic, ut quæ cuique apta esset ea cuique obveniret. [Cic. Philipp. 3.]

Mox ex urbe discedens, Albam properavit; verbis (ut posse se putabat) Martiæ legionis milites ibi confidentes, ad officium reducturus. Sed quum peteretur telis è mœnibus, aliis agminibus viritim 500 misit denarios: quas verò circa se habebat copias bellico apparatu Tibur, indeque Ariminum duxit, in primo aditu Galliæ cisalpinæ; habens legiones Macedonicas tres (jam enim & reliquum earum venerat) & veteranorum unam, cum solitis eas sequi auxiliis, præterea prætorianos cum tironibus. [Appian. lib. 3. pag. 556.]

Decimum Brutum, qui Galliâ cisalpinâ ut suâ provinciâ cedere volebat, Mutinæ inclusum obsedit Antonius. [Id. ibid. pag. 556, 558.] Ei, licet è patris percussoribus uni, tempori serviens auxilium tulit Cæsar Octavianus. [Dio, lib. 45. pag. 277.] cui, præter duas illas fortissimas quæ ad eum transierant legiones Macedonicas, & unam tironum, duæ aliæ veteranorum erant legiones, licet non integræ, sed suppletæ ex tironibus. Cùmque eum Proprætorem creare vellet exercitus, honorem oblatum recipere noluit: sed donativi largitate mercenarios suos devinxit; alteros 500 denarios duabus Macedonicis legionibus (Indicrâ pugnâ coram ipso decertantibus) viritim distribuens, & si certamine opus foret, quinque milenos victoribus pollicitus. [Appian. pag. 557, 558.] De his Cicero, in Philippicâ X. *Veterani primi Cæsaris auctoritatem secuti conatum Antonii repulerunt: post ejusdem furorem Martia legio fregit, Quarta afflixit.*

Romæ cùm neuter Consulum adesset (Dolabellam enim Antonius in Syriam præmiserat, ipsèque Mutinam tum circumsidebat) Senatum adesse ad XIII Kalendas Januarias edixerunt. Quo die M. Cicero, tertiâ oratione Philippicâ habitâ, suavit ut quæ Octavianus contra Antonium egerat confirmarentur, Mutinensibus, legioni Martiæ & Quartæ, & militibus veteranis qui ad eum transierant, laudes & præmia decernerentur: atque ut non Decimus Brutus solùm, sed cæteri etiam (fortitionis illius Antonianæ nullâ ratione habitâ) provincias suas retinerent, neque cuiquam traderent, nisi qui ex Senatusconsulto successisset. Factoque in ejus sententiam Senatusconsulto, progressus in concionem, quid in Senatu actum esset, quartâ Philippicâ populo exposuit. [Cic. ibid. & Philip. 5. & 6. initio: cum lib. II. ad familiar. epist. 6. & lib. 12. epist. 22. Dio, lib. 45. pag. 277.]

Kalendis Januarius, quibus A. Hirtius & C. Pansa Consulatum inierunt, Cicero oratione Philippicâ quintâ in Senatu habitâ bello Antonium persequendum, & iis qui rempublicam adversus eum defendebant honores decernendos esse suavit. Postridie C. Cæsari Octaviano *imperium extraordinarium* (ut in Philippicâ XI Cicero appellat) à Senatu datum est, cum consularibus ornamentis, & lictoribus atque insignibus prætoris: ut comparato à se exercitui pro prætore præesset, & unâ cum Consulibus Decimo Bruto contra Antonium opem ferret. adjunctumque, ut Senator esset, atque inter quæstores & consulares sententiam diceret: utque Consulatum decem annis prius, quàm

4671 43

legibus permissum esset, petendi jus haberet. Equestri quoque statuâ auratâ Senatus eum honoravit : quæ in Rostris posita, ætatem ejus scripturâ indicabat. Eodémque Senatusconsulto est decretum, ut pecunias, quas militibus dederat, ex ærario (quia pro republicâ eos, privato licet consilio, conduxisset) reciperet : & donativum, quantum ipse duabus legionibus Macedonicis post victoriam se daturum pollicitus est, publicè daretur. Utque illis legionibus, atque aliis militibus qui à Cæsare conducti fuerant, perfecto hoc bello vacatio militiæ daretur, statimque agri dividerentur. [*Cicero, Philip. 5. & lib. ad Brutum, epist. 15. Liv. lib. 118. Vellei. Patercul. lib. 2. ca. 81. Sueton. in Octavio, ca. 10. Plutarch. in Antonio. Appian. lib. 3. pag. 559, 560. Dio, lib. 46. pag. 310.*]

Etsi verò Octaviano Proprætoris dignitas, quam ab exercitu priùs sibi oblatam accipere noluerat, à Senatu fuerit concessa, & ut par cum Consulibus jure haberet in bello administrando imperium : clam tamen Consulibus mandatum datum est, ut duas legiones Macedonicas rebus gerendis aptissimas ab illo distraherent. Summa enim consiliorum erat, ut superato Antonio, & debilitato Octaviano, sublatisque Cæsarianis omnibus, ad tractationem reipublicæ Pompeiani revocarentur. Quod Octaviano Pansa consul moriturus postea detexit. [*Appian. lib. 3. pag. 574, 575.*]

Ubi tamen Octavianus quæ decreta essent comperit, & honores oblatos accepit, & gavisus est : idque eo magis, quòd quum habitum ac potestatem prætoriam acciperet, Spoleti sacrificanti *primo potestatis sua die*, duodecim victimarum jecinora duplicia, sive replicata intrinsecus ab imâ fibrâ, apparuissent; essetque responsum, duplicaturum intra annum Imperium, Id verò ægrè ferebat, quòd legati ad Antonium mittebantur, quòdque hyemis prætextu bellum neque seriò neque statim à Consulibus gerebatur. Unde & ipse quoque Foro Cornelii in otio hyemare coactus est. [*Dio, lib. 46. pag. 314. cum Fulio Obsequente, de prodigiis; & Plinio, lib. 11. ca. 37.*]

Ex Julii Cæsaris patricidii reis, primus luit pœnas, Dolabellæ fraude Smyrnæ occisus, Caius Trebonius consulari imperio provinciam Asiam obtinens : vir adversus merita Cæsaris ingrattissimus, participæque cædis ejus à quo ipse in consulare provectus fastigium fuerat. [*Cicero, Philip. 11. & 12. Strabo, lib. 14. pag. 646. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 69. Appian. lib. 3. pag. 542, 543. & lib. 4. pag. 624. Dio, lib. 47. pag. 344. Oros. lib. 6. ca. 8.*] Noctu enim Dolabella Smyrnam ingressus, Proconsulem cepit; & verborum contumelijs laceratum Samiario exuli tradidit : qui, quæstione habitâ publicæ pecuniæ, vinculis, verberibus, eculeo torfit miserum, idque per biduum. Post cervicibus caput abscidit, idque fixum gestari jussit in pilo : reliquum corpus tractum atque laceratum abjecit in mare. Hæc in Philippicâ XI. Ciceronis est narratio : illi quæ apud Appianum extat, & jussu Dolabellæ, quum primùm in Asiam trajecisset & Consulatum adhuc gereret, perpetratum hoc homicidium tradit, longè præferenda.

Interfecti caput ad Cæsaris statuam Dolabellam projecisse, scribit Dio : in sellâ prætoriâ, in quâ ille solebat jus reddere, proponi jussisse, refert

refert Appianus. Sed milites, inquit ille, & lixæ (irati ut conjurationis participi, & quia dum Cæsar occideretur Antonium sermone circa Curia fore disstinuerat) tum reliquum ejus corpus variis affecerunt contumeliis, tum caput per vias lapide stratas sibi invicem pro pilâ mittentes per ludibrium ita contriverunt ut non appareret facies. Multas verò Smyrnæ urbis partes à Dolabellâ tunc dejectas fuisse, affirmat Strabo.

Occupatâ à Dolabellâ Asiâ, P. Lentulus Quæstor extraordinarius multam pecuniam & magna præsidia ad Cassium celeriter misit, ut Syriam occuparet: ipse in proximam provinciam Macedoniam ad M. Brutum se contulit; id agens, ut, per quos celerrimè posset, Asia provincia vectigaliâque recuperarentur. Quod ille ipse in duabus epistolis significat: alterâ publicè ad Senatum, alterâ privatim ad M. Ciceronem missâ. [*lib. 12. ad famil. epist. 14. & 15.*] ubi & filium ipsius se tum videre non potuisse narrat, quòd jam in hyberna cum equitibus is profectus fuisset.

In Asiæ provinciâ teterrimè se gessit Dolabella: [*Cic. lib. ad Brutum: epistol. 3. & 4. ear. quæ à Germanis sunt additæ.*] communis Romanorum vectigalibus, & civibus Romanis omnibus crudelissimè denudatis ac divexatis. [*P. Lentulus: apud Cic. lib. 12. ad familiar. epist. 15.*] Urbes novis tributorum exactationibus gravavit: classèque à Rhodiis, Lyciis, Pamphylis, Cilicibusque per L. Figulum mercede conduxit. [*Appian. lib. 4. pag. 624.*]

Rhodii, de agris quos in continente habebant timentes, (ut ipsi dicebant) duas legationes ad Dolabellam miserunt: & quidem novo exemplo, contra leges ipsorum, prohibentibus iis qui tum magistratus gerebant. [*P. Lentul. ut supr.*] Quem tamen à Rhodiis exclusum fuisse, scripsit M. Brutus. [*Lib. ad Brut. ut supr. epist. 4.*]

Legatus Dolabellæ A. Allienus, post interitum Trebonii ad eum profectus est. [*Cicero, in Philip. 11.*] Eum ille in Ægyptum ad Cleopatram reginam misit: quæ Dolabellæ favens, propter consuetudinem quam cum superiore Cæsare habuerat, per Allienum quatuor legiones ad eum misit, (Pompeii Crassique cladis reliquias, aut ex eorum numero qui Cæsare discedente apud Cleopatram remanserant;) & classem paratam habebat ad ferendum auxilium, quæ tum per adversas tempestates navigare non poterat. [*Appian. lib. 3. pag. 576. lib. 4. pag. 623. & 624. fin. & lib. 5. pag. 675.*]

Quum in Syriâ Q. Cæcilius Bassi, privati illius quidem sed fortis & præclari viri, robustus & victor exercitus (ut in oratione XI. Philippicâ, hoc anno habitâ, Cicero loquitur) aliquandiu prævaluisset: Statio Murco in auxilium Q. Marcius (non, ut Appiano, Minucius) Crispus Proconsul (ut in Philippicâ XI. eum appellat Cicero) vocatus è Bithyniâ (cui ex Julii Cæsaris decreto, à Senatu comprobato, post Tullium Cimbrum ille præerat; licet Cimber ex M. Antonii, ut videtur, sortitione eam provinciam hoc etiam anno retinere conatus fuerit) tribus agminibus suis cum tribus Murci conjunctis, Bassi duo agmina (τὰ γὰρ μέρη Straboni, πάλιν Appiano dicta: nam unicam tantum legionem constituisse, ex Cassii ad Ciceronem litteris constat, lib. 12. ad famili-

ar. epist. 11. & 12.) obsidione pressit. [*Appian. lib. 3. pag. 576. & lib. 4. pag. 623. Dio, lib. 47. pag. 343.*] Ille verò Apameæ ad eò obstinatè duorum Romanorum exercituum obsidionem sustinuit, ut non priùs in illorum potestatem pervenerit, quàm impetratis quas ipse volebat conditionibus ultrò se dederet. [*Strabo, lib. 16. pag. 752. fin.*] Quum enim supervenisset cum suis copiis C. Cassius, *ultrò à Murco & à Marcio & ab exercitu ipso arcessitus*, ut in litteris ad Ciceronem M. Brutus refert: [*lib. ad Brut. epist. 5.*] Cassio, nolebat Bassus legionem suam tradere. Et nisi milites invito eo legatos ad Cassium misissent; clausam Apameam tenuisset, quoad vi esset expugnata: ut ad Ciceronem scribit ipse Cassius. [*lib. 12. ad familiar. epist. 12.*]

Cassius verò Basso & Murco inter se conciliatis Apameam obsidione liberavit: & tam obsessis illis duobus agminibus, quàm sex aliis à quibus oppugnata illa fuerant, in suas partes pertractis, imperatoria sumpsit insignia & Proconsulari potestate illis præfuit. [*Vellei. Patercul. lib. 2. ca. 69. Joseph. lib. 1. Belli, ca. 9. & lib. 14. Antiquit. ca. 18. Appian. & Dio, ut sup.*]

Ab hoc enim tempore Proconsulis titulum sibi assumpsit ipse; ut ex inscriptionibus litterarum ejus ad Ciceronem liquet: [*lib. 12. ad familiar. epist. 11. & 12.*] licet in suis ad eum litteris titulum illum Cicero non adscribat; [*ibid. epist. 7, 8, 9, 10.*] utpote à Senatu nondum illi attributum. utut aliter Appianus senserit. [*lib. 3. pag. 576. & lib. 4. pag. 623.*]

Quum uno loco cum his omnibus copiis castra Cassius locasset, repente magna vis aquæ de cœlo decidit; aprique omnibus portis simul in castra irruentes, omnia quæ in ipsis erant confuderunt ac conturbaverunt: adeò ut quidam ex iis potentiam ejus subitam, ac paulo post interitum adventurum præfagierint. [*Dio, lib. 47. pag. 343.*]

His verò copiis auctus Cassius, continuò omnes urbes Syriæ gloriâ rerum ibi in Quæsturâ suâ (post Crasi interitum ante decennium) à se gestarum cæteraque nominis claritate adductas, in suam potestatem sine ullo labore redegit. [*Id. ibid. pag. 339. & 343.*] easque obcundo, arma & milites sibi comparabat, atque gravia exigebat tributa. [*Joseph. lib. 14. cap. 18.*] Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem provinciâ erant, in potestatem suam eum redegit, Livius; [*lib. 121.*] & decem legiones in eo tractu sui juris fecisse, scribit Velleius Paterculus. [*lib. 2. cap. 69.*]

M. Brutus, expeditione adversus C. Antonium Apolloniam cum septem cohortibus tenentem susceptâ, litteras publicas de rebus à se in Græciâ & Macedoniâ gestis Romam misit: quibus in Senatu à Pansâ consule recitatis, & oratione Philippicâ X. à Cicerone ibi habitâ, Senatusconsultum est editum, ut Brutus Proconsul Macedoniam, Illyricum, totamque Græciam obtineret. [*Cic. ibid. cum Appian. lib. 3. pag. 567 & lib. 4. pag. 622. & 631.*]

Trebonii reliquiis Romam allatis cognitisque ludibriis quibus affectus erat, Senatus Dolabellam hostem judicavit. [*Cicero, Philip. 11. Liv. lib. 119. Appian. lib. 3. pag. 566. Oros. lib. 6. ca. 8.*] die iis, qui cum eo erant, præstituto; ante quem ab ejus amicitia discederent, aut ipsi quo-

quoque hostium loco essent. [*Dio, lib. 47. pag. 344.*]

Postridie, cùm in Senatu ageretur de imperatore deligendo qui Dolabellam bello persequeretur, L. Cæsar censuit, P. Servilio hoc bellum extra ordinem mandandum esse: aliis nonnullis placuit, ut Consules Dolabellæ persequendi causâ Asiam & Syriam fortirentur. Cicero, oratione Philippicâ XI. habitâ, in Dolabellam (quondam generum suum; sed cum quo paulo ante discessum ex Italiâ gravissimas inimicitias susceperat) acerrimè primùm invecus, belli adversus eum partes C. Cassio mandandas esse suasit. Cujus sententiam Scaliger in Eusebianis Animadversionibus (ad numerum MDCCCCLXXIII.) ut exemplum Senatufconsulti de imperio Cassii, non rectè proposuit. Nam ne ea sententia in senatu valeret, Pansam consulem vehementer obsticisse, in litteris ad Cassium ipse testis est Cicero: [*lib. 12. ad familiar. epist. 7.*] ista etiam de se in iisdem adjiciens. *Promisi & propè confirmavi, te non expectasse nec expectaturum decreta nostra: sed te ipsum tuo more rempublicam defensurum. Et quamquam nihil-dum audieramus, nec ubi esses, nec quas copias haberes: tamen sic statuebam, omnes, quæ in istis partibus essent opes, copiasque tuas esse; per teque Asiam provinciam confidebam jam reipublica recuperatam.*

Cùm igitur Romæ non sciretur, jam à Cassio Syriam obtineri; bellum contra Dolabellam Consulibus omnino, si præsentia contra M. Antonium negotia confecissent, mandatum est: ac, ne interim Dolabellæ vires auferentur, finitimarum nationum præfectis negotium est datum. [*Dio lib 47. pag. 344.*] Asiæque procuratio P. Lentulo Spintheri, Consulibus consentientibus, est continuata, Proquæstoris simul & Proprætoris titulum jam obtinenti: ut in litteris ipsius ad Ciceronem post mortem Pansæ & Hirtii (quam ille tamen tum ignorabat) exaratis videre licet.

Edito hoc adversus Dolabellam decreto, ad Hirtium Consulem & Cæsarem Proprætorem à M. Antonio hæ datæ sunt litteræ; à Cicerone in Philippicâ XIII. recitatæ & refutatæ.

ANTONIUS HIRTIO ET CÆSARI.

Cognitâ morte C. Trebonii, non plus gavisus sum, quàm dolui. Dedisse pœnas sceleratum cineri atque ossibus clarissimi viri, & apparuisse numen Deorum intra finem anni vertentis (unde non multo ante Idus Martias, quæ cædem Julii Cæsaris proximè sunt subsequutæ, interemptum fuisse Trebonium colligimus) aut jam soluto supplicio parricidii aut impendente, latandum est. Hostem judicatum hoc tempore Dolabellam eo quòd sicarium occiderit, & videri chariorem populo Romano filium scurræ (Trebonium) quàm Caium Cæsarem, patria parentem, ingemiscendum est. Acerrimum vero est te, Aule Hirti, ornatum beneficiis Cæsaris, & talem ab eo relictum qualem ipse miraris, & te, ô puer, qui omnia ejus nomini debes, id agere ut jure damnatus sit Dolabella, & ut veneficus hæc liberetur obsidione: ut quàm potentissimus sit Cassius atque Brutus. Nimirum eodem modo hac adspicitis ut priora. Castra Pompeii Senatum appellatis. victum Ciceronem ducem habuistis. Macedoniam munitis exercitibus. Africam commisitistis V. ro bis capto.

In Syriam Cassium misistis. Cassam tribunatum gerere passi estis. vectigalia Fuliana Lupercis ademistis. veteranorum colonias, deductas lege & Senatusconsulto, sustulistis. Masiliensibus jure belli adempta reddituros vos pollicemini. Obliti estis, neminem Pompeianum, qui vivat, tenere lege Hirtia dignitates. Apuleianâ pecuniâ Brutum subornastis. Securi percussos Patum & Menedemum, civitate domatos, & hospites Caesaris laudastis. Theopompum, nudum, compulsum à Trebonio confugere Alexandriam, neglexistis. Serpium Galbam eodem pugione succinctum in castris videtis. Milites aut meos, aut veteranos contraxistis, tanquam ad exitium eorum, qui Casarem occiderunt. Et eosdem nec opinantes ad Quæstoris sui aut Imperatoris aut commilitonum suorum pericula impulistis. Denique quid non aut probavistis, aut fecistis? quid faciat si reviviscat Cneius Pompeius ipse? aut filius ejus si domi esse possit? postremo negatis pacem posse fieri, nisi aut emisero Brutum, aut frumento juvero. quid? hoc placetur veteranis istis quibus adhuc omnia integra sunt? quoniam vos assentationibus & venenatis muneribus venistis. At militibus inclusis opem fertis. nihil moror eos salvos esse, & ire quò lubet, si tamen patiuntur cum perire qui meruit. Concordia factam esse mentionem scribitis in Senatu, & Legatos esse consulares quinque. difficile est credere eos qui me præcipitem egerint, æquissimas condiciones ferentem, & tamen ex his aliquid remittere cogitantem, putare aliquid moderatè aut humanè esse facturos. vix etiam verisimile est, qui judicaverint hostem Dolabellam ob rectissimum facinus, eosdem vobis parcere posse, idem sentientibus. Quamobrem vos potius animadvertite, utrum sit elegantius, & partibus utilius, Trebonii mortem persequi, an Caesaris; & utrum sit æquius, concurrere nos quo facilius reviviscat Pompeianorum causa toties jugulata, an consentire ne ludibrio simus inimicis. quibus utri nostrum ceciderint, lucro futurum est. quod spectaculum adhuc ipsa fortuna vitavit, ne videret unius corporis duas acies, lanistâ Cicerone, dimicantes: qui utque eo felix est, ut ipsæ ornamentis deceperit vos, quibus deceptam Casarem gloriatus est. Mihi quidem constat, nec meam contumeliam, nec meorum ferre: nec deserere partes quas Pompeius odit, nec veteranos sedibus suis moveri pati, nec singulos ad cruciatum trahi, nec fallere fidem quam dedi Dolabella. nec Lepidi societatem violare, piissimi hominis, nec Plancum prodere participem consiliorum. Si me rectis sensibus euntem Dii immortales, ut spero, adjuverint: vivam libenter. sin autem aliud me fatum manet, præcipio gaudia suppliciorum vestrorum. namque si victi Pompeiani tam insolentes sunt, victores quales futuri sint, vos potius experiemini. Denique summa iudicii mei spectas huc, ut meorum injurias ferre possim, si aut oblivisci velint ipsi fecisse, aut ulcisci parati sint unâ nobiscum. Caesaris mortem. Legatos venire non credo; bellum quo veniat: cum venerint, que postulant, cognoscam.

Quum missi ad Antonium legati à Senatu de pace parùm ad eam componendam valerent, hoste eo judicato, populus Romanus universus (etiam ii, qui non proficiscebantur in bellum) saga sumpsit: delectique militum in totâ Italiâ habito, A. Hirtii Consulis & C. Caesaris Proprætoris adversus eum exercitus missi sunt. [Cicero, Philip. 6, 10. & 13. Liv. lib. 118. Appian. lib. 3. pag. 567. Dio, lib. 46. pag. 311, 312.]

A quâ aduersus M. Antonium susceptâ expeditione, Cæsaris Octavianii principatum deduxisse videntur Eusebius & Cassiodorus; annos 56. cum mensibus 6. illi assignantes.

Caius Antonius, prælio cum Cicerone filio M. Bruti duce ad Bylidem commisso, victus est: ejusque milites paulo post & se & ipsum Bruto dederunt. Antonium verò Brutus secum diu honorificè habuit; usque eò, ut magistratus insignia illi non adimeret. [*Plutarch. in M. Bruto.*]

M. Brutus à Vatino, cui ex Senatusconsulto in Illyrici provinciâ successit, tres legiones Illyricas accepit: præter unam, quam Caio Antonio in Macedoniâ abstulit; & quatuor alias, quas ipse collegerat. Ita in universum octo legiones habuit; & in eis multos ex veteranis C. Cæsaris. Adhæc multitudo equitum aderat, velites quoque & sagittarii: laudansque Macedonas, ad morem Italicum eos exercuit. [*Appian. lib. 4. pag. 632, 633.*]

Ad hunc modum colligenti milites ac pecunias casus quidam è Thraciâ se obtulit. Polemocrati reguli cujusdam uxor, cæso ab inimicis marito, filio puero metuens, ad Brutum profecta, & filium ei commendavit, & mariti thesauros tradidit. Ille puerum Cyzicenis alendum commisit, donec plus otii haberet ad reducendum in paternam regiam: in his thesauris miram invenit auri argentique copiam, unde numisma signavit. [*ibid. pag. 633.*]

C. Cassius, Syriâ occupatâ, in Judæam contendit; quòd eò progressi milites à Cæsare in Ægypto relictos audiret. Eos verò Judæosque nullo cum negotio sui juris fecit. [*Dio, lib. 47. pag. 343.*] Allienus enim Dolabellæ legatum, cum quatuor legionibus ex Ægypto reversum, in Palæstinâ ex improvise circumvenit, coëgitque suis partibus accedere, non ausum quatuor suas opponere octo legionibus illius. Atque ita præter opinionem duodecim in universum potitus est: auctus etiam nonnullis Parthorum equitibus sagittariis. Apud eam enim gentem in præclarâ existimatione fuit, jam inde ex quo Crassi quæstor visus est eis imperatore ipso prudentior. [*Appian. lib. 3. pag. 576. & lib. 4. pag. 623, 624.*]

• Simul ac legiones Cassius accepit, quas A. Allienus eduxerat ex Ægypto, de copiis suis ad Ciceronem hæc scripsit litteras, [*lib. 12. ad familiar. epist. 11, 12.*] Nonis Martiis, ex castris Tarichæis in Galilæâ, datas.

C. CASSIUS PROCOS. M. TULLIO

CICERONI S. P. D.

Si vales, bene est: ego quidem valeo. In Syriam me profectum esse scito ad L. Murcum & Q. Crispum imperatores. Viri fortes, optimique civis, postea quàm audierunt qua Roma gererentur, exercitus mihi tradiderunt: ipsique mecum unâ fortissimo animo rempublicam administrant. Item legionem, quam Q. Cæcilius Bassus habuit, ad me venisse scito. Quatuor legiones, quas A. Allienus ex Ægypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito. Nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos absentes, remque publicam,

Dd d

quan-

quantum opus est, defendas. Scire te volo, firma præsidia vobis Senatuique non deesse, ut optimâ spe & maximo animo Rempublicam defendas. Reliqua tecumaget L. Carceius familiaris meus. Vale. Data Nonis Martiis, ex castris Taricheis.

Secundùm hæc, Bassum & Crispum, reliquosque qui sub se militare nollent, nullâ injuriâ affectos Cassius dimisit: Statio autem Murco & eam dignitatem, cum quâ ad ipsum venerat, integram reliquit, & classem præterea commisit. Ita Dio. [lib. 47. pag. 343.] licet Crispum firmiter illi adhæsisse, ex ipsius Cassii ad Ciceronem litteris constet. [lib. 12. ad familiar. epist. 11. & 12.]

A Judæâ 700 talenta argenti (non auri; ut in capite 45. Historiæ Judaicæ, Arabicè in Bibliis polyglottis Parisiensibus editæ, legitur) Cassius exegit. Antipater verò res ubique turbatas videns, & minas Cassii veritus, partem ejus pecuniæ duobus filiis suis cogendam commisit, partem Malicho Judæo malè erga ipsum affecto, partem quibusdam aliis. Et primus quidem Herodes ex Galilæâ parte suâ centum talenta afferens, maximam apud Cassium gratiam inivit. Prudens enim videbatur consilium, jam tum Romanorum alieno sumptu captare benevolentiam. Sub aliis autem procuratoribus ipsæ civitates venum dabantur unâ cum suis habitatoribus: quarum quatuor erant præcipuæ; Gophna, Emmaus, Lydda & Thamma. nam earum plebes Cassius hastæ subjecit. Adeo autem exacerbatus erat, ut etiam Malichum interfecturus fuerit, nisi Hyrcanus, per Antipatrum centum talentis de suo missis, furorem ejus leniisset. [Joseph. lib. 1. Belli, ca. 9. & lib. 14. Antiquit. cap. 18.]

Cæsar Octavianus bellum adversus Antonium sibi demandatum tertio mense confecit. [Sueton. in Octav. ca. 10.] quod cum ab eo, annum agente vicesimum, fortissimè circa Mutinam administratum esset; Decimus Brutus obsidione est liberatus, & Antonius turpi ac nudâ fugâ coactus deserere Italiam. [Vellei. Paterc. lib. 2. ca. 61.] De quo prælio videndus in Philippicâ XIV. Cicero, & Ser. Galba, qui prælio interfuit, in litteris ad eundem: [lib. 10. ad familiar. epist. 30.] in quarum initio, XVII Kalend. Maii gestum illud fuisse indicat. Ut triduo post Mutinensem victoriam Cæsar Octaviani principatum auspici illi fuisse videantur, qui annos illi 56. menses 4. & diem 1. tribuerunt: ut apud Theophilum Antiochenum videre licet, libro 3^o ad Autolycum; & Clementem Alexandrinum, libro 1^o Stromatum, si librarii apud eum error corrigatur, qui numerum annorum \overline{us} pro \overline{vs} ibi apposuit.

A. Hirtius Consul (belli Alexandrini & Africani à Julio Cæsare gesti descriptor) in prælio illo cecidit: alter consul Panfa post paucos dies ex vulnere mortem obiit. [Cicero, lib. 12. ad familiar. epist. 25. Dec. Brutus, ibid. lib. 11. epist. 9. Liv. lib. 119. Vellei. Paterc. lib. 2. ca. 61, &c.] Unde hoc versu annum suum natalitium & Tibullus designavit, [lib. 3. eleg. 5.] & Ovidius: [Trist. lib. 4. eleg. 10.]

Quum cecidit fato Consul uterque pari.

Confu-

Consulium occisorum uterque exercitus Cæsari paruit. [*Eutrop. lib. 7. Oros. lib. 4. ca. 18.*]

Adventus Cæsarem, qui solus è tribus ducibus supererat, Senatus parùm gratus fuit: qui Dec. Bruto, obsidione Mutinensi à Cæsare liberato honore triumphii decreto, Cæsaris militumque ejus mentionem non satis gratam habuit. [*Liv. lib. 119. Vellei. Patercul. lib. 2. ca. 62.*] Legati quoque ad Cæsaris exercitum missi jubebantur, summoto eo, milites alloqui. Sed non fuit tam ingratus exercitus, quàm fuerat Senatus. Nam, cum eam injuriam dissimulando Cæsar ferret, negare milites sine Imperatore suo ulla se audituros mandata. Quia & legiones ipsi, quas habebat, haud dubiè admissent; nisi veriti fuissent de hoc palàm decernere, quòd studia militum in Cæsarem non ignorarent. [*Patercul. ibid. Dio, lib. 46. pag. 317, 318.*]

Dolabellam Tartenses in Ciliciam, Lapidiceni in Syriam, ultrò accersierunt. [*Cassius Parmens. ad Ciceron. lib. 12. ad familiar. epist. 13.*]

Dolabella Asiam relicturus, quinque cohortes misit in Chersonesum: à M. Bruto (qui quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia habebat) nullo ibi negotio occupandas. [*Cic. lib. ad Brutum; epist. 2. dat. 12. vel 14. Kalend. Mai.*] Ipse verò terrestri itinere cum duabus legionibus ex Asia profectus est: L. Figulo cum classe eum subsequente. [*Appian. lib. 4. pag. 624.*]

V Kalendas Maias, cum in Senatu de iis, qui hostes judicati erant, bello persequendis sententiæ dicerentur; ut Cassius persequeretur Dolabellam, tribunus plebis Servilius dixit. Cui cum esset assensus Cicero, decrevit hoc amplius; ut M. Brutus, si arbitraretur utile fore èque republicâ esse, bello Dolabellam persequeretur. Quod totum Senatus ipsius Bruti reliquit judicio; ut faceret, quod sibi maximè conducere reipublicæ videretur. De Cassii enim copiis nihil adhuc sciebatur: neque ab ipso ullæ litteræ adhuc Romam pervenerant. [*Cic. lib. ad Brutum: epist. 5.*] De quâ morâ videndus ipse Cassius; in litteris ad Ciceronem. [*lib. 12. ad familiar. epist. 12.*]

In Ciliciam veniens Dolabella, Tarsum per spontaneam deditionem recepit; & Cassii quædam præsidia, quæ Ægis erant, vicit. [*Dio, lib. 47. pag. 344.*]

Erat tum in Palæstinâ Cassius. [*Id. ibid.*] unde ad Ciceronem secundas ille litteras scripsit, datas Nonis Maiis, ex castris. [*lib. 12. ad familiar. epist. 12.*] in quibus de rerum suarum statu scribens; Exercitus, inquit, omnes quæ in Syriâ facere teneo. Habui paullulum mora, dum promissa militibus persolvo. Nunc jam sum expeditus. Deinde, ut militum itémque imperatorum Murci & Crispi dignitatem, quantum in se esset, tueretur Ciceronem hortatus; subdit. Litteris scriptis, audiavi, Dolabellam in Ciliciam venisse cum suis copiis. Proficiscar in Ciliciam: quid egerim, celeriter ut scias, dabo operam. Ac velim, ut mereamur de Republicâ, sic felices sumus.

Discedente ex Judæâ Cassio, Malichus insidiatus est Antipatro: per hujus mortem Hyrcani dominationi securitatem se paraturum existimans. Cujus consilia sentiens Antipater, ultra Jordanem profectus copias colligebat tum ex indigenis tum ex Arabibus. Verùm

Malichus vir callidus inficiabatur insidias; dejerans apud Antipatrum & filios, quòd Phasaëlo Hierosolymorum præsidium tenente; Herode verò habente armorum custodiam, nè in mentem quidem sibi unquam tale aliquid venerit. Et reconciliatus est Antipatro, Murco Syriæ præfidente: qui postquam intellexit res novas in Judæâ molitum Malichum, minimum absuit, quia cum interficeret; quem tamen Antipatri precibus donavit incolumem. [*Joseph. lib. 14. ca. 18.*]

Cassius & Murcus, coacto exercitu, Herodem totius Cœlesyriæ ducem fecerunt; attributis ei navalibus, equestribus, & pedestribus copiis: regnum etiam Judææ illi polliciti, post finitum bellum quod tum gerebant contra Antonium & juniorem Cæsarem. [*Id. ibid. ca. 19.*]

Cassius plurimos in Syriâ tyrannos constituit. Marion quoque Tyrionum tyrannus ab eo relictus per Syriam tyrannidem exercuit: dispositisque in eâ præfidiis, etiam in Galilæâ conterminâ tres arces occupavit. [*Joseph. lib. 1. Belli, ca. 10. & lib. 14. Antiquit. ca. 21.*]

Dolabellam à Tullio & Dejotaro cæsum fugatumque fuisse, ad Satrium legatum C. Trebonii scripsit Cythereus quidam: cujus Græcam eâ de re epistolam ad Ciceronem misit M. Brutus, XVII Kalend. Jun. [*lib. ad Brut. epist. 6.*] Sed falsus ille rumor fuit.

Dolabella enim ex Asiâ in Ciliciam trajiciens, inde in Syriam abiit: ubi ab Antiochiâ rejectus est, præsidio urbem defendente. [*Dio, lib. 47. pag. 344.*] Conatus autem aliquoties vi introire, repulsus semper est cum magno suo detrimento. Itaque centum circiter amissis, ægrisque compluribus relictis, noctu Antiochiâ profugit Laodicæam versus. Eâ nocte omnes ferè milites quos ex Asiâ conscripserat ab eo discesserunt. Ex his, ad Antiochiam redierunt, & se iis tradiderunt qui à Cassio relictis urbi illi præerant: cæteri per Amânium in Ciliciam descenderunt; ex quo numero circiter 30 in Pamphyliam venerunt. qui nuntiatum fuisse dicebant, Cassium cum suis omnibus copiis quadridui iter à Laodicæâ abfuisse, tum cum Dolabella eò tenderet. [*P. Lentulus; ad Ciceron. lib. 12. ad familiar. epist. 15.*]

Edoctus igitur Dolabella de Cassii copiis, Laodicæam urbem sibi amicam pervenit: sitam in peninsulâ, & quâ continentem spectat munitam, ad mare verò portum habentem, ad com meatus abundè convehendos idoneum, nec minùs ad securum abitum quandocunque liberet navigare. [*Appian. lib. 4. pag. 624.*] Eam absque omni oppugnatione Dolabella cepit; opidanis se ob favorem, quo priorem Cæsarem profecti fuerant, dedentibus. [*Dio, lib. 47. pag. 344.*]

Hierosolymis, quum apud Hyrcanum Antipater epularetur, Malichus corrupto pincernâ regio veneno è medio tollendum curavit; & assumptâ armatorum manu, civitatis gubernacula suscepit. Indignantibus verò Antipatri filiis Phasaëlo & Herode, Malichus strenue pernegavit omnia. Et Herodes quidem confestim volebat patris mortem ulcisci; & cum exercitu Malichum aggredi: sed Phasaëlo grandiori magis placuit dolo circumvenire hominem, ne videretur civile bellum incipere. Itaque acceptâ Malichi satisfactione, simulavit se credere,

credere, non esse illum paternæ cædis conscius: seque vertit ad excolendum monumentum quod patri struxerat. [*Joseph. lib. 14. ca. 19.*]

Interim Herodes veniens Samariam, eamque nimis afflictam offendens, refovere eam cœpit, & jura reddendo controversias civium dirimere. Non multo autem post instante Hierosolymis festo (Pentecostes,) & ipse venit in urbem cum militibus. Quem Malichus metuens, Hyrcano suavit ne eum intrare permetteret: id quod Hyrcanus fecit, nefas esse dicens sanctis populi ceremoniis profanam turbam superinducere. At Herodes contemptâ obnunciatione noctu urbem ingressus est, & Malichum vehementer perterruit. Qui solitarum artium non immemor, palam lachrymabundus conquerebat de Antipatri tanquam amici interitu; clam verò parabat sibi satellitium. Quare visum est Herodis amicis simulationem hanc non coarguere; sed ad vitandam suspicionem vicissim comiter tractare Malichum. At tamen Cassio de patris morte Herodes per litteras significavit: & ille, qui non ignorabat mores Malichi, rescripsit ut ulcisceretur parentis injuriam; clam etiam mandavit tribunis apud Tyrum agentibus, ut adessent Herodis justis conatibus. [*Id. ibid. ca. 19. & 20.*]

In Galliâ, IIII Kalendas Junias M. Lepidus cum M. Antonio se conjunxit. [*Plancus, ad Ciceron. lib. 10. ad familiar. epist. 23.*]

P. Lentulus, provinciæ Asiæ proquæstor & prætor extraordinarius, quum M. Brutum tardiùs in Asiam venturum animadverteret, & Dolabella Asiâ jam excessisset, quam primùm ex Macedonia ad officium suum revertendum sibi esse existimavit: ut reliqua vesticilia exigeret, & quam deposuit pecuniam colligeret: & Romam mitteret. Interim cum per insulas in Asiam naviganti nunciatum illi esset, classem Dolabellæ in Ciliciâ (al. Lyciâ) esse, Rhodiisque naves complures instructas & paratas in aquâ habere: cum iis navibus, quas aut secum adduxerat, aut comparaverat Patiscus proquæstor Asiæ ordinarius, Rhodum revertit; confusus Senatusconsulto quo hostis Dolabella judicatus, & fœdere quod cum Rhodiis renovatum fuerat. Sed tantum absuit, ut illorum præsidio proquæstores suam firmarent classem, ut etiam à Rhodiis urbe, portu, statione quæ extra urbem est, comteatu, aquâ denique eorum milites prohiberentur; vixque ipsi singulis cum navigiis reciperentur. In urbem verò & in senatum illorum introductus Lentulus, nihil ab eis obtinere potuit. De quo in litteris suis, tum publicis ad Senatum, tum privatis ad Ciceronem scriptis, graviter ipse conquestus est. [*lib. 12. ad familiar. epist. 14. & 15.*]

Dum Rhodi Lentulus & Patiscus detinebantur, Sex. Marius & C. Titius legati Dolabellæ, adventu illorum cognito, subito ex Lyciâ (vel Ciliciâ) à classe discesserunt, navique longâ profugerunt; onerariis navibus relictis, in quibus colligendis non minimum temporis laborisque consumpserunt. Erant autem eæ amplius centum numero, earumque minor nulla erat duum millium amphorarum: quas eâ mente Dolabella comparaverat, ut, si Syriæ & Ægypti spes eum frustrata esset, in eas cum omnibus suis militibus atque omni pecuniâ

conscenderet, & Italiam peteret, seque cum Antoniis fratribus con-
jungeret. Itaque Lentulus & Patiscus à Rhodo, cum iis quas habue-
rant navibus, eò venientes, naves illas onerarias receperunt dominis-
que restituerunt. Inde classem fugientem persecuti sunt usque Si-
dam, extremam provinciæ Asiaticæ regionem: ubi cognoverunt
partem navium Dolabellæ diffugisse, reliquas Syriam & Cyprum (al.
Ægyptum) petiisse. Quibus disjectis, cum sciret Lentulus, C. Casii
classem maximam præstò fore esse in Syriâ, ad officium suum re-
vertit. [*P. Lentul. ut supr.*]

Patiscus verò & Casius Parmensis, ex orâ maritimâ Asiæ provin-
ciæ & ex insulis quas potuerunt naves deduxerunt. Delectum remi-
gum, magnâ contumaciâ civitatum, celeriter tamen habuerunt. Se-
cuti sunt classem Dolabellæ, cui Lucilius præerat: qui spem sæpe
transitionis præbendo, neque unquam non decedendo, novissimè Co-
rycum (in Pamphylîâ) se contulit, & clauso portu se tenere cœpit.
Illi Coryco relictâ, quòd & in C. Casii castra pervenire satius esse
putabant, & sequebatur classis altera quam anno priore in Bithyniâ
Tullius Cimber comparârat, cui Turulius quæstor præerat, Cyprum
petierunt. [*Cass. Parmens. ad Ciceron. lib. 12. ad familiar. epist. 13.*]

De rebus Dolabellæ ejusque ad urbem Laodicenam accessu, extant
ad Ciceronem, in libro 12. ad familiares, duæ scriptæ epistolæ: 14^a, à
P. Lentulo ex Pamphylîâ IIII Nonas Junias (non Kalendas: ut ex
sequenti ejusdem ad Senatam epistolâ, ad quam ista nos refert, aperte
liquet) Pergæ data; & 13^a, à Cassio posterius ex Cypro Idibus Ju-
nii missa. In priore, de Dolabellæ intra Laodiceam recepti angustiis
ita retulit Lentulus. *Ibi spero celeriter eum pœnas daturum. Nam neque
quò refugiat, habet: neque diutius poterit tantum exercitum Casii sustinere.*
Alterâ epistola Casii, ni fallor, est Parmensis (qui Julii Cæsaris per-
cussorum etiam unus ipse fuit; & objurgatoriam illam ad Octavianum
epistolam scripsit, à Suetonio in *Octavio* cap. 4. citatam:) non C. Cas-
sii Longini, qui Proconsulis Syriæ titulum tum gerebat. Hujus enim
in fine epistolæ ille meminit: ubi & hujus & Dolabellæ castrorum
conditionem diligentius hisce verbis ab illo habemus representatam.
*Dolabellam, ut Tarsenses pessimi socii, ita Laodicensi multo amentiores, ultra
acceserunt: ex quibus utrisque civitatibus, Græcorum militum numero,
speciem exercitus effecit. Castra habet ante opidam Laodicæam posita: &
partem muri demolitus est; & castra opido conjunxit. Cassius noster cum
decem legionibus, & cohortibus viginti auxiliaribus, & quatuor millibus
equitum, à millibus passuum viginti castra habet posita Pali: & existimat
se sine prælio posse vincere. Nam jam ternis tetradrachmis triticum penes
Dolabellam est: ut, nisi quid navibus Laodiceorum supportavit, cito fame
pereat necesse sit. Ne supportare possit, & Casii classis bene magna cui præ-
est Rutilius Rufus, & tres quas adduximus, ego, Turulius, & Patiscus, faciliè
præstabunt.*

Quum Dolabella Laodiceæ aliquot dies viribus potior fuisset, præ-
fertim classe eum suâ celeriter ex Asiâ subsecutâ, ad Aradios traje-
cit; ab his quoque pecuniam & naves accepturus. Quo in loco de-
prehensus cum paucis, salutem in discrimen conjecit. Quumque fu-
gam

gam iniisset, Cassio jam exercitum adducenti occurrit; victusque ab eo pugna, Laodiceam se recepit. [*Dia, lib. 47. pag. 344.*]

Cassius veritus ne Dolabella inde evaderet, per transversum isthmum duorum stadiorum spatio excitavit aggerem; saxis & omnis generis materie congestâ ex suburbanis villis sepulchrisque. Naves etiam à Phœnice ac Lyciâ Rhodôque per nuntios petiit. Contemptusque ab omnibus præter Sidonios, navale prælium cum Dolabella inivit: in quo utrinque satis multis navibus demersis, quinque unâ cum navalibus sociis in Dolabellæ potestatem redactæ sunt. [*Appian. lib. 4. pag. 624.*]

Tum Cassius rursus nuntios misit ad eos qui priora imperata contempserant; & ad Cleopatram Ægypti reginam, & ad Serapionem qui in Cypro copiis ejus præerat. Tyrû & Aradii, & Serapio, reginâ inconsultâ, miserunt naves quotquot habebant: regina verò ipsa, causata Ægyptios fame simul & peste laborare, suppetias omnino non tulit. [*Id. ibid. cum lib. 5. pag. 675.*] Rhodii quoque Lyciisque negaverunt se vel Cassio vel Bruto laturos: opem ad bella civilia: nam & Dolabellæ se dedisse naves tantum in hoc, ut eum deducerent, nec scire an in bello utatur earum operâ. [*Id. lib. 4. pag. 625.*]

Tarsenses Tullium Cimbrum (qui Bithyniæ tunc præerat, ipse quoque unus ex Cæsaris percussoribus) ad opem Cassio ferendam properantem, Tauri transitu prohibere conati sunt: mox verò ejus claustra metu correpti deserentes, quod multas cum Cimbro esse copias putabant, pactioem cum eo fecerunt: Sed postea intellectâ militum ejus paucitate, neque urbe eum receperunt, neque comœtatum ei supeditârunt. Itaque Cimber auxilium Cassio ferre quàm Tarsum expugnare potius existimans, castello ipsis objecto, in Syriam abiit. Tarsenses eò cum armatis profecti, castello occupato, adversus urbem Adana, (quæ urbs vicina ipsis, semper controversiam cum ipsis habuerat) quod eam Cassii partibus favere dicebant, arma verterunt. De quo certior factus Cassius, L. Rufum contra Tarsenses, misit. [*Dio, lib. 47. pag. 345.*]

Cassius, reparatis pro facultate viribus, postquam Staius Mærcus classe collectâ advenisset, denuo bis cum Dolabella confixit navali certamine; primùm dubio martè, iterum multo superior: A terrâ quoque perfecto aggere, arietes admoti sunt mœnibus. Dolabella, & terrâ & mari subvectione rerum necessariorum interclusus, ob penuriam excursionem tentatâ, in urbem statim compulsus est. [*Id. ibid. Appian. lib. 4. pag. 625.*]

Cassius, quum nocturnas excubias quibus præerat Marsus non potuit pecuniis corrumpere, corripit centuriones in diurnis stationibus, quibus præerat Quintius, atque ita Marso interdium quiescente, per aliquot minores portas intrò admissus est. Caprâ urbe Dolabella satelliti cervicem feriendam præbuit, jussu ut abscisso capite salutem suam redimeret: fecitque ille imperatum, sed seipsum jugulavit insuper. [*Appian. ibid. cum lib. 5. pag. 673.*] Deillium verò (sive Q. Dellium historicum) ab Dolabella ad Cassium transiturum, salutem sibi pactam fuisse, si Dolabellam occidisset, in M. Senecæ Suasoria 1^{is} legimus.

Atque

Atque ita Dolabella Laodiceæ à Cassio mori coactus est. [*Liv. lib. 121. Strabo, lib. 16. pag. 752. Vellei. Patercul. lib. 2. ca. 69. Dio, lib. 47. pag. 345. Oros. lib. 6. ca. 18.*] Cum quo & Marsus sibi ipse manus intulit, [*Appian. lib. 4. pag. 625.*] & legatus Dolbellæ M. Octavius. Eos, quanquam Trebonium inhumatum projecissent, tamen sepulturâ dignatus est Cassius: quique eorum castra secuti supererant, quanquam fuerant ab iis qui Romæ erant hostes judicati, nihilominus salute eos donavit impunitatæque. Neque Laodicenses, præter impositam pecuniæ collationem, ullâ poenâ affecit. [*Dio, ut supr.*] licet eorum & fana & ærarium illum diripuisse, nobilissimum quemque affecisse supplicio, & à cæteris gravissima tributa exegisse dicat Appianus; ita ut eam civitatem ad extremam redegerit miseriam. [*pag. 625. & 626.*]

Dolbellæ exercitum sacramentum sibi dicere iussit Cassius. [*Appian. ibid. pag. 625.*] ac deinde Tarsum advenit. Et quum Tarsenses jam Ruffo deditioem fecissent; omni eos publicâ privatâque pecuniâ multatos, alio supplicio nullo affecit. [*Dio, ut supr. pag. 345.*] Multam verò 1500 talentorum illis imposuit gravissimam. Unde illi præinopiâ, quum milites violenter pecuniam exigerent, vendiderunt omnia ornamenta publica, atque sacra etiam; concidentes tum fercula pomparum tum donaria. Et quum ne hæc quidem sufficerent, vendiderunt magistratus ingenua corpora; primùm virgines ac pueros, deinde mulieres & senes miseros addictos minimo, postea juvenes. Ex quibus plerique mortem sibi consciverunt. [*Appian. ibid. pag. 626.*]

Quum post captam Laodicæam undique dynastæ concurrerent, munera & coronas Cassio ferentes; Herodes expectabat daturum esse illic poenas Malichum facinoris in patrem Antipatrum commissi. At ille circa Tyrum Phœnices suspitione conceptâ, majora moliri cogitavit: & quia filius ejus obses in eâ urbe servabatur, decrevit eam ingredi, & furtim illum in Judæam abducere; & dum bello contra Antonium occuparetur Cassius, Judæorum gentem ad deficientum à Romanis concitare, dejectoque Hyrcano sibi regnum acquirere. Sed Herodes homo callidus intellecto ejus proposito & ipsum & Hyrcanum cum comitibus ad cœnam invitavit. Deinde famulorum quendam instruendi convivii specie præmisit, re autem verâ ad tribunos, ut Malicho cum pugionibus occurrerent. Illi præceptorum Cassii memores, egressi & nacti eum prope urbem in littore, confoderunt hominem. Quo facto Hyrcanus ad eum est attonitus, ut obmutuerit. Tandem ægrè ad se reversus, percontabatur Herodem quid hoc rei esset, & quis Malichum interfecisset. Et quum ex tribunis unus respondisset, jussu Cassii id esse factum: *Planè, inquit, & me & patriam meam Cassius servavit incolumem; qui amborum insidiosorem peremit.* Utrum autem ex animo dixerit, an quòd timore factum probaret, incertum est. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 9. & lib. 14. Antiquit. ca. 20.*]

Pridie Kalendas Quintiles M. Lepidus (ob receptum M. Antonium) hostis à Senatu judicatus est, cæterique qui unâ cum illo à republicâ defecerunt: quibus tamen ad sanitatem redeundi ante Kalend. Septembr. potestas facta est. Ita ad Lepidi affinem C. Cassium scripsit

psit Cicero: [*lib. 12. ad familiar. epist. 10.*] hoc etiam addito. *Præclare viceramus, nisi spoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepisset Antonium. Itaque nunquam tanto odio civitati Antonius fuit, quanto est Lepidus. Ille enim ex turbulentiâ republicâ, hic ex pace & victoriâ bellum excitavit.*

In eâdem quoque epistolâ ostendit Cicero acceptas fuisse Cæsii litteras, Nonis Martiis ex castris datas; quibus Syriam se tenere, & expeditionem in Ciliciam adversus Dolabellam parare, significaverat; sed de expeditionis illius successu & Dolabellæ casu nihil adhuc certi Romæ fuisse intellectum. Cæsari autem de reditu in gratiam, & Senatui similiter ut Brutus de præsentis statu rerum, ille scripserat: [*Dio, lib. 47. pag. 343.*] Ipse enim Brutus quoque, missis ad Cæsarem litteris, ut Antonio resisteret ac secum in gratiam rediret hortabatur. [*Id. ibid. pag. 340.*] licet in suis ad Ciceronem litteris longè alios ille spiritus præ se tulerit. Nam quum scripisset ad Cæsarem Cicero, *unum esse quod ab eo postuletur & expectetur, ut eos cives, de quibus viri boni, populusque Romanus bene existimaret, salvos esse vellet, stomachabundus Brutus sic ad Ciceronem rescripsit. Quid si nolit? non erimus? Atqui non esse, quàm esse per illum, præstat. Ego, mediussidius, non existimo tam omnes deos aversos esse à salute populi Romani, ut Octavius orandus sit pro salute cujusquam civis, non dicam pro liberatoribus orbis terrarum.* [*Lib. ad Brut. epist. 16.*]

Senatus de Cassii rebus certior factus, imperium Syriæ (quod jam tenebat) illi confirmavit, ac bellum contra Dolabellam (quem jam extinctum ignorabat) demandavit. [*Dio, lib. 47. pag. 343. & 344.*] Atque ita omnia transmarina imperia Bruti & Cassii commissa sunt arbitrio; mandatūque, ut quicquid provinciarum exercitūque ab Ionio mari Orientem usque Romanis parebat, horum duorum mandata faceret: comprobatis quæ illi fecerant omnibus, laudatīque quicumque his se tradidissent exercitibus. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 62. cum Appiano, lib. 3. pag. 567, 568.*]

Octavianus, videns acta Senatus manifestè spectare ad augmentum Pompeianarum partium & detrimentum Cæsarianarum, atque contumeliâ se affectum existimans, quod non ipse sed Decimus Brutus electus esset imperator ad gerendum bellum cum Antonio, dissimulatâ irâ triumphum ob rem in prælio Mutinensi feliciter gestam petiit. Contemptus autem à Senatu, quasi majora quàm pro ætate appeteret, veritus ne deletio Antonio magis etiam contemneretur; de redeundo cum eo in gratiam cogitare cœpit, juxta Pansæ morientis monita. [*Appian. lib. 3. pag. 568. & 577.*] quæ & per M. Lepidum cum eo reconciliata est. [*Liv. lib. 119. Oros. lib. 6. ca. 18.*]

Inter hos igitur tres, intercedentibus epistolarum commerciis, & conditionum in iis mentione factâ, potentia inita est societas. cum Antonius & subinde Cæsarem admoneret, quàm inimicæ ipsi partes Pompeianæ forent & in quod jam emerfissent fastigium, & quanto Ciceronis studio Brutus Cassiūque attollerentur; denunciarētque se cum Bruto Cassiōque, qui jam decem & septem legionum potentes erant, juncturum vires suas, si Cæsar ejus aspernaretur concor-

diam : diceretque plus Cæsarem patris, quam se amici ultioni debere. Hortantibus etiam orantibusque exercitibus, inter Antonium & Cæsarem facta est affinitas, privignâ Antonii desponsatâ Cæsari. [Vell. Patere. lib. 2. cap. 65.] Claudiâ nimirum, Fulviæ ex primo marito P. Clodio filiâ vix dum nubili. [Sueton. in Octavio, cap. 62.]

Societate cum M. Antonio & M. Lepido ita inîta, Octavianus 400 milites Romam misit, quî sibi nomine exercitus deposcerent Consulatum. Ubi cunctante Senatu, Cornelius centurio princeps legationis, rejecto sagulo, ostendens gladii capulum, non dubitavit in Curia dicere : *Hic faciet, si vos non feceritis.* Et coactus à suis militibus Octavianus, Romam cum iis contendit. [Sueton. in Octavio, cap. 26. Appian. lib. 3. pag. 582. Dio, lib. 46. pag. 319.]

Dum in itinere ille erat, Prætores custodias certis locis urbis collocaverunt : & Janiculum militum præsidio quos ad urbem habebant duabusque legionibus quæ ex Africa advenerant, occupaverunt. Sed ubi ille urbem ingressus est, Prætores etiam è Janiculo descenderunt, seque & milites illi dederunt : legionibus sponte signa ad eum transferentibus. [Appian. ut supr. pag. 584, 585. Dio, pag. 320.] Mense verò *Sextili*, ex Janiculo legiones deductæ secutaque sunt ejus auspicia ac fides : ut in Senatusconsulto apud Macrobius, [lib. 1. Saturnal. cap. 12.] legitur.

Primo comitorum Consularium die, Octaviano augurium captanti in campo Martio sex vultures apparuerunt ; deinde creato Consuli, & ex rostris milites alloquenti iterum sex vel, ut alii volunt, duodecim se vultures, veluti Romuli auspiciis novam urbem condituro ostenderunt : unde & ejus monarchiam sibi obventuram ille sperabat. [Julius Obsequens, de prodigiis. Sueton. in Octavio, cap. 95. Appian. lib. 3. pag. 586. Dio lib. 46. pag. 321.] Electus verò est ipse Consul cum quo volebat collegâ Quinto Pedio ; qui portionem suam ex Julii Cæsaris hæreditate illi donaverat. [Vell. Patere. lib. 2. cap. 65. Appian. lib. 3. pag. 586. Dio, lib. 46. pag. 320.]

Cum annos XIX haberet, Consulem creatum cum fuisse, dicit Livius. [lib. 119.] XX ætatis anno Consulatum invasisse, rectius scripsit Suetonius [in Octavio, cap. 26.] & in libro 7º Eutropius : quod & ex ipsius Octaviani Commentariis Plutarchus confirmat, ita scribens in *Bruto*. *Τὰς δυνάμεις τῆ πόλεως ὑπερίστος ὑπάλειψεν ἑλάσθαι, ἔπειτ' ἄντι μείρακιον ὄν, ἀλλ' εἰρηστὸν ἀγῶν ἐστὶν, οἷς αὐτὸς ἐν ταῖς ὑπομενήσεσσι εἰρηκεν.* Circumsaso Urbi exercitus Consulatum accepit vix dum adolescens & vigesimum annum agens ; ut in Commentariis ipse retulit. Consulatum iniisse pridie, quam viginti annos impleret, X Kalendas Octobres, scripsit Velleius Patereulus. [lib. 2. cap. 65.] Sed in die initi Consulatus annotandò Velleius lapsus est : & mensis integer cum diebus quinque complendo vigesimo Octaviani anno tum defuit. Neque enim mense Septembri quo natus est ; sed *Sextili* primum Consulatum illi obtigisse, indeque mensi illi *Augusti* nomen fuisse inditum, ex Suetonio, [in Octavio, cap. 31.] Dione, [lib. 55. pag. 552.] & Senatusconsulto à Macrobio productò, [lib. 1. Saturnal. cap. 12.] constat.

Et quidem 19 mensis Augusti die, & primum Consulatum illum iniisse,

iisse, & vitâ excessisse, notavit Dio. [*lib. 56. pag. 590.*] Unde & curiosorum illa observatio apud Tacitum [*lib. 1. Annal. cap. 9.*] est nata: quòd idem dies accepti imperii princeps, & vita supremus fuerit. imperio non malè à primo hoc Consulatu deducto: quem & invito Senatu extorsit, (ut apud Tacitum est, lib. 1. Annal. cap. 10.) & pro arbitrio deposuit. quanquam Senatui gratias se habere ille simulabat; ac quæ iis vi adactis adeptus fuerat ea, quasi ab ipsis ultro sibi oblata, beneficium se putare fingebat. Senatores verò gloriabantur, quòd ea ipsi suâ sponte contulissent: ac eidem præterea, quem paulo antè Consulatu non dignabantur, id dederunt, ut etiam peracto consulatu, quotiescunque apud exercitum esset, Consulibus cujusque temporis. honore anteiret. ac cui pœnam minati fuerant, quòd privato consilio copias contraxisset, eum alios etiam exercitus parare iusserunt; & cujus ignominia affiendi opprimendique causâ, bellum Decimo Bruto contra Antonium mandaverant, & Bruti quoque legiones adjecerunt. Denique & Urbis ei custodia commissa est; utque facultatem haberet, etiam præter legum præscripta, agendi omnia quæ vellet concessum. [*Dio, lib. 46. pag. 321.*] Atque hoc imperium, quòd usque ad vitæ exitum retinuit, per annos integros 56. ille gessit. Ut non sine causâ M. Brutus hæc de re Ciceronem ita præmonuerit. [*in lib. ad Brut. epist. 4.*] *Timeo ne Cæsar tuus altius se adscendisse putes decretis tuis, quàm inde, si Consul factus sit, descensurum.*

Octavianus, non contentus priore adoptione per testamentum Julii Cæsaris factâ, per plebiscitum, (quòd priore anno Consul Antonius impediverat) lege curiatâ perlatâ, eam confirmandam curavit: indeque publicâ autoritate C. Julii Cæsaris Octaviani nomen usurpavit. [*Appian. lib. 3. pag. 586. Dio, lib. 46. pag. 321, 322*]

Mox aliâ lege latâ Dolabellam (de cujus morte nuntius adhuc Romam non pervenerat) à Senatu prius hostem judicatum absolvit; & de Cæsaris nece judicia constituit. [*Appian. ibid.*] Quâ in re, ne vi, sed jure agere existimaretur, legem Pediam tulit Q. Peditus ejus in Consulatu collega: quâ omnibus, quorum operâ Cæsar interfectus fuerat, damnatis aquâ ignique interdicebatur, eorumque bona publicabantur. [*Liv. lib. 120. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 69. Sueton. in Nerone, cap. 3. Dio, lib. 46. pag. 322.*] Accusatorem apposuit M. Bruto L. Cornificium, C. Cassio M. Agrippam: qui absentes, indictâ causâ, damnati sunt. [*Plutarch. in M. Bruto.*] Capitone Velleii Paterculi historici patruo, viro ordinis senatorii, Agrippæ subscribente in C. Cassium. [*Vellei. ut supr.*]

Decimus Brutus, inter percussores Cæsaris cum his etiam absens damnatus, jussu M. Antonii in domo hospitis cujusdam, nobilis viri nomine Camelii, à Capeno Sequano setquianno post interemptum Cæsarem jugulatus est. [*Liv. lib. 120. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 64. Appian. lib. 3. pag. 588. Oros. lib. 4. cap. 18.*] Quem licet excellere hoc genere virtutis dixerit Cicero; [*lib. 11. ad familiar. epist. 21.*] *ut nunquam exzimesceret, nunquam perturbaretur*: in morte tamen subeundâ pudendum timorem prodidisse, in epist. 82. declarat Seneca. Quem timorem ut illi demeret, Helvius Blasio quidam, qui propter communem militiam

cum amore prosequeretur, seipsum eo inspiciente interfecit; suo cum exemplo ad tolerandam necem animans. [*Dio, lib. 46. pag. 325.*] Interfecti verò Bruti caput Camellius ad Antonium misit: quod inspectum ille sepeliendum suis tradidit. [*Appian. ut supr.*]

Hic secundus post Trebonium Cæsari poenas dedit: cujus cum primus omnium amicorum fuisset, interfectus fuit; censebaturque æquum, quæ acceperat à Cæsare retinere, Cæsarem qui illa dederat perisse. Cæsare verò vivo, Magister ejus equitum ille fuit, & ulteriori Galliæ præfuit; designatus ab eo Consul, in annum post Hirtii & Pansæ consulatum proximum, simulque rector citerioris Galliæ. [*Vellei. Paterc. & Appian. ut supr.*]

Per idem tempus & Minutius Bassillus, æquè unus è percussoribus Cæsaris, à suis servis necatus est; quia ex eis aliquot iratus castraverat. [*Appian. & Oros. ut supr.*]

3962

M. Brutus, quum exercitum à C. Antonio ad seditionem concitatum pacavisset, ipsumque Antonium in custodiâ Caii cujusdam Clodii Apolloniæ reliquisset, cum maximâ ac validissimâ exercitus parte in superiorem Macedoniam abiit: ac deinde hinc in Asiam transmisit, ut suos milites quam longissimè ab Italiâ seductos, ibi ex subditorum opibus aleret. Atque in Asiâ tum alios auxiliarios sibi paravit, tum Deiotarum; quanquam & extremâ senectute virum, & qui prius auxilium Cassio negaverat. [*Dio, lib. 47. pag. 340, 341.*]

M. Antonius & M. Lepidus, relictis in Galliâ legatis, in Italiam ad Cæsarem cum maximâ atque optimâ exercitus parte profecti sunt. [*Dio, lib. 46. pag. 325.*] Quorum trium contractis ad Bononiam copiis, aquila tentorio Cæsaris superfedens, duos corvos hinc & inde infestantes ad terram afflixit: notante omni exercitu, futuram quandoque inter collegas discordiam talem qualis est secuta, & Cæsaris de duobus aliis victoriam præfagiente. [*Id. lib. 47. pag. 328. Sueton. in Octavio, ca. 96.*]

Hi tres apud Confluentes, circa Bononiam & Mutinam in parvâ quâdam insulâ Lavinio fluvio circumfusâ, per tridui spatium privatim collocuti, pacem ita inter se fecerunt, ut Reipublicæ constituendæ simul per quinquennium præessent. [*Liv. lib. 120. Florus, lib. 4. ca. 6. Plutarch. in Cicerone, & Antonio. Appian. lib. 4. pag. 589, 590. Dio, lib. 46. pag. 325, 326.*]

Ibi de communi sententiâ hæc statuerunt. Ut Cæsar consulatum in reliquum anni Ventidio traderet: & ut novus magistratus Triumvirorum ad tollendas civiles dissensiones crearetur, eamque Lepidus cum Antonio Cæsareque in quinquennium consulari potestate gereret. Ut triumviri confestim in quinquennium urbanos magistratus annuos designarent: provincias verò ita partirentur, ut Antonius haberet universam Galliam, tam Togatam cis quam Comatam trans Alpes, exceptâ Narbonensi provinciâ; huic Lepidus præficeret unâ cum Hispaniâ; Cæsari obveniret utraque Africa cum Sardiniâ & Siciliâ. Atque ita imperium Romanum in triumviros divisum est: dilatis in aliud tempus transmarinis aliis provinciis, quibus Brutus & Cassius tum præerant. Præterea compositum inter ipsos est, ut inimicos suos cæderent:

derent : útque Lepidus loco Decimi Bruti in sequentem annum Consul designaretur, Romamque & totam Italiam in custodiã haberet ; Antonius verò & Cæsar contra Brutum & Cassium bellum moverent. [*Appian.lib.4.pag.590. Dio, lib.46. pag.326.*]

Romam deinde Triumviri triduo ingressi sunt, seorsim quisque cum suã prætoriã cohorte, & legione unã : advocatãque concione Publius Titius tribunus plebis legem tulit de novo magistratu creando, ut Triumviri constituendæ Reipublicæ præessent in quinquenni-um cum potestate consulari. [*Appian. ibid. pag.592,593. Dio, lib.47. pag.328.*]

M. Cicero sub adventum Triumvirorum cessit Urbe; pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se, quàm Cæsari Cassium & Brutum posse. [*Livius; apud Senecam, in orat. Suasoriã 7.*]

M. Æmilius Lepidus, M. Antonius & Cæsar Octavianus, V Kalend. Decembr. triumviratum inierunt; eundem ad prid. Kalendas. Januar. sextas (sive sexti anni consequentis) continuandum : ut ex lapide Colotiano liquet. [*in Inscript. Gruteri, pag. CCXCVIII.*] Quo tempore novam *Tricipitinam* exortam M. Terentius Varro vidit. Indèque initium principatus Cæsaris Octaviani Suetonius [*in Octavio, ca. 8.*] et Eutropius [*libro 7.*] deducunt : annos ferè XII ad victoriam Actiacam (à quã monarchiam ejus auspiciantur) numerantes; quibus menses propè tres deerant.

VII Idus Decembr. anni illius, quo Cæsar Octavianus in locum Pansæ & Hirtii se & Q. Pedium Consules suffecit, ab emissariis Antonii triumviri M. Cicero est occisus : ut ex Tironis, liberti Ciceronis, scriptis confirmat author Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ, Corn. Tacito adscripti. Hunc vitæ exitum habuit ille, primus in togã triumphum linguæque lauream meritus, & facundiæ Latiarumque literarum parens : atque (ut dictator Cæsar quondam de eo scripsit) omnibus triumphis lauream adeptus tanto majorem, quanto plus est ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quàm imperii. [*Plin. lib. 7. ca. 30.*] De quo videnda quæ habentur apud Velleium Paterculum, *lib. 2. ca. 66.* Senecam, in *Suasoriis, oratione VII,* & Plutarchum, in *Ciceronis sui fiae.*

Cleopatra Cassio, auxilia iterum minaciter expetenti, suppetias non tulit. [*Appian lib. 5. pag. 675.*]

Dum in Asiã M. Brutus ageret, Gellius ei Publicola insidiatus est : in Macedoniã autem C. Antonium Marcus frater, missis ad hoc negotium nonnullis, ex Bruti potestate eripere est conatus. Itaque C. Antonium Clodius illius custos relictus, quum salvum retinere nequiret, necavit : sive proprio usu consilio, sive Bruti jussu. Ferrur enim Brutus, quum prius summam salutis C. Antonii curam habuisset, post intellectã Decimi nece, eam abjecisse. Gellius autem insidiarum convictus, nullo supplicio est affectus. Nam quum eum semper inter primos amicum sibi Brutus duxisset, ac M. Messalam fratrem ejus Cassio conjunctissimum sciret; missum fecit. [*Dio, lib. 47. pag. 341.*]

Brutus ubi primùm M. Antonii conatum ac mortem C. Antonii

cognovit, veritus ne qui etiam alii se absente novi motus in Macedoniâ existerent, in Europam festinatò se recepit. [*Id. ibid.*]

Romæ triumviri templum Serapidi & Isisi decreverunt. [*Ibid. pag. 336.*]

Quum Cæsar Octavianus Consulatu sese abdicasset, ejusque collega (Q. Pedius) vitâ decessisset; P. Ventidium (Basum) prætorem, cum alio quodam (C. Carrinate: ut ex lapide Colotiano, in *Inscript. Gruteri*, pag. CCXCVIII. intelligitur) Consulem triumviri creaverunt, præturamque ejus ædili cuidam tradiderunt: omnibusque post prætoribus magistratum, quem quinque adhuc dies gesturi erant, abrogaverunt; iisque in provincias emissis, alios in eorum locum substituerunt. [*Ibid. pag. 335.*] Quò referendum illud Paterculi, lib. 2. ca. 65. *Vidit hic annus Ventidium, per quam urbem inter captivos Picentium in triumpho ductus erat, in eâ Consularem prætextam jungentem Prætorie.* de quo, puero ducto in triumpho, videndus Valerius Maximus lib. 6. cap. 9. Plinius, lib. 7. cap. 43. & A. Gellius, lib. 15. cap. 4. ubi etiam addit, eum quum adolevisset victum sordidè quævisse, comparandis mulis & vehiculis magistratibus qui sortiti provincias forent: indèque vulgo per vias Urbis verficulos hos perscriptos fuisse.

*Concurrere omnes Augures, Aruspices,
Portentum inusitatum conflatum est recens;
Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.*

In ipso anni exitu, novi Consules designati triumphos egerunt: L. Munatius Plancus ex Galliâ, IIII Kalend. Januar. & M. Æmilius Lepidus Triumvir ex Hispaniâ, pridie Kalend. Januar. ut ex Fastis triumphalibus marmoreis liquet. [*in Inscript. Gruteri, pag. CCXCVII.*] Vid. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 67. & Appian. lib. 4. pag. 607.

Anno Juliano 4^o in Februario dies vitiosè intercalatus est: quum à Februario anni primi Juliani eoque triennii solum spatium intercessisset. Qui error usque ad annum Julianum 37. deinceps est continuatus. nam cum oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto antequam quintus inciperet, intercalare: Sacerdotes quarto non peracto sed incipiente intercalabant. Atque ita annus à Julio Cæsare rectè ordinatus, horum negligentiam conturbatus atque confusus est. [*Sueton. in Octavio, ca. 31. Macrobi. lib. 1. Saturnal. ca. 14. fin.*]

M. Brutus, omnibus in Macedoniâ stabilitis, in Asiam reiectus est. [*Dio. lib. 47. pag. 341.*] Et exercitu magnifico in eam deportato, classem in Bithyniâ & apud Cyzicum paravit. Pedestri itinere profectus civitates composuit, & dynastas audivit. [*Plutarch. in M. Bruto.*] Apuleium à Triumvirorum proscriptione ad ipsum confugientem Bithyniæ præfecit. [*Appian. lib. 4. pag. 616.*]

Feruntur Bruti epistolæ, Laconicâ brevitate ad Asianos conscriptæ: quas Græcè Aldus, Latine à se versas Rainutius Florentinus edidit. Earum tres in ejus Vitâ Plutarchus recitat: quarum prima ad Pergamēnos, in vulgatæ collectionis cernitur principio; alia ad Rhodios, deinceps à nobis exhibebitur; tertia omnium brevissima, in vulgatâ

4672 42

garâ Græcâ ad Bithynos, in Latinâ Rainutianâ ad Galatas, apud Plutarchum verò ad Samios inscripta, ita se habet. Αἰ. βυδαὶ ὑμῶν ὀλιγωρεῖ, αἰ ὑπεργίαι βραδύται; τὸ τέταρτον τῶν β. ἐνομιθεῖ; & Consilia vestra nullius pensi, obsequia tarda sunt: quem eorum finem futurum esse existimatis?

Cassius Ægyptum petere instituit, audito quòd Cleopatra magnâ classe navigâset ad Cæsarem & Antonium: cogitans se hoc modo eam impediturum simul & puniturum; atque etiam occupare cupiens fame afflictam, & externo mûlite penè vacuum; propter recentem Allieni cum quatuor Romanis legionibus discessum. [Appian. lib. 4. pag. 625. cum lib. 5. pag. 675.]

In hoc conatu sperantem se occasione bene usurum, Brutus aliis post alios nuntiis in Syriam missis revocavit. [Id. ibid. Plat. arch. in M. Bruto.] Sicque invitus à speratâ Ægypto distractus, equites sagittarios non sine muneribus ad Parthorum regem remisit, legatòsque eis adiunxit, qui majora auxilia peterent. [Appian. lib. 4. pag. 625.]

Cassius, fratris filio cum unâ legione in Syriâ relicto, equites præmisit in Cappadociam: qui Ariobarzanem repentè oppresserunt, quasi insidias struxisset Cassio; magnâque vim pecuniæ cum cætero apparatu ad Cassium reportârunt. Tarsenses verò miserimè oppressos è Syriâ revertens miseræus Cassius, immunes à triburis iussit esse de cætero. [Id. ibid. pag. 626.] Sicque rebus in Syriâ ac Ciliciâ constitutis, in Asiam ad Brutum profectus est. [Dio, lib. 47. pag. 345. fin.]

Postquam Cassius excessit è Syriâ, seditio Hierosolymis exorta est. Felix enim cum militibus ibi (à Cassio) relicto, Malichi necem vindicaturus, in Phasaëlum fecit impetum: & populis arma corripuit. Erat tum Herodes apud Fabium Damasci præsidem; & volens fratri succurrere, morbo præpeditus est. Phasaëlus tamen per se superatum Felicem in turrim primùm compulit, atque incolumitatem deinde pactum abire passus est. Cum Hyrcano verò expostulavit graviter, quòd post accepta multa à se beneficia, & Felici studisset, & fratrem Malichi castella occupare permisisset. Non pauca enim tunc ille tenuerat, & inter cætera Masadam longè munitissimam. [Joseph. lib. 1. Belli, ca. 10. & lib. 14. Antiquit. ca. 20.]

Cassium & Brutum convenientes ad Smyrnam magna voluptas & fiducia ex præsentibus utriusque viribus inaccessit. Nam quum ex Italiâ abjectissimorum exulum modo fuissent profecti inopes atque inermes; quibus nulla instructa navis, non unus miles, non opidum erat: haud multo interposito spatio coierunt classe, peditatu, equitatu, stipendio instructi ad decertandum de Romano imperio. Parem volebat Cassius honorem habere & tribuere Bruto: verùm occupavit Brutus plerunque ad eum ventitans; quòd & ætate Cassius esset superior, & corpore minùs ad laborem ferendum comparatus. [Plutarch. in M. Bruto.]

Hic verò uterque futuri adversus Triumviros belli consilia ordinavit. [Liv. lib. 122.] Et censebat quidem Brutus conjunctis copiis eundem in Macedoniam, ut de summâ rerum decernerent: jam enim apud hostem esse legiones 40. ex quibus octo transportatæ fuerint per mare

mare Ionium. E diverso Cassius contemnendas censebat hostium copias, egestate laboraturas præ nimiam multitudinem: debellandos potius fautores adversæ factionis, Rhodios ac Lycios, potentes classibus; ne se in hostem conversos à tergo invaderent. Et hæc vicit sententia. [*Appian. lib. 4. pag. 626.*] Triumviros enim adhuc rebus Romæ componendis intentos fuisse acceperunt: & Sexto Pompeio in propinquâ Siciliâ adversum eos stationem servante, occupatos fore judicaverunt. [*Dio, lib. 47. pag. 346.*]

Porro Smyrnæ tunc Brutus partem ferre pecuniæ, cujus magnam vim coëgorat Cassius, postulavit. Se enim quicquid habuisset impendisse ostendit in parandam classem, quâ totum internum mare essent in potestate suâ habituri. Sed ne daret Cassius obsistebant amici ejus; negantes æquum esse ut quæ ipse parcendo servaret, & conflaret cum invidiâ, ea ille in milites demulcendos effunderet. Attamen imperavit ei tertiam partem omnium: iterumque ad sua uterque munera sunt digressi. [*Plutarch.*]

Ipsi igitur circumeuntes, aut legatos suos emittentes, eos qui nondum secum in eandem sententiam venissent, suas in partes traduxerunt; pecuniâque & milites contraxerunt. Hoc agentibus alii omnes, qui in istis terræ partibus agebant, ac prius de societate compellati non fuerant, statim accesserunt. Ariobarzanes tantum, & Rhodii Lyciique, etsi non resistebant, societatem tamen detrectare. Eos Brutus ac Cassius suspicari adversæ parti cupere, quod essent beneficiis à superiore Cæsare affecti, veritique ne quid se absentibus moverent, ac reliquos etiam ad mutandam fidem concitarent, primò omnium sibi aggrediendos esse statuerunt: sperantes se eos, quibus & armis longè essent superiores, & beneficia liberaliter conferrent, faciliè aut suadendo aut vi ad suam amicitiam perducturos. [*Dio, ut supr.*]

Ut convaluit Herodes, contra fratrem Malichi profectus, castella ab illo occupata recepit; ipsùmque ex Masadâ supplicem & incolumitatem pactum dimisit. Tres quoque arces, à Marione Tyrionum tyranno in Galilæâ occupatas, idem recepit, & prædidiarius Tyrius vitam concessit omnibus: nonnullos etiam donatos abire jussit, unâ & sibi civitatis benevolentiam & tyranno comparans odium. [*Joseph. lib. 1. Belli, ca. 10. & lib. 11. Antiquit. ca. 20, 21.*]

A triumviris Tarshenses, qui Cassio restiterant, laudati sunt: spèscque eis facta, fore ut pro iis quæ amiserant aliquid reciperent. Ab iisdem quoque Cleopatra, propter auxilia Dolabellæ summissa, impetravit; ut ejus filius, Ptolemæi nomen gerens, quem è Cæsare se peperisse ferebat & propterea Cæsariorem cognominaverat, Ægypti rex diceretur. [*Dio, lib. 47. pag. 345.*]

Brutus à Lyciis pecuniam & milites poposcit. Verùm quod Naucrates concionator (*δημογωγος*) civitates ad defectionem impulsisset, & tumultos aliquot illi ad excludendum transitu Brutum insedissent: primò immisit in prandentes equitatum, à quo interfecti 600 sunt. Inde captis arcibus & ignobilioribus opidis, omnes, ut gentem conciliaret benevolentiam, sine pretio dimisit. Illi præfracti ob damna quidem

dem accepta infensi fuere; clementiam verò & humanitatem ejus despexere. [*Plutarch. in Bruto.*]

Communem totius gentis Lyciorum exercitum, in finibus ejus regionis sibi oblatum, Brutus prælio vicit: ac cum fugientibus in castra irrumpens, eodem momento iis potitus est; & urbes plerasque deditioe accepit. [*Dio, lib. 47. pag. 347.*]

Bellicosissimos deinde quosque eorum intra muros Xanthi coactos obsedit. [*Plutarch.*] Illi solo æquatis suburbis, ne Bruto aut receptaculum præberent aut materiem, & civitate circumquaque communita, hostem arcebant à munitionibus, freti fossa 50 pedes profundâ, latâ verò proportione altitudinis; ita ut in ejus margine stantes jaculis uterentur & sagittis, haud secus ac si flumine dirimerentur nusquam vadis pervio. Per eam fossam dum Brutus conatur evadere, operarios pluteis tegebat: partitusque exercitum in diurnas ac nocturnas oppugnationis vices, materiem è longinquo, ut sit quando serio res agitur, magno ad celeritatem urgentium clamore comportabat; nihil ad summam contentionem laborémque sibi reliquum faciens. Quamobrem licet primùm videretur, aut nihil effecturus prohibentibus hostibus, aut vix post multos menses expugnaturus, tamen intra paucos dies absolvit negotium. Inclusos enim & è moenibus pugnantes partim machinis oppugnabat eminus, partim admotis ad portam cohortibus, quas ubique mutabat continuè. Illi recentibus semper fessi ac faucii resistentes durabant tamen, quamdiu non destituerentur munitionibus. Ut verò & illæ corruerunt, & turres machinis perfractæ sunt; Brutus id quod futurum erat animo percipiens, jussit porrarum obsessores abscedere: quod Xanthii rati factum custodum negligentia, noctu cum facibus eruptionem fecerunt in machinas. Accurrentibus autem ex composito Romanis cohortibus, illi confestim ad portam refugiebant: quam jam custodes clauserant, timentes ne hostis simul cum fugientibus irrumperet. Ibi exclusorum magna strages est edita. [*Appian. lib. 4. pag. 633, 634.*]

Annis urbem præterfluebat. Hunc sub aquâ tranantes fugam capiebant. Verùm excepti retibus fuerunt transverso alveo in altum demissis: quorum in summo tintinnabula appensa illic irretitum nunciabant. [*Plutarch. in M. Bruto.*]

Eruperunt rursus Xanthii circa meridiem repulsis stationariis, incenderuntque universas machinas: quumque portâ tunc pateret propter casum præteritum, cum opidanis irruerunt Romanorum circiter duo millia, irruentibusque confertim cæteris, porta ferrata repente in eos decidit; sive Xanthiorum operâ, sive sponte abruptis per quos demittebatur funibus. Itaque Romani quotquot irruperant, partim oppressi sunt, partim interclusi, quum non valerent eam absque funibus subducere: petiti que supernè à Xanthiis, vix tandem in propinquum forum evaserunt. Ibi graviter infestati à sagittariis, quum ipsi nec arcus ullos haberent nec jacula, in Sarpedonis ædem ne circumvenirentur refugerunt. Interea Romani qui exclusi sunt, de interceptis anxie solliciti, Bruto circumcursante, locis omnibus nihil non tentabant; quum nec portam ferratam quirent diffringere, & scalas ac ligneas

turres amisissent incendio: at tamen alii scalas faciebant extempore, alii cervos admoventes mœnibus pro scalis eis utebantur, quidam uncos addentes restibus ejaculabantur in mœnia, & quoties aliquis infixus hæreret subrepebant per eas. [*Appian. ut suprà pag. 634.*]

Oenandenses autem vicini hostes, & ideò tunc Bruti socii, per abrupta saxorum scandebant: quos mox Romani laboriosè æmulati sunt; & multis lapsis fallente vestigio, nonnulli superatis mœnibus aperuerunt portulam, ante quam vallum erat ex densis præcutis sudibus. His adjuvantibus audacissimus quisque transcendebat, donec jam aucti numero portam aggressi sunt diffringere, nullis intus munitam laminis; foris quoque aliis pari conatu ex adverso idem agentibus. Quùmque Xanthii magno clamore eos qui ad Sarpedonis refugerant invaderent: hi qui intus & foris portam diffringebant illis metuentes, tanto furoris impetu eam perfrugerunt, ut uno agmine occidente jam sole irrumperent; editâ ingenti conclamatione, ut hoc signum esset his qui interclusi fuerant. [*Ibid. pag. 634, 635.*]

Irruentes in urbem Romani, ignem domibus nonnullis inamiserunt. Id incendium primos perterruit eos in quorum oculis res gerebatur; & iis qui longius aberant captæ prorsus urbis opinionem præbuit. Itaque vicini suis quoque ultro reliquis domibus inflammatis, major pars se invicem interfecerunt. [*Dio, lib. 47. pag. 347.*] Intra privatas enim ædes suas sese recipientes, charissimum quemque necabant ultro præbentem jugulum. Exortoque ejulatu maximo, Brutus putans direptiones fieri, militem per præcones cohibuit. Ut verò exactius rem cognovit, miseratus virorum, ad libertatem natorum generosam indolem, ad pacem eos invitavit per nuntios: quos illi telis immixtis repulerunt; & contrucidatis priùs suis omnibus, atque in rogos compositis, subjectâ flammâ postremò se ipsi jugulaverunt. Ita Appianus. [*ut suprà pag. 635.*] Plutarchus verò hunc in modum.

Timens urbi Brutus, imperavit militibus ut ignem extinguerent & opem ferrent urbi. At Lycios ingens subito invasit & incredibilis ad desperationem ardor, quem maximè mortis desiderio compares. Nam cum pueris & mulieribus liberi & servi omnis ætatis hostes petebant ex muris eos qui ad reprimendum succurrebant incendium. Ipsi arundinem & omne igni aptum fomentum ingerentes trahabant in urbem flammam; eique quamvis materiam subiciebant, atque eam omnibus modis excitabant augebantque. Postquam diffusa flamma & urbem undique amplexa ingens eluxit; anxius eâ de re Brutus circumvectus foris muros est ad opitulandum, manusque ad Xanthios porrigens precabatur, urbi ut parcerent eamque conservarent. Verùm nemo auscultabat ei, imò perdebant omnibus modis semet ipsi: non viri modò & foeminae, sed parvi etiam pueri cum vociferatione & ululatu partim insiliebant in ignem, partim supernè sese ex muro; pars parentum gladiis nudos afferebant jugulos, hortabanturque ut eos cæderent. Conspecta est urbe absumptâ dependens ex laqueo mulier quæ mortuum puerum ex collo suspensum haberet, & ardenti face inflammaret domum. Quod quum spectaculum appareret tragicum, non sustinuit id Brutus contemplari: sed ubi nunciatum ei est illacrymavit,

vit, præmiùmque pronuntiavit militibus, quisquis hominem Lycium servasset. Centum quinquaginta duntaxat memorant fuisse qui non refugerent salutem. Hæc Plutarchus.

Xanthiorum mancipiis tantùm potitum fuisse Brutum, scribit Appianus; ex ingenuorum verò numero, vix 150. mulierculis, quibus viri percussores defuerant. Additque sacras ædes ab incendio servavisse eum quotquot poterat. [*pag. 635.*]

Brutus inde ad Patara descendit urbem quæ navale Xanthiorum videri poterat; obsessisque denuntiavit ut imperata omnia facerent, aut cladem qualis Xanthiorum fuit expectarent. Sed pacem ita offerenti cives non paruerunt. Servi enim libertatem, pauperes liberi novas tabulas nuper consecuti, pacificationi obstabant. Itaque Brutus captivos Xanthios, quòd plerisque horum cum Patarensibus affinitas intercedebat, iis misit; qui deploratâ suâ fortunâ hortarentur eos ad meliora consilia. Qui quum nihilo magis à proposito deducerentur, quamvis unicuique eorum suos necessarios dono dedisset, ejus diei reliquum ad deliberandum eis concessit, atque ita abiit: sequente verò mane reduxit eò copias. [*Appian. ibid. Dio, lib. 47. pag. 347.*] Et catastam sub ipso muro in tuto loco constituens, Xanthiorum captivorum primores singillatim productos vendidit; si fortè hoc Patarenses movere posset. Qui cum ne sic quidem se dederent, paucis venditis, cæteros missos fecit. [*Dio, ibid.*]

Quum Patarensium foeminas captivas Brutus teneret, has etiam missas fecit sine pretio. Quæ ubi viris & parentibus suis, illustribus hominibus, exposuerunt, virum Brutum esse moderatissimum & justissimum; persuaserunt eis ut cederent, & traderent ei opidum. [*Plutarch.*] Ingressus verò ille, nec supplicio quenquam affecit, nec egit in exilium: sed aurum omne argentumque publicum ad se deferri jussit; privatorum quoque exegit à singulis, multâ propositâ contrâ facientibus & invitatis indicibus præmio. [*Appian. pag. 636.*]

Hic servus quidam aurum à domino abditum prodidit, & centurioni ad id missò indicavit. quumque omnes ducerentur, dominus siluit; mater verò illius, ut eum servaret, sequebatur clamans à se aurum absconditum: servus super eâ re non interrogatus, alteram mentiri, alterum aurum celâsse coarguit. Brutus laudatâ tum juvenis patientiâ, tum matris pietate, ambos cum auro dimisit incolumes: servum qui præter æquum heris insidias struxerat, in crucem egit. [*Id. ibid.*]

Eodem tempore & Lentulus missus Andriacam, quod Myrensiùm navale est, ruptâ catenâ quâ os portus claudebatur, Myrensiùm prætorum cepit. Quem cum Brutus dimisisset, Myrenses imperata fecerunt & impositam pecuniam solverunt. [*Appian. & Dio, ut supr.*] Eodemque modo universa Lyciorum natio parvo temporis spatio recepta est: missisque ad Brutum legatis, auxilium & pecunias pro facultatibus est pollicita. Quem benignum & præter spem experti illi sunt indulgentem. Xanthiorum enim ingenuis corporibus domum remissis, 150 tantùm talenta imperavit Lyciis, neque re ullâ eos aliâ

violavit. [*Plutarch. Appian. Dio.*]

Atque ita Brutus Lycios devicit. [*Vellei. Paterc. lib. 2. ca. 70.*] Inter cuius epistolas & hæc ad Rhodios fertur. *Xanthios, quum à nobis defecissent, extremo supplicio affecimus. Nam usque ad parvulos omnibus caesis, eorum urbem igne & ferro diruimus. Patarensibus, quia fidi nobis extiterunt, tributa relaxavimus, ac liberos & sui juris esse concessimus: atque pro restauratione eorum, qua demolita erant, quinquaginta talenta dono dedimus. Liceat & vobis consulere ac videre, utrum vos pro hostibus quemadmodum Xanthii, an pro amicis ceu Patareni, haberi velitis.* Ea apud Plutarchum, multo contractior, ita legitur. *Xanthii beneficium meum despicientes, desperationis sua habuerunt patriam sepulchrum. Patarenses, qui se in fidem meam contulerunt, nusquam desiderant in administrandis rebus suis libertatem. Itaque licet vobis quoque vel Patarensium iudicium vel fortunam legere Xanthiorum.*

Rhodiorum quotquot dignitate præstabant, timebant certaturi cum Romanis, at vulgus sibi placebat, memor veterum victoriarum de viris longè aliis. [*Appian. lib. 4. pag. 627.*] Tantum enim rei nauticæ illi fidebant, ut ad Cassium in continentem quoque priores adnavigaverint, eique compedes ostenderint, quas secum attulerant, tanquam multos hostium vivos capturi. [*Dio, lib. 47. pag. 346.*]

Cassius, quia cum rei navalis peritissimis ei res erat, naves ornatas completasque milite apud Myndum exercuit. Eò legatos ad eum miserunt Rhodii qui rogarent, ne vel Rhodum contemneret, quæ semper contumelias suas ultra sit; vel foedera icta inter Romanos & Rhodios, quibus disertè cautum sit, ne alter populus alterum armis impetat. Miserunt ad eum etiam legatum Archelaum, quo ille Rhodi in Græcis literis præceptore quondam usus fuerat, demissius hoc ipsum rogaturum. Quibus à Cassio est responsum, prius à Rhodiis foedus esse violatum, arma pro Dolabellâ contra ipsum ferentibus; eamque ob rem illos pœnas daturos, nisi confestim imperata facerent. [*Appian. pag. 626, 627, 630.*]

Hoc responsum magis etiam prudentiores cives terruit: populus verò agitabatur Alexandri & Mnaseæ concionibus, memorantium quanto pluribus navibus Mithridates Rhodum invasisset, & ante illum Demetrius, reges potentissimi. Quamobrem Alexandrum Prytanim creârunt, qui magistratus apud eos plurimum pollet imperio: Mnaseas clasi præfectus est. [*pag. 627, 628.*]

Alexander & Mnaseas Rhodiorum ductores, cum 33 selectis navibus Myndum petierunt, ut Cassium terrent hæc audaciâ: & suberat fortè spei nonnihil, quòd Mithridatem circa idem opidum affecuti, visi sunt habuisse felicem belli exitum. Itaque ostentatâ remigandi peritiâ, primo die Cnidum diverterunt: sequenti verò contra adventantes ex alto Cassianos à littore solverunt. [*pag. 627, 630.*]

Hic verò pugnatum est utrinque acerrimè. Rhodii navigiis agilibus ulro citroque discurrentes, modò penetrabant adversos ordines, modò circumveniebant. Romani contra innixi navibus gravioribus, quoties aliquam prehendebant injectis ferreis manibus, majore vi prævalebant, ut in terrestri prælio. Sed quia Cassius superabat navium nume-

numero, non diu Rhodii potuerunt celeritate solitisque artibus adversarios eludere. Nam quum à fronte tantum impetus facerent, móxque se reciperent, parum proficiebant, in arctum se cogentibus hostibus: rostrorum quoque ictus contra graviores Romanas erant invalidi. Ediverfo Romanæ illas leviores repercutiebant inflexo impetu: donec tres Rhodiæ, ita ut erant milite plenæ, captæ sunt; duæ perfractæ subsederunt, reliquæ malè mulctatæ Rhodum refugerunt. [pag.630.]

Hoc eventu ad Myndum Romana classis cum Rhodiâ conflixit. [ibid. cum Dione, pag.346.] Quam pugnam è monte spectavit Cassius: móxque fartis navibus petiit Loryma, quod in adversâ continente Rhodiorum castellum est; unde onerariis terrestres copias transvexit in insulam ductu Fanii & Lentuli. Ipse 80 longis navibus ad terrorem inferendum ornatis, tam mariquàm terrâ obsessis Rhodiis, quiescebat, expectans si fortè hostes ferociam remitterent. [Appian. pag.631.]

At illi audenter occurrerunt denuò. Quos Cassius Statii (Murci) operâ superavit; magnitudine ac numero navium ipsorum peritiam vincens. Et tunc, duabus navibus amissis, clausi sunt undique. [id. ibid. Dio, pag.346.]

Mox armatis tota mœnia completa sunt; qui pariter arcerent & Fanium à terrâ oppugnantem, & Cassium à mari classem admoventem, non imparatam infestandis mœnibus. Præcogitans enim tale aliquid Cassius, afferebat secum turres plicatiles; quæ tum excitatæ sunt. Ita Rhodus, bis infeliciter tentato navali prælio, terrâ marique oppugnabatur; imparata, ut in casu inopinato, ad sustinendos impetus: unde apparebat brevi venturam in potestatem hostium, vel armis vel fame victam. Nec laruit hoc prudentiores Rhodios, intercedentibus inter eos & Fanium Lentulumque colloquiis: quum subito Cassius in mediâ urbe cum lectissimo quoque conspectus est, nec scalis usus, nec ullâ externâ vi admotâ. Creditum est clam apertas ei minores portulas à civibus conjunctis privatâ gratiâ; ne urbs miserabiliter deleretur. [Appian. pag.631.]

Hic Rhodiis regem ipsum & dominum appellantis respondit Cassius: *Neque rex sum neque dominus, sed domini & regis interfector & ultor.* [Plutarch. in M. Bruto.] Pro tribunali verò sub hastâ præsedit; quòd vellet videri urbem armorum vi cepisse: iussitque exercitu quiescere, & per præcones mortem interminatus violentis ac raptoribus, ipse nominatim citatos circiter 50. cives Rhodios ad mortem duci iussit, alios 25. nusquam comparentes exilio mulctavit. [Appian. pag.631.]

Navibus deinde Rhodios & pecuniâ spoliavit. Quicquid enim auri argentique in sacro aut publico fuit, id omne corrasit: etiam donariis omnibus, præter currum Solis, abreptis. [id. ibid. Dio, pag.346.] Neque eo contentus, privatim quoque à domino, quod quisque auri & argenti haberet, ad præstitutam diem proferre iussit, denunciato per præconem supplicio, si quis aliquid occultaret: indicibus verò in præmium propositâ parte decimâ, & servis libertate. Illi primùm

celabant plerique, sperantes fore ut intra verba minæ confisterent: deinde postquam viderunt indicibus repræsentari præmia, petierunt prorogari sibi terminum. quo impetrato, alii ex terrâ effodiebant condita, alii hauriebant è puteis, alii rursus è foveis proferebant multo plura quàm antea. [Appian. pag. 631, 632.] Cùmque ita ad octo talentum millia à privatis extorsisset: publicè multavit civitatem quingentis aliis. [Plutarch. in M. Bruto.] Rhodiis præter vitam nihil relinquens. [Oros. lib. 6. cap. 18.]

Sic igitur acri atque prosperrimo bello Cassius Rhodum, rem immanis operis, cepit. [Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 70.] Qui lætus & expugnatione celeri & pecuniarum copiâ, Lucium Varum Rhodiis præsidio reliquit. [Appian. pag. 632.] Ariobarzanem deinde comprehensum occidit. [Dio, pag. 346. fin.] & omnibus Asiæ provinciis decem annorum tributa imperavit; eaque absque ullâ remissione exegit. [Appian. pag. 632.]

Tum nuntiatum Cassio est, Cleopatram ingenti classe & magno apparatu navigare ad Cæsarem & Antonium. Secuta enim jam antè illas partes propter majorem Cæsarem, tunc longè propensior in eas facta est propter formidinem quâ sibi metuebat à Cassio. Ad eam invadendam, Murcum unâ cum fortissimâ legione & sagittariis quibusdam impositum in 60. naves tectas, Cassius in Peloponnesum misit, ut stationem haberet circa Tænarum promontorium. Cleopatra verò, contempto Cassio Murcique stationibus, versùs mare Ionium navigavit. Sed tempestate in Africæ littore ejus classis est afflicta; ejusque naufragii signa undis usque regionem Laconicam sunt delata: ipsaque Cleopatra in morbum coniecta domum rediit. [Appian. lib. 4. pag. 632. & 636. cum lib. 5. pag. 675.]

Inter Bruti epistolas, de ipsius & Cassii victoriis hæc legitur, tanquam ad Coos missa. *Rhodus quidem Cassio jam servit; civitas sanè magis audax quàm propriis viribus firma existens. Lycia verò nobis universa parret; partim bello domita, partim ne extrema subiret. Qua sanè optio profuit illis: nam volentes ea elegerunt, qua non multo post inviti fecissent. Eligite igitur vos, utrum coacti bello servire, an nos in recipiendo amici dici velitis.*

Ex Lyciâ in Ioniam reversus Brutus, multa memorabilia edidit opera; & honoribus in dignos conferendis & suppliciis pro cujusque merito irrogandis. Atque inter alios, Theodotum Rhetorem, quo auctore (ut ipse glorians jactabat) Pompeius Magnus in Ægypto est occisus, vagabundum in Asiâ repertum, omni cruciatus genere affectum necavit. [Plutarch. in Bruto, & Pompeio.]

Cassium accersivit Brutus Sardes, appropinquantique processit cum amicis obviam; totusque exercitus armatus utrumque imperatorem consalutavit. Ut solet magnis in rebus inter duos quibus amici & duces sunt multi, quum suspiciones inter eos mutuae & insimulationes extitissent; prius quàm aliò se converterent, statim ex viâ conclave soli ingressi foribus occlusis & remotis arbitris exostulare primùm, mox arguere & criminari inter se coeperunt. Hinc in lachrymas liberamque & vehementem objurgationem erumpentibus illis, mirantes aspe-

asperitatem iræ & contentionis amici eorum, timebant ne quò evaderent. [*Id. in Bruto.*] Sed omnes illas suspiciones, quas ex aliorum calumniis alter contra alterum conceperat, prudenter illi tandem sustulerunt. [*Dio, lib. 47. pag. 347.*]

Erat ibi tum M. Favonius, (cujus, ut Bruto familiaris, meminit Cicero lib. 15. ad Attic. epist. 11.) æmulus pridem M. Catonis, qui non tam ratione quàm impetu aliquo & motu lymphatico philosophum agebat; ac senatorem populi Romani esse in minimis ponebat: Cynicâ verò loquendi ferociâ, quâ utebatur, molestiam frequenter abstergebat aliis qui importunitatem ejus per ludum excipiebant. Hic tunc repulsis vi janitoribus, qui ingressum ejus prohibebant, intravit conclave in quo Cassius & Brutus privatum illud habebant colloquium: voce mimicâ pronuntians carmina quibus Nestorem utentem cecinit Homerus,

Ἄλλὰ πίδεῖδ', ἄμφω ὃ νεωτέρω ἔσον ἐμείο.
At parete ambo, natus me nempe minores;

et sequentia. Id risum Cassio movit; sed Brutus eum expulit, ἀπλόκωνα & ψιδόκυωνα, *inscitum canem & adulterinum canem* cum appellans. Post muram autem altercationem finitam, præbente coenam Cassio, invitavit eò Brutus amicos. Quibus jam accumbentibus, accessit Favonius lotus. Testante Bruto adesse eum non vocatum, & facessere jubente, ad lectum supremum vi irrumpens collocavit se in medio: habuitque convivium oblectationem non infestivam nec indotam. [*Plutarch. in M. Bruto.*]

Postridie Brutus virum prætorium, cujus operâ usus fuerat, L. Peliam repetundarum Sardianis postulantibus, judicio publico damnavit & infamiæ notavit. Quod factum memordit non mediocriter Cassium: qui paucis antè diebus ejusdem criminis compertos duos amicos tantum castigavit privatim, ac publicè absolutis uti non destitit. Unde Brutum incusavit ut nimium rigidè leges sequentem & justum, quo tempore civiliter esset & humaniter agendum. Ille commonuit eum Iduum Martiarum, quibus interfecerant Cæsarem: qui non ipse omnes homines vexasset, verum hoc agentium esset patronus. [*Id. ibid.*]

Labiens junior, Titi Labieni (Julii Cæsaris in Galliâ legati) filius, à Cassio & Bruto ad petendum auxilium ab Orode Parthorum rege missus, aliquandiu apud eum commoratus est, nullâ ipsius ratione habitâ; quòd & adjuvare eos Regi in animo non erat, & negare auxilium verebatur. [*Dio, lib. 48. pag. 371. cum Flore, lib. 4. cap. 9. & Velleio Paterc. lib. 2. cap. 78.*]

Lyciorum classem universam cum aliis navibus Abydum navigare Brutus jussit: quòd ipse terrestres etiam ducebat copias, præstolaturus ibi Cassium venientem ex Ioniâ, ut simul trajecto freto Sestum peterent. [*Appian. lib. 4. pag. 636.*]

Quum Cassius & Brutus trajecturi essent in Europam ex Asiâ, & transportaturi ex Abydo in oppositam continentem exercitum; tetrum ostentum dicitur Bruto factum. Noctis enim conticinio, quum luna

luna non admodum luceret, & totus exercitus teneretur silentio; Bruto, deficiente penè lumine, volventi aliquid animo & reputanti, atra quædam imago se obtulisse dicitur immanis & horrendi corporis, silentio sibi assilentis. Eo autem intrepidè percontante, quisnam hominum deorùmve esset; spectrum respondisse. *Tuus sum, Brute, malus genius: Philippis me videbis iterum.* eumque nihil percussum, *Videbo*, dixisse: & spectrum sub oculis mirantis evanuisse. Refert hæc Florus, lib. 4. cap. 7. Appianus, lib. 4. pag. 668. Plutarchus in fine *Cæsaris*, & plenius in *Vitâ Bruti*: ubi & eum proximo manè quod viderat Cæsio narravisse, illumque ex Epicuri disciplinâ quid de ejusmodi spectris sentiendum esset exposuisse, adjicit.

3963

Antigonus Aristobuli (fratris Hyrcani) filius à socero suo Ptolemæo Mennæi filio, & Fabio Damasci duce (quem pecuniis sibi conciliaverat) & Marione Tyrionum tyranno (qui ob Herodis odium illi adhæsit) adjutus, Judæam invasit. Cui vix extremos regionis fines ingresso Herodes occurrens, prælio cum superatum inde repulit. Quamobrem revertentem Hierosolyma coronis cum Hyrcanus honoravit. Jam enim gener per sponsonem ascitus Herodes erat in Hyrcani familiam: ducturus Mariammen (Syriacè מרים sive *Mariam* dictam) ex Alexandro filio Aristobuli (fratris Hyrcani) & Alexandrâ Hyrcani filiâ genitam. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 10. & lib. 14. Antiquit. cap. 21. cum lib. 15. cap. 9. & 11.*]

Ad Melanem sinum in Thraciâ lustrato Cæsii & Bruti exercitu, reperta sunt in eo circiter octoginta scutorum millia. Equitum verò Brutus habebat Gallorum Lusitanorùmque quatuor millia; Thracum Illyriorùmque, Parthienorum Theffalorùmque, duo millia. Cæsius Hispanorum & Gallorum duo millia; sagittariorum equestrium ex Arabiâ, Mediâ, Parthiâ, (nam & Parthos huc auxilia misisse confirmat Justinus, lib. 42. cap. 4.) quatuor millia. Sequebantur & focii reges ac tetrarchæ ex Gallogræciâ, præter pedestres alias copias ducentes equitum quinque millia. [*Appian. lib. 4. pag. 640.*]

Hi ad Philippos, urbem Macedoniæ (non minùs B. Pauli epistolâ quàm hoc bello factam celebrem) Triumvirorum M. Antonii & Cæsaris Octaviani exercitus exceperunt. [*Vellei. Pat. lib. 2. cap. 70.*] Pariter utrinque undeviginti legiones constiterunt. Equitum Antonius cum Cæsare habebat 13, Brutus & Cæsius 20 millia. Sed Cassiani, difficultate annonæ hostem fatigare cupientes, per multos dies prælium detrectârunt: quum ipsis omnia suppeterent ex Asiâ, & ex propinquo per mare subveherentur; hostes in regione infestâ laborarent inopiâ. nam neque negotiatores ex Ægypto sumere quicquam poterant, fame oppressâ; neque ex Hispaniâ aut Africâ Sextus Pompeius, neque ex Italiâ Staius Murcus & Domitius Aënobarbus sinebant commeatus advehi: Macedonia verò Theffaliâque non diu sufficere poterant, quæ tum solæ alebant exercitum. Ex alterâ parte Antonius, ut hostibus à tergo commeatus ex Thaso subvectionem intercluderet, decem dierum spatio angusto in palude transitu clàm aperto, multa castella vallata in ulterioribus locis erexit: quæ deinde Cæsius, transverso septo per totam paludem à castris usque ad mare

mare actò, inutilia illi reddidit. [*Appian. lib. 4. pag. 652, 653.*]

Commissâ deinde pugnâ, (cui & Cæsar & Antonius subduxisse se dicuntur) cornu cui Brucus præerat, impulsis hostibus, castra Cæsaris cepit: id autem in quo Cassius fuerat fugatum ac male multatum est, castrâque ejus ab Antonianis expugnata. [*Florus. lib. 4. cap. 7. Vel. Patere. ut supr. Plutarch. in Antonio.*] Ceciderunt Cassianorum octo milia; connumeratis servis qui castra sequebantur, quos nominabat Brutus Brigas. Ex Cæsaris exercitu, Messala (Corvinus, qui in Bruti castris præfens tum adfuit, & Cæsari paulo post se dedit) ait bis totidem vel amplius arbitrari se desideratos. [*Plutarch. in M. Bruto; cum Appiano. lib. 4. pag. 654, 655.*]

Cassius exutus castris, eò reverti non potuit; sed cursu recepit se in Philipporum tumulum, & inde prospectabat quid fieret. [*Appian. pag. 655.*] totumque exercitum fufum ratus, mortem sibi conscivit. [*Liv. lib. 124.*] eodem pugione quo Cæsarem violaverat: ut in fine Cæsaris sui refert Plutarchus. licet alibi idem, cum aliis, caput à Pindaro liberto præcisum fuisse referat: quem ex Parthica Crassi clade ad hanc necessitatem haberet destinatum. [*Id. in M. Bruto, & in Antonio: cum Velleio Patere. lib. 2. cap. 70. Appian. pag. 655. & Dione. pag. 354.*] de quo Valerius Maximus, libro 6. cap. 8. *Pindarus C. Cassium Philippensi praelio victum, nuper ab eo manumissus, jussu ipsius obtruncatum, insultationibus hostium subtraxit. Sequè è conspectu hominum voluntariâ morte abstulit; ita ut ne corpus quidem ejus assumpti inveniretur. Quis Deorum gravissimi sceleris ultor illam dexteram, qua in necem patriæ parentis exarserat, tanto torpore alligavit, ut se tremebundam Pindari genibus submitteret, ne publici parricidii quas merebatur pœnas arbitrio pii victoris exolveret? Tu profecto, tu Divæ Fuli, cœlestibus tuis vulneribus debitam exegisti vindictam, perfidum erga te caput sordidi auxilium simplex fieri cogendo, eo animi astu compulsum, ut neque retinere vitam vellet, neque finire manû suâ auderet.*

Brutus, Cassii cadavere amicis statim tradito, Thasi clam sepeliendum curavit; ne exercitus ex aspectu funeris provocaretur ad luctum, animosque deiceret. [*Plutarch. in Bruto. Appian. pag. 655. Dio. pag. 354.*] Obiit autem Cassius natali suo die. [*Appian. ibid.*] ejusque servus Demetrius vesperi ad Antonium venit cum paludamento & gladio, quæ confestim detraxerat corpori. Quibus allatis, ita sustulerunt animos Antoniani, ut primâ luce instructum exercitum in aciem educerent. [*Plutarch. ut supr.*]

Quâ die in campis Philippicis Cæsaris exercitus fusus est, legio Martia & magnæ copiæ aliæ, quæ à Domitio Calvino ex Italiâ ad Cæsarem ducebantur, à Murco & Aëno-barbo navali praelio in mari Ioniq̄ superata & oppressa est. [*Plutarch. in M. Bruto. Appian. pag. 656, 657.*] Eam victoriam, spatio interjecto 20 dierum, Brutus ignoravit. Quo toto tempore, Cæsaris & Antonii milites apud paludes Philippenses volutabantur, imbribus autumnalibus prælium infecutis & concretescentibus in glaciem aquis plurimum infestati. [*Plutarch. ibid.*] In quâ morâ, nonnulli Germanorum ad Brutum perfugerunt: vicissimque à Bruto transit Amyntas Dejotari dux, & Thrax Rhascipolis.

lis. Quod cum majoris defectionis metum Bruto objecisset; rem committere prælio statuit. [*Dio. lib. 47. pag. 355.*]

Nocte quæ prælium præcessit, spectrum illud referunt iterum Bruto obversatum, eandemque representans visionem nihil locutum, sed dilapsam fuisse. quanquam P. Volturnus vir sapientiæ studiis deditus, qui tunc in castris Bruti adfuit & cætera quæ acciderant prodigia in literas retulit, nihil hujus ostenti meminert. [*Plutarch. in fin. Cesaris, & in Bruto; cum Appian. lib. 4. pag. 668.*]

Huic secundo prælio non Antonius solum, sed etiam Cæsar Octavianus interfuit, quanquam invalidus atque æger: de quo Ovidius, libro Fastorum 3^o rem in bello Philippenfi gestam attingens;

*Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa fuerunt
Cesaris; ulcisci iusta per arma patrem.*

et in libro 3^o.

Voverat hoc juvenis tunc, cum pia sustulit arma:

A tantis princeps incipiendus erat.

Ille manus tendens, adstanti milite iusto,

In conjuratos talia verba dedit. &c.

Brutus victus acie, cum in tumultum nocte ex fugâ se recepisset; sequente die impetravit à Stratone Ægeate ex Epiro, qui cum eo ex studio rhetorico familiaritatem contraxerat, ut manum morituro commodaret sibi: rejectoque lævo super caput brachio, cum mucronem gladii ejus, dexterâ tenens, sinistra admovisset mamillæ, ad eum ipsum locum, quâ cor emicat, impellens se in vulnus, uno actu transfixus expiravit. [*Liv. lib. 124. Vellei. Patere. lib. 2. cap. 70. Plutarch. in M. Bruto. Appian. lib. 4. pag. 665, 666.*]

Atque hic in hoc bello Casii & Bruti exitus fuit: qui Julii Cæsaris imperatoris sui, à quo in pugna Pharsalicâ capti servati ipsi fuerant, interfectores, semetipsos postea interfecerunt, [*Appian. pag. 667, 668.*] iisdem, quibus Cæsarem interemerant, gladiis confossi: ut in libri 48. initio affirmat Dio. et libertatem, quam maximè restitutam voluerunt, illo ipso Cæsaris parricidio perdidit. [*Florus, lib. 4. cap. 7.*] quamvis illi, biennio non integro, collegissent plusquam 20 legiones, & equitum circiter 20 millia, naves longas supra 200. aliûmque apparatus haud contemnendum, pecunias quoque infinitas à volentibus nolentibus exegissent; in bellis etiam quæ cum multis civitatibus ac gentibus & adversæ factionis hominibus gesserant, sæpe victores, imperio à Macedonia usque ad Euphratem potiti fuissent: & quoscumque bello potierant, ad societatem pertraxissent, eorûmque operâ fidei usi fuissent; sicut & regum ac dynastarum, atque Parthorum etiam quamvis inimicorum. [*Appian. pag. 666, 667.*]

M. Bruti cadaveri assistens M. Antonius, exprobravit ei modicè Caii fratris in Macedonia interfecti necem. Ceterùm Hortensio (qui Macedonia proconsul fuerat) potius dictitans se quam Bruto cædem fratris imputare; Hortensium super illius monumentum præcepit interfici. [*Plutarch. in M. Antonio, & in M. Bruto.*] Corpori Bruti palu-

paludamentum suum purpureum magni pretii iniecit, & cuidam libero suo commisit ejus funerandi curam. Hunc post, cognito pretiosum illud paludamentum non concremâsse in funere, interfecit: concremâsse reliquias ad matrem Bruti Serviliam remisit. [*Id. ibid. Appian. lib. 4. pag. 668.*] Caput verò ejus Romam Octavianus misit, ut statuz Cæsaris subjiceretur. [*Sueton. in Octavio, cap. 13.*] Sed in transmissione à Dyrrachio, tempestate coortâ, in mare abjectum est. [*Dio, lib. 47. pag. 356.*]

Quotquot nobilium in Thasum evaserunt, partim navigârunt inde, partim cum reliquo exercitu in Messalæ Corvini & L. Bibuli potestatem ac arbitrium se dederunt: alii de salute cum Antonianis pacti, Antonio in Thasum appulso tradiderunt quicquid ibi erat pecuniarum, armorum, comœtuumve, & apparatus reliquum. [*Appian. lib. 4. pag. 669.*]

L. Julius Mocilla prætorius, & ejus filius, Aulusque Torquatus, aliique pari fortunâ perculsi, in Samothraciam concesserunt: quibus Pomponius Atticus omnia ex Epiro supportari jussit. [*Corn. Nepos, in Vita Attici.*]

Cassius Parmensis, Bruto Cassioque ad bellum profectis, relictus in Asiâ cum classe ac exercitu, ut pecunias exigeret, post Cassii mortem sperans de Bruto meliora, è Rhodiorum navibus triginta selegit, ratus tot se impleturum fociis navalibus; reliquas incendit, exceptâ sacrâ, ne civitas posset res novas moliri: quo factò solvit inde cum navibus suis & Rhodiis. Clodius autem à Bruto missus eò cum tredecim navibus, ut vidit rebellantes Rhodios (jam enim & Brutus sublatus erat) deduxit inde præsidium trium millium, & cum Parmensi se conjunxit. Ad eos venit Torulus cum aliis multis navibus & pecuniis quas à Rhodiis ante defectionem exegerat. [*Appian. lib. 5. pag. 671, 672.*]

Ad hanc classem, ut in quâ jam esset aliquid roboris, confluebant quotquot pro variis officiis erant dispersi per Asiâ: & imponebant legionarios quantum poterant; remigum quoque delectus faciebant è nexis & mancipiis, & ex insulanis ad quos appellebant. Ad eos venit & Cicero junior, & quotquot nobilium è Thaso diffugerant: ita ut brevi frequens conventus fieret, & classis exercitusque non contemendus cum suis ducibus. [*Id. ibid. pag. 672.*]

Assumpto deinde Lepido cum aliâ manu, quæ præsidio Bruti Cretam tenebat, ad Statium Murcum & Cn. Domitium Aëno-barbum validis copiis præfectos navigârunt in mare: ubi divisi, pars cum Aëno-barbo mansit & propriam factionem constituit, (Ionium mare tenens, ibique rebus hostium multa damna inferens;) pars cum Murco petiit Siciliam & vires Sexto Pompeio addidit. Cum omni enim commissâ sibi parte exercituum classèque celeberrimâ & Brutianorum reliquiis Pompeio se adjungens, vires ejus duplicavit. [*Id. ibid. cum Vellectio Paterculo, lib. 2. cap. 72. & 77. & Dione, lib. 48. pag. 361. & 368.*]

Cæsar & Antonius emeritos milites dimiserunt, præter octo milia: quos rogati ut ampliùs eis militare liceret, diviserunt inter se, & cohortes prætorias ex eis centuriaverunt. Ex legionibus undecim,

& equitum 14 millibus, de Bruti exercitu relictis, Antonius sex legiones assumpsit & equitum 10 millia, Cæsar 4 legiones & equitum 4 millia. [*Appian. ibid. pag. 672, 673.*] Ad hæc convenit, ut duas legiones de suis Cæsar Antonio secum abducendas daret; ipse vicissim ab eo duas alias, quæ illi sub Caleno militaverunt, in Italiâ tum relictas acciperet. [*Id. ibid. pag. 673. Dio, lib. 48. pag. 358.*]

Cæsar id sibi negotii sumens, ut Lepidum triumvirum si quid is moveret opprimeret, contra Sextum Pompeium bellum gereret, & veteranis signa ipsorum secutis agros promissos divideret, in Italiam reversus est: morbo in itinere ita afflictus, ut iis qui Romæ erant mortis suæ opinionem præberet. Antonius transmarinas obiturus provincias substitit: ut hostes ibi in ordinem cogeret, & pecuniam quæ militibus promissa fuerat conficeret. [*Liv. lib. 125. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 74. Plutarch. in Antonio. Appian. lib. 5. pag. 672, 673. Dio, lib. 48. pag. 357, 358.*] Qui enim singulis militibus drachmarum quinque millia polliciti fuerant, intentiore curâ querenda ipsis & imperanda pecunia erat. [*Plutarch. ibid. cum Dione, lib. 47. pag. 352.*]

Antonius igitur magno cum exercitu in Græciam transcendens, Græcis tunc primò neque durum neque acerbum præbuit se: sed Græcorum studiosus gaudebat dici, multòque magis Atheniensium; quorum civitatem plurimis donis affecit. [*Plutarch.*]

In Græciâ L. Censorino relicto, in Asiam transmisit. [*Id.*] Ibi partim ipse circueiens, partim alios emittens, pecunias ab urbibus exegit, ac ditiones vendidit. [*Dio, lib. 48. pag. 371.*] Reges autem januam ejus frequentavere: regumque conjuges muneribus inter se & formæ splendore certantes sese ei vendidârunt. Anaxenor verò citharædus, Xuthus choraula, Metrodorus saltator, reliquusque acroamatum chorus Asianorum, in aulam irrepit: & luxu diffuebant omnia. Accinctus denique ad bellum Parthicum; Dellium (*historicum*, ut eum postea Plutarchus appellat; & quem à Cassio transivisse ad Antonium, in Suaforâ 1^a docet M. Seneca) in Ægyptum misit ad Cleopatram Antonius; imperans in Ciliciam ut sibi occurreret, ad causam dicendam, quòd Cassio diceretur multum subministrâsse opis & subsidii. [*Plutarch.*]

Apuleius, qui à Triumviris proscripius fuerat, traditâ Antonio Bithyniâ, cui à M. Bruto præfectus fuerat, reditum in patriam ab eo impetravit. [*Appian. lib. 4. pag. 616.*]

In Bithyniâ Antonius omnium gentium legationes habuit obviam. Aderant & Judæorum primates; Phasaëlum & Herodem accensaturi: quasi in speciem solum regnaret Hyrcanus, re autem verâ tota potestas esset penes hos fratres. Herodem verò Antonius in magno honore habuit, qui ad objecta diluenda venerat: quo factum est, ut ne ad colloquium quidem adversarios ejus admiserit. id enim datâ pecuniâ Herodes impetraverat. [*Joseph lib. 14. cap. 22.*]

Ingredientem Ephesum Antonium foeminæ Baccharum, viri puerique Satoryorum & Panum habitu præcesserunt. Hederâ, thyrsis, plalteriis, fistulis, tibiis personabat urbs: cùmque Διονυσίου χαριδ' ὄρλου & μελιχίου, Bacchum benignum ac blandum, appellabant. [*Plutarch.*]

Ipse

4673 41

Ipse verò Dianæ, ut loci ejus præsi, sacra fecit magnificè: & supplices Cassianos, qui in asylum id confugerant, absolvit; excepto Petronio qui conspirationis in Cæsarem conscius fuerat; & Quintio qui Laodiceæ Dolabellam Cassio prodiderat. [Appian.lib.5.pag.673.]

È legati Hyrcani Pontificis & gentis Judaicæ, Lyfimachus Pausaniæ, Josephus Mennæi, Alexander Theodori F. afferentes Antonio coronam auream, eandem quam prius Romæ legationem illi exposuerunt: rogantes, ut quos Judæos Cassius præter jus belli captivos abduxerat, scriptis per provincias litteris, in libertatem vindicaret; & agros per Cassium ademptos genti restitueret. Quorum postulata Antonius æqua existimans, statim eis annuit; scriptis in eam sententiam litteris tum ad ipsum Hyrcanum, tum ad Tyrios, Sidonios, Antiochenos & Aradios: quæ apud Josephum extant. [lib.14. Antiquit.cap.22.]

Græcis cæterisque nationibus Pergamenam Asiam incolentibus, Ephesum convocatis, Antonius exposuit, quanta præmia promissa fuissent legionibus victricibus 28, quæ cum suis appendicibus conficerent 170 virorum millia. Quum Bruto igitur & Cassio inimicis biennio decem illi annorum vestigalia dedissent; tantundem ut intra annum sibi traderetur postulavit. Qui à prioribus illis hostibus planè exhaustos se fuisse conquesti, ægrè tandem impetrârunt, ut novem annorum tributum penderent intra biennium. [Appian.lib.5.pag.673,674.]

Homines nobiles facultatibus expoliabat Antonius, cæsque verberonibus & adulatoribus largiebatur. Multorum fortunas viventium petebant illi accipiebântque, aliqui quasi mortuorum. Civis Magnæ bonæ coquo, qui unam coenam (ut fertur) paraverat scitè, donavit. Postremò, quum civitates altero tributo oneraret, ausus est Hybreas, qui pro Asiâ agebat, illi dicere. *Si bis anno tributum vales exigere, vales bis etiam astatem nobis & bis fructus efficere.* et quum ducenta millia talentum intulit Asia: *Hæc, inquit, si non accepisti, ab illis qui acceperunt repete; sin que accepisti, hæc non habes, perimus.* vehementer eodictò pungens Antonium; qui ex simplicitate credens suis, pleraque quæ agebantur ignorabat. [Plutarch.in Antonio.]

Similiter & regibus & dynastis, civitatibusque liberis, alia pro cujusque facultatibus tributa ab Antonio imperata sunt. [Appian.lib.5.pag.674.]

Obeuntem provincias Antonium Lucius Cassii frater, & alii quotquot sibi timentes de exemplo clementiæ illius in Cassianos ad Ephesum edito audierant, accesserunt supplices: quos omnes absolvit, præter cædis Cæsaris conscios; quibus solis manebat implacabilis. [Id.ibid.]

Lycios & Xanthios à tributis immunes reliquit: hortatus ut urbem suam instaurarent. Rhodiis quoque donavit Andrum, Tenum, Naxum, Myndumque: quas non multo post eis ademit, ut durius imperantibus. Laodicensibus atque Tarsensibus libertatem atque immunitatem à tributis concessit: & quotquot Tarsenses cives capti vènierant, uno edicto liberavit. Atheniensibus ad ipsum venientibus,

post Tenum, Æginam dono dedit; simulque Icum, Ceam, Sciathum, & Peparethum. [*Ibid. pag. 675.*]

Transiens per Phrygiam, Mysiam, Gallogræciam, Cappadociam, Ciliciam, Coelefyriam, Palæstinam, Ituræam, cæterasque Syrorum provincias, omnibus indixit tributa gravissima. Disceptationes quoque civitatum ac regum ex arbitrio suo composuit: atque in Cappadociâ speciatim Ariarathis & Sifinnæ; prælato ad regnum Sifinnæ, in matris formosæ gratiam. In Syriâ verò tyrannos opidatim sustulit. [*Ibid.*] Demetrio, Julii Cæsaris liberto, Cyprum regendam commisit. [*Dio, lib. 48. pag. 381.*]

Gymnasii moderationem Tarsensibus pollicitus Antonius, ei muneris loco præfecit Boëthum, malum ut poëtam ita etiam civem. Ejus tamen carmen in partam ad Philippos victoriam scriptum probavit Antonius: maximèque cum extulerunt Tarsenses sui, quia ad quodvis argumentum oblatum subito aliquid valebat dicere. Quum verò illi sumptuum in gymnasio faciendorum rationes fuissent creditæ: deprehensus est cum alia tum oleum subduxisse. Quo nomine apud Antonium accusatus, ita illi respondit. *Ut Homerus Agamemnonis & Achillis laudes Ulyssisque decantavit. sic ego tuas: itaque indignum est me his apud te criminibus traduci.* Atqui, reponebat accusator, *Homerus neque Agamemnoni neque Achilli suffuratus est oleum: quod quum tu feceris, pœnas daturus es.* Boëthus nihilominus, placatâ officiis quibusdam irâ, urbem regere ad Antonii usque exitum perrexit. [*Strabo, lib. 14. pag. 674.*]

Cleopatra, hinc à Dello inducta, hinc formæ suæ & morum venestati ipsa confidens, in Ciliciam ad Antonium venit. [*Plutarch. in Antonio: cum Josepho, lib. 14. cap. 23. Appian. lib. 5. pag. 675. & Dione, lib. 48. pag. 371.*] Cujus adventus *φαντασία*, poëticâ magis quam historicâ fide, apud Plutarchum ita habetur descripta. Subvehebatur Cydno fluvio (qui Tarsum influit) in navigio auratâ puppi, velis passis purpureis, remigio argenteis ducto remis ad tibiarum, fistularum & cithararum modos. Recumbebat illa sub tabernaculo auro intexto eleganter exulta, ut pingitur Venus. Pueri pictis Cupidinibus affimiles hinc inde stabant, & ventulum faciebant. Ancillæ itidem, quæ formâ præcellabant, Nercidum & Gratiarum modo amictæ, partim assistebant gubernaculis, partim rudentibus. Complebant ripas odores ex suffituum copiâ fragrantissimi. Homines autem alii statim à fluvio ex utrâque ripâ comitabantur eam, alii ad spectaculum descende-
bant ex urbe; & quidem tantâ frequentiâ, ut solus in foro pro tribunali sedens relinqueretur ipse Antonius. Manavitque per omnes rumor, Venerem ad salutem Asiæ venire ad Bacchum comessatum. Antonius ergo misit certos qui eam ad coenam invitarent. Illa verò Antonium potius venire censebat ad se debere. Qui ut sub adventum illius facilitatem aliquam & comitatem ostenderet, morem gessit ei ac venit.

Cleopatra Antonio ipsam incusanti, quòd non fuisset proximo bello Cæsaris laborum particeps, cum alia, tum quatuor legiones ad Doblællam missas, classem suam tempestate laceratam, & iteratas Cassii minas,

minas, quod ei suppetias non ferret, objecit. Victus ille juveniliter eam, quamvis jam quadragenarius, amare coepit: in quam jam olim etiam, tum puellam, petulantius oculos conjecerat; quum Alexandriam sequeretur ducem Gabinium juvenis, equitum ipsius praefectus. Moxque hebescente in omnibus pristina Antonii industria Cleopatrae iussa cuncti exequabantur, nullo jam humani juris aut divini respectu habito. [*Appian. lib. 5. pag. 671, 675, 676.*]

Cleopatram rogante, sororem ipsius Arsinoen, apud Miletum Dianae Leucophrynes supplicem, Antonius immixtis percussoribus sustulit: ut refert Appianus. [*ibid. pag. 676.*] licet eam Ephesi in templo Dianae supplicem interfectam fuisse, dicat Josephus. [*lib. 15. cap. 4.*]

Serapionem praefectum Cypri, quia auxilia Cassio miserat, Tyri supplicem, Antonius Tyrios iussit Cleopatrae dedere: ut & Aradios alium quendam supplicem, qui, quum Ptolemaeus Cleopatrae frater navali praehio in Nilo a Julio Caesare victus nusquam comparuisset amplius, se Aradiis pro Ptolemaeo venditaverat. Sacerdotem quoque Ephesiae Dianae Megabyzum, quod Arsinoen tanquam reginam excepisset hospitio, duci iussit: sed Ephesis ipsi Cleopatrae pro eo supplicantibus dimisit hominem. [*Appian. ut supr. pag. 676.*]

Interim in Italia uxor Antonii Fulvia, nihil muliebri praeter corpus gerens, omnia armis tumultuque contra Caesarem Octavianum miscebat. [*Vellei. Patere. lib. 2. ca. 74.*] Quo dissidio & affinitas inter eos dirempta est, & ad bellum apertum res producta. Caesar enim quum insolentiam socrus suae non ferret (malebat enim videri cum hac quam cum Antonio sibi non convenire) cum filia eius Claudia, quam adhuc virginem esse sacramento confirmabat, divortium fecit. [*Dio, lib. 48. pag. 359, 360. cum Sueton. in Octavio, cap. 62.*]

Hinc Caesar ad Antonium in Phoenicem Coccejum & Cecinnam misit: e quibus Cecinna, legatione perfecta, ad Caesarem rediit; Cocceius apud Antonium mansit. [*Appian. lib. 5. pag. 706.*]

Daphnen, Antiochiae in Syria proximam, centum e Judaeorum gente potentissimi venerunt ad Antonium, amoris Cleopatrae iam fervientem, ut Phasaelum & Herodem accusarent: electo ad hoc eloquentissimo quoque e suo numero. Juvenum autem causam defendendam Messala suscepit: assistente etiam sibi Hyrcano, qui filiam suam Herodi jam desponderat. Utrisque auditis, Antonius sciscitatus est ab Hyrcano, utra pars melius Rempublicam administraret. Qui cum respondisset pro juvenibus, Antonius (qui eos olim propter hospitium paternum dilexerat) hos ambos Tetrarchas constituit, totius eis Judaeae procuratione permissa. Litteras quoque in hoc scripsit: & eorum adversariis quindecim coniecit in vincula, occisurus etiam nisi intercessisset Herodis deprecatio. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 10. & lib. 14. Antiquit. cap. 23.*]

Mille deinde viri, Hierosolyma missi, Tyrum ad Antonium venerunt: qui magna pecunia jam corruptus a fratribus, imperavit ejus loci magistratui, ut in Judaeorum legatos novatores rerum animadverteret, & Tetrarchis a se constitutis esset auxilio. Herodes autem, cum Hyrcano, ante urbem diverfantes in littore accedens, hortatus est

eos ut se subducerent; admonens quantum instaret periculum, si contendere pergerent: quod illi contempserunt. Moxque erumpentes in eos Judæi cum indigenis, partim trucidaverunt eos, partim fauciverunt: quorum & faucios curâ, & mortuos sepulturâ Hyrcanus dignatus est. Reliquis verò domum refugientibus, quum populus clamoribus ageret contra Herodem, commotus ad iram Antonius iussit quos vinxerat interfici. [*Ibid.*]

Reversâ domum Cleopatrá Antonius misit equites Palmyram, urbem non longè ab Euphrate sitam, ut eam diriperent: in speciem objecto levi crimine, quòd quum essent in Romanojūm & Parthorum confiniis, viderentur ambiguarū fidei, (quippe qui negotiationibus dediti, è Perfide Indicas Arabicasque merces ad Romanos deportarent;) re autem verâ, ut hoc modo ditaret equites. Id quia præsensere Palmyreni, in ulteriorem ripam sua transtulerunt, dispositis qui arcerent sagittariis; quo genere excellunt plurimum: equites autem, inventâ urbe vacuâ, inanes & incruenti reversi sunt. Indèque paulo post bellum Parthicum est infecutum: multis è Syriâ tyrannis, quos Antonius inde expulerat, ad Parthos confugientibus, eosque ad occupandam Syriam invitantibus. [*Appian. lib. 5. pag. 676, 677.*]

3964

Antonius, quum populis indixisset tributa gravissima, & Palmyrenos ita offendisset; res turbatas provinciæ non constituit, sed divisio per hyberna exercitu, ipse in Ægyptum ad Cleopatram profectus est. [*Ibid. pag. 677.*] Planco in Asiâ, Saxa in Syriâ relicto. [*Dio, lib. 48. pag. 371.*] Decidio nempe Saxa: cujus, ut M. Antonii satellitis, in Philippicâ 13^a Cicero, & in Syriâ legati, in libro 127. meminit Livius.

Præbuit ea res multis motibus occasionem: Nam qui & Aradum insulam incolebant, eis qui ad se pecuniæ exigendæ causâ missi essent non obtemperabant, nonnullis etiam eorum occisis: & Parthi quum jam antè se commovissent, tum magis adhuc contra Romanos insurrexerunt, ducibus Labieno & Pacoro Orodis regis Parthorum filio. [*Dio, ibid.*]

Ad Aradios spectat illud, quod in Chronico Eusebiano legitur. *Curtius Salassus in insulâ Arado cum quatuor cohortibus vivus combustus est, quòd tributa gravis exigere.* De Labieno, quem Pompeianarum partium fuisse in libro 127 notavit Livius, apud Plutarchum, in *Antonio*, ita legimus. *Cum Parthorum essent circa Mesopotamiam suspensa copia, quarum Labieno auspiciis Parthicus creato imperatore adoriturus regii duces erant Syriam, Alexandriam à Cleopatrá Antonius est abductus.* Unde corrigendus est locus à consarcinateore Parthorum Appiani [*pag. 155, 156.*] hinc traductus: qui Labienum à regis ducibus Alexandriam deducendum fuisse, ineptè innuit. Verum hujus expeditionis originem & progressum plenius hunc in modum Dio explicat.

Post cladem Philippensem Labienus, quum adversariorum nemini veniam duros victores putaret, potius sibi cum barbaris vivendum ratus quàm in patriâ pereundum, apud Parthos remansit: ac ubi primum Antonii desidiam amorémque & protectionem in Ægyptum intellexit, Parthis inferendi Romanis belli author fuit. quorum exercitus

citus partim periissent, partim damnum accepissent, reliqui autem inter se dissiderent ac denuò ad bellum deventuri intestinum essent : quare Regi suavis, ut dum in Italiâ Cæsar Sexti Pompeii causâ detineretur, Antonius autem in Ægypto amori indulgeret, ipse Syriam & vicinas ei regiones subigeret : se autem ducem belli futurum, ac ita multos populos, qui Romanis propter damna quibus ab iis continuis affligebantur infensi erant, ad defectionem permoturum pollicitus est. [*Dio, pag. 371, 372.*]

Hoc sermone quum Regem ad bellum gerendum adduxisset, acceptis ab eo magnis copiis, filioque regis Pacoro, in Phoenicem irruit, ac Apameam aggressus, à muro rejectus, præsidia in eâ regione posita deditione voluntariâ accepit. Ea ex militibus Cæsianis ac Brutianis constabant : quos Antonius in suum exercitum allectos, Syriæ tum, regionis nimirum ejus peritos, custodiendæ reliquerat. Igitur Labienus eos faciliè, tanquam familiariter sibi notos, sui juris fecit : Saxâ, qui tum eos ducebat, excepto. Is enim frater Decidii Saxæ legati Antonii, ac quæstor, solus Labieno se non adjunxit. [*Ibid. pag. 372.*]

Hunc Saxam Labienus prælio congressum multitudine ac virtute suorum equitum vicit, ac noctu ex castris aufugientem insegurus est ; jaculatus etiam antè libellos in ejusdem castra, ad perducendos ad suam societatem ejus milites. Quod ne fieret veritus Saxa, fugæ se dedit : affecutusque cum Labienus, plerosque qui cum eo erant interfecit. Saxa autem Antiochiam quum per fugisset, ipse Apameam jam non amplius repugnantem, quod opinio de morte Saxæ obtinuerat, accepit ; ac post Antiochiam etiam, à Saxâ desertam. [*Ibid.*]

M. Antonius à Cleopatrá splendidè exceptus, in Ægypto hyemavit sine insigniis imperii, sive tanquam in alieno imperio civitatéque regiâ, sive ut in hybernis festos dies celebraret. Sepositis enim curis, pro habitu patrio sumpsit stolam Græcanicam quadrangulam, & calceamentum album Atticum, quo tum Atheniensium tum Alexandrinorum sacerdotes utebantur, *Phacasi* appellatum : progrediebaturque tantum ad templa, aut gymnasia, aut philosophorum conventicula, cum Græcis consuetudinem habens, in obsequiis Cleopatráe ; propter quam potissimum aiebat sibi eam peregrinationem susceptam. [*Appian. lib. 5. pag. 677.*]

Cum Cleopatrá verò & Ægyptiis luxuriæ deditus, usque ad perniciem extremam suam, desidebat. [*Dio, lib. 48. pag. 373.*] Ejus & filii ipsius luxum pluribus describit Plutarchus : ea hæc de re referens, quæ avo suo Lampriæ narrabat Philotas Amphissensis medicus, qui Alexandriæ id temporis studiorum causâ commorabatur.

Cleopatrá, neque noctu neque interdium ab eo discedens, ludebat cum eo aleâ, potabat, venabatur, in armis exercentem se spectabat : noctu absistentem januis & fenestris popularium, atque in eos qui intus erant dicta jacentem per plateas comitabatur ; ac cum eo vagabatur, veste ancillari tecta. Namque ejusmodi cultu ornare ille se solebat. Unde frequenter dictis, frequenter etiam verberibus mulctatus regrediebatur. [*Plutarch. in Antonio.*]

Legatos ex coloniis Italicis ad se missos in Ægypto detinuit Antonius; vel ob hybernium tempus, vel ut celaret sua consilia. [*Appian. lib. 5. pag. 701.*] Interim verò fratrem illius, Lucium Antonium Consulem, in Hetruriâ Cæsar Octavianus obsidebat Perusii. [*Id. ibid. pag. 689.*]

Cn. Domitio Calvino II. & Asinio Pollione Consulib. Perusia ab Octaviano capta est. [*Dio, lib. 48. pag. 365.*]

Labienus Saxam in Ciliciam fugientem consecutus occidit. [*Dio, lib. 48. pag. 372.*] Transmarinas provincias magnis momentis Labienus, ex Brasiensis castris profectus ad Parthos, producto eorum exercitu in Syriam, interfectoque legato Antonii, concusserat: inquit Velleius Paterculus, lib. 2. cap. 75. Florus verò libro 2. cap. 9. Saxa (ita enim apud eum legendum; non, Casca) legatus, ne veniret in potestatem hostium, à gladio suo impetravit.

Saxâ mortuo, Syriam Pacorus subegit universam. [*Florus, & Dio, ut supr. cum Livio, lib. 127.*] Tyrum solam qui reliqui erant Romani, ac qui cum his sentiebant Syri, anteceperunt: & neque suasionibus, neque vi (nam classem Parthi nullam secum habebant) in potestatem ejus redigi potuerunt. [*Dio, ibid.*]

Anno secundo, (ut apud Josephum habetur, libro 14. cap. 23.) ab adventu sc. Antonii in Asiam, quo Pacorus regis filius & Barzapharnes Parthorum satrapa Syriam occupaverunt, Ptolemæus Mennæi filius defunctus est. Cujus in principatu successor filius Lysanias (quem Ituræorum regem ab Antonio factum fuisse dicit Dio, lib. 49. pag. 411.) amicus factus est Antigono Aristobuli filio, conciliante satrapâ qui multum apud eum poterat.

M. Antonius, ineunte vere Alexandriâ contra Parthos profectus, ad Phœniciam usque processit, & Tyrum pervenit. [*Plutarch. in Antonio. Appian. lib. 5. pag. 701.*] Eò verò navigavit, tanquam auxilium urbi laturus. Sed occupatam jam ab hoste omnem circum regionem cernens, Sexti Pompeii prætendens bellum, eam deseruit: contra, quod adversus Pompeium non maturasset, prætextu belli Parthici excusabat. Ita evenit, ut neque sociis auxilio veniret, propter Pompeii, neque Italiæ, propter sociorum prætextum. [*Dio, lib. 48. pag. 373.*]

Continentem igitur prætervectus, atque per Cyprum & Rhodum usque ad Asiam navigans, de Perusinae obsidionis eventu cognovit: incusavitque fratrem Lucium, & Fulviam uxorem, & magis etiam, qui absentis bona in Italiâ procurabat, Manium. Inde in Græciam transmittens, cum matre Juliâ & uxore Fulviâ, quæ ex Italiâ profugerant, congressus est: atque hinc in Italiam transvectus, Sipuntem cepit. [*Id. ibid. cum Appiano, lib. 5. pag. 679. & 701.*]

Fulviâ Sicyone mortuâ, maritus ejus Antonius, suadente matre Juliâ & L. Cocceio, cum Cæsare de pace tractaturus, Sextum Pompeium (cum quo foedus jam inierat) in Siciliam revocavit, quasi curaturus ea de quibus inter ipsos convenerat; & Domitium Aënobatium cum potestate misit in Bithyniam. [*Appian. lib. 5. pag. 706. & 708.*] Et cum Marcellus maritus Octaviæ, Cæsaris licet ex alterâ matre dile-

467440

dilectissimæ sororis, nuper obiisset; ad pacem firmiter necesse, sponsa Antonio ea data est: qui licet non dissimulabat habere se Cleopatram, in matrimonio inficiabatur tamen. [*Id. ibid. pag. 709. Liv. lib. 127. Plutarch. in Antonio.*]

Tum diviso inter se Romano imperio fecerunt terminum, utriusque ditionis Codropolim, opidum Illyricum, quod videbatur situm in intimo sinu Adriatico: ita ut Orientales omnes trans sinum Ionium regiones, tam insulæ quàm provinciæ & Europæ & Asiæ, usque flumen Euphratem, Antonio cederent; Occidentales verò, Sardinia, Dalmatia, Hispania & Gallia Cæsari. Africas enim provincias Lepidus triumphans à Cæsare jam acceperat: & Siciliam Sextus Pompeius occupaverat. [*Plutarch. & Appian. ibid. Dio, pag. 374.*]

Bellum contra Pompeium Cæsari obvenit, ne quid aliud interveniret. Parthicum verò Antonio, ad ulciscendam illatam Craſso injuriam. Domitius Aënobarbus (licet è Julii Cæsaris percussoribus unus) in foedus receptus est à Cæsare, iisdem quibus prius ab Antonio conditionibus. Additum ad foedus, ut liceret utrique imperatori habere in Italiâ delectus pari numero legionum. In has leges postremum foedus inter Cæsarem & Antonium ictum est. [*Appian. pag. 709.*]

His ita in castris ad Brundisium compositis, convivio se mutuò exceperunt: quod Cæsar more militari ac Romano, Antonius Asiatico Ægyptiôque instruxit. Milites verò qui tum cum Cæsare erant Antonium circumsteterunt, postulantes pecuniam quam ipsis de pugna Philippensi promiserat, cuiusque cumulatè conficiendæ causâ in Asiam missus fuerat: ac vim ei intulissent, nisi eos, spe injectâ, Cæsar inhibuisset. [*Dio, pag. 374.*]

Cæsar & Antonius, ob pacem inter se factam, Romam ovantes sunt ingressi. [*Inscript. Gruteri, pag. CCXCVII.*] quos cives velut triumphantes exceperunt; vestique triumphali exornaverunt, & ad ludos spectandos curulis in sellis collocaverunt. [*Dio, pag. 375.*] Celebrata deinde ibi sunt inter Antonium & Octaviam tum prægnantem nuptiæ. Et quia vetabat lex nequa mulier nisi exactis à morte viri decem mensibus nuberet, tempus est ei Senatusconsulto remissum. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 78. Plutarch. in Antonio. Appian. pag. 710. Dio, pag. 375. fin.*] Manium verò, quod Fulviam exasperasset Cleopatrarum criminationibus, & tantorum malorum causa fuisset, interfecit Antonius. [*Appian. ibid.*]

Afinius Pollio in Consulatu filium suscepit, quem à captis Salonis (Spalatenſi civitate in Dalmatiâ) *Saloninum* vocavit: cui Virgilius in *Pollione* suo genethliacum canens, ex Cumæo sive Sibyllino carmine, secula per metalla dividente decimâque & ultimâ à Mundi ætate (quâ Sol, id est Apollo, esset imperaturus) novam futuram rerum omnium *ἄνθραξ* prædicente, hoc anno seculum aureum (& cum eo Virginem, Erigonem sive Astræam, quæ ferreo seculo terras reliquerat) redivitum pronuntiavit. [*Servius, in Virgil. eclog. 4.*] Cujus descriptioni & ea Poëta videtur inseruisse, quæ vel à Judæis (quos Romæ circa gradus Aurelios simul habitavisse, in oratione pro Flacco docet

Cicero) de Mesiâ suo prædicata audiverat, vel in Prophetarum oraculis (quæ Græcè passim tum extabant) de eodem scripta ipse loquerat.

Pacorus Parthorum regis filius, Syriâ acceptâ, in Palæstinam profectus, Hyrcanum, qui tum præpositus à Romanis ei regioni imperabat, deposuit; fratremque ejus Aristobulum præfecit. Ita Dio, libro 48. [pag. 372, 373.] Aristobulum patrem cum filio Antigono perperam confundens. quum idem ipse postea semper Antigonom regem hunc non Aristobulum appellet. [lib. 48. pag. 382. & lib. 49. pag. 405.] Plenissimè verò rem istam totam Josephus hunc in modum explicat.

Antigonus Aristobuli filius mille talenta & quingentas mulieres daturum se Parthis est pollicitus; si regnum ab Hyrcano in illum transferrent, & Herodem unâ cum suis interficerent. Quæ licet ille non præstiterit, Parthi nihilominus asserturi regnum Antigono, duxerunt versus Judæam exercitum; Pacorus regis filius per maritima, Barzapharnes satrapa per mediterranea. Pacorum excluderunt Tyrii: sed Sidonii ac Ptolemaidenses intromiserunt. Ille alam equitum in Judæam speculatum præmisit, jussam etiam adjuvare Antigonom: quam ducebat pincerna regius, & ipse Pacorus nomine.

Adjungentibus autem se Antigono Judæis Carmelum montem incolentibus & paratis cum eo in hosticum invadere, ille spem concepit posse se horum operâ partem illam regionis in potestatem redigere quam Drymos vocabant: ubi occurrentes sibi hostes fugatos Hierosolymam usque est insecutus.

Hic Antigeniani, adjungentibus se aliis jam multum aucti numero, aggressi sunt oppugnare regiam: Phasaëlo & Herode eam propugnantis. Inter hos pugna in foro consertâ, hostes à fratribus superati in templum confugerunt: quibus illic inclusis hi custodes 60 viros apposuerunt, per ædes proximas collocatos. Sed hos quidem infensus fratribus populus concremavit: Herodes autem iratus, ex populo multos obruncavit; inque dies singulos invicem sese per insidias incurfantibus, assiduæ cædes erant.

Quum dies festus Pentecostes advenisset, multa hominum millia ex totâ regione advenientium circa Templum congregata sunt, tam armatorum quam inermium; qui & templum & urbem occupaverunt, exceptâ regiâ: hanc enim cum paucis militibus Herodes custodiebat, sicut muros frater ejus Phasaëlus. Herodes verò (à Phasaëlo nonnihil adjutus) cum hostibus in suburbano congressus, cœpigit multa eorum millia fugere, partim in urbem, partim in templum, partim etiam intra vallum quoddam in propinquo positum.

Interea pacis arbitrum Pacorum Parthorum ducem Antigonus petiit admitti. Pacorus hospitio à Phasaëlo exceptus, suavitati ei ut legatus iret ad Barzapharnem; insidias illi instruens. Ille nihil suspicatus paruit: non probante hoc factum Herode propter Barbarorum perfidiam, hortantèque ut potius Pacorum & alios ad se venientes opprimeret. Itaque profecti sunt ad eam legationem Hyrcanus atque Phasaëlus: & Pacorus, relictis apud Herodem ducentis equitibus ac decem quos Eleutheros vocant, legatos deduxit.

Ut

Ut verò in Galilæam ventum est, armati eis occurrerunt qui illis opidis præerant: & Barzapharnes primùm alacriter eos excepit donavitque muneribus, deinde struere insidias incepit. Phasaëlus autem cum suo comitatu deductus est in propinquum mari locum, cui nomen erat Eccipon. Ubi Ophellus, qui à Saramallâ Syrorum tunc ditissimo paratas Phasaëlo insidias cognoverat, naves illi ad fugam obtulit. At ille, Hyrcanum & Herodem fratrem in periculo nolens relinquere, cum ipso Barzapharne de injuriâ hâc legatis illatâ expostulavit. Qui vera ista non esse dejerans, mox ad Pacorum abiit.

Eo profecto, vincula Hyrcano sunt injecta, & Phasaëlo multum detestanti Parthorum perjurium. Ad Herodem autem missus eunuchus mandatum habebat, ut productum extra muros comprehenderet. Herodes, quid fratri accidisset ex aliis intelligens, assumpto armorum quos circa se habebat subsidio, & impositis in jumenta mulieribus, matre Cypride, sorore Salome, sponsâ Mariamme, matrêque sponsæ Alexandrâ Hyrcani filiâ, & fratre natu minimo Pherorâ, famulitiôque ac reliquâ turbâ comitum, nocte insciis hostibus fugam versus Idumæam iniit.

In itinere mater everso vehiculo in mortis periculum adducta, ita consternavit Herodem, ne inter has moras superveniret hostis metuentem, ut stricto gladio de consciscendâ sibi morte cogitaret. Sed à circumstantibus cohibitus, Massadam castellum munitissimum (in confiniis Arabiæ & Palæstinæ positum) maximis compendiis petiit: Parthis primùm illum persequentibus, deinde & Judæis sexagesimo ab urbe stadio cum aggredientibus, prælio devictis.

Postquam ad Resfam vicum Idumææ pervenit, occurrit ei frater Josephus. Cùmque tantam turbam secum traherent, quantam etiam absq; milite conductitio Massadæ castellum, ad quod confugere decretum erat, non caperet: majorem partem dimisit Herodes, numero supra novem millia, jussis aliis aliàs per Idumæam salutem sibi quærere, viatico eis dato. Expeditioribus autem quibusque & intimis suis assumptis, in castellum ingressus est: depositisque ibi mulieribus cum reliquis comitibus, quorum omnium numerus ad octingentos pertinebat, quòd ibi & frumentum & aqua & reliqua omnia necessaria suppeterent; ipse ad Petram Arabiæ properavit.

Proximo postquam Hierosolymis ille profugerat die, reliqua quidem omnia Hierosolymitanorum bona Parthi diripuerunt, unâ cum ipsâ regiâ: sola Hyrcani pecunia, circiter trecenta talenta, intacta remansit. Herodis etiam facultatum magna pars evasit; præsertim quas ille maturè providens in Idumæam deportandas curaverat. Nec contenti Parthi urbis direptione, egressi agrum quoque latè populati sunt, & Marissam urbem opulentam everterunt.

In Judæam à Parthorum rege ita reductus Antigonus, Hyrcanum & Phasaëlum vinctos accepit. Vehementer autem tristatus est, quòd cum Herode mulieres effugissent, quas Parthis tradere constituerat, & unâ cum pecuniâ daturum se promiserat. Veritus deinde ne populi favore Hyrcanus, à Parthis asservatus, in regnum restitueretur, amputavit ei auriculas; ut sic ineptus ad recipiendum pontificatum red-

deretur : Lege vetante, ne quis membris debilitatus ad altare posset accedere. [*Levitic. XXI. 17, 18, &c.*]

Phasaëlus, neci se destinatum cognoscens, cum manus sibi inferre non posset propter vincula, alliso ad saxum capite vitam abruptit : ante tamen quam exhalaret animam, audito ex quâdam mulierculâ quod Herodes frater evasisset ; quem necis suæ ultorem futurum sibi gratulabatur. Parthi autem, quanquam mulieribus caruerint, quas maximè cupiebant, rebus tamen apud Hierosolymam cum Antigonon compositis, discedentes vincum in Parthiam Hyrcanum duxerunt. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 11. & lib. 14. Antiquit. cap. 24, 25.*]

Eodem tempore Labienus Ciliciam, & Asiæ urbes in continente sitas, (ejus enim metu in insulas trajecerat Plancus, Antonii in Asiâ legatus) præter Stratoniceam omnes, plerasque sine bello, Mylassa autem & Alabanda vi occupavit. Hæ namque urbes, quum præsidium à Labieno accepissent, die quodam festo necatis præsidianis, defecerunt. Labienus igitur Alabandis captis, cives supplicio affecit : Mylassa autem, relicta ab incolis, diruit. Stratoniceam quum diu obsedisset, nullo tamen modo potiri urbe poruit. Proinde pecuniâ confectâ, ac spoliatis fanis, *Parthicum* sese imperatorem vocavit, ratione à more Romanorum diversissimâ. Quos enim adversum Romanos ducebat, ab iis nomen sibi imponebat ; quasi eos, ac non cives suos, vicisset. [*Dio, lib. 48. pag. 373.*]

Ita Parthi, sub auxilii specie sibi vincentes, ab Euphrate & Syriâ usque ad Ioniam, duce Labieno, excurrerunt ; latronibus tamen similiore, quam hostibus. [*Florus, lib. 4. ca. 9. Plutarch. in Antonio. Appian. in Syriac. pag. 120. in Parthic. pag. 134, 156. & lib. 5. Bell. civil. pag. 709. & 747.*] Adquorum progressum impediendum, M. Antonius legatum P. Ventidium Bassum in Asiam præmisit. [*Plutarch. ibid. Appian. pag. 156. & 709.*]

Ventidius antè ad Labienum pervenit, quam is id futurum cognosceret ; territumque repentino adventu, & copiis suis destitutum (solus enim tum cum collectis ex Asiâ militibus ibi agebat absque Parthis) neque congredi ausum, statim inde fugavit : fugientemque in Syriam insecutus est cum expeditissimis suis militibus, deprehensumque apud Taurum montem ulterius progredi prohibuit. [*Dio, lib. 48. pag. 380, 381.*]

Eo loco plures dies oppositis invicem castris quieverunt ; Labieno Parthos, Ventidio legiones expectante. Quum iisdem diebus utrique, quod operiebatur, advenisset ; Ventidius, quia equitatum Parthorum metuebat, in sublimi loco (ibi enim castra posuerat) perstitit : Parthi verò suâ multitudine freti, hostemque olim à se superatum contemnentes, antequam Labieno se conjungerent, summo mane ad tumulum accesserunt ; ac, nemine contra exeunte, subire ad ipsum collem intenderunt. Quum jam in sublime evasissent, Romani decurrentes haud magno labore eos per declive præcipientes egerunt. Ita Parthi, partim à Romanis trucidati, majore verò ex parte in receptu à se invicem perditum sunt ; quum alteri jam fugerent, alteri tum primùm colli succederent. [*Ibid. p. 381.*]

Venti-

Ventidius Parthos, non ad Labienum sed in Ciliciam fugam convertentes, usque ad castra insecutus, viso ibi Labieno substitit. Labienus autem quum se ad pugnam composuisset, videns militum suorum animos fugâ barbarorum consternatos, non ausus configere, sub noctem aufugere aliquò instituit. Ventidius, re è profugis præcognitâ, multos in ipso discessu per insidias interfecit; reliquos omnes à Labieno desertos sibi adjunxit. [*ibid.*]

Labienus veste mutarâ effugit, ac aliquandiu in Ciliciâ quum latuisset, à Demetrio, qui Cyprum sub Antonio tum regebat, postmodum indagatus atque captus est. [*ibid.*]

His ira gestis, Ventidius Ciliciam recepit, ac constituit: Popedium autem Silonem cum equitibus ad Amanum montem præmisit, in confinio Ciliciæ & Syriæ positum. In illius angustiis, quæ Portæ dicuntur, castellum extractum Silo obtinere non valuit. quinimo à Pharnapate Pacori legato, qui eum transitum custodiebat, in summum discrimen conjectus periisset, nisi forte fortunâ Ventidius pugnantibus superveniens suos conservâset. Is Parthos & ex improvise inferiores adortus, Pharnapate cum multis aliis cæso, Syriam à Parthis relictam jam sine prælio recepit, Arado tantum exceptâ. Aradii enim, metuentes ne eorum quæ contra Antonium ausi fuerant poenas dare cogentur, Ventidio se non dediderunt, quanquam aliquandiu ab eo oppugnati. [*ibid.* p. 381, 382.]

Herodes, nondum factus certior de fratris Phasaëli interitu, ad Arabum (Nabatarum) regem Malchum multis suis beneficiis jam antè obligatum, profectus est: vel trecenta talenta paratus expendere, ut fratrem quamprimum ab hoste redimeret. quâ de causâ & filium illius Phasaëlum septennem secum ducebat, oppigneraturus eum apud Arabas. Sed occurrerunt ei missi à Malcho qui denuciarent ut finibus ejus regni excederet; sic Parthis jubentibus. Prætexebat autem hoc suavis optinatum suorum, ne debitam pecuniam redderet, utque ille fraudaretur rebus quas pater ejus Antipater penes Arabas deposuerat. Quod molestè ferens Herodes, in quoddam templum divertit, ubi multos ex comitatu reliquerat. Sequenti verò die cum venisset Rhinocora, ibi de fratris obitu cognovit. [*Joseph. lib. 14. ca. 25.*]

Malchus poenitentiam notus, & cursim Herodem insecutus, nihil profecit. Jam enim ille procul aberat, versus Pelusium properans: ubi, nautis eum non recipientibus qui navigaturi erant Alexandriam, à magistratibus loci honorificè eò est deductus ad Cleopatram reginam. Quæ tamen detinere ibi eum non potuit, Romam properantem: licet & crebris procellis mare tam esset turbidum, & res parum adhuc tranquillæ essent in Italiâ. Cum enim hyemalis anni tempestas nondum adesset (ut ad ann. Mundi 4014. num. 26. & 27. contra Tomiellum observavit Sallustius) illud, *ἄνεμος ὄριος*, apud Josephum, de maris procellâ accipio: quâ neglectâ, solvens Alexandriâ Herodes versus Pamphyliam, & cum gravi tempestate conflictatus, jacturâ sarcinarum factâ, egrè in Rhodum evasit. [*Joseph. ibid.*]

Rhodi duo ex amicorum cohorte præhò ei fuerunt, Sappinas & Ptolemæus. Et quum invenisset eam civitatem graviter afflictam bello quod

quod contra Cassium gestum fuerat, ne præsentem quidem inopiã cohiberi potuit, quo minus vel supra vires eam refoveret: instructaque triremi & cum amicis conscensã, Brundisium in Italiã appulit. Inde Romam profectus, Antonio denarravit ea quæ sibi & familiæ suæ in Judæã contigerant; & quomodo per medias tempestates, (ὁ δὲ Χριστὸς) contemptis omnibus difficultatibus ad unicum præsidium se recepisset, quod in illo haberet repositum. [*Id. ibid.*]

Ea narratio quum Antonii commiserationem erga Herodem excitasset, accedente etiam hospitii paterni memoriã, & in primis sollicitatione pecuniæ, si ejus ope rex fieret, & odio Antigoni tanquam hominis turbulenti ac Romanis inimici, factus est in Herodem propensior. Cæsar quoque, partim propter Antipatri militiam in Ægypto cum patre ipsius toleratam & reliquam benevolentiam, partim ut Antonio gratificaretur quem valde studiosum sciebat Herodis, ad conatus ejus promovendos erat paratus. Itaque convocato Senatu Messala, ac deinde Atratinus, productum Herodem commendârunt, commemoratis tam patris ejus quàm ipsius in Romanos beneficiis ac benevolentia: Antigoni vero tum ob vetera crimina accusârunt, tum quod recens contemptis Romanis à Parthis accepisset imperium. Cùmque Antonius Senatum docuisset conducere ad Parthicum bellum, quod erat in manibus, Herodem regnare; hoste declarato Antigono, Herodi regium nomen omnium suffragiis est delatum. [*Id. lib. 14. cap. 26.*]

Dimisso Senatu, Antonius & Cæsar medium habentes Herodem exiverunt, Consulibus cæterisque magistratibus deducuntibus; ascenderuntque in Capitolium sacrificaturi, ac Senatusconsultum ibi deposituri: & novus Rex primo regni sui die convivio acceptus est ab Antonio. Atque hoc pacto regium fastigium ille est adeptus, Olympiade CLXXXV. (non CLXXXIV. ut apud Josephum legitur) C. Domitio Calvino II. & Asinio Pollione Consulibus. Et intra septem dies Herodem insperatã felicitate ornatum dimisit Antonius ex Italiã. [*ibid.*]

Toto autem absentia Herodis tempore Antigonus familiam ejus oppugnabat in Massadã, abundantem quidem cætero comœtu, sed laborantem aquarum inopiã: ita ut hæc de causã Josephus frater cum 200 familiaribus ad Arabas inde fugere decreverit. Audierat enim Malchum jam poenitere, quod parum officiosus in Herodem fuisset. Id consilium mutavit, imbre noctu de cœlo demisso. Cisternis enim aquã repletis, magno animo excurrerant; & Antigonianorum multos, modò apertè modò clam, trucidabant. [*ibid.*]

3965 Ventidius Palæstinam, Antigono ejus rege perterrefacto, nullo labore recepit: & pecuniam multam tum à singulis aliis, tum imprimis ab Antigono, Antiocho (Commageno) & Malcho Nabatæo exegit; quod ii Pacorum auxilio juvissent. [*Dio, lib. 48. pag. 382.*] Et in Palæstinam quidem ille venit, eo prætextu, quasi Josepho laturus auxilium: sed re verã hoc consilio, ut pecuniam extorqueret ab Antigono. Positis igitur castris prope Hierosolyma, satis magnam pecuniæ vim exegit ab eo. Quo facto, ipse quidem cum majore copiarum parte recessit;

cessit; ne tamen fraus deprehenderetur, Silonem cum quâdam militum parte ibi reliquit: quem & ipsum placandum habuit Antigonus, ne quid interim molestus esset, dum Parthos, ut ipse sperabat, succurrerent. [*Joseph. lib. 14. cap. 26.*]

Erat Romæ in comitatu Antonii quidam gemethliacus Ægyptius, qui fortunam illius, alioquin splendidissimam & maximam, obscurari à fortunâ Cæsaris dixit: suasitque ut quàm longissimè ab eò juvene secederet. Hujus enim genium, inquit, formidat genius tuus; qui crectus & celsus, ubi solus est, illo appropinquante demissior redditur & ignavior. [*Plutarch. in Antonio.*]

Hinc ad Parthicum bellum profecturus Antonius, Senatusconsulto approbatis actis ejus tam futuris quàm præteritis, rursus duces passim dimisit, & alia cuncta ut voluit disposuit. Reges quoque aliquot appellavit arbitrato suo, duntaxat qui certum tributum penderent. Et ut Herodem Idumæorum & Samaritarum, ita Ponti Darium (Pharnacis filium, Mithridatis nepotem) Amyntam Pisidarum, Polemonem partis Ciliciæ, aliisque aliarum gentium reges constituit. [*Appian. lib. 5. pag. 715.*] Deinde re familiari suâ Cæsari mandatâ, excessit Italiâ. Octaviam in Græciam usque ducens secum, ex quâ jam filium sustulerat. [*Plutarch.*] Ibique permultum temporis exegit. [*Dio, lib. 48. pag. 380.*]

Exercitum autem, qui alioquin circa ipsum hybernaturus fuerat, ut lucris simul exercitiisque assuefaceret, misit in Parthienos, gentem Illyricam, Epidamno vicinam, Bruti quondam studiosissimam; alios in Dardanos, hos quoque Illyrici generis, Macedoniam incurfare solitos: alios in Epiro præstolari iussit, ut omnes circa se haberet, qui Athenis hyberna sibi delegerat. Misit & Furnium in Africam, ut Sextii quatuor legiones contra Parthos duceret: nondum enim audierat Lepidum eas ademisse Sextio. His dispositis, hybernavit Athenis cum Octaviâ, sicut antè Alexandriæ cum Cleopatrà. [*Appian. pag. 715, 716.*]

Hybernanti Athenis primæ Ventidii res prosperè gestæ nuntiantur; Parthis fufis Labienum & summum regis Herodis sive Orodis ducem Pharnapatem sive Phraatem ab eo interfectos. Hujus victoriæ gratiâ præbuit Græcis epulum, & ludos gymnicos populo Atheniensi edidit, in quibus esse ipse voluit gymnasiarches: relictisque domi insignibus imperatoriis, cum virgis gymnasiarchicis in pallio & phæcasiis processit; correptosque juvenes, ubi satis certâssent, diremit. [*Plutarch.*]

Romæ quoque laudatus est Antonius, & supplicationes ejus nomine decretæ. Ipsi enim Ventidio nullum à Senatu præmium datum est; quia non Imperator ipse, sed alienis auspiciis rem gessisset. [*Dio, lib. 48. pag. 382.*]

Castori cuidam & Attali & Dejotari in Galatiâ defunctorum ditio tradita est. [*Id. ibid. pag. 377.*]

Herodes Ptolemaidem ex Italiâ reversus, collectis non mediocribus copiis tum ex conductio tum ex suæ gentis milite, per Galilæam contra Antigonum properavit; adjutus à Silone & Ventidio, ad quos *Dellius* (ita enim apud Josephum legendum hoc nomen, ut in lib. 15.

cap. 2. non *Gellius*) ab Antonio missus fuerat cum mandatis, ut Herodem in suum regnum deducerent. quamvis Ventidius tunc forte distinebatur componendis civitatum tumultibus, quos irruptio Parthorum excitaverat. Silo verò in Judæa erat: sed pecuniâ corruptus ab Antigono. At tamen Herodis ulterius procedentis copiæ augebantur indies: & tota Galilæa, paucis exceptis, stabat ab ejus partibus. [*Joseph. lib. 14. cap. 27.*]

Ducenti Herodi adversus Masadam, quòd necesse esset succurrere cognationi in eo castello obsessæ, impedimento fuit Joppe: quam occupatam ab hoste opus erat primùm capere, ne quam hostilem munitionem à tergo relinqueret petiturus Hierosolyma. Quâ occasione arreptâ, Silo movit exercitum: quem cum Judæi persequerentur, Herodes cum modicâ manu eis occurrit. & Judæis profligatis Silonem agrè repugnantem servavit. [*Id. ibid.*]

Captâ deinde Joppe, properavit Masadam ad liberandos obsidione domesticos: augebaturque exercitus, multis ex indigenis illi se adjungentibus. Frustra verò Antigono insidias in transitu locis opportunis illi struente, receptis è Masadâ domesticis & capto Resfâ castello petiit Hierosolyma; sequentibus Silonis militibus, & multis Hierosolymitanis ejus potentiâ perterritis. Cùmque ad Occidentalem urbis tractum castra posuisset, qui hâc parte dispositi erant custodes sagittis eum impetebant & missilibus. Deinde quibusdam catervatim excurrentibus & stationes hostium infestantibus, Herodes caduceatorem circa moenia proclamare iussit, se bono publico venisse, & ad salutem urbis, acceptarum injuriarum memoriam depositurum. Antigonus contrâ ad Silonem & Romanos sermone converso, iniquum eos facere dicebat, qui Herodi regnum astruant, homini privato & Idumæo, hoc est, semijudæo: quum id, more gentis, generis successioni deberetur. Et quum Antigoniani, strenuè jaculantes è turribus, hostes à moenibus arcuissent; Silo, largitione corruptus, è militibus suis familiaribus aliquot subornavit, qui clamoribus largiores com meatus & pecuniâ in alimenta flagitarent, abducique se in hyberna ad commodiora loca postularent. Unde turbato & abitu parante exercitu, Herodes Silonis tam duces quàm milites rogabat, ne se desererent, missum tum à Cæsare & Antonio tum à Senatu reliquo. Et continuo dimissis suis per agros, nullam Siloni discedendi ansam reliquam fecit: majore quàm quisquam speraret rerum necessariorum allatâ copiâ. Familiaribus etiam suis apud Samariam agentibus imperavit Herodes, ut frumentum, viam, oleum, pecora, & reliqua necessaria Jerichuntem comportarent; ut & in posterum inde suggeri possent militibus. [*Ibid.*]

Eâ re compertâ, Antigonus continuo dimisit per agros qui per insidias frumentatores interciperent. Herodes verò assumptis decem cohortibus, quarum quinque è Romanis, totidem è Judæis constabant, adjunctisque mixti generis conductitiis & equitatu modico, Jerichuntem petiit: offendensque urbem relictam ab habitatoribus, & 500 ex his ad montium vertices confugisse cum familiis, hos quidem captos dimisit. Romani autem invadentes urbem diriperunt, reper-

tis

tis intra ædes omne genus rebus pretiosissimis. Rex igitur, relicto in eâ urbe præsidio, reversus est; & Romanum exercitum hybernatum in recens deditas regiones dimisit, Idumæam, Galilæam & Samariam. Antigonus quoque pro largitione obtinuit à Silone ut partem Romani exercitus intra Lyddam acciperet, captans Antonii gratiam. Atque ira Romani degebant in magnâ rerum copiâ, ab armis tantisper vacantes. [*Ibid.*]

Herodi verò otiosi non libuit, sed misso in Idumæam Josepho fratre cum mille peditibus & 400 equitibus, ipse in Samariam profectus, & depositâ ibi matre cognatisque aliis quos è Masadâ eduxerat, in Galilæam duxit; expugnaturus quædam loca ab Antigonianis infessa præsidii. Cùmque Saphorim coelo nungente pervenisset, Antigonianis inde fugientibus magnam nactus est rerum necessariorum copiam. Inde in latrones quosdam speluncarum recessus habitantes equitum alam immisit, cum peditum tribus cohortibus, ut eos cohiberet à maleficiis: aberant autem non longè ab Arbelâ vico. Quadragesimo deinde die venit cum toto exercitu, & magnâ audaciâ hoste occurrente, in sinistro aciei cornu laborari cœptum est; donec ipse armorum manu stipatus succurrit, & hostes jam vincentes cœgit terga vertere, suos verò fugientes gradum sistere. Nec hoc contentus, profligatos & palantes usque Jordanem persecutus est. Atque ita universam Galilæam in partes suas traduxit, præter eos qui erant in speluncarum receptaculis: numeratisque virgum 150 drachmis, & proportionem centurionibus, suos in hyberna dimisit. [*Ibid.*]

Interea Silo ad eum venit cum suis ducibus qui apud Antigonum in hybernis fuerant: illo nolente eos post unum mensem exactum amplius alere. Nam & ad circumvicinos miserat, qui juberent eos sublatis omnibus rebus ad victum necessariis in montes refugere, ut Romani præ inopiâ fame perirent. At Herodes Pheroræ fratrum minimo comitatu curam commisit, jussu instaurare Alexandrium: qui brevi & militibus magnam necessariorum rerum abundantiam præbuit, & castellum illud prius desertum denuò condidit. Hoc verò tempore Antonius Athenis morabatur. [*Ibid.*]

P. Ventidius, quum Pacorum exercitum colligere & in Syriam proficisci audisset, in metum pervenit; quum neque urbes essent adhuc constitutæ, & exercitus in hybernis etiamnum dispersi. Quare, ut & moram Pacoro injiceret & tarditati suarum copiarum mederetur, Chaunæum quendam dynastam adiit; notum quidem sibi familiariter, sed quem certò sciebat Parthis magis cupere. Hunc nihilominus tanquam fidissimum sibi in honore habuit Ventidius, & consilium nonnullis in rebus ab eo petiit: ita ut, citra suum tamen detrimentum, hanc ei de se opinionem præberet, quasi conscium cum suorum arcanissimorum consiliorum faceret. Eò re deductâ, simulavit meture se ne barbari consuetudo suo Euphratis transitu ad Zeugma omissa, aliâ quâdam parte fluminis inferiore uterentur: quòd hîc campi Parthis, ibi verò colles sibi commodi essent. Idque & persuasit Chaunæo, & per eum etiam Pacorum decepit: ita ut campestri itinere (quo Ventidius sinxerat se eum nolle venire) prolixiori delceto, spa-

4675 39

tium copias suas cogendi Ventidio daret. Ira, in libro Histor. 56. [pag. 403, 404.] rem narrat Dio: Frontinus verò, libro 1^o Stratagematum cap. 1. ita. Ventidius Parthico bello adversus Pacorum regem, non ignarus Pharneum quendam natione Cyrrhestem, ex his qui focii videbantur, omnia quæ apud ipsos agebantur nuntiare Parthis; perfidiam Barbari ad utilitates suas convertit. Nam quæ maximè fieri cupiebat, ea vereri se ne acciderent; quæ timebat, ea ut evenirent optare se simulabat. Sollicitus itaque ne Parthi antè transirent Euphratem, quàm sibi supervenirent legiones quas in Cappadociâ trans Taurum habebat; studiosè cum pròditore egit, ut solenni perfidiâ Parthis suaderet, ut Zeugma trajicerent exercitum, quâ & brevissimum iter est, & demisso alveo Euphrates decurrit. Namque si illâc venirent, asseverabat se opportunitate collium usurum ad eludendos sagittarios: omnia autem vereri, si se in patentes campos projecissent.

Antonius, magno cum luxu & Ostaviæ voluptate Athenis exactâ hyeme, tanquam alius factus ad pristinum cultum rediit, personamque mutavit. Rursum enim circa fores obversabantur lictores, duces & satellites, ad terrorem omnia composita: legationes quoque admittebantur, ad id tempus dilatae; jus reddebatur, naves deducebantur, & apparatu strepebant omnia. [Appian. lib. 5. pag. 716.] Denique ad bellum profecturus, è sacrâ olivâ coronam sibi sumpsit: & ut oraculo cuidam satisfaceret, etiam è Clepsidrà fonte repletum secum asportavit vasculum. [Plutarch. in Antonio.]

In Syriâ Ventidius Silonem accersens contra Parthos, jussit primum Herodî navare operam, deinde ad Parthicum bellum Herodem secum adducere & reliquos provinciales auxiliares. Sed Herodes, Silone ad eum misso, ipse contra latrones in speluncis degentes duxit militem; & speluncas eorum omnes expugnavit: ut in libro 1. Belli cap. 12: & libro 14. Antiquit. cap. 27. plenius Josephus explicat.

Regioni Herodes Ptolemæum præposuit: cui tamen præfectura sua non bene cæssit. Nam invasus ab his qui & antè Galilæam turbarant, interfectus est. quo facto receperunt se in paludes & loca inaccessibilia; totum eum tractum rapinis infestantes & excursionibus. Herodes autem reversus pœnas ab eis exegit atrocium: & ex defectoribus alios mox interfecit, alios fugientes in loca munita expugnatos supplicio tradidit, & arcus ipsas diruit, atque ita sublatis rerum novarum authoribus, civitates centum talentis multavit. [Joseph. ibid.]

Pacorus cum magnis Parthorum copiis in Syriam profecturus, omisso ad Zeugma breviori Euphratis trajectu, inferiore itinere per circuitum adduxit exercitum. Dùmque fusiores ripas, & ob hoc operosiores pontes jungunt Barbari, instrumentaque moliantur; 40 amplius dies impenderunt. Quo spatio Ventidius ad contrahendas usus est copias: quas triduo antequam Parthi advenirent recepit. Quos cum Ventidius passus esse Aumen transire, neque secundam transitum eos adortus esset; in eam ipsos opinionem induxit, ut effeminatos ac imbecilles esse Romanos judicarent. Ventidius quoque simulato timore, diu continuit

tinuit se, & insultare Parthos aliquantisper passus est. Ad postremum in securos latrosque partem legionum emisit: quarum imperu fusi Parthi, in diversa abiere. Pacorus quum fugientes suos abduxisset, secum legiones Romanas putaret, castra Ventidii, veluti sine defensoribus, magnâ mole aggressus est. Quæ cum in edito posita loco Parthi equites invaderent, à Romanis repentinâ eruptione factâ, non magno labore per declive sunt depulsi. Reliquam verò partem legionum in campestria adversus Parthos Ventidius non antè eduxit, quam illi quingentis non amplius passibus abessent: atque ita procurssione subitâ ad eum se admovit, ut sagittas, quibus ex longinquo usus est; cominus applicitus eluderet. Quo consilio, quia quandam fiduciæ etiam speciem ostentaverat, celeriter Barbaros debellavit: maximè funditoribus victoriam adjuvantibus, qui eminus violentis ictibus Barbaros impetentes summo perere affligebant. Parthi tamen, quorum plures cataphracti erant, fortiter pugnaverunt: atque ipse Pacorus, fortissimè dimicans, cecidit; pro cuius cadavere pauci alacriter, sed frustra, certaverunt. Parthorum denique equitatum omnem Ventidius toto inter Orontem & Euphratem latè cæcidit; viginti amplius millium strage editâ: nec ullo bello Parthi unquam majus vulnus hæceperunt. Fugientium alii per pontem domum evadere conati, præventi ab hostibus perierunt; alii in Commagenam ad regem Antiochum profugerunt. Atque ita Parthos Ventidius intra Mediam & Mesopotamiam denuo redegit: ulterius persequi eos nolens, invidiam M. Antonii veritus. [*Liv. lib. 128. Florus, lib. 4. cap. 9. Strabo, lib. 16. pag. 951. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 78. Joseph. lib. 14. cap. 27. A. Gellius, lib. 15. cap. 4. ex Suetonio. Inft. in. lib. 42. cap. 4. Plutarch. in Antonio. Inl. Frontin. Stratagem. lib. 1. cap. 1. & lib. 2. cap. 2. Dio, lib. 49. pag. 404. Entrop. lib. 7. Sext. Rufus, in Breviario. Orof. lib. 6. cap. 18.*]

Celeberrima hæc victoria in Syriâ Cyrrhesticâ est obtenta. [*Strabo. Plutarch. Dio.*] eodemque ipso anni die Pacorus est interfectus, quo (ante annos 14) pater illius Orodes per ducem Surenam M. Crassum occiderat. [*Dio, pag. 405. Entrop. Sext. Ruf. & Orofins.*] quod mense Junia factum fuisse, in 6^o Fastorum libro ostendit Ovidius.

Ventidius in illos qui defecerant susceptâ expeditione, subjugavit eos. [*Plutarch.*] Nam Pacorum justitiæ ac clementiæ nomine Syri summo amore prosequerantur, ita ut majori nullum unquam regem. [*Dio, pag. 404.*] Itaque, quum suspensio animo eventum belli Syria expectaret; Ventidius, circumlato per urbes quæ desciverant Pacori capite, sine bello facilè eam pacavit. [*Id. ibid. Florus, lib. 4. cap. 9.*]

Orodes, qui paulo antè vastatam Syriam, occupatam à Parthis Asiam audierat, victorémque Pacorum Romanorum gloriabatur, repente filii morte & exercitus clade auditâ, ex dolore in furorem vertitur. Multis diebus non alloqui quemquam, non cibum sumere, non vocem mittere; ita ut etiam mutus factus videretur. Post multos deinde dies, ubi dolor vocem laxaverat, nihil aliud quam Pacorum vocabat, Pacorus illi videri, Pacorus audiri videbatur; cum illo loqui, cum illo consistere: interdum quasi amissum flebiliter dolebat. [*Inft. di. 42. ca. 4.*]

Romæ, Antonio ob victoriam Parthicam & supplicationes decretæ sunt, & triumphus (quem ille tamen nunquam egit:) tum ob ejus eminentiam, tum secundum leges, quia ea provincia ipsius erat. Ventidio tamen etiam eadem concessa sunt: quia videbatur Crassi calamitatem Pacori cædes abunde compensasse. [*Dio, lib. 49. pag. 404, 405.*]

Ventidius contra Antiochum Commagenum duxit, eo obtentu, quòd is ei servos non dedisset: re autem verà pecuniæ, quam plurimam Antiochus possidebat, spe potiundæ. [*Id. ibid. pag. 404.*]

Hunc igitur, Samosatis inclusum, ille oppugnabat: atque pollicentem mille talenta, & facturum imperata Antonii, iussit ad ipsum legatos mittere (jam enim non longe aberat) ut ab ipso pacem acciperet: quandoquidem hanc saltem illi deberi volebat, ne viderentur omnia per unum Ventidium fieri. [*Plutarch. in Antonio.*]

Antonius Ventidio iussit, ut in auxilium Herodi Machatram mitteret, cum duabus legionibus & mille equitibus. [*Joseph. lib. 14. cap. 27.*] Ob utramque verò illam victoriam tum de Labieno tum de Pacoro à Ventidio partam, non modò non gavissus est Antonius, sed invidit etiam ob rem proprio ductu præclare gestam. Et quanquam ipsi propter utrumque factum Ventidii, & decretæ supplicationes fuissent & triumphus; tamen officio suo (præfecturæ Syriæ) eum detruxit, & neque tum neque deinceps ullà in re operà ejus usus est. Ita Dio: [*pag. 404.*] licet Plutarchus honoratum ab eo, ut merebatur, Ventidium & ad triumphum missum fuisse scripserit.

Machæras vocatus ab Antigono & pecuniis corruptus, invito Herode ad eum se contulit, tanquam inspecturus ejus negotia. At Antigonus suspectum habens ejus adventum, non admisit hominem, sed per funditores glandibus impetum arcuit. Ille tum demum Herodem bene monuisse, & se non obtemperantem errasse intelligens, in Emmauentem urbem se recepit: & in eo itinere quotquot Judæorum ad manus ei venerunt, interfecit nullo amici aut hostis discrimine; iratus ob ea quæ sibi acciderant. Quo facto exacerbatus Herodes, Samariam petit, Antonium eà de causâ aditurus: aliis sibi opus esse dicentibus, quàm his qui se magis quàm hostem læderent; alioqui sufficere vel seipsum ad opprimendum Antigonom. Machæras verò consecutus eum rogabat ut maneret: aut si certum esset pergere, saltem Josephum fratrem sibi attribueret, gerenti bellum contra Antigonom. Itaque reconciliatus Machære multum roganti, relicto ibi Josepho cum exercitu, præcepit ei ne se absente contra Antigonom pugnando rem totam in discrimen adduceret. Ipse verò properavit ad Antonium, oppugnantem Samosata ad Euphratem, ducens auxiliares tam pedites quàm equites. [*Joseph. lib. 14. cap. 27.*]

Postquam pervenit Antiochiam, multos ibi reperit, qui cupientes adire Antonium, non audebant se committere itineri, propter barbaros vias obsidentes. Quibus se ducem ille præbens, barbaris semel iterumque superatis, Samosata ad Antonium pervenit: ab eoque multo cum honore, & laude fortitudinis, exceptus est. [*Id. ibid.*]

Quum diu duraret Samosatorum oppugnatio, obsessis, ex desperatione pacis, versis ad fortitudinem, (ut est apud Plutarchum) suspi-

careturque

careturque Antonius milites, ob affectum ignominia Ventidium, animo esse alieno, (ut habet Dio :) clanculum de pace cum Antiocho egit, ut recedere honestè posset. Cùmque non plures duobus obsides, ac ne hos quidem illustres, neque eam quam poposcerat pecuniam, accepisset; trecentis talentis contentus, pacem Antiocho dedit: illi etiam concedens, ut Alexandrum necaret, qui prius ab eo ad Romanos transfugerat. [*Dio, lib. 49. pag. 405. cum Plutarcho in Antonio, & Orofio, lib. 6. cap. 18.*]

8966

Hunc in modum bello illo finito, C. Sosio Syriæ & Ciliciæ præfeturam cum exercitu tradidit. [*Dio, ibid. Joseph. lib. 14. cap. 27.*] qui multa in Syriâ prosperè gessit. [*Plutarch. in Anton.*]

Constitutis aliquantum rebus in Syriâ, Athenas Antonium rediisse, scribit Plutarchus: in *Ægyptum* profectum fuisse, Josephus; in *Italiam* cursum instituisse, refert Dio. Ut Athenas primùm ille rediisse, inde à Cæsare Octaviano evocatus in Italiam transiisse, atque Athenas denudò reversus inde in *Ægyptum*, cum Cleopatrá hyematurus, navigavisse videatur. A Cæsare enim ille Athenis accersitus, ut de bello Sexto Pompeio inferendo cum eo deliberaret, cum paucis Brundisium usque accessit: ubi quum ad statutam diem Cæsarem non invenisset, territus prodigio quodam, specie Parthici belli urgentis usus in Græciam reiectus est; ægrè ferente Cæsare, quòd ipsum non expectâisset. [*Appian. lib. 5. pag. 717, 718. Dio, lib. 48. pag. 385.*]

Josephus, præceptorum fratris Herodis immemor, eo absente assumptis suis & quinque à Machærâ datis Romanis cohortibus, versus Jerichuntem, ut maturo messium tempore triticum hostium demeteret, profectus, in montibus castra posuit. Et quia Romanorum cohortes constabant è tyronibus non admodum rei militaris peritis, quòd plerique è Syriâ delecti essent, circumventus ab hostibus inter locorum difficultates, sex cohortibus amissis, & ipse fortiter pugnans occubuit. Antigonus verò potitus cadaveribus, eò processit iracundiæ, ut mortuum quoque Josephum verberaret, & caput ejus abscinderet: quamvis quinquaginta talenta Pheroras frater pretium redemptionis offerret. Quo factò Galilæi à suis præfectis deficientes, eos qui Herodis partibus magis favebant productos in lacu submerserunt. In Idumæâ quoque multa novata sunt: ubi Machæræ Gittam castellum munitat. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 13. & lib. 14. Antiquit. cap. 27.*]

C. Sosius, ab Antonio jussus ut Herodem adversus Antigonum adjuvaret, duas cohortes cum eo in Judæam præmisit. [*Id. ibid.*] Ipse Aradios, hætenus oppugnationem perpeffos famæque & morbo confectos, subegit. [*Dio, lib. 49. pag. 405.*]

Herodi apud Daphnen Anriochiæ suburbium fratris casus renunciatus est, jam antè tale aliquid propter insomnia hæc de re sibi oblata expectanti. Accelerato igitur itinere postquam ad Libanum montem pervenit, assumptis 800 ejus loci hominibus, ducens etiam unam Romanam cohortem Ptolemaidem petiit: unde noctu profectus cum exercitu, per Galilæam progressus est. [*Joseph. ut supra.*]

Hic occurrentes illi hostes, prælio victi, compulsi sunt in castellum unde

unde exierant pridie. quod primo manè oppugnare Herodes aggressus, vi repentinæ tempestatis coactus est infectâ re inde exercitum in proximos vicos abducere. Superveniente autem ab Antonio cohorte alterâ, qui castellum tenebant territi noctu id deseruerunt. Herodes quoque Jerichuntem properavit, volens ulcisci fratris interitum. Quò postquam venit, honoratissimum quemque adhibuit ad convivium: peractâque cenâ dimissis convivis, recepit se in cubiculum. Tricliniûmque illud in quo cœnatum fuerat, jam vacuum, sine cuiusquam noxâ concidit: quo factum est ut omnes Herodem Deo charum crederent, qui miraculosè servaretur è tanto periculo. [*Ibid.*]

Sequenti die quum hostium sex millia ad pugnam descendissent à montium verticibus, Romanos terruerunt: eorumque velites procurfando jaculis & saxis feriebant regio; adè ut ipsi quoque regi quidam vulnus in latus inflixerit. [*Ibid.*]

Antigonus ducem Pappum Samariam misit; volens videri ita abundare copiis, ut foris quoque posset bellum gerere. Sed ille Machæræ se opposuit. Herodes verò occupatis quinque opidis, præfidiariorum circiter duo millia interfecit, & incensis opidis contra Pappum reversus est, ad vicum Isanas castra habentem. [*Ibid.*]

Herodes, confluentibus ad se multis à Jerichunte ac Judæâ, ubi animadvertit hostem præ audaciâ venire ad pugnam, collatis cum eo signis vicit egregiè: & accensus ulciscendi fratris cupidine, sæviendo instabat in vicum fugientibus. Repletis autem ædibus milite, & quibusdam in tecta confugientibus, his superatis & tectis dirutis vidit omnia referta & constipata militibus. Quibus omnibus miserandum in modum oppressis, reliqui omnes territi agminatim diffugerunt: statimque Herodes, nisi cum hyemis asperitas prohibuisset, Hierosolymam petiisset & finem bello imposuisset. Jam enim Antigonus de fugâ dispiciebat, cogitans urbem deserere. [*Ibid.*]

Herodes ad vesperam, cum lassos amicos reficiendi corporis gratiâ dimisisset, ipse adhuc ab armis calidus in quoddam cubiculum unico tantum famulo comitatus lavatum abiit. Intus autem latebant quidam hostium armati, quos metus eò compulerat. dumque nudus ille se ablueret, primus prodians stricto gladio per fores se proripuit, deinde alter & tertius armati similiter: adè attoniti, ut illæso rege contenti essent sibi ipsis fugâ salutem quærere. Sequenti verò die præciso Pappi inter reliquos occisi capite, misit illud Pheroræ in perempti fratris ultionem. Pappus enim erat qui suâ manu Josephum interfecerat. [*Ibid.*]

Romæ, V Kalend. Decembr. P. Ventidius Proconsul ex Tauro monte & Parthis triumphavit: ut in Fastis triumphalibus marmoreis legimus. [*Gruter. Inscript. pag. CCXCVII.*] Hic Ventidius Bassus vir obscuri generis, per Antonii amicitiam ad tantam amplitudinem est provectus, ut provinciis Orientalibus ab eo præpositus, Labieno & deinde Pacoro superato, de Parthis triumphum duxerit; qui ipse semel, atque iterum etiam, (si Massurio apud Plinium credimus) in triumpho cum aliis captivis ductus fuerat. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 65. Valer. Maxim. lib. 6. cap. 9. Plin. lib. 7. cap. 43. A. Gell. lib. 15. cap. 4.*

ex Suetonio. Plutarch. in Antonio. Dio, lib. 49. pag. 405. Eutrop. lib. 7.]
Vid. supr. in fine anni Periodi Julianæ 4671.

Hispaniâ in Cæsaris Octaviani potestatem per Domitium Calvini-
num proconsulem jam redactâ, à Kalendis Januariis hujus anni Hispani-
ni *Aram* suam deduxerunt; ut & ex aliis, & ex Eulogio archiepiscopo
Toletano in Memoriali Sanctorum, intelligitur.

Ineunte vere, Antonius ex Syriâ (ut Dio) vel Athenis (ut Appia-
nus habet) Tarentum cum trecentis navibus appulit, Cæsari contra
Sextum Pompeium auxilium ferens. Quo cum ille uti non vellet, in-
dignè id ferens Antonius, tamen eodem loco mansit. Nam quum gra-
vatim sumptus in classem faceret, & ad Parthicum bellum opus habe-
ret Italicis legionibus, classem eis permutare cogitabat. Et quanquam
ex foedere utrique potestas erat delectus habendi per Italiam: diffi-
cilius tamen hoc ipsi futurum erat, sortito Italiam altero. Octaviam
igitur, quæ comitata etiam fuerat ex Græciâ, (prægnans ea tum erat,
atque etiam secundam Antonio filiolum jam pepererat) ad Cæsarem
fratrem misit, ut arbitra inter utrumque foret. Quæ eò rem perduxit,
ut Antonius Cæsari 120 naves (pro quibus, centum rostratas Plutar-
chus ponit) continuò Tarentum missas traderet: pro quibus Cæsar
δύο πύργια (ut apud eundem Plutarchum legitur) vel viginti arma-
torum millia (ut habet Appianus) Antonio missurum se ex Italiâ est
pollicitus. Octavia præterea extra conventa fratri obtinuit à viro vi-
ginti myoparones, ut Plutarchus, vel decem phaselos triremes, ut
Appianus retulit: Cæsar vicissim Octaviam mille selectis satellitibus
donavit, Antonio delectu eorum permissio. [Plutarch. in Antonio. Ap-
pian. lib. 5. pag. 725. 726. Dio, lib. 48. pag. 390.] Quoque pluribus ne-
cessitudinis vinculis continerentur, Cæsar Antyllo Antonii filio filiam
suam (Juliam,) ac contrâ Antonius suam ex Octaviâ filiam Domi-
tio (Aëno-barbo,) quanquam is & cædis Julii Cæsaris conscius &
proscriptus fuisset, desponderunt. Hæc verò ira ab eis fingebantur,
quæ facturi haudquaquam erant: quia præsentia negotia id posce-
bant. [Dio, *ibid.*]

Et quoniam quinquennale Triumviratus tempus exibat, prorogâ-
runt sibi ipsis potestatem in aliud quinquennium, nihil morati plebis
suffragia. [*Id. ibid.* Appian. pag. 726, 727.] Antonius verò Octaviam
à Corcyrà in Italiam remisit, ne sui in Parthico bello periculi con-
sors esset: eaque cum suis ex illâ & Fulviâ liberis Cæsari commen-
datâ, in Syriam profectus est. [Plutarch. in Anton. Appian. pag. 727.
Dio, pag. 390. 391.]

Pro veteri bibliothecâ Alexandrinâ, Julii Cæsaris tempore incen-
sâ, novam in eodem loco Cleopatra construxit; quæ prioris *filia*
appellata est: ut in libro de mensuris & ponderibus confirmat Epipha-
nius. ubi tamen à 7^o anno Ptolemæi Philadelphi, quo priorem Bi-
bliothecam fuisse conditam ad annum Periodi Julianæ 4437 ex eo-
dem ostendimus, annos hucusque malè ille dinumerat 249. qui in an-
no Per. Jul. 4686 terminarentur, post Cleopatraz interitum anno de-
mum abero. Cùmque præcipuus calculi error inde existat, quòd
Cleopatraz regno 32 annos pro 22 Epiphanius attribuat; superfluo

illo decenniō sublato, interstitium inter utriusque Bibliothecæ initia 239 tantum annorum constituimus. Huc verò spectat, quod in Plutarchi *Antonio* legitur; objectum Antonio à Calvisio fuisse, quòd Cleopatraz *bibliothecas donavisset quæ Pergami erant, in quibus essent ducenta millia simplicium librorum, sive singularium voluminum.* Et de *κάλω-νικα τῆ Περγᾶμυ*, non de bibliothecis suo adhuc tempore ibi existentibus, (ut in 4^o Syntagmatis de Bibliothecis capitulo existimavit Lipsius) locutus Strabo est. [*lib. 13. pag. 624.*]

Herodes, anno tertio (ineunte) postquam Romæ declaratus Rex fuerat, cum exercitu veniens Hierosolyma, castra prope urbem metatus est: quibus mox propius admotis quæ maximè oppugnationi obnoxia putabat moenia, ante Templum fixit tentoria; volens sic ea quemadmodum olim Pompeius aggredi. Tribus igitur aggeribus ei loco circumdatis, turres erexit, adjutus operarum multitudine. Casâ verò circumquaque materie, præpositisque huic operi viris idoneis, ipse Samariam ad nuptias profectus est: ducturus Mariammen, Alexandri filii Aristobuli filiam, sibi desponsatam. [*Ioseph. lib. 14. cap. 27. fin.*]

Peractis nuptiis, pervenit per Phœnicem Sosius; præmissisque per mediterranea copiis, mox & ipse adfuit habens secum multos tam pedites quàm equites. Venit etiam Herodes à Samariâ, ad veterem exercitum non mediocrem accessionem adducens: erant enim circiter 30 millia. Universo autem exercitu congregato, ad peditum legiones undecim equitumque sex millia, præter auxiliares Syrorum copias, (non pro minimâ parte ducendas) ad septentrionalem urbis murum castra collocârunt. Præerant autem duo cum imperio: Sosius ab Antonio missus in auxilium, & Herodes pro seipso bellum gerens, ut dejecto Antigono hoste populi Romani ipse pro eo ex Senatusconsulto regnum acciperet. [*Id. ibid. cap. 28. & lib. 1. Belli, cap. 13.*]

Intus autem certatim resistebant Judæi ex totâ eâ regione collecti & conclusi intra moenia; templum Domini jactantes, & fausta populo ominantes, non deserturum Deum suos in periculo: direptisque extra urbem tam hominum quàm equorum alimentis, per clancularia etiam latrocinia difficultatem annonæ augebant obsessibus. Cui rei Herodes ita prospexit, ut contra latrocinantem opportuna loca præoccuparet insidiis, & missis militibus comæatus etiam è longinquo conveheret: ut brevi necessaria victui abundarent in exercitu. [*Ibid.*]

Operariorum frequentiam facilè absoluti sunt tres illi aggeres. Æstas enim erat; & opus fervebat, nullâ interrumpaturum aëris intemperie. Machinis etiam murum quatiebant, & nihil intentatum relinquebant. At obsessi intrepidè repugnabant, conatus eorum eludentes variis artibus. Excurrentes enim crebrò incepta, modò jam perfecta opera incendebant: & conferentes pugnam cum Romanis nihilo erant inferiores audaciâ, peritiâ tantum rei militaris cedebant. [*Ibid.*]

Annus Sabbaticus superveniens, obsessis Hierosolymitanis famem attulit. Quâ tamen non obtante, pro dissecto machinis muro intus recentem extruebant, & cuniculis obvios agebant alios cuniculos, ut

non-

nonnunquam sub terrâ manus conferrent: utentisque desperatione pro fortitudine, ad extremum perdurabant. [*Joseph. lib. 14. Antiquit. cap. 28.*] licet Pollio Pharisæus, & Sameas hujus discipulus, illis consulerent ut Herodem in urbem reciperent; negantes propter peccata eos posse dominationem illius effugere. [*Id. ibid. ca. 17. cum lib. 15. ca. 1.*]

Obsidionem, tanto exercitu circumfidente, per quinque menses toleraverunt. [*Id. lib. 1. Belli, cap. 13.*] Tandem verò evaserunt in moenia primùm Herodis viginti milites lectissimi; deinde centuriones Sosii. [*Id. ibid. & lib. 14. Antiquit. cap. 28.*]

Captus est enim primus murus die quadragesimâ, secundus verò quintadecimâ: & quædam porticus circa Templum exustæ sunt, quas Herodes Antigonum incendisse calumniabatur, volens in eum concitare invidiam populi. Captâ verò exteriore templi parte & imâ urbe, Judæi ad interiora templi & superiorem urbem refugerunt: timentesque ne à Romanis impedirentur mactare Deo quotidianas victimas, per legatos petierunt ut has tantùm sinerentur introducere. Quod & Herodes concessit; sperans remissâ tandem obstinatione eos cessuros. [*Ibid. lib. 14. cap. 28.*]

Ut spem suam frustratam Herodes vidit, & obsessos pro Antigoni regno pertinaciter contendere; totis viribus adortus urbem expugnavit. [*Ibid.*] ipsis videlicet Kalendis Januariis anni Periodi Julianæ 4677. feriâ 2^a mensis Cislevi, qui juxta Orientalium rationes civilis anni tertius fuit, die 28 quo solenne Jejunium, in memoriam sacri voluminis à Jehojakimo combusti, à Judæis celebrari consuevit: ut supra, ad annum Periodi Julianæ 4650. à nobis est ostensum.

Kalendæ istæ Januariæ, ex vitiosâ intercalandi ratione Romæ eo tempore receptâ, in postremum Decembris diem incidebant, qui tum primum Triumvirorum quinquennium terminabat, tum Claudii & Norbani Consulatus annum; ad quem Hierosolymitanorum ista calamitas refertur à Dione. [*lib. 49. pag. 405.*] Sequenti verò die, Romæ M. Vipfanius Agrippa & L. Caninius Gallus Consulatum inierunt; ad quem à Josepho eadem refertur, in postremo libri 14. Antiquit. capitulo eventus hujus tempus ita explicante. *Ea clades Hierosolymorum incidit in Consulatum M. Agrippæ & Canidii Galli, Olympiade CLXXXV. (anno videlicet illius 3^o) mense tertio, in Fejunii solennitate: tanquam recurrente in idem temporis momentum illatâ Indæis à Pompeio calamitate (nam & ab illa eadem die urbs capta fuerat) post annos viginti septem.* Quod tamen intervallum uno anno veritatem excedit: nisi $\mu\tau'$ $\epsilon\tau\eta\mu\epsilon\rho\alpha$, anno post vicefimo septimo, interpretari libeat. quomodo Marci VIII. 31. $\mu\tau'$ $\eta\epsilon\iota\varsigma$ $\eta\mu\epsilon\rho\alpha$ post dies tres resurrecturum fuisse Christus legitur: quod Mat. XVI. 21. magis explicatè habetur propositum, $\tau\eta\tau\epsilon\tau\eta$ $\eta\mu\epsilon\rho\alpha$, *tertiâ die.* Et quod in II Mac. XIV. 1. $\mu\tau'$ $\eta\epsilon\iota\epsilon\tau\eta$ $\chi\epsilon\theta\upsilon\nu$, post trienni tempus, de anno tertio exponunt Interpretes. (ut ad annum Mundi 3842 est annotatum.) In Julii quoque Africani Stadionicarum Catalogo, Olympiade CXI^a à Nerone agon Olympiacus actus fuisse dicitur non tempore legitimo, sed $\mu\tau'$ $\epsilon\tau\eta\mu\delta\upsilon\alpha$: incunte nimirum Olympiadis illius anno secundo. [*in Græcis Eusebiana. Scaligeri, pag. 221.*] Apud ipsum de-

nique Josephum; quod in libro 1. Belli, initio cap. 11. legitur, *μὲν δὲ*, in Antiquitatibus lib. 14. cap. 23. *διωκόμενος*, exponitur.

Expugnata urbe, caedibus repleta sunt omnia; Romanis longâ oppugnatione exacerbatis, Herodianis Judæis conantibus adversam factionem extirpare funditus: eratque continua caedes per angiportus & domos, ne religione quidem Templi tuente supplices. Non ætati ulli parcebatur, non sexui, ne imbelli quidem: & quamvis obstante Rege, & precibus intercedente, nemo tamen obtemperabat; sed veluti furore perciti sæviebant, nullo ætatis discrimine. [*Joseph. lib. 14. cap. ult.*]

Antigonus, è turri descendens, Sosio ad genua procidit. Qui, nihil miseratus mutata ejus fortunam, insultravit homini, *Antigonum* appellans; vincitroque custodes apposuit. [*Id. ibid.*]

Cùm multitudo conductitorum alienigenarum ad visendum non Templum solum sed intimum etiam adytum rueret; Herodes alios precibus, alios minis, nonnullos & armis reprimerebat; molestiorem clade victoriam existimans, si quid eorum, quæ videri fas non esset, veniret in conspectum profanæ multitudinis. Prohibebat etiam rapinas per urbem fieri, identidem Sosium rogans, solitudinisne se regem Romani facturi essent, exhaustâ urbe rapinis simul ac caedibus. Illo verò referente, pro expugnatione urbis direptionem merito permitteri militi; promisit se de suo mercedem numeraturum singulis. Atque ita redemptâ civitate ab ulteriore vexatione, promissa persolvit. Liberaliter enim militibus, & proportionem ducibus, Sosio verò etiam regiè dedit munera: ita ut omnes bene nummati discederent. Atque ipse Sosius, consecratâ Deo coronâ aureâ, profectus est Hierosolymis, Antigonum vincitum ducens ad Antonium. [*Ibid.*]

Herodes, discretâ multitudine civitatis, suarum partium studiosos promovebat; adversæ autem factionis homines quotidianis absumebat suppliciis. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 13. & lib. 15. Antiquit. cap. 1.*] Inter quos & omnes magni Synedrîi iudices, qui eum nondum regnum adeptum capitis arcebebant, interemit: Pollione Phariseo & discipulo ejus Sameâ exceptis; quos in præcipuo honore ille habuit. [*Id. lib. 14. Antiquit. cap. 17. & lib. 15. cap. 1.*]

Omni verò regiam suppellectilem in unum coniecit: à divitibus quoque collectâ & ablata magnâ vi auri ac argenti, totum id Antonio ejusque amicis donavit. Interfecit etiam 45 primates ex factione Antigoni; appositis ad portas custodibus, qui etiam cadavera scrutabantur ne quis eorum esseretur pro mortuo. Et quicquid auri aut argenti inveniebatur, id totum ad Herodem referebatur: nec ullus finis malorum aderat. Nam bona eorum avaritia domini egentis absumebat: & ægri inculti manebant propter tempus anni Sabbatici, quo fas non erat serere. [*Id. lib. 15. cap. 1.*]

Horum tristissimorum temporum, inter alios pios, spectatores fuisse, Zacharias sacerdos cum uxore Elizabetha, ex Davidicæ stirpis reliquiis Heli & Joseph, Anna quoque prophetissa è tribu Aseritica, & Simeon ille justus, qui responsum accepit à Spiritu sancto, non visurum se mortem priusquam videret Christum Domini. [*Luc. II. 26.*]

Anto-

Antonius, accepto Antigono, volebat eum vinctum servare ad triumphum. Sed quum timeret Herodes ne Antigonus, Romam perductus ab Antonio, apud Senatum jure secum de regno contenderet; audirétque Antonius gentem ad res novas spectare, & odio Herodis favere Antigono: multis ab Herode acceptis pecuniis, Antigonum vanâ spe usque ad ultimum diem vitæ cupidum apud Antiochiam securi percussit. Quo facto, tum demum Herodes metu liberatus est; Hasmonæorum principatu jam sublato. [*Id. ibid. & lib. 14. cap. ult. & lib. 20. cap. 8. & lib. 1. Belli, cap. 13.*]

Ab initio Pontificatus & Principatus Antigoni usque ad capta Hierosolyma numerantur anni duo & menses 7 circiter. Unde & anno regni tum Herodis tum ipsius Antigoni *tertio*, interemptus ille ab Antonio fuisse legitur in 52 capitulo Judaicæ historiæ, quæ Arabicè scripta in Bibliis polyglottis Parisiensibus habetur edita. Tres verò annos & tres menses Antigono tribuit Josephus. [*lib. 20. cap. 8.*] qui si ad mortem ejus sunt protendendi, in mensem Sextilem hujus anni eam differendam esse arguunt: ad quem, juxta nostras rationes, ab initio ducatus Judæ Maccabæi fluxerunt anni 126, cum duobus vel tribus mensibus; non dissentiente Josepho in fine libri 14. ubi cæso Antigono Hasmonæorum principatum desisse scribit *μτ' έμ πρ τ', post annos 126.* Herodes verò, apud eundem libro 17. cap. 8. annos 125. tantum Hasmonæorum imperio tribuit: qui ab initio Judæ Maccabæi deducti in 3ⁱⁱ anni ipsius Herodis regni initio, quo obsidio Hierosolymitana ab eo cœpta est, terminantur.

• De expugnata Hierosolymâ, & necato Antigono, quid exteri scriptores tradiderint jam videndum est. Eam historiam in libro 128. explicasse videtur Livius; in cujus epitome, *Judei à legatis Antonii subacti* fuisse dicuntur. Ita enim habent veteres libri: ubi vulgati legunt, *Judeorum legati ab Antonio interempti sunt.* De Antigoni verò interitu, ex Strabonis Cappadocis Historiarum libris, hoc habemus à Josepho [*lib. 15. cap. 1.*] conservatum testimonium. *Antonius Antigonum Judæam Antiochiam perductum securi percussit: existimatusque est primus Romanorum regem affecisse hoc supplicio; ratus non posse aliter adduci Judæos ut Herodes pro illo regem constitutum admitterent. Nam ne tormentis quidem adigi poterant ut appellatione regis eum dignarentur: tanta apud eos fuit prioris regis existimatio. Quare visum est ignominiosa morte obscurare ejus memoriam, & lenire publicum Herodis odium.* De quo & Plutarchus in Antonio. *Multis privatis magnarum gentium tetrarchias donavit, multis regna abstulit, ut Antigono Judæo, quem productum securi percussit: quâ penâ in regem nullum fuerat antè animadversum alium.*

Meminit etiam historiæ hujus, Dio, libro 49. [*pag. 405.*] de Sosio ita scribens. *Antigonum, qui presidium Romanum quod apud se erat occiderat, prælio victum Hierosolymis (eò enim confugerat) vi expugnavit. Judæi (ut est gens ea ira, si semel eâ correpta fuerit, acerbissima) multa ac gravia quidem mala Romanis intulerunt, longè tamen plura passi sunt. Capti enim ab his sunt priores quidem illi qui pro templo Dei sui pugnabant, post reliqui etiam, Saturni die: quam tantâ religione festam agunt, ut qui prius cum templo capti erant à Sosio, instanti eo die à Sosio veniam exoraverint,*

verint, ac in templum ascendentes, cum reliquis rem. sacram pro more peregerint. Et illis quidem Herodem quendam [Antonius] imperare permisit: Antigonum vero virgis casum, & ad palum deligatum, (quod in nullo unquam rege à Romanis factum fuerat) postea etiam occidit: ad palum nimirum illum securi percussum. de quo videnda Casauboni Exercitatio 1. in Baron. cap. 7. Quod autem hoc factum Claudio & Norbano Consulib. Dio subicit, de Antigono quidem superato & expugnatis Hierosolymis verum est, neutiquam verò de supplicio Antigoni; quod subsequenti anni Consulib. M. Agrippâ & Caninio sive Canidio Gallo ille subiit.

Nihil autem aliud memoratu dignum à Romanis hoc anno in Syriâ actum est. Nam Antonius in Italiam eundo, ac inde revertendo, totum annum exegit. Sotius verò metu invidiæ & iræ Antonii, ita id tempus consumpsit; ut non quomodo re aliquâ egregiè gestâ Antonium offenderet, sed quomodo otia eius gratiam iniret, cogitaverit. [Dio, *ibid.* pag. 405, 406.] Qui nihilominus ex Italiâ reversus, eo amoto, Plancum Syriæ præfecit: Planci loco, in Asiâ C. Furnio legato suo constituto. [Appian. *lib.* 5. pag. 749. & 753. cum Dione, *lib.* 48. pag. 371, 373. & *lib.* 49. pag. 402, 403.]

3968

Orodem Parthorum regem, post longum luctum, alia sollicitudo invasit; quem ex numero 30 filiorum in locum Pacori regem destinaret. Multæ enim pellices, ex quibus generata tanta juvenus erat, pro suis quæque sollicitæ animum senis obsidebant. Tandem verò filiorum ætate maximum, eundemque omnium sceleratissimum, regem constituit. [Justin. *lib.* 42. cap. 4. cum Dione, *lib.* 49. pag. 406.] Hic Phraates III. est; Phraortes Plutarcho in Antonio dictus: licet à Parthicorum Appiani consarcinate, qui ad verbum ferè omnia ex Plutarcho transcripsit, ipsoque Plutarcho in fine Crassi, Phraates nominetur; simul cum Horatio, Ode 2. lib. 2. hoc tempore memorante

Redditum Cyri solio Phraatem.

Is, regno accèpto, fratres suos ex Antiochi filiâ natos, quòd se & virtute & materno genere præstantiores essent, dolo necavit: & Orodem ipsum, indignè id ferentem, occidit. [Dio, pag. 406.] Laboranti enim morbo aquæ intercutis aconitum miscuit: quod quum vis morbi per alvum deiecisset, adè ut inde haberet se melius; Phraates, missis veneficiis, compendio usus, eum suffocavit. [Plutarch. *in fine Crassi.*]

Post interfectum patrem, reliquos quoque omnes fratres Phraates trucidavit. Et quum infestos sibi omnes optimates propter assidua scelera videret; ne esset qui nominari rex posset, adultum filium interfici iussit. [Justin. *lib.* 42. cap. 5.]

Quum nobilissimum quemque Phraates occideret, & tam multa flagitiosè ageret; primorum permulti ab eo, partim aliò partim ad Antonium profugerunt: quorum unus Monæses, vir illustris ac potens, fuit. [Plutarch. *in Anton. Dio,* pag. 406.] Evenit hoc Agrippâ & Gallo Consulibus. [Dio, *ibid.*]

Reliquâ hyemis parte, Gellio & Nevâ Consulibus, P. Canidius Cra-

4678 36

Craf-

Crassus, ab Antonio circa fines Armeniorum legatus relictus, in Iberos exercitum duxit; victumque pugna regem eorum Pharnabazum ad societatem belli compulit: ac cum eo in Albaniam progressus, victam eam gentem, & regem eorum Zoberem, similiter sibi adjunxit. [*Id. ibid.*] Qui victis Armeniis, & Iberorum Albanorumque regibus, Caucasum usque procedens, ut apud gentes barbaras inclytum esset Antonii nomen effecit. [*Plut. in Anton. cum Strabone. lib. II. pag. 501.*]

His clatus Antonius, & Monæsi multum fidens, bellum Parthicum illi gerendum commisit: regnum Parthiæ illi promittens, & trium interim Romanis subditarum urbium reditus usque ad finem belli fruendos eidem concedens. [*Dio, ut sup.*] Monæsis enim fortunam cum Themistoclis casu conferens Antonius, suam verò opulentiam magnificentiamque Persarum regibus æquiparans, tres illi urbes donavit; Larissam, Arctusam, & Hierapolim, Bambycem olim nuncupatam. [*Plutarch.*]

Phraates Parthorum rex Hyrcanum captivum propter claritatem generis comiter habuit: & vinculis solutum permisit Babylone degere, ubi magna erat Judæorum frequentia. Hi non aliter quam pontifici ac regi honorem habebant: nec hi solum, sed etiam quotquot ex Judæorum gente ultra Euphratem per Assyrios (vel Babylonios) olim traducti fuerant; quorum multæ erant myriades. Sed postquam rescivit Herodem ad regiam dignitatem evehctum, ad novas se spes transtulit; gratiam ab Herode expectans, quæ aliquando de capite periclitantem in iudicio servasset. Cœpit ergo cum Judæis, eum officii causâ advenibus, de protectione consultare: qui tamen prudentibus monitis non potuerunt patriæ eximere illi desiderium. Accessit & Herodis dolus, qui miserum senem in potestatem suam redigere satagens, scripsit ei ut rogaret Phraatem & ejus regni Judæos; ne sibi inviderent communem cum genere futuram potestatem: nunc enim adesse tempus referendæ suo quondam & altori & servatori gratiæ. Simulque etiam ad ipsum Phraatem legatum misit Salamalam cum muneribus; blanditus eum ne obstaret cupienti referre gratiam homini de se optimè merito. Hyrcanum igitur, à Partho tunc dimissum & ab illis Judæis honorificè adjutum viatico, cum excepisset, in summo honore habuit: primùmque in conventibus locum ei tribuendo, & in convivis semper honoratiorem cedendo, patrémque appellitando, lætabat hominem quo minus suspicaretur insidiarum. [*Joseph. lib. 15. cap. 2, 3.*]

Cavens verò Herodes ne quis illustrium crearetur Pontifex, accito Babylone obscuri generis sacerdote jam dudum sibi noto familiariter, ex genere quidem Pontificio sed ex Judæis olim ultra Euphratem traductis oriundo, Ananelo (sive Hananole) dicto; summum ei sacerdotium donavit. [*Id. ibid.*]

M. Antonius, omnia honesta & salubria consilia repellens, Fontem Capitonem ad Cleopatram in Syriam adducendam misit. [*Plutarch. in Anton.*] Quam ubi illa est ingressa, statim cogitavit quomodo eam possessionem suam faceret. [*Joseph. lib. 15. Antiq. cap. 4.*] Syrorumque optimates apud Antonium criminata, interfici eos suadebat,

ut

ut eo modo facilius cujusque possessionum fieret domina. [*Id. lib. 1. Belli, cap. 13.*]

Lysaniam Ptolemæi (Mennæi) filium, Chalcidis & Iturææ regem, studere cum rebus Parthicis causata, ab Antonio interficiendum curavit: ejusque regnum ab illo accepit. [*Id. lib. 14. Antiqu. cap. 4. cum Dione, lib. 49. pag. 411. apud quem pro Πανόρου legendum est Παρθῦ.*] Jannis videlicet post patris Auletæ mortem 15. ut ex Porphyrio liquet, in Græcis Eusebianis Scaligeri, pag. 226. ubi *Lysimachi* nomen pro *Lysaniâ* perperam habetur positum.

Amyntam, qui Dejotari scriba fuit, Galatiæ principem constituit Antonius; Lycaoniæ Pamphyliaque partibus adjectis. [*Dio, ut supr. pag. 411. cum Strabone, lib. 12. pag. 567.*]

Cappadociæ quoque, ejecto Ariarathe, regem constituit Antonius Archelaum, nullâ propinquitate regiam familiam attingentem: cujus genus paternum deducebatur ab Archelais, qui contra Romanos belligeraverant; mater autem ei erat scortum Glaphyra. [*Dio, ibid. pag. 411. cum Strabone, lib. 12. pag. 540.*] Cum Glaphyrâ verò turpem consuetudinem habuisse Antonium, ex lascivo Cæsaris Octaviani hexasticho apparet, apud Martialem libro 11. epigr. 21.

Alexandra Hyrcani filia, uxor Alexandri Aristobuli regis filii, & focus Herodis, iniquissimè ferens contemptum filium suum Aristobulum, Mariammes fratrem, quòd eo superstite aliunde vocatus Pontificatum usurparet; scripsit Cleopatraz per quendam fidicinem, ut Pontificatum filio suo peteret ab Antonio. Quo rem eam negligente, amicus Antonii Dellius; ob quædam negotia in Judæam profectus, Alexandræ persuasit ut depictas filii sui Aristobuli & filiaz Mariammes regiaz conjugis effigies ad Antonium mitteret: futurum enim ut his conspectis nihil non à se impetrari pateretur. Quibus transmissis addebat quoque Dellius, ambos illos sibi visos non mortali sed divino natos genere: volens Antonium in amores pellicere. [*Joseph. lib. 15. cap. 2.*] Fuit verò Dellius hic historicus ille, cujus in Plutarchi *Antonio* facta habetur mentio; & cujus epistolæ lascivæ ad Cleopatram ferebantur, ut in oratione Suasoria 1^a retulit M. Seneca: quem & turpi consuetudine ipsi Antonio devinctum fuisse, Dio innuit. [*lib. 49. pag. 415.*]

Antonius, indecorum sibi ratus puellam Herodi nuptam accersere, atque etiam Cleopatraz suspiciones vitans, scripsit Alexandræ ut aliquo honesto prætextu filium ad se mitteret: addens, *nisi molestum videatur*. Quæ postquam relata sunt Herodi, non putavit tutum Aristobulum in ipso flore ætatis, utpote 16 annorum adolescentem, & genere nobilissimum, mittere ad Antonium; primùm Romanorum nemini potentiâ cedentem, deinde proclivem ad libidines. Rescripsit igitur, si vel pedem è regno suo moveat adolescens, fore ut cuncta compleantur bellicis tumultibus, Judæis novationem rerum sub alio rege sperantibus. Atque hoc pacto satisfecit Antonio. [*Joseph. ut supr.*]

Bello Siculo Sextus Pompeius à Cæsare Octaviano & M. Lepido superatus est. Lepidus, 20 legionum fiduciâ superbiens, & totam vi-

ctoriam

storiam ut suam interpretatus, Cæsari se opponere & Siciliam sibi vendicare ausus est. Verùm relictus ab exercitu, abrogato Triumviratus honore, à Cæsare supplicem vitam, & bona impetravit, Circeios in exilium ab eo relegatus. [*Liv. li. 129. Vellet. Patroc. li. 2. ca. 79, 80. Sueton. in Octavio, cap. 16. & 54. Appian. lib. 5. Dio, li. 49. Orof. lib. 6. ca. 18.*]

Sextus Pompeius, modò 350 navium dominus, cum sex septemve in Asiam profugit: ut refert Florus. [*lib. 4. cap. 8.*] licet septemdecim cum eo naves fuisse scribant Appianus [*lib. 5. pag. 741.*] & Orofius. [*lib. 6. ca. 18.*] Ad Antonium verò profugere ille cogitabat: cujus matrem in simili periculo ipse servaverat. [*Appian. ibid.*]

Filiâ itaque, amicisque & pecuniis, cæterisque pretiosis in naves superstites, quæ essent quàm maximè agiles, collocatis, noctu Pompeius abiit, nemine insequente: quia & clanculum discedebat, & Cæsarem continuò Lepidi tumultus exceperat. [*Dio, lib. 49. pag. 398.*] Messanâ tamen profectus Pompeius, insectationem metuens, proditionisque suos comites suspectos habens, quum eis dixisset se per altum vela daturum; extincto igne quo naves prætorix reliquis præluere solent, oram Italiæ legit. [*Id. ib. pa. 402.*] ubi ad Lacinium promontorium appellens, fanum Junonis votivis donariis dives spoliavit. [*Appian. li. 5. pa. 747.*]

Hinc ad Coreyram, ac deinde in Cephalemiam trajecit: ibique alios ad se recepit, fortè eò tempestatis vi ejectos. Quibus convocatis, habitu militari deposito, exposuit fore, ut si unâ omnes manerent, neque satis mutuo sibi prodesse neque latere possent; sin sparsi hinc inde essent, faciliùs diffugituros: ideòque monuit, ut quisque seorsum salutis rationem iniret. Cui admonitioni quum plerique obtemperantes, alii aliò discessissent; ipse cum reliquis in Lesbum transfugit. [*Dio, pag. 402.*] Mitylenis manens; ubi pater puerum ante pugnam Pharsalicam deposuerat; victusque inde eum receperat. [*Appian. pag. 747.*]

Quum Parthi fugam Monæsis ad Antonium molestè ferrent, & Phraates ejus rei causâ sibi metueret; legatos ille ad Monæsem de pace misit: summisque pollicitationibus, ut retro cederet, persuasit. Quod cognitum, etsi, ut par erat, stomachum Antonio movit; tamen Monæsem, quem in suâ adhuc potestate habebat, non occidit: (quia si id fecisset, neminem barbarum deinceps ad suam amicitiam accessurum putabat:) sed fraudem contra hostem struens, eum dimisit, tanquam ejus operâ cum Parthis amicitiam facturum. Simulque cum eo legatos ad Phraaten misit, qui verbis pacem componerent; siquidem Rex signa & captivos superstites, quæ Crassi calamitate Parthi ceperant, reddidisset. Sperabat autem se regi spe pacis imparato superventurum. [*Platarch. in Anton. Dio, lib. 49. pag. 406.*]

Ipse interim ad bellum reipsâ se comparans, ad Euphratem profectus est; existimans eum nullo præsidio teneri. Quod ubi eo loco vidit diligentissimè positum, averso inde itinere, in Armeniam statim ire instituit, ad bellum Artavasdi Medorum regi faciendum; ab Artavasde Armeniæ majoris rege inimico ejus impulsus. [*Dio pag. 407.*]

Artavasdem hunc Armeniorum regem, Artabazem Tigranis filium Josephus, [*lib. 1. Belli, cap. 13. & lib. 15. Antiquit. cap. 5.*] Artabanem

appellat Orosius [*lib. 16. cap. 19.*] Quem cum consiliarium, & itinerum ductorem, & bellicæ administrationis magistrum Antonius sibi adscivisset, prodens eum ille, in multas postea calamitates Romanos conjecit. [*Strabo, lib. 11. pag. 524. & lib. 16. pag. 748.*]

In Ægyptum remissâ Cleopatrá, per Arabiam Antonius profectus est in Armeniam: quò & suas copias & auxilia regum convenire jusserat. Erant autem multi amici & socii; inter quos Artavasdes ille sive Artabazes Armeniæ rex, equitum sex, peditum verò septem præbebat millia. Ibi quum recenserentur milites, comperta sunt peditum Romanorum & sociorum Latini nominis 60 millia, & ordinarii equitatus Hispanorum Gallorumque decem millia, ex aliis verò gentibus auxiliarium 30 millia, connumeratis equitibus & levis armaturæ milite. Hæc Plutarchus. Legiones verò XIII Velleius Paterculus; [*lib. 2. ca. 82.*] XVI Florus [*lib. 4. ca. 10.*] & Justinus: [*lib. 42. ca. 5.*] XVIII legiones & XVI millia equitum, Antonio tribuit Livius. [*lib. 130.*]

Dux itineris quod à Zeugmate ad Euphratem est usque ad ingressum Atropatenæ (quam Araxes fluvius ab Armeniâ dividit) octo millium stadiorum illud effecit, duplo quàm recta erat via amplius, per montes, in via, inque gyrum circumducendo. [*Strabo, lib. 11. pag. 524.*] Cùmque debuisset Antonius in hybernis Armeniæ quietè reficere suum exercitum, attritum octo millium stadiorum itinere, & ineunte vere, priusquam Parthi è suis hybernis moverent, Mediam invadere: moras ille non tulit; Cleopatráe desiderio ita captus, ut non tam de victoriâ cogitaret quàm de reditu celeri. [*Plutarch.*]

Itaque quum intelligeret, regem Mediæ, ad opem Parthis ferendam, procul domo abiisse; impedimentis ac parte exercitus cum Oppio Stationario relictis, subsequè se jussis, ipse cum equitibus ac peditatus optimâ parte festinatò profectus est: sperans se primo impetu omnem Mediam subacturum. [*Dio, pag. 407.*]

Inter impedimenta relicta, machinæ erant urbibus expugnandis paratæ, 300 plaustris impositæ, & in his aries 80 pedum longitudine: quarum nulla semel corrupta reparari poterat, propter materiarum inopiam in eis regionibus, nullam arborem proceram aut duram ferentibus. [*Plutarch.*]

Antonius, postquam Araxem transmisit, omnibus undique malis est circumventus. [*Oros lib. 6. ca. 19.*] Et quidem mox ut Atropatenam attingit, regionem eam populatus est. Deinde *Phraasa*, magnam urbem, in quâ uxor regis Medorum erat cum liberis, obsedit. ubi statim animadverso errato quod in relinquendis machinis admiserat, duxit ad urbem aggerem: quem lentè & magno excitavit labore. [*Id.*] Regia hæc Medorum *Praaspa* Dioni dicta est, *Vera* (ni fallor) Straboni, libro 11. pag. 523. ex *Adelphio* (si non *Dellio* historico) qui Antonii in hæc Expeditione comes, eam descripsit, & partem exercitus ipse duxit, urbem hanc 2400 stadiis ab Araxe fluvio abfuisse ostendens.

Parthus ac Medus, quum cognovissent frustra laborare Antonium in oppugnandâ urbe validis muris ac multis defensoribus munitâ, Stationarium in itinere fatigatum improvisò adorti, & ipsum & qui cum eo erant omnes (*quævis* sive decem millia Plutarchus, duas legiones Vellei-

Velleius nominat) interemerunt: omnibus impedimentis tormentis-
que bellicis in potestatem suam reductis. Polemo, Ponti rex bellique
socius, captus: ac pecuniâ datâ dimissus est. Fuit autem hoc barbaris
factu facile, quia rex Armeniæ ei pugnae non interfuit: qui quum
præcipua belli capsâ fuisset, & ut anthores sunt quidam, potuisset Ro-
manis subvenire; non modò non id fecit, sed ne ad Antonium quidem,
verùm in regnum suum discessit. [Dio, pag. 407. cum Velleio Patere. lib.
2. ca. 82. & Plutarcho in Anton.]

Antonius, etsi ad primum Statiæ nuntium festinârat, ut suis auxi-
lium ferret; tamen tardius venit, ac præter mortuos neminem inve-
nit. Itaque tamen clade hæc terretur, tamen quia nemo barbarorum
sibi occurrebat, censens eos propter metum aliquò abiisse, animum re-
sumpsit: ac non multo post cum eis congressus, funditorum operâ
(quorum magnus erat numerus) in fugam eos coniecit. Funditorum
enim jacula sagittis hostium longius procedebant: ita ut armaturæ
quoque gravis miles ab illis tutus non esset. Sed propter celeritatem
equitandi barbarorum, non magna eorum strages est edita. [Dio,
ut supr.]

Praasporum oppugnationem Antonius iterum aggressus, hostibus
damni nihil admodum intulit: præsidio quod intus erat magnâ vi eum
repellente, & hostibus qui foris erant congregandi facultatem non
dantibus. [Id. ibid.] Quum Parthi verò obsessis succurrentes multa
contumeliosè Romanis minarentur; nolens Antonius quiescendo de
animositate suorum quicquam deterere, assumptis decem legionibus &
tribus prætoriis cohortibus omnique equitatu, frumentatum profectus
est: ratus fore ut hostis ipsum invaderet, atque ita configendi daretur
occafio. [Plutarch.]

Progressus iter diei, ut vidit Parthos sibi circumfundi, conantes re-
ditum intercludere; jussit caerere signa, dissolutis tentoriis, quasi non
pugnae se parans sed itineri. Atque ita ducebat præter barbarorum
lunatam aciem, jussis equitibus, quamprimum perveniret agmen ut le-
giones possent hostem aggredi, in adversos procurrere. Parthi verò
mirabantur optimè instructam Romanorum aciem, spectando mili-
tem prætereuntem servatis ordinibus, & tacitè pila quatientem. Post-
quam autem signo dato & clamore sublato irruerunt equites, restiterunt
illi non nihil, quamvis mox ita insinuârunt se Romani ut usum sagit-
tarum eis ademerint: tum demum, succurrentibus etiam legionariis
cum clamore ac scutorum strepitu, & equi Parthorum sunt perterriti
& ipsi priusquam ad manus venirent terga verterunt. Antonius, de-
bellaturum se sperans, aut certè maximam belli partem confecturum
eo prælio, vehementer imminabat fugientibus. Ubi verò pedites per
stadia 50. equites per triplum ejus spatii persecuti sunt, consideratis
caesis & captivis hostibus, invenerunt captos 30. caesos tantum 80.
moxque conciderunt eis animi, durum esse reputantibus, si victores
tam paucos occiderent, victi verò amitterent tam multos quàm desi-
deraverant apud plaustra. Insequenti die in castrarevertentibus occur-
rerunt in viâ pauci primùm hostes, deinde plures, denique cuncti, tan-
quam non antè fusi & recentes: qui laceſcebant eos & irrumpebant

undique; ita ut se ægrè & laboriosè in castra sua se receperint.
[*Id.*]

Absente Antonio, Medi ad Praaspa vallum aggressi, propugnatores terruerunt. Ob quod indignatus Antonius, decumavit eos qui locum deseruerant, & decimum quemque affectit supplicio; reliquos autem hordeo pavit, pro tritico. [*Id.*]

Frumentatores ab Antonio emissi, initio quidem, quum cibaria ex viciniâ Romani haberent, comœtatibus parandis facillè sufficiebant. Postquam autem, propinquis omnibus absumptis, milites frumentatum longius abire opus habuerunt, eveniebat ut si pauci emitterentur, non modò nihil apportarent. sed ipsi quoque perirent; sin multi, oppugnatoribus nudabantur Praaspa, ac barbaris erumpentibus, multi milites, multæ machinæ Romanorum perdebantur. Unde factum est ut Antoniani, quum viderentur alios in obsidione habere, ea paterentur quæ obsessis usu venire solent. Nam & oppidani diligenter tempus eruptionibus idoneum observabant, & qui foris erant Romanos in castris manentes, quoties copias suas dividebant, subitis incursum & abscessu festinato graviter vexabant; frumentatoribus verò ad pagos exeuntibus molestiam nullam exhibebant, palantes ac redeuntes ad suos inexpectati aggrediebantur. [*Dio, lib. 49. pag. 408.*]

3969

Sextus Pompeius in Lesbo audiens Antonium in Mediâ cum Medis Parthisque bellum gerere, illi reverso in fidem se committere, interim verò in eâ insulâ hyemare statuit: Lesbiis eum propter patris memoriam libentissimè & recipientibus & detinentibus. [*Id. ibid. pag. 402. Appian. lib. 5. pag. 747.*]

Praasporum obsidionem producente Antonio, bellum permolestum utrique parti fuit. Nam neque Antonius sine vulneribus & cædibus suorum frumentari poterat: & Phraates gnarus Parthos quidvis potius laturos quàm in castris & in alieno solo hyemem, verchatur ne, si Romani perdurarent in armis, desitueretur à suis, aère mutato post autumnale æquinoctium. [*Plutarch.*] Timebat quoque ne, si diutius obsidio continuaretur, Antonius vel per se, vel auxilio etiam aliquo auctus, urbem incommodo aliquo afficeret. Itaque subornavit, qui eum ad pacem à se petendam, spe ejus facillè impetrandæ, permoverent. [*Dio, pag. 408.*]

Suos igitur Antonianis frumentatoribus occurrentes mitais eos tractare jussit, & de pace sermones cum eis ferere: quibus persuasus Antonius, misit quendam amicum, qui signa captivòrum reposceret; ne videretur contentus fugâ & salute. Cui responsum est, ista ut missa faceret: pacem verò & securitatem habieurum, si discedat continuo. [*Plutarch.*] Atque ita Phraates, aureâ sellâ sedens ac nervum arcus pulsans, postquam multis verbis in Romanos fuisset invecus, legatis ab Antonio missis pacem eâ conditione promisit, ut continuo exercitum abducerent. [*Dio, pag. 408.*]

Hoc accepto responso Antonius, quamvis esset in concionibus tum civilibus tum militaribus, facundissimus, tunc tamen præ pudore constitiâque in concionem non prædiit: sed vice suâ Domitium Aëno-barbum submisit, qui militibus hoc remuntiaret & bono esse animo horta-

hortaretur. Et intra paucos dies collectis vasis abiit. [Plutarch.] operibus quæ ad Praasporum oppugnationem fecerat, tanquam in sociorum terrâ jam versans, integris relictis. Quæ omnis disiecto aggere, Medi mox incenderunt. [Dio, ut supr.]

Quum autem redeundum esset per eandem viam campestram & nudam arboribus, Mardus quidam assuetus Parthorum moribus, cujus fidelis opera in pugna circa machinas Romanis probata fuerat, suavit Antonio, ut secundum dextros montes duceret, neve gravem armis exercitum in locis planis ac patentibus objiceret tam multis equitibus sagittariis, id enim captâsse Phraatem cum eum comitate verborum ab oppugnatione abduceret: se indicaturum viam brevioram, & copiosioram ad necessitates militum. Hæc Antonius ad consilium retulit, dissimulans se paci à Parthis datæ partim fidere; sed, laudans viæ compendium, & per vicos benè cultos transitum, fidem à Mardo postulabat: at ille vincendum se præbebat donec exercitum in Armeniâ sisteret: atque ita victus pacatè ducebat per biduum. [Plutarch.]

Tertiâ verò die nihil minùs quàm de Parthis cogitante Antonio, & securè incedente pacis fiducia, conspicatus Mardus aggere nuper dirutum, & multum aquæ diffusum per viam quâ transeundum erat, intellexit à Parthis id factum ad remorandum agmen hæc difficultate objectâ: moxque rem demonstravit Antonio, & iussit intentum esse in adventum hostium. Ille aciem instruens inter ordines spatia disponebat, per quæ jaculatores funditoresque in hostem procurrerent, quum se Parthi aperuerunt quasi circundaturi & perturbaturi exercitum undique: sed ubi levis armatura in eos excurrit, acceptis illarisque multis vulneribus retrocesserunt, rursùmque incubuerunt, donec Galli equites conglobati fecerunt in eos impetum, ad eoque disjecerunt, ut illo die nihil tentârint amplius. [Id.]

Inde Antonius doctus quid faciendum esset, quadrato agmine iter faciebat, non tergo tantum sed & lateribus firmatis jaculatorum funditorumque præsidio, equitibus admonitis, ut hostem assultantem repellent, repulsum verò non persequerentur longius: atque ita Parthi per quadriduum non majore illato quàm accepto incommodo, signiores facti sunt, causatque hyemem, cogitarunt de abitu. [Id.]

Die quinto unus è ducibus Flavius Gallus, vir fortis & industrius, ab Antonio plures velites, à postremo agmine & à fronte aliquot equites impetravit, quasi egregium aliquod facinus paraturus. Hic impetu temerario in hostem multo cum discrimine irrupit, atque dum carptim laboranti subsidia mittuntur, ea quoque ut imbecilliora ab hoste cæsa sunt: donec Antonius, totâ vi cum exercitu procurrens, cæteros manifesto periculo eriperet. [Id.]

Parthos missis undique sagittis duas legiones operuisse, scribit Florus. [lib. 4. ca. 10.] Cecidisse non pauciores tribus millibus diei Plutarchus; relata verò in tentoriâ quinque sauciorum millia. In his erat & Gallus, quatuor sagittis transfixus: qui ex vulneribus postea mortuus est. Antonius miserè se afflicta, saucios circumcurando consolabatur. Illi verò læti prensabant ejus dexteram, rogabantque

ut seipsum curaret, nec affligeret amplius; Imperatorem appellantes, & salvos se fore dicentes si ille bene valeat. [Plutarch.]

Parthos jam lassos & desperabundos hæc victoria in tantam erexit contra Romanos superbiam, ut juxta castra pernoctarent; sperantes se mox direpturos pecunias publicas & deserta tentoria. [Id.] Quâ nocte Romanus quidam ex clade Crassianâ superstes Parthico habitu castris adequitavit, & salute Latinè datâ, quum fidem ipso fecisset, quid immineret edocuit; jam affuturum cum omnibus copiis Regem: monuitque ne in destinato itinere pergerent, sed retrò euntes sylvestria & montana loca peterent; nec sic quoque hostem fortasse defuturum prædicens. [Florus, lib. 4. cap. 10. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 82.]

Primâ luce hostium plurimi affluerant, aiuntque equitum fuisse non minùs 40 millia: Rege cohortem quoque quæ corpus suum stipabat perpetuò, sicut ad indubitatam & certam victoriam, mittente. Ipse enim nulli interfuit pugnæ. Antonius verò sublatis ad cælum manibus vota fecit, ut si quod numen parùm æquis oculis spectâsset felicitatem ejus pristinam, in ipsius caput averteret adversa omnia: cætero exercitui victoria salûsque contingeret. [Plutarch.]

Insequenti die meliùs communiti Romani pergebant. Parthi eos invadentes, multum expectatione suâ frustrati sunt, rati se ad rapiendum prædandumque non ad pugnandum venire: sed multis telis excepti magnâ alacritate Romanorum militum, rursus defessi sunt. [Id.]

Quum verò per clivum quendam descendantibus insidiati Parthi incumberent, & emissis sagittis in modum grandinis eos obruerent; gravis armaturæ milites, receptis in medium velitibus, in sinistro genu subsederunt, elatisque super capita scutis testudinem fecerunt: quâ se suosque ab hostium sagittis, in clypeorum convexitatem lubricitate delabentibus, protexerunt. [Id. cum Floro, lib. 4. cap. 10. Frontino, lib. 2. Stratagem. ca. 3. & Dione, lib. 49. pag. 409.]

Parthi, qui nihil unquam hujusmodi viderant, putantes eos propter vulnera concidisse ac jam simul omnes posse concidi, projectis arcibus ab equis desiluerunt; & sumptis contis, ad cædendum eos acinacibus nudatis propiùs accurrerunt. Tum Romani se rursus efferentes, signo dato phalangem explicuerunt, sublatoque clamore hostem à fronte adorti, fodiendo pilis sternendoque primos, universos in fugam verterunt. Quæ res barbaris adèd miraculo fuit, ut eorum unus vocem hanc emisit. *Ite & bene valete, Romani: merito vos victores gentium fama loquitur, qui parthorum tela fugistis.* [Florus, Plutarch. & Dio; ut supr.]

Eadem tamen certamina repetebantur quotidie: quod ut parum itineris Romani perficerent, effecit. [Plutarch.] Cùmque quoties primâ luce moverent, toties urgentibus Parthorum sagittis instarentur; Antonius abeuntium agmen in quintam horam continuit, scisque fidem constantiorem fecit: quâ persuasione digressis inde Parthis, iustum iter reliquo die sine interpellatione confecit. [Frontin. lib. 2. Stratagem. cap. ult.]

Fame

Fame deinde laboravit exercitus; quòd frumentatio impediretur crebris præliis, & deficerent molæ: quæ magnâ ex parte relictae fuerant, jumentis partim mortuis, partim ægrotos & saucios vehentibus. Fertur choenicem Atticam tritici quinquaginta drachmis vænisse, & hordeaceos panes repensos pari argenti pondere. Versi deinde ad radices & olera, inciderunt in quandam herbam quæ manducata afferebat insaniam. Omnes enim qui eam ederant, lapides effodiebant & transmovebant, rem valde seriam se agere putantes: tandemque bilem evomendo, quia vino carebant (quod unicum huic malo erat remedium) moriebantur. [*Plutarch.*]

Fame in castris ita grassante, ad hostem perfugere coeptum est. Ac, nisi perfugas Parthi in reliquorum conspectu sagittis confecissent, videbantur omnes ad barbaros transituri. Sed Parthorum crudelitas eam defectionem inhibuit. [*Dio, pag. 409.*]

Multi suorum pereuntibus, nec Parthis abscedentibus, Antonium tradunt sæpius exclamasse, ὦ μύεροι! mirantem illos decies mille viros, qui ductu Xenophontis multo longius iter ex Babyloniâ conficientes, atque cum hostibus longè pluribus dimicantes, incolumes evaserunt. [*Plutarch.*]

Parthi, quum perumpere agmen Romanorum non valerent neque dissipare ordines, frequenter verò victi fuissent & pulsi, egerunt denuò pacatè cum aquatoribus & frumentatoribus; ac nervos ostendentes arcuum suorum remissos, retrò se abire dixerunt, & hunc finem facere eos confectandi: paucos Medos solùm uniùs aut alterius diei iter sequuturos; sed nihil eos fatigaturos, tantùm protecturos remotiores vicos. His dictis salutationes & benevolentia demonstrationem adjunxerunt. Unde perquam alacres redditi sunt Romani: atque Antonius eo nuntiato campestria potiùs cupiit petere, quòd via montana diceretur arida esse. [*Id.*]

Quum in eo ille esset ut id exequeretur, venit quidam ex castris hostium Mithridates nomine, consobrinus Monæsis illius qui ab Antonio tres urbes dono acceperat: petiitque mitti ad se aliquem, qui aut Syriacâ aut Parthicâ linguâ posset secum colloqui. Ad quem cum Alexander Antiochenus familiaris Antonii accessisset; indicavit illi, in altis illis quos videbat collibus Parthos cum omnibus suis copiis latitare in insidiis, ut ad campestria descedentes opprimerent: monuitque ut per montana (quæ nihil aliud molestum haberent præter aquarum inopiam uniùs diei) iter continuarent. Cujus consilium secutus Antonius, Mardo duce, noctu per montanam viam perrexit; jussis priùs aquam secum deferre militibus: quam multi, valis carentes, aut in galeis aut in coriis confutis portabant. [*Id.*]

Parthi, re per nuntios cognitâ, noctu præter morem suum eos persecuti sunt: oriente verò Sole agmen extremum carpebant, fessum labore ac vigiliis. nam eâ nocte stadia 240 confecerant; quamvis non expectarent hostem superventurum tam citò: quo magis eorum animi dejecti sunt. Et sitis intendebatur certamine: cogebantur enim pugnando iter facere. [*Id.*]

Interim primum agmen incidit in fluvium, frigidum quidem & limpidum,

pidum, sed falsum medicatumque; qui bibentibus statim tormina ven-
tris ciebat, & sitim accendebat. Quod quamvis Mardus præmonue-
rat, nihilominus repulsis obstantibus avidè hauriebant. Antonius au-
tem instans, precabatur durarent paulisper, alium enim non longè ab-
esse fluvium potabilem; deinceps superesse viam asperam & inequitabi-
lem, à quâ omnino necesse sit hostes recedere: simulque receptui
cecinit, ut saltem in umbrâ milites se recolligerent. [*Id. cum Floro,*
lib. 4. ca. 10.]

Quum ergo figerentur tentoria, Parthis ex more discedentibus,
Mithridates rediit: occurrenteque Alexandro monuit ut paulum
quiete refecti universi consurgerent, & properè transirent fluvium;
quod is esset persequendi terminus. Traditæque sunt ei ab Antonio
pocula permulta aurea & phialæ: ex quibus quantum occulere veste
poterat accipiens ille discessit. [*Plutarch.*]

Reliquum iter ejus diei nemine infestante peractum est. Sed noctem
sequentem ipsi sibi reddiderunt gravissimam & periculosissimam.
Nam quibus erat aurum argentumve occidebantur spoliabanturque,
& sarcinæ jumentorum pecunias ferentium direptæ sunt; postremò,
supellectilem Antonii, pocula mensasque pretiosas conciderunt & in-
ter se partiti sunt. Itaque exorto magno tumultu ac trepidatione in
exercitu (putabant enim hostes invasisse sarcinas & diripere) Anto-
nius accitum libertum suum coëgit jurare, confossum se illum
quamprimùm juberet, & caput ablatum; ut nec vivus veniret in
potestatem hostium, nec agnosceretur mortuus. [*Id. cum Floro, ut*
supr. & Sexto Rufo, in Breviario.]

Amicis collachrymantibus, Mardus jubebat Antonium bono esse
animo; quod sentiret in propinquo esse fluvium: simulque alii nun-
tiârunt tumultum natum ex ipsorum avaritiâ mutuisque injuriis.
Quamobrem volens turbatam & dispersam multitudinem componere,
castrametandi signum dedit. Et jam dilucebat, & exercitus sedatior
incipiebat redire in suos ordines, quum extremum agmen sensit sa-
gittas hostium, & levis armatura pugnæ signum accepit: scutati verò
similiter ut antè coglobati, testudine sustinebant sagittas non auden-
tium congregari. Dùmque ita paulatim gradum promovent, ubi à pri-
mis conspectus est fluvius, equitatu hostibus opposito, Antonius ante
omnes trajiciebat infirmos. Et jam pugnantibus quoque timor ac
labor minuebantur. Ut enim Parthi viderunt fluvium, laxatis nervis
jubebant Romanos transire bono animo, prolixè laudantes eorum
fortitudinem. Ita transgressi per otium, curabant corpora: deinde
pergebant iter facere, non admodum fidentes Parthorum pollicitis.
[*Plutarch.*]

Cæsar Octavianus, rebus Siculis constitutis, Idibus Novembr.
ovans ex Sicilia Romam ingressus est: ut ex Fastis triumphalibus
marmoris liquet. [*Inscr. Græc. pag. CCXCVII. cum Suetonio in Octav.*
ca. 22. Dione, lib. 49. pag. 400. & Oroso, lib. 6. ca. 18.] auratâ quoque
in rostro statuâ illi positâ, quæ ad veram effigiem erat expressâ, cum
hoc titulo: *Ob pacem post diuturna bella terrâ marique redditam.* [*Ap-
pian. lib. 5. pag. 746.*] Et ætatis 28. ille tunc agebat annum: quo
modo

modo Appiani illa accipienda sunt verba. [*ibid.*] *λαὸς ὁ Καίσαρ ἔρψ' ἐς τὸν ὄχλον καὶ εἰργασί.*

Tribunitiam quoque potestatem in perpetuum Senatus decreto accepit: invitatus hoc honore ad Triumviratum deponendum. Quâ de re privatim per Bibulum scripsit ille Antonio. [*Appian. ibid. pag. 747. Oros. lib. 6. ca. 18.*]

Antoniani, sexto à novissimo prælio die, ad Araxem fluvium pervenerunt, qui Mediam (Atropatenam) determinabat ab Armeniâ. Hic profunditate & violentiâ difficilis visus est transitus: increbuitque rumor, hostem in insidiis ibi subsidentem transeuntes aggressurum. Postquam autem tuto ducti Armeniam inire, tanquam tum primum ex pelago ad terram appulissent, adorabant eam; & in mutuos complexus cum lachrymis ruebant præ gaudio. Quum verò transirent per affluentem regionem, post longam inopiam explebant se affatim: indeque hydropicis & cœliacis morbis laborare cœperunt. [*Plutarch.*]

Hic recensens suos Antonius, comperit desiderata viginti millia peditum, equitum quatuor millia: quorum plus quam dimidium non vis hostis sed morbus absumpsit. [*Id.*] De toto exercitu haud minus pars quarta militum, calonum servitiique desiderata tertia est; impedimentorum vix ulla superfluit. Hanc tamen Antonius fugam suam, quia vivus exierat, victoriam vocabat. [*Vellè. Patercul. lib. 2. cap. 82.*]

Die XXI trecenta passuum millia fugâ ille emensus est. [*Liv. lib. 130.*] Continuatum autem est iter à Phrâatis (sive Praaspis) per dies XXVII. quo temporis spatio Parthi decies & octies pugnando repulsi sunt. Quòd si adfuissent illa equitum XVI millia, instructa more Parthorum & cum eis confictari assueta, quæ Artavasdes Armenius ex Mediâ abduxerat; non potuissent toties fugati Parthi instaurare prælia, Romanis eos profligantibus, illisque profligatos persequentibus. Omnes igitur irritabant Antonium ad pœnas sumendas de Armenio. Sed ille consilio usus, neque prodicionem exprobravit ei, neque de honorificentia comitatêque solitâ quicquam detraxit; quòd infirmus esset ab exercitu, & omnium rerum indigus. [*Plutarch.*]

Antonius, quam hostes ei non amplius graves essent, ad Cleopatram festinabat, hyemare in Armeniâ nolens: atque per gravem jam hyemem & perpetuas nives citatum rapiens agmen, circa octo millia hominum in viâ tempestatibus amisit. [*Liv. lib. 130. & Plutarch. in Anton.*] Et per montes Armeniæ glacie interceptos iter facientes vulnera, quæ multa acceperant, maximè molestabant. Idcirco multis mortuis, multis ad bellum inutilibus redditis, Antonius, quia non ferebat hæc singula audire, interdixit ne quis tale sibi quicquam annuntiaret. Regem verò Armeniæ, quamvis ei, quòd se deseruisset, succenseret, ac ulcisci eum in animo haberet, blandiendo demeruit, ut ab eo pecuniam ac alimenta acciperet. Denique quum ulterius iter hyberno tempore ferre milites non possent; regem adulando ac pollicitando identidem permovit, sibi in suo regno hyemandi potestatem faceret,

ceret, vere iterum contra Parthos exercitum ducturo. [*Dio, lib. 49. pag. 410.*]

Tandem, vix tertiâ parte de sedecim legionibus reliquâ, in Syriam (rediens Antiochiam; ut est apud Orosium lib. 6. cap. 19.) perfugit: ubi incredibili quâdam mentis vecordiâ ferocior aliquanto factus est; quasi vicisset qui evaserat. [*Florus, lib. 4. cap. 10.*]

Paucis deinde comitatus descendit ad mare, atque in castello inter Berytum Sidonemque posito (*Lance come* appellato) substitit, ut Cleopatram operiretur, cujus anxius morâ languebat. Itaque coniecit se statim in vinum & crapulam, inter quæ crebrò exiliens speculabatur, quoad illa in portum est delata. [*Plutarch. in Anton.*]

Tulit Cleopatra militibus magnam vim vestium & pecuniam. Sunt qui dicant, vestem Antonium ab illâ sumptam, & pecuniam de suo, ut si illa dedisset, divisisse. [*Id. ibid.*] Quâ de re, ita scribit Dio. Alatae sunt ei à Cleopatrá pecuniæ; ex quibus 35 drachmas (sive denarios) singulis legionariis, ac ratam aliis portionem divisit: & quum eæ pecuniæ non sufficerent, ex suis facultatibus reliquum addidit; Cleopatráe suos etiam sumptus acceptos referens. Multum enim ei etiam amici contulerunt pecuniæ, multum à sociis exegit. His actis, Antonius in Ægyptum abiit. [*Dio, ut supr. pag. 410.*]

Herodes, uxore ejus Mariamne assiduis precibus eum obtundente ut fratri suo Aristobulo debitum Pontificatum redderet, advocato amicorum concilio, multis verbis in socrum Alexandram invectus est, quasi clam regno suo insidiaretur, & per Cleopatram id ageret ut ad puerum transferretur. Ne tamen pietatem erga eam, ceterâsque necessitudines aspernari videretur, nunc se ejus filio Pontificatum redditurum dixit, cui Ananelus hæctenus, propter ætatem immaturam, prælatus esset. Hic Alexandra præ gaudio vix compos sui, simul etiam suspectam se dolens ambitu regni, lachrymas fudit, seseque de hujusmodi crimine purgavit: & gratius pro filii honore actis, se in posterum regi obsequentiſsimam fore pollicita est. Atque ita Herodes Aristobulum adolescentem (17 annorum) vivo adhuc Ananelo successorem in Pontificatu dedit. [*Joseph. lib. 15. cap. 2. & 3.*]

Sextus Pompeius, quum Antonium adversam in Mediâ fortunam sensit intellexisset, Caium verò Furnium, Asiæ eo tempore præfectum, parum amicè erga se affectum, in Lesbo non mansit: sed spe conceptâ, aut successurum se in universum Antonii defuncti imperium, aut saltem in partem ejus recipiendum, quum & ex Sicilia & aliunde multi ad eum venirent, (partim paternæ gloriæ opinione, partim victus inopiâ exciti) & habitum resumpsit imperatorium, & ad occupandam Asiæ continentem oppositam se accinxit; recenti exemplo Labieni, qui eam incurſaverat, animo obversante. [*Appian. lib. 5. pag. 747. Dio lib. 49. pag. 402.*]

Antonius, quum in sociorum evasisset terram, actis Pompeii cognitio, ei, si ab armis discessisset, veniam ac amicitiam promisit. Pompeius, quum ita facturum se rescripsisset; Antonio, propter acceptam calamitatem, & quòd is statim in Ægyptum abiret, contempto, in in-

467935

stituro

stituto suo perrexit. [*Dio, ibid.*] Ad utrumque verò viam sibi municiens, legatis ad Antonium missis, se illi amicum & socium offerebat: revera hoc tantum agens, ut res ejus exploratas haberet. Interim ad Thraciæ Pontique dynastas alios legatos clam mittebat, cogitans, si postulata non impetraret, per Pontum fugere in Armeniam. Ad Parthos enim legatos etiam misit, sperans ad bellum nondum confectum adversus Antonium libenter se duce usuros, Romano viro, eoque Magni filio. Simulque naves parabat, & socios navales exercebat: metum à Cæsare simulans, aut parari hæc in usum Antonii. [*Appian. ut sup.*]

Antonius, quamprimum audivit de Pompeii conatibus, ab itinere quidem suo non reflexit, Marcum verò Titium, qui quondam ad se à Sexto Pompeio desciverat, ducem adversus eum designavit: ut classe & exercitu accepto è Syriam, Pompeio bellum molienti resisteret totis viribus; quòd si in fidem Antonii mallet recipi, adduceret eum honorificè. [*Id. & Dio; ibid.*]

Legati qui à Pompeio ad Parthos missi fuerant, comprehensi ab Antonianis ducibus, perducti sunt Alexandriam. Ex his ubi singula cognovit Antonius, accitis legatis ad se missis, captos illos eis ostendit. Qui excusabant hominem juvenem in extremam calamitatem constitutum, metuentem ne repulsam pateretur ab illo, coactum tentare vel infestissimarum populo Romano gentium animos. quòd si compertam habuerit mentem Antonii, nihil opus fore aliis sollicitationibus & artibus. Id ille credidit, ut homo minimè malitiosus, & ingenio simplex ac magnanimus. [*Appian pag. 749.*]

Romæ instituenti ad Antonium navigare Octaviæ annuit Cæsar: non, ut plerique tradunt, quòd illi indulgeret; verum quòd contumeliâ affecta despectâque colorem præberet bello movendo honestum. [*Plutarch. in Anton.*] Ea Athenas veniens, ibi hyemavit. [*Appian. lib. 5. pag. 750.*]

Jam Medorum regi (Artavaldi) cum Parthorum rege (Phraate) & rege Armeniorum (Artabaze sive Artavasde) simultas intercessit. Armenio enim succensebat, propter inductos sibi ab eo Romanos: Partho, quòd neque prædæ Romanorum magnam partem, neque alium ullum honorem ab eo accepisset; & regnum quoque sibi ab eo auferendum metueret. Polemone igitur (Ponti) rege legato ad Antonium misso, amicitiam ac societatem ejus expetiit: eumque accersens, copiarum suarum auxilium illi est pollicitus. Quæ legatio Antonio admodum grata fuit. Nam quæ una res ad debellandos Parthos videbatur ei defuisse, quòd minus ab equitatu & sagittariis firmus venisset, eam accedere sibi putabat, danti magis quam accipienti beneficium. Indèque magnam inflatus spe, paravit iterum per Armeniam pergere, conventoque ad Araxem amnem Medo, tum bellum movere. [*Plutarch. in Anton. Dio, lib. 49. pag. 411.*]

Ad Octaviam Athenis commorantem litteras Antonius dedit, quibus mandavit ibi ut maneret; susceptam expeditionem ipsi significans. Illa quanquam id ægrè tulit & odorata est prætextum, quæ sivit per litteras tamen quòd mitti vellet quæ attulerat ei. Attulerat autem

autem multam vestem militarem, magnum numerum jumentorum, pecuniæ, & munerum ducibus amicisque ejus; insuper duo millia delectorum militum in cohortes prætorias insignibus armis exornatorum. Hæc Niger quidam Antonii amicus ab Octaviâ missus exposuit ei: meritis & convenientibus additis laudibus. Ejusque & alia dona & milites, quos in hunc eam finem à fratre suo petierat, accepit Antonius. [*ibid.*]

Cleopatra, verita ne à se Octaviâ abstraheret Antonium, cum se deperire simulabat; corpore foemineis artibus ita tabefacto, ac si illo orbata non ductura ultra fuisset spiritum. Quibus victus Antonius, omiffâ profectioe ad Medum (quanquam nuntiarentur res Parthorum agitari seditione) Alexandriam regressus est. [*Plutarch.*] atque ita deinde magis adhuc amori & imposturæ Cleopatræ servivit. [*Dio, pag. 411.*]

Artavaldem Armeniæ regem Antonius in Ægyptum, tanquam amicum, evocavit; ut ibi sine labore comprehensum occideret. Quum autem is, dolum suspicatus, non venisset; rationes eum aliter decipiendi iniit: neque enim iram contra eum palàm ferebat, ne eum ad bellum excitaret. [*Dio, ibid.*]

C. Furnius Asiæ præfectus (quem magnæ virum authoritatis, atque inter Romanos eloquentissimum fuisse, in Plutarchi *Antonio* & Hieronymi *Chronico* legimus) Pompeium pacatè venientem, excepit; nec ad arcendum validus, nec compertam habens Antonii sententiam. Ubi verò vidit exerceri ejus milites, delectum habuit ex provincialibus: accivitque Aënobarbum ducem vicini exercitus, Amyntâ quoque properè vocato in auxilium. Qui ubi celeriter convenerunt, Pompeius querebatur haberi se pro hoste, quum missis legatis responsum expectaret ab Antonio. Nihilominus volebat capere Aënobarbum, prodente ejus familiari Curio: sperans in eo magnum momentum, si incideret permutatio. Sed proditione detectâ, Curius in Romanorum consistorio coargutus dedit supplicium: Pompeius verò Theodorum libertum, solum ejus consilii conscium, quasi id effutisset, interfecit. [*Appian. lib. 5. pag. 749.*]

Desperans Pompeius à se falli posse Furnium, Lampſacum per proditionem occupavit; ubi habitabant multi nominis Italici, in eam coloniam deducti à C. Cæsare: moxque magnis stipendiis ad militiam pelliciebat Italos. Jàmque ducentos equites & tres legiones habebat, quum Cyzicum terrâ marique aggressus, utrinque repulsus est: erat enim ibi quædam non magna manus Antonianorum militum, gladiatores qui ibi Antonio alebantur custodientium. Reversus igitur in Achæorum portum, frumentabatur. [*Id. ibid.*]

Quum Furnius abstinens à pugna, semper ei castra admoveret cum multis equitibus, nec frumentari sinens nec urbes occupare; Pompeius castra ejus à fronte adortus est, circummissis clam qui à tergo idem facerent: quamobrem Furnius in eum versus, captis à tergo castris ejectus est. Fugientes per Scamandrios campos Pompeius multos occidit: mædebat enim campus ab imbribus. Qui evaserunt, receperunt se in tutum, impares instaurando prælio: quumque supple-

supplementum acciperent è Mysiâ, Propontide, cæterisque locis : egei homines exhausti exactionibus libenter mercede militabant Pompeio, celebri propter partam ad Achæorum portum victoriam. [*Ibid. pag. 750.*]

Quum egeret equitatu Pompeius, ac proinde malè multaretur in pabulationibus ; audivit alam equitum Italicorum ad Antonium iter facere, missam ab Octaviâ hyemante Athenis : moxque misit qui auro eos contumperent. Hos præses ab Antonio Macedonia præfectus comprehendit, & aurum distribuit militibus. [*Ibid.*]

Pompeius occupatis Nicæâ Nicomediâque, pecunias luculentè colligebat, magnis per omnia & insperatis successibus. [*Ibid.*]

Furnio non longè ab eo castra habenti, primæ è Sicilia vère ineunte venèrè naves 70. quæ solæ ex Antonii classe Cæsari contra Pompeium commodatæ superfuerant ; finito enim bello Siculo, Cæsar eas dimisit. Venit & è Syriâ Titius cum aliis 120 navibus, atque copioso exercitu : & omnes Proconnesum appulerunt. [*Ibid.*]

Territus igitur Pompeius, qui adhuc paratus satis non erat, ea loca petiit ubi maximè effugere posset. Verùm Nicomediæ deprehensus, pacem per legatos petiit : spem ejus impetrandæ in beneficio, quo Titium ipse quondam affecorat, positam habens. Sed Titius pacem se, nisi navibus & copiis omnibus sibi traditis, concessurum negavit. [*Dio. pag. 403, 403.*]

Pompeius igitur, desperatâ à mari salute, apparatu graviori in naves coniecto, eas incendit : remigésque armavit, ut in terrâ majori usui futuros cum cæteris. [*Id. ibid. pag. 403. Appian. pag. 750.*]

Herodes, veritus ne socius Alexandra nimio rerum novandarum studio teneretur, iussit eam continere se intra regiam, & nihil pro potestate agere : atque ira observabatur ea assiduè ut nihil, ne eorum quidem quæ ad quotidianam vivendi rationem attinent, cum lateret. Quam servitutem quum ferret illa indignissimè, misit ad Cleopatram litteras, præsentem rerum suarum statum deplorans, & ut opem aliquam sibi afferret rogans. Jubente verò Cleopatrà, unâ cum Aristobulo filio clam in Ægyptum ad se confugeret, paratis duabus sandapilis, quasi mortuis efferendis, in eas se & filium inclusit : iussis famulis conscis, ut eas noctu efferrent, & ad paratum navigium, quod eos in Ægyptum deverberet, deportarent. Hæc apud Sabbationem amicum mulieris Æsopus servus effutivit ; putans eum non inscium ejus consilii. Quo cognito Sabbation, qui hæcenus inimicus Herodis erat, suspectus quasi socius insidiarum quibus Antipater veneno sublatys est, arripuit occasionem conciliandæ sibi per hoc indicium regiæ benevolentia. Rex verò passus Alexandram tentare negotium, in ipsâ fugâ deprehensam retraxit. Veniam tamen erroris dedit, non aulus ei mali quicquam facere. Verebatur enim non cessaturam Cleopatram, odii tali ansâ præbitâ : quare simulatâ magnanimitate, volebat per clementiam videri indulgentior. [*Joseph. lib. 15. cap. 3.*]

Cassius Parmensis, Nasidius, Saturninus, Thermus, Antistius, alique Sexti Pompeii honorati amici, & charissimus ei Fannius, & ipse Libo socer, ut viderunt eum ne post adventum quidem Titii, cui An-

tonius ipsum commiserat, desinere cum potentiore bellum gerere; desperârunt de eo, pacisque sibi ipsis fidem, transferunt ad Antonium. [*Appian.lib.5.pag.750,751.*]

Pompeius ab amicis destitutus, secessit in mediterranea Bithyniæ; petens, ut ferebatur, Armeniam. Eum castris noctu egressum clam persequabantur Furnius & Titius, & Amyntas cum eis: peractoque magnâ contentione itinere circa vesperam assecuti, singuli castramentati sunt circa tumulum quendam absque fossâ valloque, ut sero dici fessisque. In eo statu Pompeius noctu immixtis cetratorum tribus millibus, eos invasit cubantes aut proficientes è cubiculis, qui omnino nudi fugerunt turpiter: potuitque Pompeius, si eadem nocte totis viribus eos invasisset, aut fugatos persecutus fuisset, absolvere victoriam. Quod cum parum ille animadverteret, nihil inde lucratus est, nisi quod perrexit mediterranea petere. [*Id.ibid.pag.751.*]

Hostes verò conjuncti sequebantur, frumentantem impediendo; donec inopiâ pressus petiit colloquium Furnii, amici quondam Magni Pompeii, & dignitate præstantis, moribusque gravioris cæteris. Stans igitur in ripâ interlabentis fluvii, ejus fidei commissurum se dixit, ut deduceretur ad Antonium. Quo respondente, non sibi sed Titio ab Antonio commissum hoc fuisse negotium: Titii fidem Pompeius habens suspectam iterum se Furnio dedebat, rogans ut acciperetur. Id quum non impetraret, petebat ut saltem ab Amyntâ acciperetur: illo verò negante Amyntam facturum id quod conjunctum sit cum Antonianorum mandatorum executoris injuriâ, solutum est colloquium. [*Id. ibid. pag.751,752.*]

Furniani putabant fore ut Pompeius inopiâ coactus sequenti die se Titio dederet. At ille noctu incensis ex castrensi more ignibus, & tubicinibus per signa vigiliarum noctem distinguentibus, clam cum expeditis castris se subduxit, ne ipsis quidem præmonitis, quoniam ituri essent. Cogitabat autem reverti ad mare, & Titii classem incendere: quod fortasse perpetrasset, ni Scaurus transfugiens, abitum ejus & quam viam ingressus sit indicasset; quamvis ignarus propositi. Tum Amyntas cum 1500 equitibus eum persecutus est carentem equitatu: ad quem appropinquantem Pompeiani transferunt, pars occultâ fugâ, pars propalam. Pompeius penè desolatus, & suos jam metuens, Amyntæ sine conditionibus se dedit, qui Titii condiciones respuerat. [*Id. ibid. pag.752.*]

Midaii, quod opidum Phrygiæ est, deprehensum circumdatumque Pompeium à Titio & Furnio captum fuisse scribit Dio. [*pag.403.*] Exercitum ejus à Titio adactum ut Antonio sacramentum diceret, Appianus. [*pag.753.*]

Antonius certior hæc de re factus confestim per litteras Pompeium mandavit interfici: paulo verò post poenitentiam ductus, salute eum donari iussit. Atqui cum priorem tabellarium posterior prævenisset, Titius acceptis deinceps etiam scriptis de mortis supplicio litteris, ac vel scriptas eas reipsâ posterius esse ratus, vel cognitâ quidem rei veritate fidem habere nolens; ordinem litterarum, ut sibi redditæ erant, non sensum, secutus est. [*Dio pag.403.*]

Sunt

Sunt qui dicant, Pompeii mortem mandâsse, non Antonium, sed Plancum; qui Syriæ præses solitus sit in majoris momenti litteris nomen adscribere Antonii, & uti annulo ipsius signatorio: sive sciente Antonio, (scribere tamen nolente, vel propter Pompeii nomen, vel propter Cleopatram faventem ei ob patris Magni memoriam) sive per seipsum, caventem ne Pompeius præberet aliquam occasionem diffidii Cæsari & Antonio, néve Cleopatra favorem in Pompeium transferret. [*Appian.lib.5.pag.753.*]

Atque ita Mileti Sextus Pompeius est interfectus. [*Id. ibid. Strabo, lib.3.pag.141.*] L. Cornificio & Sexto alio quodam Pompeio Consulibus. [*Dio,lib.49.pag.403.*] de quo, in libri Liviani 132. epitome, ita legimus. *Sex. Pompeius, cum in fidem M. Antonii venires, bellum adversus eum in Asia moliens à legatis ejus oppressus est.* Et in Orofio, lib.6. cap.19. *Pompeius fugiens, à Titio & Furnio Antonianis ducibus saepe terrestri navalique bello victus & captus, ac post paululum interfectus est.* et apud Velleium Paterculum, lib.2. cap.87. *Sextum Pompeium Antonius, cum dignitatis quoque servanda dedisset fidem, etiam spiritu privavit.* et in capite 79. plenius. *Pompeius Asiam fugâ petivit: jussuque M. Antonii, cujus opem petierat, dum inter ducem & supplicem tumultuatur, & nunc dignitatem retinet nunc vitam precatur, à Titio jugulatus est. cui in tantum duravit hoc facinore contractum odium, ut mox, ludos in theatro Pompeii faciens, execratione populi spectaculo quod præbebat pelleretur.*

Cæsar Octavianus, mortis Sexti Pompeii causâ, ludos equestres exhibuit; Antonioque currum ante rostra & statuas in templo Concordiæ posuit: potestatemque dedit ibi cum conjuge & liberis convivendi, sicut antè sibi decretum fuerat. Nam adhuc fingebat se esse ejus amicum: cumque de Parthica clade consolatus est, invidiamque adversus se, victoriæ Siculæ & honorum ob eam decretorum nomine obortam exposuit. [*Dio,lib.49.pag.403.*]

3970.

In festo Tabernaculorum novus Pontifex Aristobulus, adolescens 17 ætatis annum jam egressus, sacris juxta legem operaturus ornatu pontificali ad altare accessit, ceremoniâsque decenter peregit. Cujus eximia forma & statura quàm pro ætate procerior, totâ facie generis dignitatem præferens, convertit in se multitudinis oculos simul & studia, reputantis secum etiam avi Aristobuli memoriâ digna facinora. Victi igitur affectu paulatim se aperiebant, confusi nimio gaudio, nec continentes faustas voces ac comprecationes; licentiùs, quàm sub tali rege decebat, proferentes debitam familiæ beneficiorum tum memoriam tum gratiam. [*Joseph.lib.15.cap.3.*]

Peractâ festivitate dum apud matrem Alexandram excipitur convivio, rex Herodes comitate pertracto in opportunum locum adolescens, ostendebat se paratum in ejus gratiam juveniliter colludere. Cumque loci ejus natura esset æstuosior, citò defessi relicto lusu magnis piscinis, quæ ibi circa aulam erant, imminentes frigus captabant meridiano tempore. Ac primùm spectabant natantes quosdam è sociis & famulis: deinde postquam provocante Herode adolescens quoque eis se miscuit, hi quibus hoc datum erat negotium deprimentes eum natantem, & quasi per lulum ac petulantiam mergentes, non priùs

prius destiterunt quàm aquis præfocaretur. Atque hic fuit Aristobuli exitus, anno ætatis 18°, Pontificatus 1°, qui mox ad Ananelum rediit. [*Id. ibid.*]

Hic casus ubi mulieribus renunciatus est, versâ repente rerum facie lamentatio exoritur supra cadaver juvenis & luctus inconsolabilis: totâque urbem rumore sparso mœror occupat, nullâ non domo calamitatem desente tanquam propriam. Herodes verò modis omnibus curabat fidem facere, se incio casum hunc contigisse; non luctum solùm fingens, sed & lachrymas & mœsticiam veræ simillimam. Et quo majus miseris mulieribus afferret solatium, magnificentissimo funeris apparatu cadaver extulit: nihil sibi ad summam liberalitatem faciens reliquum, tam in exornando conditorio, quàm in congerendis eò aromatibus & aliis rebus pretiosissimis. [*Id.*]

Mater Alexandra, etsi sæpè ad inferendam manum sibi pronior, cùm eam dolus non falleret, impetum tamen hunc animi repressit, nullam suspicionem præ se ferens quòd datâ operâ filium necatum sensisset; donec aliquando se afferret ultionis facultas. [*Id.*]

Antonius quærens rationem, quâ minimo labore regem Armeniæ Artavasdem ulcisci posset, missò ad eum Q. Dellio, filiam ejus filio suo Alexandro (ex Cleopatrá suscepto) matrimonio conjungendam, multis pollicitationibus interpositis, poposcit. Postremò repente sub initium veris Nicopolim Pompeii (in minore Armeniâ) venit: eoque eum accersivit, quasi operâ & consilio ejus in bello Parthico esset usus. Sed Artavasdes, infidias suspicatus, non venit. [*Dio, lib. 49. pag. 415.*]

Alexandra, continuo ob amissum filium luctu ad vindictæ desiderio accensa, per litteras infidias Herodis Cleopatrá indicavit, simulque filii sui miserabilem interitum. Illa verò jamdudum adjuvandi eam cupida, & tum etiam miserata mulieris infortunium, non secus quàm proprium curavit hoc negotium: nec unquam destitit incitare Antonium ad ulciscendam necem juvenis; indignum facinus dicatans, Herodem ope ejus alieni juris regno potitum, in legitimam regum stirpem tam insolenter debacehari. Quibus permotus Antonius, postquam *Laodiceam* (in Syriâ) pervenit, accersivit ad se Herodem dicturum causam de objecto necis Aristobuli crimine. [*Ioseph. lib. 15. ca. 4.*]

Herodes, commissâ regni curâ Josepho patruo, clam ei mandavit, ut si in ipsum Antonius gravius aliquid statuisset, confestim Mariammen interficeret: sic se affectum erga uxorem fuisse dicens, ut etsi post ipsius mortem aliquem potiri contingeret illius pulchritudine, ad suam id injuriam pertinere existimaret. [*Id. ibid.*]

Ad Antonium deinde veniens Herodes, muneribus eum placavit quæ in hoc Hierosolymis attulerat, & crebris colloquiis indignationem ejus leniit; ut minus posthac ponderis apud eum haberet Cleopatrá instigatio. Negabat enim Antonius oportere regem facti sui rationem reddere, alioqui ne regem quidem futurum: sed dato illi semel honore, etiam liberam potestatem permittendam esse. Idque ipsum etiam Cleopatrá aiebat conducibile, si non multum se misceret alienis imperiis. [*Id.*]

Jose-

368034

Josephus creditum sibi regimen administrans, & sæpissimè Mariam-
ammen conveniens, partim propter negotia partim honoris causâ, dum
crebra mentio fit conjugalis amoris quo eam Herodes prosequeretur;
irridentibus hanc ejus asseverationem mulieribus, præsertim Alexan-
drâ, ille nimio studio approbandi eis affectum regis eò provectus est;
ut mandatum sibi datum proderet: ratus id certissimum amoris ar-
gumentum, quòd neque sine eâ vivere sustineret, neque vel morte
ipsâ ab eâ disjungi. Quæ Josephi verba mulieres non tam indubi-
tatum Herodis amoris signum interpretatæ sunt, quàm exhorruerunt
tyrannicum illius animum, si vel mortuus sæviret in earum capita.
[*Ibid.*]

Interea per civitatem rumor ab inimicis regis sparsus est, necatum
eum ab Antonio: qui cùm reliquam regiam turbavit, tum mulieres
maximè. Alexandra verò etiam Josephum hortata est, ut assumens
eas ad signa legionis Romanæ confugeret, quæ tum ad regni custo-
diam circa urbem erat sub tribuno Julio. Sic enim primùm si quid tur-
barum in aulam incideret, ipsas in tuto fore propter Romanorum bene-
volentiam: deinde sperandum esse consecuturam quidvis Mariammen,
si in Antonii conspectum venerit, atque etiam regnum recepturam, &
quicquid debetur regio generi. [*Ibid.*]

Tenente adhuc eâ consultatione, litteræ ab Herodè supervenerunt
rumori contrariæ, honorem quo se dignaretur Antonius significantes,
ad consessum adhibens & ad quotidiana convivia; idque non cessante
à criminationibus Cleopatrá: quæ capta ejus regionis cupidine, quòd
regnum id sibi usurparet, omnibus modis quærebat illum perdere.
Sed quia justum se præberet Antonius, nihil posthac expectandum
gravius, venturúmque brevi constabito tam regno quàm amicitia.
nec relictam Cleopatrá cupiditati ullam spem, quando Antonius pro
ejus postulatis Cœlesyriam ei concessisset, hâc conditione, ne post-
hac Judæam peteret, & ut molesta esse desineret. [*Ibid.*]

His litteris redditis, voluntas confugiendi ad Romanos evanuit.
Non tamen latuit id consilium; sed quamprimùm deducto aliquan-
tisper Antonio contra Parthos eunte (id enim ille præ se ferebat)
Herodes in Judæam reversus est, statim soror Salôme & ejus mater
indicaverunt quid Alexandra cum suis voluerit. Nec hoc contenta
Salôme, etiam maritum suum Josephum criminata est, Mariammes
consuetudinem objiciens. Hoc autem fecit propter similitudinem vete-
rem, quòd regina elati animi foemina inter muliebres contentiones
exprobraret ei obscuritatem generis. [*Ibid.*]

Quum de servatâ pudicitia Herodi juramento fidem Mariamme
faceret, & suum vicissim amorem Herodes commemoraret; negante
illâ amantis esse mandare, si quid humanitus accidat, uxorem inno-
xiam addi fati comitem: non aliter secretum hoc eam scire potuisse
Rex existimans, nisi à Josepho fuisset constuprata; parum absuit
quin illam interficeret. Sed amore victus, licet ægrè, cohibuit se ta-
men. Veruntamen Josephum ne in conspectum quidem admissum jus-
sit interimi: & Alexandram, ut malorum omnium causam; vincitam
conjecit in custodiam. [*Ibid.*]

Interea turbabantur res Syriæ, Cleopatrá non desinente in omnes incitare Antonium: quem hortabatur ut auferens cuique suam dynastiam ipsi contributor; flagitans etiam ab eo Judæam simul & Arabiam sibi dari, ademptas suis regibus, Herodi & Malcho; cuius utriusque illa interitum moliebatur. Sed tantos reges in importunæ mulieris gratiam occidere quidem Antonius injustum esse duxit: verum inter amicos ultrâ non habuit; & partes de utriusque regione ablatas Cleopatrá largitus est. Ad hæc urbes, quotquot sunt intra fluvium Eletherum usque Ægyptum, ei donavit; præter Tyrum & Sidonem, quas jam inde à majorum ætate sciebat liberas: quamvis & has quoque illa multis precibus impetrare conata fuerat. [*Ibid. cum lib. 1. Belli, cap. 13. & lib. 7. neq. 26.*]

Ita Cleopatra, Antonii munere, Cyrene, Ciliciæ parte magnâ, Judææ regione eâ quæ balsamum gignit, Arabiâ Nabatæâ quæ Malchi fuerat (ditionis videlicet Malchi regis quantum ad Oceanum vergit) Ituræâ, Phoeniciâ, Cœlesyriâ, Cypro & Cretæ parte aliquâ est potita. Quæ tam vastæ Antonii donationes populum Romanum maximè offenderunt: simul & Cleopatrá turpitude, ex quâ liberos Antonius suscepisset, prius gemellos, Alexandrum & Cleopatram (hanc Lunam, illum Solem cognominatum) deinde Ptolemæum, Philadelphum cognomine. [*Plutarch. in Anton. Dio, lib. 49. pag. 411. cum Livio, lib. 132.*] Multas verò linguas calluisse Cleopatra dicitur; ita ut Æthiopibus, Troglodytis, Hebræis, Arabibus, Syris, Medis, Parthis, per semet ipsa responsa daret sine interprete: quum antecessores ejus reges ne Ægyptiam quidem percipere sustinissent, nonnulli etiam ipsam Macedonicam dialectum dedidicissent. [*Plutarch. ibid.*]

Cleopatra in Armeniam cum exercitu profectum Antonium usque Euphratem profecta, revertitur: obiterque aditâ Apamiâ & Damasco, Judæam invisit. [*Ioseph. lib. 15. cap. 5.*]

Æstate tertiâ ab eâ quâ in Sicilia Lepidus à Cæsare Octaviano est dejectus, expeditionem hanc Antonius suscepit in Armeniam. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 82.*] defuncto jam Sexto Pompeio. [*Appian. lib. 5. pag. 753.*] Missoque iterum ad Armeniæ regem Q. Dellio colloqui causâ; ipse interim celeriter ad Artaxata progressus est. [*Dio, lib. 49. pag. 415.*]

Cleopatra in Judæâ ab Herode excepta, concessam sibi ab Antonio Arabiæ partem & Jerichuntini agri redditus ei locavit. Is & balsamum fert, quod unguentorum longè pretiosissimum ibi tantum provenit, & eximiarum particularum vim maximam. [*Ioseph. lib. 15. cap. 5.*] Quod balsamum, uni terrarum Judææ concessum, in duobus tantum hortis erat, utroque regio; altero jugerum 20 non amplius, altero pauciorum. [*Plin. lib. 12. cap. 25.*]

Per hæc negotia contractâ majore cum Herode familiaritate, de stupro eum sollicitare Cleopatra coepit; sive lascivi intemperantiâ affectus ducta, sive per hoc struendis insidiis occasionem quærens: sed amorem prætexebat. Renuit verò Herodes: & de eâ occidendâ cum amicis consultavit. A quibus ab eo facinore ille deterritus, magnis muneribus

neribus omnibusque obsequiis pacatam Cleopatram Pelusium usque deduxit. [*Ioseph. lib. 1. Belli, cap. 13. & lib. 15. cap. 5.*] A qua tamen, ut & ab ipso Judæorum populo, ille sibi metuens Masada castellum sibi ad refugium paravit; armis in eo repositis, quæ decem millibus virorum sufficerent. [*Id. lib. 7. Belli, κεφ λβ.*]

In Armeniâ Antonius regem Artavasdem partim sociorum operâ persuadendo, partim copiis terrendo, quum illius se amicum & scriptis & actis omnino ostendisset, eò vix tandem multis pollicitationibus deceptum adduxit, ut fide datâ in castra ipsius veniret: ubi ab eo est comprehensus. [*Dio, lib. 59. pag. 415. cum Livio, lib. 131. Strabone, lib. 11. pag. 524. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 82. Plutarcho, in Antonio. & Orofio, lib. 6. cap. 19.*]

Captum regem Antonius primùm absque vinculis circum castella, in quibus thesauri erant repositi, circumduxit; spe eorum sine certamine potiundi: simulans se non aliâ de causâ captivum habere, quàm ut ab Armeniis pro liberatione ac regno ejus pecuniam colligeret. Verùm eâ spe frustratus ille est: gazæ custodibus ei non obtemperantibus. [*Dio, ibid.*]

Qui in armis erant Armenii, pro capto rege Artavasde five Artabaze maximum natu filiorum ejus Artaxiam regem constituerunt. [*Id. ibid. Ioseph. lib. 15. cap. 5.*] Artavasdem verò Antonius argenteis catenis constrinxit: quasi regem turpe esset ferreis teneri vinculis. [*Dio, ibid.*] Tum argenteâ catenâ ita vinctum ad confessionem thesaurorum regionum coëgit: expugnatôque opido, in quo conditos esse prodiderat, magnam vim auri argentique abstulit. [*Orof. lib. 6. cap. 19.*]

Post hæc universam Armeniam, partim vi, partim deditione, in suam potestatem Antonius redëgit. [*Ioseph. & Dio, ut supr.*] Nam Artaxias prælio congressus, & victus, ad Parthos concesserat. [*Dio.*] Artabazem verò cum filiis suis satrapis vinctum in Ægyptum Antonius duxit, munus Cleopatraz, & quicquid pretiosum de eo regno ceperat. [*Ioseph. lib. 1. Belli, cap. 13. & lib. 15. Antiquit. cap. 5.*]

Romæ, III. Nonas Septembr. C. Soffius Proconsul ex Judæâ triumphavit: ut ex Fastis triumphalibus marmoreis liquet. [*in Inscript. Gruteri. pag. CCXCVII.*]

3971

M. Antonius, Artavasdis regis Mediæ filiâ arctioris amicitiaz causâ filio suo in matrimonium impetratâ, relicto in Armeniâ exercitu, cum magnâ prædâ in Ægyptum reversus est. Ubi Alexandriam curru inventus, inter alios captivos Artavasdem five Artabazem Armeniæ regem, cum conjugè & liberis, ante se in triumpho duxit. [*Dio, lib. 49. pag. 415.*] Quod ægerrimè Romani tulerunt: ut prima patriæ suæ ornamenta, in Cleopatraz gratiam, communicarentur Ægyptiis. [*Plutarch. in Anton.*]

Ad Cleopatram in medio populi, tribunali argento obducto, auratâque sellâ sedentem, Antonius Artavasdem, cum suis, aureis in vinculis abduxit. Barbari autem neque supplices ei facti sunt, neque in genua conciderunt (quanquam & minis & promissis hoc crebrò juberentur) sed nomine eam suo compellaverunt: atque idèò magnos quidem ha-

bere spiritus existimati, durius autem propterea tractati sunt. [*Dio, ut supr.*]

Alexandrinis epulum Antonius præbuit, & contractâ in gymnasium plebe, pro tribunali argenteo folia duo aurea, sibi unum, Cleopatraz alterum, filiis verò humiliora alia posuit. Tum ad populum oratione quâdam habitâ, Cleopatram Reginam regum, ejusque filium & regni collegam Ptolemæum Cæsarionem Regem regum appellari jussit: iisque Ægyptum, & Cyprum, divisione institutâ aliâ à priore, addixit. Dicebat autem illam verè Cæsaris Dictatoris conjugem fuisse, hunc ejusdem legitimum filium: fingebatque se studio ejus Cæsaris adductum hæc facere; quò Octavianum, non natum ejus, sed adoptatum filium, in invidiam adduceret. Suis autem ex Cleopatraz susceptis liberis, filiaz quidem Cleopatraz Libyam dedit Cyrenaicam; fratri ejus Alexandro Armeniam attribuit, Mediam quoque & Parthiam & reliquas trans Euphratem usque ad Indiam regiones, quum eæ subigerentur, promittens: Ptolemæo verò (Philadelpho cognominato) Phœniciam, Syriam, Ciliciam, & omnes cis Euphratem usque ad Hellespontum regiones, largitus est. [*Plutarch. in Anton. Dio, lib. 49. pag. 415, 416.*]

Simul autem filios suos produxit Antonius, Alexandrum quidem cultu Medico, tiaram & cidarim circumferentem; Ptolemæum verò crepidis, chlamyde, & causâ diademate redimitâ ornatum. Hic enim regum qui Alexandro successerunt cultus, ille Medorum erat & Armeniorum. Mox quum salutassent parentes pueri, hunc Macedones, illum Armenii stipavere. nam Cleopatra quidem & tunc & aliâs in publicum progrediens, stolam Isidis sacram sumebat, & novæ Isidis nomine responsa dabat populis. [*Plutarch. ibid.*] Atque ut illa Isidem se & Lunam, ita Antonius Osiridem & novum Liberum Patrem appellari se jussit; quum redimitus hederis, cothurnisque succinctus, cultu velut Liber Pater vectus esset Alexandriæ. [*Vellei. Pat. lib. 2. cap. 82. Dio, lib. 50. pag. 421.*]

Antonius usque ad Araxem profectus, quasi Parthis bellum illaturus, satis habuit cum Artavazde Medorum rege societatem junxisse: cujus ratione mutua sibi auxilia, Antonius Medo contra Parthos, Medus Antonio adversus Cæsarem sponderunt; militisque nonnullos ejus rei causâ permutaverunt: & Antonius Medo parte Armeniæ recens occupatæ traditâ, filiam ejus Iotapen, admodum parvulam, ut Alexandri (filii sui ex Cleopatraz nati, cui regnum Armeniæ dederat; quod in libro 131. confirmat Livius) conjugem futuram, & signa militaria quæ amissa in Scitiani pugnâ fuerant, recepit. [*Dio, lib. 49. pag. 417, 418. cum Plutarcho, in Antonio.*]

Pace ita cum Medo initâ, Antonius Polemoni Armeniam minorem, ut legationis ab eo ad societatem hanc conciliandam susceptæ præmium, donavit: consulatumque simul & dedit L. Claudio (vel Cluvio) quem secum habebat, & ademit. [*Dio, ut supr. pag. 411. & 418.*]

Cæsar Octavianus in Senatu & ad populum crebrò Antonium accusabat, plebem in eum incendens. Contrâ misit ad illum recriminandum

nandum Antonius. [Plutarch.] Cæsar inter alia Antonio objiciebat, quòd Ægyptum, sorte sibi non datam, obtineret; quòd Sextum Pompeium à se ultrò dimissum (sic enim ferebat) occidisset; quòd Artavasde per fraudem capto inque vincula coniecto, infamiam magnam populo Romano aspersisset: manubiarum etiam partem dimidiam poscebat, ac omnium maximè Cleopatram ei liberòsque ex eà susceptos & donatas his regiones exprobrabat; idque præcipuè, quòd Cæsariònem Cleopatræ filium in Cæsaris familiam retulisset. [Dio, lib. 50. pag. 419.] Eum verò agnitum etiam à Julio Cæsare fuisse, Senatui Antonius affirmavit; idque scire C. Matium, & C. Oppium, reliquòsque Cæsaris amicos; quorum C. Oppius, quasi planè defensione ac patrocinio res egeret, librum edidit, *Non esse Cæsaris filium, quem Cleopatra dicat.* [Sueton. in Julio, cap. 52.]

In Armeniâ agens Antonius, Canidium cum XVI legionibus ad mare descendere imperavit. Ipse trahens secum Cleopatram concessit Ephesum, quò classis undique cogebatur navium annumeratis onerariis octingentarum; ex quibus ducentas Cleopatra & viginti millia talentorùm commearulque per bellum toti exercitui præbuit. [Plutarch. in Anton.]

Antonius Domiti & quorundam aliorum consilio præcepit Cleopatræ ut in Ægyptum navigaret, atque exitum ibi maneret belli. At illa novam Octaviæ operâ timens futuram reconciliationem, induxit ingenti mercede Canidium, ut pro se apud Antonium ageret: demonstrarétque ei, neque æquum esse summoventi bello mulierem quæ tantum conferret auxilii, neque ex usu ejus esse ut frangerentur eâ re Ægyptiorum animi, qui virium navalium magnam partem efficerent. Quo illud obtinente, coactis copiis navigaverunt Samum, ubi genio indulserunt. Ut enim regibus, dynastis, tetrarchis, gentibus, & civitatibus inter Syriam, Mæotin, Armeniam, & Lauria positis indictum omnibus fuit ut mitterent deportarétque apparatus bellicum: ita erat injunctum cunctis qui ludicram artem faciebant, Samum occurrere. Ac quum universus penè circumcirca lamentis & gemitibus orbis creparet, una per multos dies insula tibiis & cantu personabat; ubi referta erant theatra certantibus choris. Jam ad sacrificium singulæ civitates boves mittebant, & certabant invicem conviviis & muneribus reges. ut sermonibus jactaretur: *Qui erant in triumpho victores, quum belli tantis sumptibus celebrent apparatus?* [Id. ibid.]

Hinc Athenas navigavit Antonius: ubi de integro effudit se in ludos & spectacula. [Ibid.] Aureum in manu baculum, ad latus acinaces, purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis, diadema aderat, ut reginâ rex ipse frueretur. [Florus, lib. 4. cap. 11.]

Mediæ rex, usus Romanorum apud se ab Antonio relictorum auxilio, Parthos & Artaxem (sive Artaxiam Armenium) contra se profectos vicit. [Dio, lib. 49. pag. 418.]

3972

Herodes tributa regionum Judææ & Arabiæ quas Cleopatra ab Antonio acceperat justè reddebat; parùm tutum putans præbere regi-næ occasionem malevolentia. Arabs verò, postquam eorum exactio ad Herodem spectare coepit, aliquandiu solvebat ei 200 talenta annu-

atim debita : deinde malignior factus & ad dandum segnior, vix partes quasdam reddebat, ac ne eas quidem integras. [*Joseph. lib. 15. cap. 5.*]

Cæsar & Antonius mutuò se criminabantur, atque etiam vicissim se defendebant, partim per epistolas privatim datas, (inter quas illa Antonii ad Cæsarem petulantissima fuit, à Suetonio in *Octavio ca. 69.* commemorata ; ubi cum Cleopatrá reginâ, quam uxorem suam fuisse affirmat, *abhinc annos novem* consuetudinem habere se cœpisse dicit) partim publicè ; quum Cæsar ore, litteris Antonius ageret. Quâ occasione alter ad alterum crebrò legationes mittebat ; quò & suam causam quam maximè justam esse ostenderet, & adversarii res exploraret. Interim pecuniam, quasi in alium quendam finem, contrahebant ; & ad bellum sese, tanquam contra alios quosdam hostes, parabant. [*Dio, lib. 50. pag. 419.*]

Romæ novus Consul, C. Sossius (qui de Judæâ triumphaverat) 4682 32
ipsis Kalendis Januariis multa verba in Antonii laudem & vituperationem Cæsaris in Senatu fecit ; (Domitio Aënobarbo collegâ ejus, quia multas antea calamitates expertus esset, nihil palàm novi agitante :) ac edictum contra Cæsarem, qui consultò ab Urbe tum absuit, facturus confestim erat, nisi Nonius Balbus tribunus plebis intercessisset. [*Dio, lib. 50. pag. 419.*]

Romam scripsit Antonius, ut quæ de regionum inter Cleopatram & liberos ejus partitione Alexandriae egerat, ibi rata esse juberentur. Quæ tamen litteræ publicè recitatae non sunt, Domitio Sossioque Consulibus, qui Antonio quàm maximè favebant, etsi Cæsar flagitabat ut in vulgus omnia efferrentur, obstantibus. Quum autem in eo vicisset illorum sententia, vicissim Cæsar hoc obtinuit : nequid eorum, quæ de Artavasde Armenio scripta fuerant, publicè proponeretur : quia & regem, cum quo occultè adversus Antonium consilia ipse agitârat, miserabatur ; & triumphum Antonio invidebat. [*Id. lib. 49. pag. 416.*]

Cæsar convocato Senatu, præsidio militum & amicorum pugiones occultè gestantium septus, sellâ curuli in medio Consulum sedit ; multisque & seipsum defendit, & Sossium Antoniumque accusavit : ac, quum neque alii neque Consules ipsi quicquam dicere auderent, convenire eos ad certam diem jussit, per litteras quasdam ipsi Antonii injurias demonstraturus. Consules neque contradicere ausi neque tacere sustinentes, clanculum ante eam diem Urbe profecti, ad Antonium se contulerunt : eosque reliquorum Senatorum multi secuti sunt. Eo cognito Cæsar, quum eos à se ultrò emissos dixisset, ne propter aliquam injuriam suam ab iis desertus videretur ; reliquis etiam qui velent ad Antonium abire, ut tutò id facerent, permisit. [*Id. lib. 50. pag. 420. cum Suetonio, in Octavio, cap. 17.*]

Post discessum Consulum Cæsar, Senatu congregato, & egit & dixit quæ volebat. Quibus auditis Antonius, suorum concilio habito, multisque in utramque partem prolatis, bellum suscepit. [*Dio, pag. 420.*] & Octaviae sorori Cæsaris, uxori suæ, repudium indici jussit. [*Id. ibid. cum Livio, lib. 132. Eutropio, lib. 7. & Orofio, lib. 6. ca. 19.*]

Quum

Quum Romam certos misisset Antonius, qui Octaviam domo suâ pellerent; exiisse eam memorant trahentem secum omnes Antonii liberos, præter natu maximum ex Fulviâ genitorum; qui cum patre tum degebat. Plorabat illa & lamentabatur, quòd una ex belli causis ipsa quoque videretur. Populum verò Romanum miserebat non ita illius, ut Antonii; atque impensius eos qui Cleopatram viderant, neque formâ Octaviæ neque ætatis flore præcellentem. [*Plutarch. in Anton.*]

At Cæsar celeritate & mole Antonii apparatus nuntiata, trepidavit, ne bellare illâ ætate cogeretur. Pecuniæ enim inopiâ laborabat, & exactioibus totam hoc tempore turbabat Italiam. Unde in maximis numerabatur Antonii peccatis hæc belli procrastinatio; quâ Cæsari instruendi se spatium dedit, & tumultum ob extortas pecunias ortum sedandi. [*Id. ibid.*]

Herodes rex, & aliis per Judæam turbis liberatus & Hyrcanio (quem vicum Antigoni soror tenuerat) bello Actiaco Olympiade CLXXXVII (quæ hâc ætate acta est) jam erumpente, delectus habendo magno apparatu expediebat auxilium Antonio. Sed ille hanc operam ei remisit, negans sibi opus esse. Verùm quia tam ex ipso quàm ex Cleopatrá de Arabis injuriâ audierat, tributum à reginâ impositum solvere detrectantis; jussit in illum bellum vertere: Cleopatrá etiam hoc in rem suam fore sibi persuadente. Si enim Arabem Herodes vicisset, Arabiæ; sin autem victus esset, Judææ dominam futuram se sperabat. Antonii igitur jussu reversus Herodes, domi continuit exercitum: quo mox invasit Arabiam equitatu simul & pedestribus copiis instructissimus, Diospolim petens quò occurfuri erant Arabes. Ubi post acerrimum conflictum penes Judæos fuit victoria. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 14. & lib. 15. Antiquit. cap. 6.*]

Plancus & Titius quos ex Consularibus Antonius & inter amicos habuerat & omnium secretorum suorum conscios fecerat, à Cleopatrá suggillati quòd plurimum adversari fuissent ne bello interesset, ad Cæsarem perfugerunt: qui eos & libentissimè recepit, & ab iis tum omnia alia acta consiliaque Antonii didicit, tum testamento ejus quæ essent statuta, ac ubi id esset, rescivit. nam id illi obsignaverant, & in eo contenta cognoverant. [*Plutarch. in Anton. Dio, lib. 50. pag. 420.*] De Planci verò (qui Antonii primum librarius, posteaque Asiæ ac deinde Syriæ Proconsul sub eo fuerat) moribus, ejusque & Titii fugâ videndus est in lib. 2. cap. 83. Velleius Paterculus.

Testamentum Antonii apud virgines Vestales erat depositum. Quod poscenti Cæsari denegaverunt illæ tradere: si accipere vellet, ipse veniret, mandaverunt. Illuc ergo profectus accepit tabulas. [*Plutarch. in Anton.*] Ac primùm ipse seorsum scripta evolvit, ac loca quædam annotavit reprehensioni patentia. Tum in Senatu, ac deinde etiam in concione, recitavit: plerisque id molestè ferentibus, rationem ut quis redderet vivis postremorum suorum judiciorum. Quod licèt injustissimum censeretur, tamen ea quæ testamento continebantur hujusmodi erant, ut omnem facti Cæsaris invidiam tollerent. Nam Antonius eo testamento Cæsaroni testimonium ferebat, quòd esset verè Dictatoris

Dictatoris Cæsaris filius; suos ex Cleopatrá liberos inter hæredes nuncupabat, immensisque eos muneribus donabat: & de funere statuebat, ut corpus suum, etiamsi Romæ decessisset, per forum elatum Alexandriam ad Cleopatram mitteretur. [*Id. ibid. Sueton. in Octavio, cap. 17. Dio, lib. 50. pag. 420, 421.*]

Hæc tantam indignationem apud omnes excitârunt, ut reliqua etiam quæ vulgò jactabantur vera esse crederent: nempe Antonium, si rerum potitus foret, Romam Cleopatrz dono daturum, ac imperium in Ægyptum translaturum. Proinde vehementi irâ correpti omnes, eum non inimici modò aut qui neutri parti studebant, sed ii quoque jam qui summâ ei juncti fuerant amicitia, summopere culpârunt. quippe testamento recitato territi, Cæsarisque suspicioni vicissim occurrentes, eadem cum aliis aiebant. [*Dio, pag. 421.*]

Multa quoque nefanda in Senatu Antonio recens transfuga Plancus objiciebat. [*Vel. Pater. li. 2. ca. 83.*] multa etiam, in Cleopatrz gratiam commissa, exprobrabat ei Cæsaris necessarius Calvius vel Calvisius: quorum pleraque tamen ipse ementitus fuisse putabatur. Amici verò Antonii Romæ supplices prensabant populum: unumque è suo numero Geminium in Græciam miserunt, rogatum Antonium, caveret ne abrogaretur ipsi imperium & hostis populi Romani declararetur. Qui cum inter cœnandum à Cleopatrá laceffitus, omnia recta fore dixisset si illa in Ægyptum abscessisset; reginæ furorem metuens, arreptâ fugâ Romam se retulit. [*Plutarch. in Anton.*]

Ut satis paratus Cæsar fuit, in Cleopatram bellum est decretum: Antonio verò Consulatus (fuerat enim in sequentem annum Consul designatus) ac reliqua etiam potestas omnis est adempta; cujus ille arbitrium mulieri permisisset. Dicebaturque Cleopatrz pharmacis & præstigiis ita dementatus fuisse Antonius, ut ne in suâ quidem esset potestate. [*Id. ibid. Dio, pag. 421.*] Aded enim hunc ea sibi mancipaverat, ut eum gymnasiarcham Alexandrinorum effecerit, ab eo regina ac domina appellata sit, milites in suo satellitio Romanos habuerit; omnesque ii suis in clypeis nomen Cleopatrz inscripserint. Ipsa cum Antonio in forum prodibat, ludos cum eo curabat, cum eo judicia obibat, cum eo equitabat: in urbibus ipsa curtu vehebatur, Antonius pedester cum eunuchis eam sequebatur. Denique sibi ipsa imperium in Romanos ita sperare est ausa; ut si quid maximo jurejurando affirmaret, jus quod esset ipsa datura in Capitolio, juramentum fecerit. [*Dio, pag. 421, 422.*] cupiditate muliebri optans etiam in Urbe regnare. [*Entrop. lib. 7.*] de qua, in lib. 1. Odâ 37 Horatius:

— — — Capitolio

Regina dementes ruinas
Funus & imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare, fortunâ que dulci
Ebria.

et Ovidius, libro 15 Metamorphos.

Romanisque ducis conjux Ægyptia sæde

Non

*Non bene fisa cadet, frustra que erit illa minata
Servitura suo Capisolia nostra Canopo.*

Si hostis ipse Antonius fuisset appellatus; illi quoque qui cum eo erant, nisi ab eo discessissent, in hostium numero habendi fuissent: quod ne contingeret, (metuebatur enim amicorum ejus potentia) non verbo ille quidem, licet reipsa, hostis est declaratus. Impunitas nihilominus ac laudes iis qui Antonium deseruissent proponebantur; & Cleopatraz (quam illum nunquam deserturum fuisse sciebant) bellum manifestò indicebatur: sufficiebatque hoc ipsum Antonio crimen potuisse objici, quòd contra patriam, nihil à suis læsus, ipse ultro bellum pro Ægyptiâ muliere suscepisset. Ac, quasi jam id ageretur, saga ipsi sumpserunt, & ad ædem Bellonæ progressi sunt: ibique Cæsar, tanquam fecialis, omnia quæ antè quàm bellum iniretur fieri Romano more consueverant jussu eorum peregit. [Dio, pag. 421, 422.] Addiditque, bellum cum Romanis gesturos Mardionem eunuchum, & Pothium, & constricticem Cleopatraz Iram Charmiumque (*Nairam & Carmionem* Cleopatraz ancillas Galenus appellat, in libro de Theriacâ ad Pisonem:) à quibus maxima quæque in imperio Antonii administrarentur. [Plutarch.]

Hinc juvenus ab utrisque magno studio ad arma convocabatur, pecuniæ conficiebantur, omnia quæ bello gerendo sunt necessaria festinatò comparabantur: fuitque ejus belli apparatus longè prioribus omnibus major, tot utrique ad hoc bellum provinciis auxilia subministrantibus. Cæsarem Italia omnis, Gallia, Hispania, Illyricum, Africa utraque, Sardinia, Sicilia, ac reliquæ insulæ prædictis terris continentibus vicinæ, adjuvârunt. [Dio, pag. 422.] Fueruntque ei naves bellicæ 250. peditum 80 millia; equitum millia 12. Habebat verò Antonius naves bellicas non minùs 500. in quibus tum octo tum decem etiam ordinum frequentes erant superbè & ad triumphum exornatæ: peditum centum millia, equitum (ut Cæsar) millia duodecim. Reges ei parentes in auxilium erant Bocchus Africae, (regno à Romanis exurus,) Tarcondemus (sive Tarcondimotus) superioris Ciliciæ, Archelaus Cappadociæ, Philadelphus Paphlagoniæ, Mithridates Commagenæ, Adallas Thraciæ. Hi interfuerunt bello. Ex Ponto Polemon auxilia misit, Malchus item ex Arabiâ, & Herodes Judæus: adhuc Amyntas Lycaonum & Galatiæ rex. Imperabatque Antonius ab Euphrate & Armeniâ usque ad mare Ionium & Illyricum; & à Cyrenis usque ad Æthiopiam. [Plutarch. in Anton.] Unde regiones Asiæ continentis Romanis parentes, Thraciæque, Græcia, Macedonia, Ægyptus, Cyrenaica cum finitimis, insulæ etiam propinquæ, regesque & principes ferè omnes, quocumque Romani imperii Antonio tunc parentis fines attingebant, alii ipsi, alii per suos, (ut dictum est) illi opitulabantur. [Dio, ut sup.]

A Medorum etiam rege submissa illi sunt auxilia. [Plutarch. ut sup.] Quæ cum Antonius non solum non remisisset, sed suos etiam milites quos Medo commodaverat revocavisset; Rex ille à Parthorum rege Phraate & Armeniorum Artaxæ (sive Artaxiâ) superatus, in

eorum potestatem venit. Atque hoc modo Armenia (quam Antonius nuper acquisierat) simul cum Mediâ amissa est. [*Dio, in fine lib. 49.*]

Apparatu belli Aëtiaci gratificationem ipsius Cleopatraz Antonio timente, nec nisi prægustatos cibos sumente: pavorem ejus ita illa fertur eluisse. Extremis coronæ floribus veneno illitis, ipsam capiti imposuit: môxque, procedente hilaritate, invitavit Antonium ut coronas biberent. Concerpta verò in scyphum incipienti haurire, oppositâ manu: *En ego sum, inquit, illa, chare Antoni, quam in novâ prægustantium diligentia carves; adeò mihi, si possim sine te vivere, occasio aut ratio deest.* Inde eductum custodiâ quendam bibere jussit: qui illico expiravit. [*Plin. lib. 21. cap. 3.*]

Quum Arabum exercitum ad Cana in Coelesyriâ rex Herodes majore ex parte in fugam vertisset: Athenio, Cleopatraz in eâ regione dux, qui Herodem oderat, cum collectitiâ indigenarum manu Arabibus se adjungens, magnam Judæorum in locis asperis & inæqualibus (quorum peritiores erant adversarii) stragem edidit. Rex verò suos videns viribus impares, citato equo profectus est ad evocandos qui illis succurrerent: nec tamen, licet festinus, adfuit in tempore; sed Judæorum castra ab hostibus capta sunt. [*Joseph. lib. 15. cap. 6.*]

3973 Ex illo tempore Herodes latrocinis cœpit agere & excursionibus in Arabas; castra in montibus ponens. Et cavebat quidem totum exercitum prælio committere: sed interim non mediocriter proficiebat, suos laboribus assuefaciens, & continuis exercitiis præparans ad abolendam tandem ignominiam. [*Id. ibid.*]

Antonius, quum ad Italiani cursum intendisset, ibi bellum inopinantibus adversariis gesturus; ubi Corcyram veniens audisset, Cæsaris naves actuarias, quæ ad speculandum præmissæ fuerant, apud montes Ceraunios stare: suspicatus eò Cæsarem cum totâ classe venisse, in Peloponnesum (jam enim sub finem autumnus erat) reductus, Patris hyemavit; dimissis in omnia loca militibus, ut custodirent ea, & facilius alimenta eis suppeterent. [*Dio, lib. 50. pag. 424.*]

Cæsar quoque, quum Brundisio solvisset ac Corcyram usque pro- 4683 31
vectus esset; hostes apud Aëtium statione morantes inopinatò aggressurus; tempestate coortâ afflictus, re infectâ reversus est. [*Id. ibid. pag. 425.*]

Dum Arabiæ fines Herodes infestat, anno regni sui (à morte Antigoni, circa mensem Sextilem anni Periodi Julianæ 4676, hîc & deinceps à Josepho numerati) septimo, constato jam bello Aëtiaco, incurte vere, Judæa terræ motu, quali nunquam antè, est concussa: in quo hominum oppressa sunt ruinis ædium circiter decem millia. Militaris tamen multitudo nihil detrimenti accepit, utpote sub dîo agitans. Hæc clades in majus etiam aucta rumoribus, quos nuncii gentilium odiorum non ignari dabant auribus Arabum, immane quantum extulit hostium animos; quasi subversis Judæorum urbibus & extinctis hominibus, nulli jam superessent adversarii. Legatos igitur gentis, qui rebus afflictis pacem petituri venerant, comprehensos necaverunt: môxque magnâ alacritate bellum præperaverunt. [*Joseph. lib. 1. Belli,*

Belli, cap. 14. & lib. 15. Antiquit. cap. 7.]

Herodes suis ad fortiter agendum excitatis, & sacris de more peractis, exercitum properè trans Jordanem duxit: castrisque Philadelphiæ positis, de castello quodam interjacente occupando inter eum & Arabas, certamen est initum. In quo superiores facti Judæi, ad aliud prælium dejectos hostes compulerunt, ubi post diutinum confictum in fugam versi Arabes, & à seipſis fugientibus & ab adversariis instantibus, ita sunt oppressi, ut quinque eorum millia desiderarentur. Cæteri in castris obsessi, et aquæ penuriâ vehementer laborantes, legatos ad Herodem miserunt: quos quum ille despiceret, & talenta 50 pro redemptione offerentibus magis instaret; ardescens siti, cætervatim excentes, ultrò se Judæis tradiderunt. Atque hoc modo intra quinque dies capta sunt ad quatuor millia: sextâ verò die, reliquâ multitudine ad pugnam desperatâ salute procedente, primo confictu circiter septem millia ceciderunt. Domitâ igitur per hanc cladem Arabum ferociâ, gentis præses ab eis declaratus, domum magnâ cum gloriâ reversus est. [*Id. ibid. & lib. 15. cap. 8, 9.*]

Hillel Babylonius, ex stirpe Davidicâ, Hierosolymis floruit, annis 100. ante aram excidii Templi Judaicam, ut ex Gemarâ Babylonicâ, tractat. חשב cap. 1. colligitur. Ex cujus numeroſo discipulorum coetu, Jonathan Uzzielis filius, Chaldaicæ Prophetarum paraphraseos author, clarissimus extitit. Inter Hillelem hunc & Sammaium (sive Sameam, de quo ex Josepho superius dictum est) orto dissidio, Pharisei in duas partes discesserunt: de quibus Hieronymus, libro 3. Commentar. in Esai. cap. VIII. 14. *Duas domus Nazarei (qui ita Christum recipiunt, ut observationes legis veteris non omittant) duas familias interpretantur Sammai & Hillel: ex quibus orti sunt Scriba & Pharisei.* Additque, *Sammai & Hillel (sive duas eorum domus, quarum in Talmude toties fit mentio) non multo prius quàm Dominus nasceretur, ortos esse in Judæâ.*

Quum Parthorum rex Phraates, victoriâ ab Antonio reportatâ insolentior redditus multa crudeliter confuleret, in exilium à populo suo pulsus est; & Tiridates quidam contra eum rex constitutus. [*Inſtin. lib. 42. cap. 5. Dio, lib. 31. pag. 456.*]

Medeus quidam Myſos Asianos ad deficiendum ab Antonio permovit, eorumque operâ bellum Antonianis ibi fecit. [*Dio, lib. 51. pag. 443.*]

Antonius Aetium, ubi classem constituerat, profectus, quum prope tertiam partem remigum fame absumptam invenisset, nihil motus: *Remi, inquit, modo salvi sint; nam remiges non deerunt, quoad Græcia homines habuerit.* [*Oros. lib. 6. cap. 19.*] Corruptique à præfectis navium sunt ex afflictissimâ Græciâ viatores, agasones, messores, adolescentuli: ac ne ita quidem complebantur naves, sed pleræque manebant vacuæ. [*Plutarch.*]

Asinius Pollio, quum se post Brundusinam pacem continuisset in Italiâ, neque aut vidisset unquam Cleopatram aut post enervatum amore ejus Antonii animum partibus ejus se miscuisset, rogante Cæsare ut secum ad bellum proficisceretur Aetiacum: *Mea, inquit, in*

Antonium majora merita sunt, illius in me beneficia notiora; itaque discrimini vestro me subtraham, & ero præda victoris. [Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 86.]

M. Agrippa, præmissus à Cæsare, multas onerarias naves frumento atque armis graves, ab Ægypto, Syria, Asiaque ad subsidium Antonio venientes cepit. Peragratòque Peloponnesum sinu, Methonam urbem validissimo Antoniano præsidio munitam expugnavit. [Oros. lib. 6. cap. 19.] Ibique occiso Bogude, observans quibus locis naves onerariæ appellì commodè possent; diversis subinde locis in Græciam egressus, magnopere Antonium perturbabat. [Dio, lib. 50. pag. 425.]

Cæsar his animo auctus, cum 230 rostratis navibus & omnibus copiis à Brundisio, trajecto mari Ionio, in Epirum profectus est. [Id. ibid. Liv. lib. 132. Plutarch. in Anton. Oros. lib. 6. cap. 19.] ubi pedestres copias, infra montes Ceraunios expositas, Actium mittens, ipse Coryram à præsidio destitutam navibus occupavit: isque in portum Dulcem (à dulci aquâ ita dictum) subductis, stationem ibi fecit. Inde cum classe Actium petiit; ubi classis Antonianæ major pars stationem habebat: eoque occupato loco, in quo postea Nicopolim condidit, castra ibi posuit. [Dio, pag. 425, 426.]

Antonius, invehentibus primâ luce hostibus, timens ne inanes propugnatoribus naves caperent; ad speciem instruxit in tabulatis remiges armatos, remos erigi & suspendi ex utroque navium latere præcepit: atque ita in faucibus portus ad Actium obversas in hostem continuit, quasi instructas remigio & paratas ad configendum. Unde delusus Cæsar retrò abiit. [Plutarch.]

M. Agrippa Leucadem advectus, insulam & naves que in eâ erant, in ore atque oculis Antonianæ classis, cepit. Patras deinde, victo navali pugna Q. Asidio; & Corinthum postea, occupavit. [Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 84. Dio, lib. 50. pag. 427.]

M. Titius & Statilius Taurus subito adorti equitatum Antonii fuderunt; sociumque sibi Philadelphum, regem Paphlagoniæ, adsciverunt. [Dio, ibid.]

Cnæus Domitius vir clarissimus, qui solus Antonianarum partium nunquam Cleopatram nisi nomine salutavit, reginæ insensu redditus, maximo & præcipiti periculo transmisit ad Cæsarem. [Id. ibid. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 84.] Febre enim jam correptus, minutum acatium conscendit, atque ad Cæsarem transiit. Quod etsi graviter tulit Antonius, tamen contra Cleopatræ sententiam omnia impedimenta ei cum amicis & servis misit. Domitius verò, tanquam poeniteret eum quòd proditio sua non esset clam, ibidè expiravit. [Plutarch.] Sed quia visus fuit propterea ab Antonio profugisse, quòd de rebus ejus desperasset; ejus exemplum multi sunt secuti. [Dio, pag. 427.]

Antonius, confidentiâ perditâ, omnes suos in suspitione habere coepit; ex isque cum alios, tum Lamblichum Arabiæ cujusdam partis regem, inter tormenta occidit: quibusdâque negotium dedit, ut Q. Postumium senatorem discerperent. Veritus deinde, ne Q. etiam Dehlius & Amyntas Galata, quos ad conducendos stipendarios mili-

milites in Macedoniam & Thraciam miserat, res Cæsaris præferrent; ad eos contendit, quasi auxilium illis laturus, si quid hostile accidisset. [*Dio, ibid.*]

Interim Sosius sperans se, si L. Tauresium, qui paucis cum navibus stationem adversus Antonianos servabat, ante adventum Agrippæ (cui universa Cæsaris classis commissa erat) aggrèderetur, posse tē aliquam memorandam gerere, sub aurosam repente contra eum evectus est, observatā densā nebulā, ne Tauresius navium ipsius prævisā multitudine fugeret. Quem primo conflictu fugatum quum insequeretur, Agrippā forte obviam factō, non modò non affecutus est Tauresium, aut victoriæ fructum aliquem percepit, sed ipse cum Tarcondimoro aliisque multis interit. [*Id. ibid.*]

Hoc Antonium, & quia ipse revertens equèstri prælio ab excubiis Cæsaris superatus fuisset, à consilio castra castris hostium opposita habendi detraxit. Itaque iis noctu relictis, ad alteram sinus Ambracii partem discessit, ubi copię ejus ampliores castra habebant. Et quum jam comæatibus etiam interclusum alimenta deficere inciperent; deliberationem proposuit, an ibi manentes prælio decertarent, an verò aliò digressi bellum tempore traherent. [*Id. pag. 427, 428.*]

Canidius, qui legionibus præerat & Antonio secum ducendi Cleopatram auctor fuerat, mutatā jam sententiā, ut eam remitteret suavit: atque ut in Thraciam vel Macedoniam ipse profectus, terrestri pugna decerneret; quoniam terrestribus copiis maximè valeret, & illic novis Getarum regis, Dicomis auxiliis uti posset. [*Plutarch. in Anton.*]

At Cleopatra prodigiis quibusdam, & propter ea exercitus moestitiā, sinuā eum Antonio revita, classe ut bellum ibi gereretur, à viro obtinuit: ita tamen ad fugam jam tum circūspiciens, ut res suas componeret, non ubi ad victoriā confiteret, sed unde expediret fugam rebus perditis quàm facillimè. Neque enim aut furtim aut palam fugientium more avchi illi statuerunt, ne foctis metum incuterent; sed tanquam ad navale prælium instructi, ut etiam si quis obstare vellet, vi discessum in Ægyptum sibi conficerent. [*Id. ibid. Dio, pag. 428.*]

Regem Amyntam Velleius Paterculus, [*lib. 2. cap. 84.*] eundem, simul & Deiotarum regem, ad Cæsarem descivisse Plutarchus narrat. Transit quoque ad Cæsarem Q. Dellius historicus, (atq. quem Ode 3. libri 1. Carminum Horatii est scripta:) sive Cleopatraz veritus insidias, quas Glaucum medicum sibi enuntiāsse dicebat; sive exempli sui tenax. Nam & à Dolabella ad Cæsiam, & à Cæsio jam ante transfugerat ad Antonium: *defector bellorum civilium* à Messala Corvino appellatus. [*M. Seneca, in orat. Suasor. 2. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 84. Plutarch. in Anton. Dio, lib. 50. pag. 433.*]

Bis ante ultimum discrimen clavis Antonii superata fuerat. [*Vellei. Paterc. ut supr.*] Ex quam illud instaret, quendam ordinum ductotem pedestrium certaminum scientem, qui complura prælia sub Antonio decertaverat, corpusque cicatricibus habebat concisum, illi tum præsentem ejulantem dixisse ferunt. *Quid, Imperator, hisce diffusus vulneribus*

bus & gladiis spem tuam profligatis in lignis reponis? Egyptii & Phœnices in mari prælientur: nobis permittite terram; in qua affuevimus stantes occumbere, vel hostes vincere. Ad quæ nihil respondit Antonius: manu tantum & vultu quasi excitans eum ut bono animo esset, præterit, omni bonâ spe depositâ. [Plutarch.]

Ex navibus Ægyptiis, 60 tantum Antonius & Cleopatra conservârunt: reliquas, quod militum numerus cladibus ac fugis diminutus fuisset, concremârunt. Deinde noctu pretiosissimas quasque res in naves comportârunt. Et quum gubernatores, remis ad pugnam contenti, vela vellent relinquere; imponere in naves & portare secum Antonius coëgit: addens faciendum, nequis hostium fugâ evaderet; quum fugæ ipse suæ hoc modo provideret. [Id. cum Dione, pag. 428.]

Ducenæ triginta rostratæ fuere Cæsaris naves, & triginta sine rostris; triremes velocitate liburnicis pares, & octo legiones classi superpositæ, absque cohortibus quinque prætoris. Classis Antonii CLXX navium fuit; quantum numero cedens, tantum magnitudine præcellens. Nam decem pedum (vel graduum potius remigantium) altitudine à mari aberant: inquit Orosius. [lib. 6. cap. 19.] et ante cum Florus. [lib. 4. cap. 11.] Nobis quadringenta amplius naves, ducenta non minus hostium: sed numerum magnitudo pensabat. Quippe à senis in novenos remorum ordines, ad hoc turribus atque tabulatis allevata, castellorum & urbium specie, non sine gemitu maris & labore ventorum, ferebantur. quæ quidem ipsa moles exitio fuit. Sed his, de navium Antonianarum numero, in Commentariis suis (à Plutarcho productis) repugnat ipse Cæsar; trecentas earum à se captas fuisse commemorans. De magnitudine verò, ex remigum gradibus æstimandâ, in Asiaco prælio navigia senorum vel ultra ordinum concurrisse, refert Vegetius. [de re militari lib. 4. cap. 27.] Et Cæsaris quidem naves à triremibus in senos non amplius ordines, Florus; Antonii autem etiam in denos crevisse, Strabo, unâ cum Plutarcho & Dione confirmat. De quibus, ad numerum Eusebianaum MCCXXX videndus Scaliger.

Quia enim propter magnitudinem navium Cæsaris Sextus Pompeius in Siciliâ victus ferebatur, naves Antonius ædificaverat multo hostilibus majores; paucas quidem triremes, reliquas omnes à quaternis usque ad denos ordines remorum: turresque in iis altas extruxerat, & multitudinem in iis hominum collocaverat, qui quasi de muro pugnarent. Primores verò ex iis quos secum habebat in naves imposuit; ne, si in suâ ipsorum potestate essent, novi quid tentarent: (quod Delliis & nonnulli alii ad Cæsarem perfrugientes, fecerant:) permultos etiam sagittarios funditorésque & armatos milites imposuit. [Dio, lib. 50. pag. 433.] Atque ita optimas quasque & amplissimas à triremi usque ad decem ordinum naves peditum viginis & sagittariorum duobus millibus complevit. [Plutarch.]

Cæsar, apparatu hostium conspecto & eorum consilio ex aliis, ac maximè Delliis, intellecto, ipse etiam se ad pugnam composuit. [Dio, pag. 433.] Quatuor primis diebus grandi vento fluctuans mare prælium interpellavit. Quinto die coelo sereno & tranquillo mari concurrerunt. Antonius cum Poplicolâ in dextero cornu egit, in sinistro Coeli-

Coelius, mediam aciem M. Octavius & M. Iustus obtinuerunt. Cæsar sinistro præfecit Agrippam, dextrum ipse retinuit. Ita Plutarchus. Ante eum verò Velleius Paterculus, [lib. 2. cap. 85.] ita. *Dextrum navium Fulianarum cornu M. Lario (vel Lusio) commissum, laevum Arruntio, Agrippa omne classici certaminis arbitrium. Cæsar, ei parti destinatus in quam a fortuna vocaretur, ubique aderat. Classis Antonii regimen Publicola sibi quoque commissum.* De ducibus verò in terrâ locati exercitus, inter utrumque convenit: Taurum Cæsar, Antonii rexisse Canidium.

Antonius actuaria navi circumvectus, & adhortatus est milites; monens ut ob navium pondus velut in solo stabiles pugnarent. Gubernatoribus quoque imperavit ut quasi in anchoris stantibus navibus, nihil se moventes incursum hostium exciperent, difficultatem loci in sinus faucibus observantes. [Plutarch.]

Cæsari memorant, tenebris adhuc quum egressus tabernaculo esset, in orbem circumeunti ad lustrandam classem, asellum cum asinario occurrisse. *Eurychus* homini, bestie *Nicon* erat nomen. Utriusque simulachrum æneum victor posuit in templo, in quod castrorum suorum locum vertit. [Sueton: in Octavio, cap. 96. Plutarch. in Anton.] Eidem quoque ante pugnam sacrificanti geminum jecur apparuit: [Plin. lib. 11. cap. 37.]

Navigio deinde Cæsar ad dextrum cornu classis Antonii vectus, quiescentes in sinus angustiis miratus est hostes: & stare eos in anchoris diu credens, naves suas sustinuit, quæ octo stadiis ab hostibus aberant. Horâ autem sextâ, quum vento ex alto increbescente cunctationem moleste ferentes Antoniani milites, naviumque suarum freti amplitudine, sicut inexpugnabili, sinistram cornu moverunt. Cum quibus, ex sinu & angustiis egressis, Cæsariani demum dimicârunt. [Plutarch.]

Cæsaris naves, habiles in omnia quæ usus poscebat, ad impetus, & recursum flexusque capiendos, illas graves & ad omnia præpeditas, singulas plures adortæ, missilibus simul cum rostris, ad hoc ignibus jactis oppugnaverunt. [Florus, lib. 4. cap. 11.] Antoniani contra, catapultis ex turribus ligneis lapides & tela mittebant, navibusque hostium propius advectis manus ferreas injiciebant: quæ si opportune incidissent, superabant hostem; sin aberrassent, suas ipsorum naves pertundebant. Ad hunc modum prælium navale commissum est; quum utrique varias rationes ad excitandam suorum artem & acriritatem adhiberent, multas voces eorum exaudirent, qui à terrâ continente ipsis acclamabant. [Dio, pag. 438, 439. cum Plutarcho.]

Porrigente deinde ad circumdandos hostes alterum cornu Agrippâ, expandere contra Publicola suos coactus, à mediâ acie sua est divulsus. Quâ tumultuante ac cum Arruntio dimicante, communi tamen adhuc Marte, Cleopatra diutius suspensa animi sollicitudine, accipitque prælii exitus expectatione victa, signo suis dato, cum aureâ puppe veloque purpureo & sexaginta navibus Egyptianis velocissimis se in aleam dedit; & secundo vento Peloponnesum petiit: Antonius, simulatque navem Cleopatræ contemplatus est vela facientem, omni-

um

um oblitus conscendit quinquerehem; & detracto insigni prætoriat navis, Alexandro Syro & Scellio solis comitibus fugientem secutus est uxorem. [*Plutarch. cum Floro, lib. 4. cap. 11. Diome, lib. 50. pag. 439, 440. & Orofio, lib. 6. cap. 19.*] Atque ita Imperator, qui in desertores sæuire debuerat, desertor exercitus sui factus est: ut dubitari posset, subne an Cleopatæ arbitrio victoriam temperaturus fuisset, qui ad ejus arbitrium direxit fugam. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 85.*]

Cleopatra percipiens Antonium venire, signum sustulit ex navi. Ita ad eam delatus Antonius & acceptus navi, neque aspexit illam neque aspectus est ab illa: sed solitarius transit in proram, atque ibi tacitus cogitabundusque confedit, ambabus manibus caput tenens. [*Plutarch.*]

Antoniani, Imperatoris fugam consternati, ac ipsi quoque de fugam cogitantes, alii vela sustulerunt, alii turres & armamenta navium in mare projecerunt; ut exoneratis navibus facilius esset fuga. Cæsariani, quibus neque vela erant, & ad nullam aliam rem nisi prælium navale se paraverant, eos qui jam fugam cepissent non insecuti, reliquos eam adhuc parantes adorti, (jam etiam numero adversariis æquales) multis suis navibus singulas hostiles circumdantes, eminus comminusque pugnam conseruerunt. [*Dio, pag. 440.*] His enim, etiam detracto capite, in longum fortissimè pugnandi duravit constantia: et, desperatam victoriam, in mortem dimicabatur. Cæsar, quos ferro poterat interimere verbis mulcere cupiens, elamitanusque & ostendens fugisse Antonium, querebat pro quo & cum quo pugnarent. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 85.*] Tandem verò coactus, ignem ex castris afferri iussit. Neque enim aliud consilium victoriæ explicandæ habebat: quanquam potiundæ hostilis pecuniæ causam initio statuerat incendio abstinere. Ipsique Cæsariani, videntes navibus igne correptis hostes ne sibi ipsis quidem auxilio esse, nedum adversarium lædere posse; celeriter advecti, pecuniæ studio, ignem à se immixtum restinguere conati sunt: quorum permulti cum ipsis navibus à flammâ correpti, & harpagonibus hostium, perierunt. [*Dio, in fin. lib. 50.*]

Quum classis Antonii diu fuisset Cæsari oblectata, atque gravissimè ab insurgentibus in proram infestata fluctibus; tandem horam decimam succubuit: ut Plutarchus scribit. Atque ita milites, quum diu pro absente dimicassent duce, ægrè summissis armis, cessere victoriam: citiusque vitam veniamque Cæsar promisit, quam illis ut ea precarentur persuasum est. Fuitque in confesso, milites optimi Imperatoris, Imperatorem fugacissimi militis functum officio. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 85.*]

Ab horam quintam (ut ait Orofius) usque in horam septimam, incertam vincendi spe, gravissimæ utrinque cædes actæ: reliquum diei cum subsequente nocte in victoriam Cæsaris declinavit. [*Orof. lib. 6. cap. 19.*] In serum enim diei dimicatio est protracta, ut in navi victor pernoctaverit. [*Sueton. in Octavio, cap. 17.*]

Cæsare & Messalâ Corvino Consulibus debellatum apud Actium est. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 84.*] Septembris die 20^a quo annorum monarchiæ Cæsaris numeratio est instituta: ut in libri 5ⁱ. initio nota-

vit

vit Dio. quos 44 fuisse, idem alibi [*libro 56. pag. 590.*] refert; 13 diebus demptis: quot inter 19 Sextilis diem (quo ille mortuus est) & 2 Septembris intercipiuntur; utroque excluso termino. Quo modo accipiendi sunt Suetonius, [*in Octavio, cap. 8.*] Aurelius Victor & Eutropius; quum Rempublicam eum per 44 annos solum obtinuisset narrant.

Illucescente jam die, victoriam Cæsar consummavit. Ex victis XII millia cecidisse referuntur: sex vel septem millia vulnerata sunt; è quibus mille inter curandum defecerunt. Ita Orosius. [*lib. 6 cap. 19.*] Plutarchus verò, ex victis non plures quàm quinque millia interiisse, & 300 naves captas fuisse memorat. Reliqua classis immensa, naufragio belli factò, toto mari ferebatur: Arabumque, & Sabæorum, & mille aliarum gentium Asiæ spolia, purpuram, aurumque in ripam assidue mota ventis maria revomebant. [*Florus, lib. 4. cap. 11.*]

Atque hæc celebris illa fuit naumachia Actiaca, à nobilissimis illius temporis poetis decantata; Virgilio, libro Æneidos 8°. Ovidio, Metamorphoseon libro 15°. Horatio, epodo 9. ad Mæcenatem, & Propertio, libri 4ⁱ elegiâ 6^a ubi illud memorabile est distichon.

*Frangit, & atollit vires in milite causa:
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.*

Cui hæc respondet, quod Messala Corvinus, quum celebraretur à Cæsare, (cui hoc anno in Consulatu collega ille fuit) quòd quamvis ad Philippos infensissimus ipsis Bruti causâ hostis, egregiam operam tamen sibi præbuisset ad Actium, dixisse fertur. *Tu me, Cæsar, semper partium invenies meliorum & justiorum.* [Plutarch. in fine Bruti.]

Cæsar de prædâ ex hostibus captâ decem naves, ab uno remorum ordine ad decirem usque, Apollini Actio consecravit. [*Strabo, lib. 7. pag. 325. Dio. lib. 51. pag. 442.*]

Classis suæ partem emisit Cæsar, ut Antonium ac Cleopatram insequeretur: quæ quum consequi eum non posset, reversa est. [*Dio, ibid. pag. 443.*] Liburnicæ tamen quædam eum sunt assecutæ: quas ille repulit. Unus Eurycles Lacon, Lacharis ob latrocinii crimen securi ab Antonio percussi filius, ferox instabat; lanceam ex tabulatis navis minitabundus vibrans. Neque tamen in Antonii navem irruptionem ille dedit: sed alteram prætoriam (duæ enim erant) rostro percussam contorsit, atque impactam obliquam cepit, simulque ex aliis unam, quâ exquisita supellex portabatur. [Plutarch.]

Ut hic abscessit, Antonius ad prius silentium rediit, eadem componens se figurâ. Postquam verò tres dies transiit in prorâ solus, seu irâ percitus seu erubescens, illam appulit ad Tænatum. Ibi scemina familiares eum & Cleopatram primùm ad mutua colloquia, deinde ad convivia unâ ineunda & ad concubitum perpulere [*Id.*]

Jam naves onerariæ quoque non paucæ & amici aliquot ex fugâ ad Antonium confluxerunt, profligatam nuntiantes classem, sed terrestres copias arbitrari se constare. Ita nuntios ille ad Canidium misit, imperans ut properè per Macedoniam reciperet se cum exercitu in Asiam. [*Id.*]

Terrestris illius exercitus non multi fugam Antonii senserant: atque audientibus res primò visa est incredibilis, XIX legionibus pedum integrorum adhuc & XII millibus equitum relictis, fugam cum capere. Milites ejus in desiderio quoque & expectatione erant mox alicunde apparituros. Tantàmque præstiterunt ei fidem, ut & fugâ ejus patefactâ cohæserint diebus septem, missosque ad se à Cæsare legatos repudiaverint. [*Id.*]

Eos in Macedoniam iter intendentes adsecutus Cæsar, sine pugna sibi adjunxit. [*Dio, lib. 51. pag. 443.*] Ubi enim dux noctu relictis castris præcipiti fugâ se ad Antonium rapuisset Canidius, ab omnibus derelicti, proditque à ducibus suis, aggregaverunt se ad victorem. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 86. Plutarch. in Anton.*] qui eos in suum allegit exercitum. [*Dio, pag. 444.*]

Diffugerant autem jam tum alii quidam primores Romani ad Antonium: auxiliarii verò in suam quisque patriam. Verùm hi contra Cæsarem nullum præterea bellum gesserunt: sed & ipsi, & omnes populi qui antè Romanis subditi fuerant, pars statim, pars post, pacis condiciones à Cæsare acceperunt. [*Dio, lib. 51. pag. 443.*]

Cæsar urbibus pecuniâ imperatâ, ademptâque eis in cives ipsarum potestate, quam in conciliis populi usurpabant; regulis ac regibus omnia opida quæ ab Antonio acceperant, exceptis Amyntâ & Archelao, abstulit. Philopatorem Tarcondimoti (Ciliciæ principis) filium, Lycomedem in parte Cappadociæ Ponti regnum obtinentem, & Alexandrum Iamblichii fratrem qui in Arabiâ regnum ob accusatum ab eo Cæsarem acceperat, principatu exuit. Lycomedis ditionem Medéo, qui Mysos Asianos ad deficiendum ab Antonio permoverat, concessit. Cydonius ac Lampæis (in Cretâ) libertatem dedit, præstiti sibi auxiliî causâ: instauratâ etiam Lampæorum civitate, quæ eversa fuerat. Senatores equitesque & alios insigniores viros, qui Antonium in aliquâ re adjuvissent, multos pecuniâ multavit, multos occidit, quibusdam pepercit. [*Id. ibid.*]

Inter virâ donatos præcipuus fuit Sosius, qui quum bello sæpe Cæsarem petiisset, tunc fugâ elapsus occultatusque, post inventus ac dimissus est: & M. Scaurus, uterinus Sexti Pompeii frater, qui & ipse neci destinatus, propter Muciam matrem vitam obtinuit. Inter supplicio affectos fuit Curio, illius Curionis filius cujus Cæsar dictator operâ plurimum usus fuerat: & Aquilii Flori, pater ac filius; quorum quum alter tantum, in quem fors incidisset, mori à Cæsare jussus fuisset, uterque perit. Nam & filius, priusquam fortiretur, se percussori præbuit ultrò; & pater dolore rei permotus, sibi ipsi necem intulit. [*Id. pag. 443, 444.*]

Cassius Parmensis Athenas confugit. [*Valer. Maxim. lib. 1. cap. 7.*] ille, cujus in lib. 3. epist. 4. meminit Horatius: ab Albio Tibullo poëta quærens, an illum dicat,

Scribere, quod Cassi Parmensis opuscula vincat?

et cujus *Orpheus* poëmation esse putatur, ab Achille Statio ad finem Commentariorum in librum Suetonii de claris Rhetoribus habetur edi-

editum. Eiusdem *Brutus* à Varrone, in libro 5. de lingua Latinâ citatur. Et hunc Cassium ejusmodi spectro Athenis nunc territum fuisse, quale Bruto ante Philippensem pugnam apparuisse est dictum, hisce verbis in loco jam notato narrat Valerius. Concubiâ nocte, quum sollicitudinibus & curis mente sopitâ in lectulo jaceret, existimavit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidum barbâ, & capillo demisso: interrogatûmque quisnam esset, respondisse *Καρυδαίμωνα*. Perterritus deinde tam tetro visu & nomine horrendo, servos in clamavit: sciscitatûsque est, siquidem talis habitus, aut intrantem cubiculum, aut exeuntem vidissent. Quibus affirmantibus neminem illuc accessisse, iterûm quieti & somno se dedit: atque eadem animo ejus obversata est species. Itaque fugato somno, lumen introferri jussit, puerosque à se discedere vetuit. Inter hanc noctem & supplicium capitis, quo eum Cæsar affecit, paululum admodum temporis intercessisse, addit Valerius. Inter postremos enim, qui cædis Julii Cæsaris morte pœnas dederunt, fuit Parmensis iste Cassius; uti primus dederat Trebonius. [*Vellei. Paternul. lib. 2. cap. 87. & Oros. lib. 6. cap. 19.*] Quod paulo post Actiacam victoriam Athenis factum, ex superiore Valerii Maximi narratione intelligimus.

Nam Athenas navigavit tum Cæsar: ac Græcis placatus, civitatibus afflictis & exuris pecuniâ servitiûsque & jumentis, superans ex bello frumentum distribuit. [*Plutarch.*]

A Tænaro in Africam transmissurus Antonius, navem unam onerariam magnâ pecuniæ vi, magni pretii etiam aureo & argenteo instrumento regio onustam selegit, donavitque amicis; jubens ut ea partirentur inter se & salutis suæ consulere. Abnuentes flentésque humaniter ille consolatus, precatûsque ut reciperent se, dimisit: scriptis ad Theophilum procuratorem suum Corinthi litteris ut securitatem expediret illis, absconderetque quoad placare Cæsarem quivissent. Hic fuit Theophilus Hipparchi pater, ejus cujus fuit autoritas apud Antonium maxima, & primus ad Cæsarem ex libertis ejus defecit, ac domicilium suum post contulit Corinthum. [*Idem.*]

Cleopatra, ut tutò in Ægyptum adnavigare posset, victoriam mentita, proras coronavit; cantionesque, victoriâ obtentâ usurpari consuetas, tibiis concini jussit. [*Dio, lib. 51. pag. 446.*]

3974

Ita tutum in Ægyptum accessum illa nacta, multos primores, semper sibi infensos ac tum clade ejus animo auctos, occidit. Ex horum facultatibus, & donariis ex quibusque quantumvis inaccessis sacrariis sublatis, ingentem pecuniam confecit; copias comparavit, auxilia quæsit: utque Mediæ regem ad suam societatem pertraheret, Armeniæ regi (Artavaldi sive Artabazi) caput amputatum ei misit. [*Id. ibid.*]

Opus etiam audax & grande aggressa, isthmum qui mare rubrum dirimit ab Ægyptio, (qui etiam distinguere Asiam & Africam putatur) quâ maximè ab utroque stringitur pelago & coarctabatur, ut non plus 300 stadiis pateat in latum, adorta est trajicere classem; demissisque in sinum Arabicum cum magnâ pecuniæ vi copiis & navibus sedes quærere remotas, servitutem & bellum refugiens. [*Plutarch.*]

in Anton.] Sed primas naves ita subvertas, aliásque in sinu Arabico fabricatas ad navigationem in rubrum mare, Arabes Petraei à Q. Didio Syriæ præfecto persuasi combusserunt. [Id. *ibid.* cum Dione, *lib.* 51. pag. 447.]

Antonius in Africam delatus, coniecit se in solitudinem cum duobus amicis palans & vagans, Græco Aristocrate rhetore, & Lucilio Romano. [Plutarch. *ibid.*] Cùmque misisset quosdam ad Pinarium Scarpum & exercitum, quem is jam antè ibi conscriptum ad eundam Ægyptum habebat; ille se Antonium minimè recepturum dixit, & missos ad se occidit, nonnullósque milites id molestè ferentes necavit. [Dio, *ibid.* pag. 446.] Cujus defectione intellectâ, manus sibi inferre Antonius instituit. Verùm interpellatus ab amicis, Alexandriam se contulit. Quo adveniente, & legiones Actiacas integras adhuc fuisse existimante, (quarum amissarum ipse Canidius nuntium paulo post attulit) Cleopatra, cœpto navigandi in mare rubrum desistit, atque ostia Nili stationibus sepsit. [Plutarch. *ut sup.*]

At Antonius relicta urbe & amicorum consuetudine, domicilium sibi in mari ad Pharum extruxit projecto in altum aggere, atque ibi extorris ab hominibus egit. Vitam ferebat se æmulari Timonis illius *μωσαυδελφωυ*, quod res suæ eodem loco essent. Quippe violatum se ab amicis suis, atque ingratitude eorum expertum, idè omnibus diffidere & ab omnibus abhorreere hominibus: Indèque domum illam *Timonium* appellabat. [Id. *ibid.* cum Strabone, *lib.* 17. pag. 794.]

Herodes rex ad Antonium mittens, ut Cleopatram interficeret, consuluit. Hoc enim maturè perpetrato, & in illius opes cum successurum dicebat, & faciliores à Cæsare pacis condiciones impetraturum. [Joseph. *lib.* 15. cap. 10.]

Cæsar & sui & Antoniani exercitus veteranos, nemini quicquam dans in Italiam; reliquos sparsim aliè dimisit. Quum verò timeret ne illi, qui victoriæ focii à militiâ tum dimissi nullo dato præmio fuere, seditionem moverent; Agrippam, quasi aliam ob rem, post eos in Italiam misit. Atque ita, quasi nullo modo jam imminente ab exauctoratis amplius periculo, res Græciæ constituit: & in Asiam profectus, rebus ibi quoque constitutis, quid Antonius ageret expectavit. [Dio, *lib.* 51. pag. 444, 445.]

Quum populi & reguli omnes suppetias Antonii & Cleopatrarum denegarent, (licet eorum complures multa ab eis accepissent beneficia;) abjectissimæ conditionis gladiatores, qui Cyzici ab Antonio ad ludorum triumphalium exhibitionem alebantur, (de quibus supra, ad annum Periodi Julianæ 4679. ex Appiano facta est mentio) pro eis fortissimè certaverunt. Ubi enim primum quæ essent acta cognoverunt, in Ægyptum ad ferendum eis auxilium iter instituerunt: non parum incommodi Amyntæ in Galatiâ, filiiisque Tarcondimoti in Ciliciâ, (qui summâ antè amicitiam cum Antonio & Cleopatrarum juncti, tunc ab iis defecerant) multa etiam Q. Didio Syriæ præfecto, qui transitu ipsos prohibebat, exhibentes. Quumque circumventi, in Ægyptum evadere non possent; ne sic quidem ullo modo, quantumvis multa Didio pollicente, ad defectionem perducere se passi sunt: sed Antonium ad se accersit-

accerfierunt, facilius se putantes cum eo conjunctos in Syriâ bellum posse gerere. Tandem quum neque veniret Antonius neque nuntium mitteret, periisse eum rati, inviti se Didio dederunt; eâ conditione, ne gladiatores posthac essent. Qui Daphnen, Antiochiæ suburbium, eis habitandum concessit, donec Cæsari res ea significaretur. [*Id. ibid. pag. 447.*]

Ad gladiatores hosce coercendos, auxilia sibi ab Herode submissa fuisse, scripsit ad Cæsarem Didius, de quo Cæsar in sermone cum Herode habito; apud Josephum, libro 1. Belli, cap. 15: Διο μοι γράψθεις Βεντιδιου, συμμαχίαν σε προμηθέντα προς τις μονάρχους αυτης. quod in Antiquitatum libro 15. cap. 10. ita legitur expressum. οτι Κατιδιου γράψειεν, απασθη προς θυμια πα προς τις μονάρχους αυτης συμμαβιδου & Ηρωδω. ubi ut ex prioro loco μονάρχους pro μονάρχας hîc substitui; ita utrobique pro *Ventidio & Capidio*, ex Dione *Quinti Didii* nomen reponi debere, clarum est. Atque hinc rumor ille ad Antonium in Timonio suo pervenit; Judæum Herodem cum aliquot legionibus & cohortibus ad Cæsarem transivisse: ut in Vita illius Plutarchus refert.

Romæ permulta in honorem Cæsaris, propter victoriam navalem facta sunt decreta. Nam ei & de Cleopatrá triumphus concessus est, & arcus triumphalis Brundusii, aliúsque in foro Romano. ut sacrarii Julii basis captivarum navium rostris ornaretur: ludique in honorem ejus quinquennales haberentur. ut supplicationes haberentur natali ejus die, ac eâ die quâ victoriæ nuntius allatus fuit: utque ei in Urbem ingredienti Vestales virgines, Senatus, populúsque cum conjugibus & liberis, obviam irent. Ornamenta verò Antonii partim dejecta partim deleta sunt, diésque ejus natalis nefastus judicatus: & edito cautum, ne quis ex eâ familiâ *Marci* prænomen ferret. [*Dio, lib. 51. pag. 454.*]

Cæsar Samum insulam in hyberna se recepit. [*Sæton. in Octavio, cap. 17.*] unde quum tria Myronis opera colossica, in insulæ basi, Antonius sustulisset; Cæsar duo reposuit in basin eandem, Minervam scilicet atque Herculem. Jovem in Capitolium transtulit, sacello ei parato. [*Strabo, lib. 14. pag. 637.*]

Ibi quum Cæsar captivos inspiceret, productus est Metellus senex promissâ comâ & reliquis deformatus sordibus. Ut verò ex ordine quo inter Cæsaris captivos stabat per præconem nominatim citatus est; filius, qui inter Cæsaris duces erat, confessu profiliit, vix quo agnitionem patrem cum lamento complexus est. Cohibito deinde fletu, *Tibi Cæsar*, inquit, *hic hostis fuit, ego socius: hic panam meruit, ego præmium. Postulo igitur ut patrem propter me servet incolumem, aut propter illum me simul interimas.* Quum omnibus mota esset miseratio, Cæsar servari Metellum permisit, quamvis sibi insensissimum; qui nullis unquam muneribus pellici potuerat ut ad eum ab Antonio deficeret. [*Appian. lib. 4. pag. 613.*]

Antonius, relicto tabernaculo suo marino quod Timonium nominabat, ad regiam accessit: ibique exceptus à Cleopatrá, convertit civitatem ad comestationes, poculâque, & se ad donativa. [*Plutarch.*

in Anton.] Cleopatraz enim & Cæsaris filium Cæsarionem inter ephobos adscriptit; suoque ex Fulviâ filio Antyllo togam puram & virilem dedit. ut & Ægyptii viro sibi imperante essent alacriores; & reliqui eos duces habituri, si quid Antonio & Cleopatraz accidisset, animis eo magis constarent. [*Id. ibid. Dio, lib. 51. pag. 446.*]

Hinc convivium per multos dies, comestiones & festum Alexandriæ agitabantur. Illi verò conventum istum in alium converterunt, nihilo delicias, luxu, splendore, altero illo inferiorem; quem *Συναποδαιτυμύων* sive *Commorientium* appellârunt. Nam amici eorum qui volebant commori, nomina dabant transgebantque tempus per voluptes in coenarum orbibus. [*Plutarch. ibid.*]

Porro Cleopatra varia genera collegit venenorum lethalium: quorum singula ut periclitaretur, obtulit rerum capitalium custodiis. Experiebatur etiam & bestias: aspiciens quum aliæ aliis admoverentur. Traçabat id quotidie, & in omnibus penè unicum aspidis morsum, citra contractionem membrorum vel gemitum; gravem soporem & torporem inducere, cum faciei molli sudore & sensuum stupore facile elanguescentium. [*Id. ibid.*]

Quanquam verò ita Antonius & Cleopatra se paraverint, tanquam & classe & pedestribus copiis belligeraturi: nihilo tamen minùs etiam ad hoc se instruebant, ut si qua necessitas urgeret, in Hispaniam navigarent, sperantes se eam pecuniis ad defectionem pertracturos; aut ad mare rubrum concederent. [*Dio, lib. 51. pag. 446.*] Cujus parate in Oceanum fuga Florus etiam meminit. [*lib. 4. cap. 11.*]

Quartum Consularum Cæsar in Asiâ inivit. [*Sueton. in Octav. ca. 26.*] unde sextum jam Imperator appellatus, & quartum cum M. Licinio Crasso Consul, Brundisium venit. [*Oros. lib. 6. cap. 19.*] litteris ex Urbe scriptis ab Agrippâ in Italiam revocatus. [*Plutarch. in Anton.*] ut militum (quos ex omni numero, confectâ victoriâ Actiacâ, Brundisium præmiserat) præmia & missionem poscentium, seditionem compesteret. [*Sueton. in Octavio, cap. 17.*]

Tempestate in trajectu bis conflictatus est: primò inter promontoria Peloponnesi atque Ætoliz, rursus circa montes Ceraunios. utrobique parte Liburnicarum demersâ; simulque ejus in quâ vehabatur, fulis armamentis, & gubernaculo diffracto. [*Sueton. ibid.*]

Ita mediâ hyeme Brundisium perveniens, ulterius non est progressus: quòd eò Senatus universus (Tribunis plebis ac duobus Prætoribus ad urbem ex S. C. relictis) cum equitibus, & magnâ parte plebis & multis aliis, ipsi occurrisset. Ipsi quoque milites, partim metu (tam concurrentis multitudinis, quàm ipsius Cæsaris; quem *vultu & aspectu Actiacas legiones exterruisse* dicit Germanicus apud Tacitum, lib. 1. Annal. cap. 42.) partim spe, nonnulli etiam accersiti, eodem confluerunt. Quorum aliis pecuniam Cæsar dedit; aliis, qui in omnibus secum bellis fuissent, agrum etiam addidit. [*Dio, lib. 51. pag. 445.*]

Non amplius quàm septem & viginti dies, donec desideria militum ordinarentur, Brundisii commoratum illum fuisse scribit Suetonius. Trigésimo quàm in Italiam venerat die, in Græciam avectum fuisse narrat

4684 30

narrat Dio, & propter hyemem navibus per Isthmum Peloponnesia- cum translatis, tantâ celeritate in Asiam advenisse, ut de ejus discessu simul reditûque Antonius & Cleopatra cognoverint. [pag. 445, 446.]

Antonius Alexam (sive Alexandrum) Laodicenum, qui Timagenis operâ Romæ ipsi innotuerat & plurimum Græcorum polluerat, ad Herodem regem misit, ut ejus transitionem ad Cæsarem impediret. Qui, prodito Antonio, apud Herodem restitit. [Plutarch.]

Alexandra, sperans Herodem malè multandum ab offenso Cæsare, sollicitavit patrem Hyrcanum ne afflictorem suæ familiæ ulterius ferret, sed sibi potius caveret, sequæ speratæ fortunæ servaret: consulitque ut à Malcho Arabum rege tutelam & hospitium peteret. Talia suadentem Hyrcanus primò repulit: sed victus importunitate mulieris, interdiu noctûque eandem cantilenam de futurorum spe deque Herodis insidiis occinentis, per Dositheum quendam clientem suum ad Arabem litteras dedit, ut equites mitteret, qui cum ad Asphaltitem lacum (300 stadiis ab Hierosolymitanis finibus distantem) deducerent. Josephi ab Herode necati cognatus hic erat Dositheus: fratresque ejus apud Tyrum inter alios ab Antonio interfecti fuerant: præsentis nihilominus regis gratiam ille aucupaturus, ostendit ei epistolam. Herodes, actis primùm gratiis, unum etiam ab eo postulavit ministerium: ut complicatâ epistolâ & obsignatâ, Malcho eam redderet, & responsum ab illo reciperet. Rescripsit verò Arabs, paratum se & ipsum Hyrcanum & familiam ejus recipere, atque etiam omnes illius factionis Judæos: missurûmque instructam manum quæ eos tutò deduceret, & voluntati ejus obsecururum per omnia. Postquam autem etiam hanc epistolam Herodes accepit, accito Hyrcano, rogavit ecquid haberet cum Malcho foederis. Quo inficiante, prolatis in Syne- drio litteris, occidi eum imperavit. Atque hæc ita in ipsius Herodis commentariis scripta habentur. Nam ab aliis traduntur aliter: videlicet non ob hoc crimen, sed quasi regi insidiatum, necatum esse. [Joseph. lib. 15. cap. 9.]

Antonius & Cleopatra ad Cæsarem legatos in Asiam miserunt. Petebat Cleopatra liberis suis regnum Ægypti: ille Athenis postula- bat, si non daretur in Ægypto, ut privatè liceret vitam agere. Amicorum ob transitiones penuriâ & dissidentiâ, filiorum suorum præcep- torem Euphronium legatum misit Antonius. [Plutarch. in Anton.] Cleopatra, clam Antonio, sceptrum aureum, coronam auream, sel- lãque regiam Cæsari misit, quasi regnum cum his tradens: ut is, si omnino exosum haberet Antonium, ipsam saltem misericordiâ prosequeretur. Cæsar autem acceptis muneribus, ominisque loco ductis, Antonio nullo dato responso, Cleopatraz palàm quidem multa com- minatus est, idque respondit; si ea ab armis & regno destitisset, consi- lium ipsum capturum, quid de eâ fieri deberet: occultè autem ei im- punitatem ac regnum integrum pollicitus est, si Antonium occidisset. [Dio, lib. 51. pag. 447.]

Herodes Hyrcano sublato ad Cæsarem properans, & nihil boni de se sperans propter amicitiam Antonii, suspectam habebat Alexan- dram; ne usâ hâc temporis opportunitate ad defectionem concitaret popu-

populum, & intestinis seditionibus regnum perturbaret. Quare mandatâ regni curâ Pheroræ suo fratri, & matrem Cypron & sororem Salômen, & totam cognationem in Masadâ deposuit: iussitque fratrem, si quid sibi accidisset durius, habenas regni retinere. Mariammen verò uxorem, quia propter simultatem cum matre degere non poterat, in Alexandriâ cum Alexandâ matre collocavit: commissâ quæstori suo Iosepho & Sohero Ituræo castelli custodiâ, viris & antè semper fidiſſimis, & tunc honoris causâ his mulieribus regiis adhibitis. Verùm his quoque mandatum dedit, ut si quid quod nollet accidisse sibi cognoscerent, confestim ambas interficerent, regnûmque pro viribus liberis ejus ac Pheroræ fratri conservarent. [*Ioseph. lib. 15. cap. 9.*]

His mandatis, properavit Herodes Rhodum, ut illic Cæsari occurreret. Quò postquam appulit, posito tantùm diademate, de cætero paratu regio nihil mutavit: admissûsque ad colloquium, cum magnâ constantiâ & animi magnitudine suam erga Antonium benevolentiam fassus est, & auxilia illi contra ipsum præbita frumenti atque pecuniarum, quoniam Arabico bello distentus ad eum copias adducere nequiverit; addens, pari se jam fide amicitiam Cæsaris colere paratum esse. Quod ut deinceps faceret hortatus Cæsar, diademate restituto, in summo honore illum habuit. Atque ita præter spem Herodes denud in regno confirmatus est; & dono Cæsaris & Senatusconsulto per illum impetrato. [*Id. ibid. cap. 10. & lib. 1. Belli, cap. 15.*] De quo etiam Strabo, libro 16. [*pag. 765.*] *Tantum superioribus maximè Romanorum familiaritate præstitit, ut Rex quoque fuerit appellatus, Antonio primum, postea Casare Augusto potestatem ei concedente.* et Tacitus, Histor. lib. 1. cap. 9. *Regnum ab Antonio Herodi datum, victor Augustus auxit.*

Herodes & ipsi Cæsari & amicis ejus supra vires munera largitus est: animi sui declaraturus magnitudinem. Conatus est etiam Alexæ sive Alexandro Laodicensi, ab Antonio ad se misso, impetrare veniam: quod tamen non potuit; quia Cæsar animadversurum se in illum juraverat. Machinamentorum enim Cleopatrx adversus Octaviam violentissimus apud Antonium propugnator ille fuerat. Itaque quum Herode fretus in Cæsaris ausus fuisset venire conspectum: confestim vincetus, atque in patriam suam in compedibus deportatus, ibique (Antonio, quem prodiderat, adhuc superstite) Cæsaris jussu necatus est. [*Ioseph. ut supr. cum Plutarcho, in Antonio.*]

Antonius & Cleopatra alios legatos ad Cæsarem miserunt. Ac Cleopatra quidem per eos magnam ei vim pecuniæ promisit. Antonius autem amicitix eum ac propinquitatis admonuit; suam cum Ægyptiâ muliere consuetudinem excusavit; mutuam quondam societatem & acta in adolescentiâ enumeravit: denique P. Turullium senatorem, unum ex Julii Cæsaris percussoribus, amicum tum suum, Cæsari tradidit; ac seipsum etiam interfecturum pollicitus est, si eo factò salus Cleopatrx impetrari posset. Cæsar Turullio occiso, idque in Co insulâ, (in quâ ex Æsculapii luco arbores rei navalis causâ ille ceciderat) Antonio ne tunc quidem respondit quicquam. [*Dio, lib. 51. pag. 448.*]

Absente

Absente Herode, uxor Mariamme & sberus Alexandra, se in castellum quasi in carcerem conclusas, ita ut nec suis nec alienis bonis frui possent, ægerimè ferebant. præsertim quum Mariamme muliebribus blanditiis à Sohero expiscata esset, quid ipsi Herodes de illis mandavisset. Tunc enim vota faciebat, ne ille unquam saluus reverteretur; cogitans viram sibi cum eo fore intolerabilem: id quod postea nec dissimulavit, apertè falsa quid se ureret. Illo enim præter spem reverso, & apud Mariammen narrante suos successus, eos illa susque deque ferre videbatur, & ad blandas illius appellationes ingemiscebatur: ut jam Herodes apertam uxoris aversionem agnosceret, & inter odium amorèque erga illam fluctuaret. [*Joseph. lib. 15. cap. 11.*]

Ante ductum exercitum in Ægyptum, Cæsar Syriam petiit: ut ex Josepho, Suetonio, [*cap. 17.*] Plutarcho, & Orosio intelligitur.

Phraate & Tiridate de regno Parthico contendentibus, & auxilia à Cæsare poscentibus, nihil ille aliud quàm deliberaturum se respondit; occupationem Ægyptiam prætendens: quum hoc verè ageret, ut ipsorum mutuo bello vires attererentur. [*Dio, lib. 51. pag. 456.*]

C. Mevius centurio, qui in Antoniano bello sæpenumero excellentes pugnas ediderat, improvisis hostium insidiis circumventus & ad Antonium Alexandriam perductus, interrogatusque quidnam de eo statui deberet: *Fugulari me, inquit, jube; quia nec satis beneficio nec mortis supplicio adduci possum, ut Cæsaris miles esse desinam, & tuus esse incipiam.* Cujus virtuti Antonius incolumitatem tribuit. [*Valer. Maxim. lib. 3. cap. 8.*]

Antonius & Cleopatra communes liberos cum parte regis gazæ ad Rubrum mare præmittendos censuerunt. [*Oros. lib. 6. cap. 19.*] Ipsi præfidiis circa duo Ægypti cornua Pelusium Parætoniùmque dispositis, classem & copias instaurando bello paraverunt. [*Id. ibid. cum Floro, lib. 4. cap. 11.*]

Tertiam tamen legationem Antonius, ac filium suum Antyllum cum multo auro, ad Cæsarem misit: quem ille, auro accepto, sine responso propositi irritum à se dimisit. Cleopatras verò ut primò, sic secundò etiam, ac tum tertio, multas & comminationes & pollicitationes proposuit. [*Dio, lib. 51. pag. 448.*]

Ut Cleopatram quoque ad se alliceret, Thyreum sive Thyrsu liberum suum, hominem haud insulsum, ad eam misit. [*Id. ibid. Plutarch. in Anton.*] Verebatur enim ne Antonius & Cleopatra, desperatâ veniæ impetratione, in incepto perstarent, ac suis viribus vincerent; aut in Hispaniam ac Galliam trajicerent; aut thesauros, quos Cleopatra in sepulchrum conjecerat, flammis ut minabatur absumeret. Thyrsu igitur misit, qui & humaniter multa cum Cleopatras loqueretur, & Cæsarem ejus amore captum diceret: sperans eam, quæ ab omnibus hominibus amari volebat, eò adduci posse, ut Antonio necato se ipsam & pecuniam incolumem servaret. [*Dio, ut sup.*]

Per Syriam in Antonium movit Cæsar, & duces ejus per Libyam. [*Plutarch.*] Cornelius Gallus, ab eo præmissus, acceptis Scarpi quatuor legionibus quæ apud Cyrenas præfidiu loco constitutæ fuerant,

Parætonium primam Ægypti à Libyæ parte civitatem subito occupavit. [*Dio, pag. 448. cum Orosio, lib. 6. cap. 19.*]

Antonius hoc cognito, etsi in Syriam proficisci, evocatus à gladiatoribus, in animo habebat; tamen eo omisso ad Parætonium contendit: sperans quidem eas copias à Gallo ad se sine ullo labore traducturum; (nam benevolentiam erga ipsum affectos propter communem militiam noverat:) sin aliter nequiret, vi certe potiturum. nam & navales & terrestres copias secum adducebat magnas. Sed neque colloqui cum iis potuit, quanquam ad murum accederet & altâ voce clamaret, (concinere enim tubicines iusserat Gallus, ita ut nemo exaudire quicquam possit) & præterea subitâ eorum eruptione damnum accepit, ac classis quoque incommodum passus est. Catenas enim quasdam sub aquâ latentes noctu per fauces portus Gallus extenderat, ac deinde nullo aperto præsidio portum custodiens, absque omni timore Antonii naves cum sui contemptu intrò navigare passus fuerat. Tum verò attractis per machinas ad hoc paratas catenis, naves simul terrâ marique & ex ædibus circumventas, partim incendit, partim submersit. [*Dio, pag. 448, 449.*]

Cæsarem per Syriam in Ægyptum abeuntem Herodes omni regiâ magnificentiam excepit apud Ptolemaidem: exercitui quoque omnem hospitalitatem exhibuit, & rerum ad victum accommodatarum copiam. Quo factum est ut in intimam Cæsaris familiaritatem reciperetur, unâ obequitare solitus dum traducerentur copię, tractansque tum ipsum tum amicos ministerio virorum 150. ditissimo & sumptuosissimo cultu insignium. Quin & per squalida & inaquosa loca usque ad Pelusium proficiscentibus nihil deesse passus est; non vinum, non aquam, quâ miles tum magis etiam delectabatur. Ipsum quoque Cæsarem talentis 800 donavit: adeoque satisfactum est omnibus, ut luculentius etiam quàm pro ejus regni facultatibus tractatos se faterentur. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 15. & lib. 15. Antiqu. cap. 10.*]

Cleopatra ex sermonibus Thyrsi sive Thyrci suo amore captum credebatur Cæsarem; tum quòd ita esse cuperet, tum quòd eadem ratione patrem ejus ac Antonium sibi manciperat: ideoque non veniam modò sibi & regnum Ægypti, sed Romanorum etiam imperium sperabat. [*Dio, pag. 449.*] Thyreum verò supra modum ab eâ honoratum corripuit Antonius & flagellis cecidit: deinde remisit ad Cæsarem, scribens insultatione & superbiâ illius se fuisse irritatum, qui esset ob ærumnas irritabilis. *Id tu si fers, inquit, inique; habes libertum mecum Hipparchum: hunc suspensum flagellato, ut par fer amov.* Mox quò dilueret Cleopatra crimina & suspiciones illius, coluit eum mirifice: ac die suo natali summissè & pro præsentis fortunâ acto, natalem illius summo splendore & magnificentiam celebravit; ut multi ad cœnam invitati, qui accesserant inopes, opulenti discesserint. [*Plutarch.*]

Cæsar Pelusium vi, ut ferebatur, re verâ autem proditione Cleopatræ, cepit. [*Dio, pag. 449.*] Et eâ certè non invitâ opidum illud Cæsari à Seleuco fuisse traditum, rumor increbuit. Quem ut illa comperceret, Seleuci uxorem & liberos ad supplicium Antonio tradidit. [*Plutarch.*] quum ille, à Cornelio Gallo ad Parætonium et continuo apud

apud Pharum victus, (ut est apud Orosium, lib.6.cap.19.) Alexandriam rediisset.

Habebat Cleopatra conditoria & monumenta eximio artificio & fastigio extructa, quæ Isis templo adjecerat. Eò ex regis thesauris pretiosissima quæque congeffit, aurum, argentum, smaragdum, unio-nem, ebœnum, ebur, cinamomum, postremò magnam vim rædarum & stuppæ. Unde metuens illis opibus Cæsar, ne eas despondens animum perderet illa & concremaret; ostendit ei assiduè, dum cum exercitu ad urbem contendit, benignam spem. [Plutarch.] Ea verò cives Alexandrinos occultè prohibuit contra Cæsarem exire; quum palàm eos, ut hosti occurrerent, cohortari videretur. [Dio, pag. 449.]

Ut confedit Cæsar ad Hippodromum, erumpens infestus Antonius certavit strenuè, atque equitatum Cæsaris profligavit, effutimque egit usque ad castra. Hac elatus victoriâ ingressus est regiam, & Cleopatram in armis osculatus est: atque eum qui fortissimè dimicaverat commendavit illi. Cleopatra præmium ei auream lorica & galeam donavit. Iste verò his acceptis transit nocte ad Cæsarem. [Plutarch.]

Antonius, jaculatus in Cæsaris castra libellos, 1500 in singulos drachmas sive denarios promisit. Eos Cæsar ipse ultrò militibus suis recitavit: simul & Antonium inuisum reddens, & ipsos vicissim ad fugiendam proditoris turpitudinem, & alacritatem pro se declarandam revocans. Unde subeunte animos eorum ob tentatam fidem indignatione, ita strenuè se gesserunt; ut pedestri certamine cum eis congressus Antonius insperatò victus abscesserit. [Dio, pag. 449.] Quò & Strabonis illum locum refero. [lib. 17. pag. 795.] “Exeunti per
“Hippodromum est Nicopolis, quæ habitatur ad mare, ita ut urbe
“non minor censi debeat; distans ab Alexandria stadiis 30. Hunc
“locum Cæsar Augustus ornavit: quòd hîc prælio eos superavit, qui
“cum Antonio contra ipsum exierant.

Provocavit deinde per nuntios Antonius Cæsarem; ut solus secum certaret. qui respondit, Vias Antonio multas patere ad interitum. Quare considerans non posse quàm in prælio mori se honestiùs, deliberavit simul terrâ marique Cæsarem adoriri: atque inter cœnandum, ut fertur, imperavit servis ut propinarent & exciperent epulis se liberaliùs; incertum esse idémne facturi postridie essent, an aliis dominis ministraturi, ipso extincto jacente & exanimi. Amicos ob hoc quum cerneret illachrymari, non ducturum ait se ad pugnam, ex quâ mortem glòriosam potiùs quàm salutem & palmam speraret se quæsiturum. [Plutarch. in Anton.]

Circa noctis illius medium, quum silentium & moestitia ex metu et expectatione eventus teneret civitatem, fama est repentè omnis generis organorum exauditam symphoniam, strepitumque turbæ cum clamore Bacchico & tripudiis Satyricis, velut sacris Liberi patris (quem Antonius effingere consueverat) choro non sine ingenti tumultu erumpente: concessissèque hanc turbam, quæ ingens esset, mediâ fermè urbe ad portam quæ foras ad hostem ducebat, atque eâ evasisse. [Id. ibid.]

Præter hoc, alia quoque portenta varia Ægypti servitutem præcessisse narrat Dio. Nam & pluit (ut ille ait) iis in locis, in quibus antè nulla unquam gutta deciderat; idque non tantùm aquâ, sed etiam sanguine. Nec è nubibus hæc modò delapsa, sed etiam arma simul apparuerunt. Draco quidam immodicæ magnitudinis repentè apud Ægyptios visus, immensum sibilavit: apparueruntque eodem tempore cometæ, & mortuorum imagines; simulachraque tristitiam præ se tulerunt, et Apis lugubrem mugitum ac lachrymas edidit. [*Dio, lib. 51. pag. 455.*]

Kalendis Sextilibus primâ luce Antonius ad instruendam classem in portum descendit. [*Oros. lib. 6. cap. 19.*] Sed Cleopatra effecit, ut naves ab eo transfugerent. [*Dio, pag. 449.*] Classici enim postquam remigio appropinquaverunt adversæ classi, salutaverunt Cæsaris milites. Quibus salutem reddentibus, desciverunt ad illos: atque ex omnibus navibus una effecta classis urbem infesta petiit. Dum id contemplatur Antonius, extemplò deferrus est ab equitibus, qui transitionem fecere. Peditatu fuso, recepit se in urbem, proditum se à Cleopatrá vociferatus iis in quos illius causâ arma sumpserat. [*Plutarch.*]

Cleopatra, Antonii iram & desperationem formidans, sed metu Cæsaris ac mortis sibi consciscendæ causâ hoc se facere prætexens, ad monumentum cum eunucho quodam & duabus ancillis confugit; misitque ad Antonium nuntium defunctam se esse. Id credens ille, servum fidum Erotem (qui hoc se facturum jam pridem promiserat; quum necessitas postularet) ut ipsum interficeret rogavit. Eros districtum ensẽ extulit quasi illum icturus: verùm averso vultu interemit semetipsum. Quo ad pedes ipsius collapsus, Antonius, *Macte Beros*, inquit, *qui, quod non sustinisti mihi ipse facere, quid faciendum sit doces.* Ita ventrem fodit, atque in lectulum dimisit se. Ictus non fuit is qui maturaret mortem. Unde cursu sanguinis, postquam decubuit, inhibito refocillatus, oravit assistentes ut se confoderent. Illi ejecerunt se ex cubiculo, vociferante et discruciante se Antonio. Inde coortum tumultu, Cleopatra, quum id sensisset, ex fastigio monumenti prospexit: nam janua ejus ita erat parata, ut aperiri semel clausa nequiret; solæ partes superiores ad fastigium nondum erant absolutæ. Jussusque ab eâ Diomedes scribe est Antonium in monumentum ad ipsam deportare. Quam ut Antonius intellexit esse superstitem, consurtexit; quòd vivere se posse arbitraretur: sed multo profuso sanguine desperatâ vitâ, servorum suorum manibus (ut ipse mandavit) ad januam ædificii est gestatus. [*Idem; cum Dione. pag. 449, 450. Livio, lib. 133. Floro, lib. 4. cap. 11. Vell. Patere. lib. 2. cap. 87. Strabone, lib. 17. pag. 793. Sueton. in Octavio, cap. 17. Eutropio, lib. 7. & Orofio, lib. 6. cap. 19.*]

Dum hoc fieret, Dercetæus quidam Antonii satelles rapto illius pignore reconditòque, subduxit se: currensque ad Cæsarem, exitum Antonii primus nuntiavit ei, ensẽque ostendit cruentum: Ille, accepto hoc nuntio, in intimum secessit tabernaculum: ubi illachrymavit Antonio affini quondam & collegæ suo, multorumque certaminum & rerum socio. Mox sumptis epistolis, accitisque amicis, recitavit ad lenia et æqua scripta sua quàm semper respondisset importunè et super-
bè

bè Antonius. Inde Proculeium misit, mandans ut maximè, si queat, Cleopatram redigat vivam in potestatem. Timebat enim thesauris: & magnificum ad ornamentum ducebat triumphum, si illam adduxisset. [Plutarch.]

Interim per funes, qui lapidibus in altum evehendis suspensi erant, sursum in monumentum tractus est Antonius. [Dio, pag. 450.] Nihil aiunt fuisse illo spectaculo, qui adfuere, lamentabilis. Sanguine enim oppletus & animam agens Antonius, funibus annexus in altum Cleopatræ & duarum quæ cum eâ erant mulierum magno labore trahebatur; excitantibus eam qui infra stabant, & Antonio manus versus illam porrigente seque sustollere amittente. Ut cum hoc modo Cleopatra accepit & deposuit in lectum, dilaceratis peplis pectoræque suo percusso & laniato manibus, cruorem facie absterfit; dominum, virum, imperatorem appellans: ac sudrum penè malorum est illius miseratione oblita. Lenito Antonius ejus dolore, vini haustum poposcit: vel quoddam sitiret, vel quoddam celerius ita expiraturum se speraret. Postquam bibit, monuit eam ut rerum suarum, si absque turpitudine liceret, consulere incolumitati; ac præcipuè inter amicos Cæsaris fidem adjungeret Proculeio. Se verò ob novissimam rerum conversionem ne lamentaretur: sed gratularetur ob bona quæ fuerat consecutus; quod omnium hominum fuisset clarissimus & plurimum potuisset, atque eo tempore non ignaviter esset Romanus à Romano superatus. Jamque efflabat animam, quum à Cæsare adfuit Proculeius. [Plutarch.]

Cum C. Proculeio equite etiam Epaphroditum libertum suum ad Cleopatram Cæsar miserat; mandans illis quæ loquerentur agerentque. Cleopatra verò, metuens ne quid durius in se statueretur, remansit in monumento: ut si nullâ aliâ ratione salutem consequi posset, pecuniarum saltem amittendarum meru sibi veniam à Cæsare & regnum redimeret. At Cæsar, etsi gazâ potiri, & Cleopatram vivam capere cupiebat, ut in triumpho duceret: tamen, si quid fide interpositâ promississet, impostor videri nolens, id agebat, ut eum eâ captivâ, ac invitè in suam potestatem redactâ, agere ex animi sententiâ posset. [Dio, lib. 51. pag. 450.]

Cleopatra verò congregari ex propinquo abnuvit cum Proculeio: sed colloquium cum eo ex illo ædificio habuit assistente foris ad positum in plano ostium; quod firmiter erat obseratum, ut admitti tamen vox posset. In colloquio illa regnum liberis suis petiit; Proculeius bono animo ut esset horatus est, & omnia permitteret Cæsari. Ut locum contemplatus, Cæsari renuntiavit; iterum missus est ad eam appellandam Gallus. Qui ut venit ad fores; produxit de industriâ sermonem. Interèa Proculeius admotis scalis intravit per fenestram quâ exceperant mulieres Antonium; trahensque secum duos ministros descendit confestim ad ipsas fores; quibus assistebat attendens Gallus Cleopatra. Quæ Proculeium cernens, sicâ quâ erat accincta seipsam ferire institit. Sed accurrens properè Proculeius & complexus eam ambabus manibus, gladium ei detraxit; vestemque ejus, ne quid regeret veneni, excussit. Ita rem gestam Plutar-

chus exponit : quam Dio in hunc eharat modum.

C. Proculcius & Epaphroditus cum Cleopatrá congressi, tolerabilibus ei conditionibus propositis, subito eam, priusquam assentiretur, corripuerunt ; remotisque omnibus iis rebus, quæ ad mortem consciscendam facerent, & aliquot diebus ei, ibi ut commoraretur, dum Antonii cadaver condiret, concessis : deinde in regiam adduxerunt, nihil ei de comitatu ac consueto cultu detrahentes ; quò magis ea quæ cupiebat impetraturam se speraret, ac ne quid sibi ipsa mali injungeret. [*Dio, lib. 51. pag. 450, 451.*] Simul atque verò Cleopatra capta fuit, eunuchus ejus serpentibus sese ultrò mordendum præbuit ; morsusque in foveam, præparatam sibi ad id, incidit. [*Id. ibid. pag. 453.*]

Cæsar primo aditu Alexandria, urbe omnium longè opulentissimâ & maximâ, victor potitus est. [*Liv. lib. 133. Strabo, lib. 17. pag. 795. Sueton. in Octavio, cap. 17. Oros. lib. 6. cap. 19.*] Eam ille ingressus est, cum Ario Alexandrino philosopho colloquens, dextrâque eum tenens ; quò tam eximio honore ab ipso cultus, conspicuus civibus suis & suspiciendus esset. [*Plutarch. in Anton.*] Hujus enim in discendâ philosophiâ Cæsar operâ olim usus fuerat ; eumque, unâ cum filiis Dionysio & Nicanore, in contubernium suum asciverat. [*Seneca, in lib. de Clementiâ. Sueton. in Octavio, cap. 89. Plutarch. in Politic. Dio, lib. 51. pag. 454. & lib. 52. pag. 401. Fulian. Cæsar. in Octav.*]

Ingressus gymnasium Cæsar, conscenso tribunali quod erectum erat, consternatos metu cives & humi se abicientes exurgere jussit : & oratione Græcè ad eos habitâ, ut intelligi ab ipsis posset, populum se dixit omni noxâ liberare ; propter Deum Serapin, propter populum ipsum ac civitatis amplitudinem, & propter amicum suum Arium. Similiterque Ægyptiis univèrsis ignovit : nolens tot homines, qui multis in rebus magnopere Romanis profuerant, extremis malis afficere. [*Plutarch. in Anton. Dio, lib. 51. pag. 454. Fulian. epist. 51. ad Alexand.*]

Arii precibus tum alios multos ille condonavit, tum Philostratum : qui dicendi ex tempore illius ætatis sophistarum erat promptissimus, verùm immeritò in Academiam irrepsit. Quapropter execrans mores ejus Cæsar, rejiciebat preces ejus. Ille barbâ canâ promissâ affectabatur atratus à tergo Arium, hunc versum semper repetens,

Σοφοὶ σὺν ἰσχυροῖν, ἀν' ὧν σοφοὶ.

Sapiens salus sapienti erit, modò is sapit.

Id ubi Cæsar audivit, ut Arium invidiâ magis quàm metu Philostratum exolveret, ignovit homini. [*Plutarch. in Anton.*]

Antonium juvenem sive Antyllum, majorem M. Antonii de duobus Fulviâ genitis filium, Cæsar, quamvis filix suæ Juliæ desponsatus ille fuerat ac in patris ejus sacellum à Cleopatrá factum, post multas & irritas preces confugerat, simulachro Julii abreptum interemit. [*Id. ibid. Sueton. in Octavio, cap. 17. Dio, lib. 51. pag. 446. & 454. Oros. lib. 6. cap. 19.*] Obtruncantibus eum militibus pædagogus Theodorus, qui eum prodiderat, detraxit ei quam collo gerebat pretiosissimam gemmam, càmque insuit zonæ suæ. Id inficiatus & compertus quum esset, in crucem est actus. [*Plutarch. ibid.*] Julio verò, alteri Antonii ex Fulviâ

Fulviâ filio, libertos ejus confestim ea omnia dare Cæsar jussit, quæ morientes ei relinquere legibus jubebantur. [*Dio, pag. 454.*]

Antonii & Cleopatrz communes liberi cum nutritiis custoditi & liberaliter habiti sunt. Eos enim Cæsar, non secus ac necessitudine junctos sibi, & conservavit & mox pro conditione cujusque sustinuit ac fovit. [*Sueton. & Plutarch. ut supr.*]

Qui Antonii rebus favissent, eorum alios supplicio affecit, alios veniâ, vel suâ sponte, vel amicis intercedentibus. [*Dio, pag. 454.*] Inter supplicio affectos fuit P. Canidius, infestissimus quidem semper Cæsari sed et Antonio infidus. [*Oros. lib. 6, cap. 19.*] qui timidius decessit, quàm professioni ejus, quâ semper usus erat, congruebat. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 87.*] Occisus est et Cæsaris jussu Q. Ovinus ob hanc maximè notam, quòd obscenissimè lanificio textrinoque Reginz senator populi Romani præesse non erubuerat. [*Oros. ut supr.*]

Quum permulti apud Antonium invenirentur principum ac regum liberi, alii obsidum nomine, alii per contumeliam educati; eorum partem domum remisit Cæsar, partem conjugio invicem copulavit, alios retinuit. Jotapen patri suo Medorum regi, qui ad se victus confugerat, ultrò reddidit: Artaxæ autem, quia is Romanos qui in Armeniâ superfuerant occidisset, fratres suos quantumvis petenti non remisit. [*Dio, pag. 454.*]

Alexandri Magni conditorium (quod vitreum fuisse Strabo docet, libro 17. pag. 795.) et corpus, quum prolatum è penetrali subiecisset oculis, coronâ aureâ impositâ ac floribus aspersis Cæsar veneratus est: corpusque atrectans, nasi particulam aliquam fregisse dicitur. Ptolemæorum autem corpora, quanquam ea ostendere Alexandrini enixè volebant, inspicere noluit: Regem se voluisse videre dicens, non mortuos. [*Sueton. in Octavio, cap. 18. Dio, lib. 51. pag. 454, 455.*] Eademque de causâ Apim quoque noluit accedere: deos se, non boves, adorare consuevisse perhibens. [*Dio, ibid.*]

M. Antonium multis regibus & ducibus petentibus funerare, non ademit corpus Cæsar Cleopatrz: sed illius manibus est humatus splendidè & regaliter; omniâque ei, quibus uti voluit, permissa. [*Plutarch.*]

Cleopatra ex tanto simul moerore & dolore (nam & pectus ejus ex verberibus inflammatum & exulceratum fuerat) febre correpta id velamentum arripuit læta, quasi ideò temperatura cibo & vitam liberè positura. Medicum habebat familiarem Olympum, quem proditâ rei veritate consiliarium & adiutorem ad tabem sibi induendam adhibuit: ut ipse scriptum reliquit Olympus, qui edidit harum rerum historiam. Id odoratus Cæsar, objecit ei minas & terrores de liberis: quibus illa sicut machinis expugnata est, permisitque corpus suum omnibus pro arbitrio curare & alere. [*Id.*]

Venit etiam paucis diebus post ipse Cæsar ad eam appellandam & consolandam. [*Id.*] Quæ ad illius pedes provoluta, tentavit oculos ducis, frustra. Nam pulchritudo intra pudicitiam principis fuit. Quanquam enim eam ciendis affectibus intentam animadyerteret; tamen

eo dissimulato, oculis in terram defixis hoc unum pronuntiavit: *Bonò animo esto mulier, nihil enim mali patieris.* quum illa non de vitâ, quæ offerebatur, sed de amore & parte regni laboraret. [*Florus, lib. 4. cap. 11. Dio, lib. 51. pag. 451.*]

Postremò numeri thesauri breviarium, quod habebat, Cæsari illa tradidit. Quumque Seleucus, unus procuratorum, argueret eam quòd reconderet & supprimeret nonnulla; exiliens & in capillum hujus involans, multis plagis os ejus contudit. Subridente Cæsare atque illam reprimente, *Anne grave, inquit, Cæsar est, quum tu invisere me hoc in statu & appellare sis dignatus, à servis meis deferri, siquid reposui muliebri, non mihi sanè misera; sed quò pauca munera Octavia & Livia tua feram, ut placatum te per illas & clementiorem habeam?* Hoc gavisus est Cæsar, omninò illam existimans teneri cupiditate vitæ. Ostendens igitur & hæc ei concedere se, & cætera supra omnem spem cum eâ acturum, digressus decepisse arbitrabatur se eam; quum magis deceptus ipse esset. [*Plutarch.*]

Cornelius Dolabella erat nobilis juvenis inter Cæsaris amicos: hic Cleopatraz cupidus, precanti tunc hoc dedit beneficii, ut per internuntium clam ei significaret Cæsarem ipsum pedibus decessurum per Syriam, ipsam verò cum liberis statuisse post triduum in Italiam mittere. Quo intellecto, à Cæsare obtinuit, ut sibi inferias dare permetteret Antonio. Ubi lamentis editis, postquam coronas & oscula tumulto tulit, præcepit sibi parari balneum: lotaque accubuit, & splendide est epulata. [*Idem.*]

Post prandium epistolam, quâ à Cæsare petebat ut cum Antonio eam sepeliri juberet, Epaphrodito, cui custodia ejus mandata erat, dedit perferendam; obsignatam quidem, ut is aliud quiddam contineri eâ existimans, occasione epistolæ Cæsari reddendæ e medio removeretur. [*Idem: cum Dione, pag. 452.*]

Eo digresso, obdidit fores: duabus fidissimis ancillis secum retentis, Irâ sive Nairâ & Charmione; quarum ministerio ad cultum corporis uti solebat. nam altera capillos decenter complicabat, altera scitè unguium putamina rescabat. Tum veste se omnium elegantissimâ induit ac quàm potuit pulcherrimè exornavit; omnique habitu regio assumpto, aspidem (quam ficibus & uvis & floribus contextam, ut custodes falleret; inferri curaverat) sinistro brachio admovit, ejusque morsu tacta sic morte, quasi somno, soluta est. [*Florus, lib. 4. cap. 11. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 87. Plutarch. in Anton. Galen. in lib. de Theriacâ ad Pisonem. Dio, lib. 51. pag. 452. Eutrop. lib. 7. Oros. lib. 6. cap. 19.*]

Qui verò nobis et mulieris ad fallendum sagacitatem, et aspidis ad occidendum celeritatem, verbis volunt extollere, Cleopatram inquit magnum primò ac profundum vulnus brachio suo dentibus (aut aliâ re) intulisse, deinde venenum quod priùs ex aspide paraverat in pixide quâdam ad se allatum vulneri infudisse; atque ita veneno corpus subeunte non multo post insciis custodibus vitam leviter finivisse. [*Galen. ut supr. cum Strabone, lib. 17. pag. 795. Plutarcho, & Dione, pag. 452, 453.*]

Sed puncturæ tantum duæ exiguz in brachio ejus sunt re-
pertæ:

peræ : et Cæsar, qui corpus vidit, mortuæ, imaginem cum aspide bra-
chio affixâ in triumpho traduxit. [*Plutarch & Dio.*] De eâ Horatius,
lib. I. Odâ 37.

*Ausa & jacentem visere regiam
Vultu sereno fortis, & asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum,
Deliberatâ morte ferocior :
Savis Liburnis scilicet invidens,
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.*

Solutis Cleopatraz litteris, intellexit ilico Cæsar quid actum esset.
Ac primùm institit ipse accurrere; deinde spectatum properè misit
quid rei esset. Illi cursu eò profecti, et stationem nihil offendentes sen-
sisse, reseratâ januâ Cleopatram defunctam invenerunt, et in aureo
jacentem lecto, regio cultu exornatam. Ex ancillis, Ira (sive Naïra)
ad pedes ejus expiraverat: Charmium (sive Charmione) jam lapsa
bunda & capite gravata componebat diadema, quo redimitum erat
caput ejus. Ibi quum quidam fremens dixisset, *Haccine pulchra Char-
mium? Pulcherrima sanè,* inquit, *decensiaque regum propaginem tam mul-
torum.* et nihil ampliùs locuta, juxta lectum ibi concidit. [*Plutarch.
cum Dione, pag. 453.*] Cæsar verò, viso Cleopatraz corpore, remedia
ei adhibuit, si quâ eam ratione viræ posset restituere. [*Dio, ibid.*] Psyl-
lis etiam frustra admotis, qui venenum ac virus exlugerent. [*Id. ibid.
Sueton. in Octavio, cap. 17. Oros. lib. 6. cap. 19.*]

Quum nullo modo ad vitam reduci Cleopatra posset, miratus eam
Cæsar ac misericordiâ prosecutus, magnopere doluit; omni se trium-
phi sui gloriâ spoliatum esse ratus. Corpus verò ejus splendide & re-
galiter sepeliri, & in eadem cum Antonio arcâ condi præcepit. [*Plu-
tarch. & Dio, pag. 453.*] Ambobus enim communem sepulturæ hono-
rem tribuit, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici jussit. [*Sueton. in
Octavio, cap. 17.*] Sortitæ sunt & ancillæ funus jussu ejus honorabile.
[*Plutarch.*]

Annos 39 vixisse, 22 regnâsse Cleopatram, Plutarchus scribit. Et
totidem quidem annos regno illius post patris Ptolemæi Auletæ
mortem tribuunt, Ptolemæus in Regum Canone, Clemens Ale-
xandrinus in libro 1^o Stromatum, Porphyrius, [*in Græcis Eusebianis
Scaligeri, pag. 226.*] Eusebius in Chronico, & alii: qui anni tantum
21. sunt, cum 3. vel 4. mensibus. Imperavisse eam ampliùs 14. annis
cum Antonio, Plutarchus; 13. sub Augusto, in 3^o adversus Judæos
libro scribit Tertullianus: Antonii dominatu à cæde Julii Cæsaris,
Augusti verò à primo ipsius Consulatu deducto. A morte Alexandri
Magni qui imperium Macedonicum condidit, usque ad mortem Anto-
nii & Cleopatraz cum quibus illud planè concidit, & apud Ptolemæ-
um (tum in Regum Canone, tum in Operis magni libro 3. & apud
Clementem Alexandrinum, (in libro 1. Stromatum) anni numerantur
294. qui nobis anni sunt 293. cum quadrante.

Atque hoc tempore ultimam à Cæsare armis civilibus impositam fuisse manum, præter Horum, [lib. 4. cap. 12.] & Velleium Paterculum, [lib. 2. cap. 87.] confirmat etiam Dionysius Halicarnassensis, in Romanarum Antiquitatum suarum Proœmio scribens, venisse se in Italiam simul ac Cæsar Augustus finem bellis civilibus imposuisset, ἰσθ' ὄμνῃς καὶ ὀργῶν κηρύξῃς καὶ ἐκατοστῆς Ὀλυμπιάδ' Ἐλευσίνων, mediâ Olympiade CLXXXVII. anno illius tertio incunte scilicet. Mense enim Sextili *Egyptum in potestatem populi Romani redactam, finemque bellis civilibus impositum* fuisse, ostendunt. Senatusconsulti verba apud Macrobius. [lib. 1. Saturnal. cap. 12.] *Egyptios vero ab eo tempore, quo in potestatem ditionemque populi Romani venerunt, annos Augustorum* (non Θεῶν Σεβαστῶν, quos hic commentus est Scaliger, sed *Cæsarum Augustorum* qui in ipsos imperium obtinuerunt) dinumeravisse, docet Censorinus, capite 21. libelli de die Natali: quem anno Augustorum CCLXVIII (ita enim meliora habent exemplaria, non CCLXVII.) Philippico ab excessu Alexandri Magni DLXII. & Nabonasari DCCCCLXXXVI (initis horum annorum à primo mensis vagi *Egyptiorum* Thoth deductis) à se scriptum fuisse affirmat; idem planè cum Ptolemæo sentiens, qui in libro 3^o magnæ Syntaxis ab initio regni Nabonasari ad mortem Alexandri annos *Egyptios* 424. indeque ad imperium Augusti annos 294. fluxisse statuit.

Cœpit igitur epocha Augustorum *Egyptiaca* die 1^o mensis Thoth incuntis anni æræ Philippicæ ab excessu Alexandri 295. Nabonasari 719. & quidem feriâ hebdomadis 1. ut habetur in scripto Hebraei cujusdam de æris, Norimbergæ cum Messahalâ edito. mensis nimirum Sextilis, in anno Periodi Julianæ 4684. die 37. qui juxta vitiosam intercalandi rationem Romæ tunc usurpatam Sextilis 29. dies dicebatur. Atque hæc est epocha illa ἡμέρῃ δὲ τοῦ Αὐγούστου ἐπέβη, à Ptolemæo in magnæ Syntaxis lib. 3. cap. 8. ad annum vagum *Egyptiorum*, à Vettio Valente Antiochæno in Ἀποδοκασίων ἡμεθρολογίῃ libro 1. ad annum fixum Alexandrinorum, & à Theone Alexandrino in Κανόνων περιλήψεων explicatione ad utriusque illius anni formam accommodata. Cùmque per annos 43. *Egyptum* Augustus tenuerit; (ut in libro de legatione ad Caium ostendit Philo:) totidem etiam imperio sive monarchiæ illius annos, in Ptolemæi Regum Canone & Clementis Alexandrini libro 1^o Stromatum, tributos invenimus.

Cleopatra filium Cæsariionem, qui ex Cæsare dictatore genitus ferebatur, cum magnâ pecuniæ summâ per Æthiopiam miserat in Indiam. Eum apud Rhodum pædagogus ad regrediendum induxit; tanquam vocaret eum Cæsar ad regnum. Deliberante de eo Cæsare, Arium philosophum dixisse perhibent;

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκισμῶν. —
Cæsaris in multis nomen non expedit esse.

Post matris igitur mortem, à Cæsare necatus ille est. [Plutarch. in Anton. Dio, lib. 51. pag. 446. & 454.]

Statuæ Antonii dejectæ sunt: Cleopatraz loco non motæ. Impetravit enim amicus ejus Archibius à Cæsare mille talentis, ne cum

cum Antonianis convellerentur illæ. [*Plutarch.*]

In regiâ magna pecuniæ vis reperta est, ex spoliatorum ferè omnium templorum donariis à Cleopatrâ ibi reposita; multa etiam ab iis, qui criminis alicujus rei fierent, exigebatur: ac reliqui scorsum omnes, quibus crimen nullum objici poterat, duas bonorum suorum partes poscebantur. Inde omnibus militibus stipendia debita numerata sunt: qui verò tum quoque cum Cæsare erant, 250 singuli denarios acceperunt, ne urbem diriperent. Omnibus, qui mutuum antè aliquid dedissent, id exsolutum est: multaque senatoribus ac equitibus, qui in belli societate fuerant, dona data sunt. [*Dio, pag. 455, 456.*]

Hâc parte anni in Consulatu collegam Cæsar sibi cooptavit M. Tullium Ciceronem, Ciceronis oratoris ab Antonio interfecti filium: qui Cæsaris litteras de profigato à se Antonio in Alexandrino hoc bello (non Aëtiaco; quod Appiano per errorem excidit) Romam missas, pro concione recitavit; earumque exemplum pro rostris proposuit, ubi patris ejus caput olim propositum fuerat. [*Plutarch. in fine Ciceronis. Appian. lib. 4. Bell. civil. pag. 619. Dio, lib. 51. pag. 456, 457.*]

Idibus Septembribus hujus anni, M. Tullium post bellum Alexandrinum M. Licinio in Consulatu suffectum fuisse, ex tabulâ marmoreâ Capuanâ intelligimus. [*in Annal. Pighii tomo 3. pag. 495.*] Iisdemque ipsis Idibus Septembris, Augustum cum M. Ciceronis filio Consulem à Senatu obsidionali donatum fuisse coronâ, apud Plinium legimus. [*lib. 22. cap. 6.*] Coronæ enim & supplicationes multæ Cæsari eo tempore Romæ decretæ sunt. Eidem etiam alius de Ægyptiis triumphus concessus est. Diem, quo capta fuit Alexandria, festum esse censuerunt; ab eoque reliquis annis numerandis initium sumendum. Ut Cæsar per omnem vitam tribunitiam potestatem haberet: eique qui ipsum implorasset intra pomerium ac extra usque ad dimidium milliare, auxilium ferre posset; quod nemini tribuno plebis licebat. [*Dio, lib. 51. pag. 457.*]

Herodem, inter amorem & odium erga uxorem Mariammen fluctuantem, soror Salomé & mater Cypros assiduis calumniis concitabant; accendentes ejus odium ac zelotypiam. Ac fortasse sævius in eam aliquid statuisset, ni commodum nunciatum esset, extinctis Antonio & Cleopatrâ Cæsarem Ægypto potiri: cui obviam properans, familiam sic ut erat reliquit. Discedenti Mariamme commendavit Sohemum, plurimum ei se debere propter habitam sui curam profitens; & cujusdam Judææ partis ei dominium impetravit. [*Joseph. lib. 15. cap. 11.*]

Cæsar in eo quo Antonianos superaverat loco urbem condidit; idemque ei *Nicopolis* nomen, & ludos eosdem tribuit, quos priori ad Actium conditæ. [*Dio, lib. 51. pag. 456. cum Strabone, lib. 17. pag. 795.*]

Ægyptum, in provinciæ formam redactam, ut feraciorem habiliorémque annonæ urbicæ redderet, fossas omnes in quas Nilus exæstuat, oblimatas longâ vetustate, militari opere deterfit. [*Sueton. in Octavio, cap. 18.*] novis quoque quibusdam fossis additis. [*Dio, pag. 456.*]

3975

Herodes in Ægypto cum Cæsare congressus, liberiùs cum illo egit amicitia fretus; & magnis ab eo beneficiis ornatus est. Satellites enim quadringentos Galatas ei donavit, quos antea stipatores Cleopatra habebat: & regionis partem reddidit, quam illa priùs occupaverat. Attribuit etiam ejus regno Gadara, Hippon & Samariam; in maritimis Gazam, Anthedonem, Joppen, Stratonisque turrim: quæ illi non mediocris fuit ad regium splendorem accessio. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 15. & lib. 15. Antiquit. cap. 11.*]

Multitudo hominum tam in urbibus quàm in agro Ægypti, ac mores gentis ejus leves, tum frumenti ad urbem subvectio & pecuniæ vis, efficiebant; ut non modò committere provinciam Senatori nulli Cæsar auderet, sed & proficiscendi in Ægyptum potestatem, nisi ipse nominatim permisisset, Senatoribus adimeret. Adeò enim suspectos Ægyptios studii novarum rerum habebat, ut nemini eorum senatorem esse Romæ permiserit: sed cæteris quidem suo unicuique modo, Alexandrinis verò sine senatoribus rempublicam administrare jussit. [*Dio, lib. 51. pag. 455.*]

Arius philosophus, ut ferunt, oblatam sibi præfecturam Ægypti suscipere noluit. [*Julian. ad Themistium.*] Ægypto igitur tributariæ jam factæ C. Cornelium Gallum, ex infimâ fortunâ provectum, Cæsar præfecit: quem primum Ægyptus Romanum judicem habuit. [*Strabo, lib. 17. pag. 819. Sueton. in Octavio, cap. 66. Dio, lib. 51. pag. 455. Entrop. lib. 7. Sex. Rufus, in Breviario.*] Hic Gallus Foro-Julien-sis ille fuit Poëta: quem in postremâ Bucolicorum eclogâ Virgilius carmine leni decantavit. [*Ammian. Marcellin. lib. 17. cum Hieronymo, in Chronico.*] Cui & Erotica extant dicata à Parthenio illo Nicæno, cujus Poëtica & in Latinis suis versibus imitatus est Virgilius, [*apud A. Gellium, lib. 13. cap. 25. & Macrob. lib. 5. Saturnal. cap. 17.*] et in Græcis suis poematibus Tiberius. [*apud Sueton. in Tiberio, cap. 70.*]

Cæsar omnibus quæ ex usu erant in Ægypto constitutis, pedestribus copiis in Syriam venit. [*Dio, ut supr. pag. 456. Oros. lib. 6. cap. 19.*] quò & Herodes eum Antiochiam usque deduxit. [*Joseph. lib. 15. cap. 11.*]

Quum Tiridates victus in Syriam confugisset, & Phraates victor legatos ad Cæsarem misisset; Cæsar iis amicè respondit. Ac Tiridati quidem auxilium nullum promisit, ut tamen in Syriâ versaretur concessit: filiùmque ab eo Phraatis beneficii loco acceptum Romam adduxit, obsidisque loco habuit. [*Dio, lib. 51. pag. 456.*] minimum videlicet Phraatis filium; quem negligentius custoditum Tiridates raperat: ut habet Justinus; [*lib. 42. cap. 5.*] ad posteriora tamen tempora istud referens.

Discedens è Syriâ Cæsar, reliquit ibi Messalam [*Corvinum:*] à quo Cyziceni gladiatores, quibus à Q. Didio habitatio in Antiocheno suburbio Daphne concessa fuerat, decepti, alii aliò, quasi in legiones adscribendi, dimissi ac per occasionem interfecti sunt. [*Dio, lib. 51. pag. 447.*]

Tarsensibus in Ciliciâ præfecit Cæsar civem ipsorum, præceptorem suum, Athenodorum Sandonis filium Stoicum philosophum: qui sta-
tum

rum reipublicæ à Boërtho & commilitonibus ejus, qui ad Antonii usque exitum ibi dominabantur, corruptum restituit. [Strabo, lib. 14. pag. 674.]

In Asiam provinciam Cæsar profectus, hyberna ibi egit; & subditorum omnia negotia composuit. [Dio, lib. 51. pag. 456. Oros. lib. 6. cap. 19.]

Kalendis Januariis, Cæsar quintum Consulatum in insulâ Samo iniit. [Sueton. in Octavio, cap. 26.] iisdemque ipsis Kalendis Romæ juramento omnia ejus acta confirmata sunt. Et quum de Parthis rebus litteræ venissent, decretum est, ut in hymnis juxta diis ipse adscriberetur; tribus Julia ab eo denominaretur; coronâ triumphali omnibus ludis uteretur; senatores, socii ejus victoriæ, in triumpho cum ipso invehentur, vestibus purpurâ prætextis induti: & ut dies quâ urbem intrasset, sacrificiis publicis celebraretur, semperque festa esset. [Dio, lib. 51. pag. 457.]

Cæsar templum urbi Romæ patrique Cæsari, quem heros Julium nominavit, Ephesi & Nicææ fieri permisit, (hæ enim tum urbes Asiæ & Bithyniæ clarissimæ habebantur) atque ut ab incolis Romanis colerentur. Extraneis autem hominibus, quos Græcos appellabat, concessit, ut ipsi quoque (Octaviano) templa facerent; Asiani quidem Pergami, Bithyni verò Nicomediæ: Pergamenis etiam permittens ut ludos, quos sacros dicunt, in honorem templi ejus celebrarent. [Id. ibid. pag. 458.] Quò referendum illud Tiberii, apud Tacitum: [lib. 4. Annal. cap. 37.] *D. Augustus sibi atque urbi Romæ templum apud Pergamum fieri non prohibuit.*

Æstate sequente, in Græciam Cæsar transmisit, [Dio, ut suprà.] ad triumphum profecturus Actiacum. Ubi ad eum, Corinthi tum agentem, ex Gyaro insulâ unum è piscatoribus legatum missum fuisse ferunt, petendæ tributi diminutionis gratiâ: pendere enim ipsos 150 drachmas, cum ægrè possent 100. Ea erat paupertas illius insulæ. [Strabo, lib. 10. pag. 485.]

Cæsare Romam intrante, rem sacram & alii fecerunt, (uti decretum fuerat) & Consul Valerius Poritus (qui Sexto Apuleio in Consulatu suffectus fuerat) publicè pro S. P. Q. R. propter adventum ejus sacrificavit: quod ante id temporis pro nemine unquam factum fuerat. [Dio, lib. 51. pag. 458.] Curules triumphos tres Cæsar egit: Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum; continuo triduo omnes. [Liv. lib. 133. Sueton. in Octavio, cap. 22.] de quibus Virgilius, in 8^o Æneidos:

*At Cæsar triplici invehctus Romana triumpho
Mænia, dis Italis votum immortale sacrabat.
Maxima tercentum totam delubra per urbem
Latitiâ, ludisque via, plausuque fremebant.*

et Propertius, lib. 2. eleg. 1.

*Aus canerem Egyptum, & Nilum, quum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis:
Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiâque in Sacrà currere rostra viâ.*

Mense Sextili Cæsarem triumphos hosce tres in Urbem intulisse, docent Senatusconsulti verba apud Macrobius. [lib. 1. Saturnal. cap.

4685 29

cap. 12.] non octavo Idus Fanuarias, (quo in Asiâ fuisse constat) ut voluit Orosius. [lib. 6. cap. 20.] Primâ die de Pannoniis, Dalmatis, Iapydis, finitimisque eorum, & nonnullis Galliæ ac Germaniæ populis, triumphum egit; secundâ, de Asiaticâ navali victoriâ: tertiâ, de subactâ Ægypto; qui reliquorum sumptuosissimus fuit, & ornatissimus apparatu. In eo Cleopatrx imago (cum aspide mordicus brachio affixâ, ut ex Plutarcho dictum) ad imitationem mortis ejus efficta, in lecto portabatur: liberique illius & Antonii inter captivos ducti sunt, Alexander cui Solis & Cleopatra cui Lunæ nomen fuerat impositum. [Dio, lib. 51. pag. 459.]

Alexandrum Iamblichi fratrem, Arabum regem, in Asiaticâ pugna captum & in triumpho ductum Cæsar occidit. [Id. ibid. pag. 443.] Cleopatram illam Σελευκῆ in triumpho ductam Jubæ (qui & ipse à Julio Cæsare Dictatore ductus fuerat) in matrimonium tradidit. Hunc Jubam Cæsar in Italiâ educatum, ac suam militiam secutum, hanc Cleopatram, regnoque paterno Mauritanix donavit: hisque etiam duos Antonii & Cleopatrx filios, Alexandrum & Ptolemæum concessit. Juba verò ex suâ Cleopatram Ptolemæum suscepit alterum; qui ipsi in regno postea successit. [Id. ibid. pag. 454. Strabo, lib. 17. pag. 828. Plutarch. in Julio Cæsare, & M. Antonio.]

V. Kalend. Septembr. Ara Victoria in Curia dedicata est: ut in antiquo Calendario marmoreo habetur annotatum [Inscript. Gruteri, pag. CXXXIII.] quâ in Curia Juliâ positâ & spoliis Ægyptiis decoratâ, ostendebat Cæsar, imperium se ex victoriâ adeptum. Julii quoque patris sacrarium multis in eo suspensis donariis ex prædâ Ægyptiâ exornavit: multa etiam Jovi Capitolino, Junoni & Minervæ consecravit; quum & Senatusconsulto omnia prius in eorum templis suspensa ornamenta tanquam contaminata essent detracta. [Dio, lib. 51. pag. 459.] Ædes sacras vetustate collapsas, aut incendio absumptas, refecit; easque & cæteras opulentissimis donis adornavit: utpote qui in cellam Capitolini Jovis sedecim millia pondo auri, gemmasque ac margaritas quingentis HS. unâ donatione contulerit. [Sueton. in Octavio, cap. 30.] Romaque in tantum Alexandriæ opibus est aucta, ut propter abundantiam pecuniarum duplicia, quàm usque ad id fuerant, possessionum aliarumque rerum vernalium pretia statuerentur; & fœnus, quod antè denario pendebatur, tum ad trientem ejus recideret. [Dio, ut supr. pag. 458, 459. Oros. lib. 6. cap. 19.]

In hoc quinto Consulatu suo Imperatoris nomen Cæsar accepit: non quale propter victoriam tribui more vetusto solebat, (id enim sæpius & antea & postmodo ex ipsis actionibus reportavit) sed quo summa imperii demonstraretur; quod patri quoque ejus Julio, & ejus filiis nepotibusque fuerat decretum. [Dio, lib. 52. pag. 493, 494.] Quod spectat ἑπισημαντικὴ illa, hoc anno in Cæsaris honorem posita. Senatus Populusque Romanus Imp. Cæsari Divi Fulii F. Cos. Quint. Cos. Design. Sex. Imp. Sept. Republica conservata. [Inscript. Gruter. pag. CXXVI.]

Inter captivos Diocles Phœnix Artemidori filius, Tyrannonis Amiseni à Lucullo capti discipulus, (ex quo & ipse Tyrannio dictus est)

est) à quodam Dymante Cæsaris liberto emptus, Terentiæ Cicero-
nis uxori (quæ, ut ex Plinio, lib. 7. cap. 48. & Valerio Maximo, lib. 8.
cap. 13. intelligitur, CIII. annos vivendo excessit) donatus est. Ab
eâ verò manumissus, Romæ docuit, & libros scripsit 68. [*Suid. in*
voc. Τυπαιων.]

3976

Antiochum Commagenum Cæsar ad se excivit, quòd fratris sui,
cum quo litem habebat, missum Romanæ legatum dolo occidisset.
Eum Antiochum in Senatum adductum, damnatumque interfecit.
[*Dio, lib. 52. pag. 495.*]

Per integrum annum post Herodis à Cæsare reditum, crescentibus
inter ipsum & conjugem Mariammen suspicionibus, quum mulier
neglectis mariti blanditiis, insuper illi patris (vel avi Hyrcani) & fra-
tris sui (Aristobuli) necem opprobaret; vix ab inferendis illi manibus
Herodes se continuit. Quem cum ex strepitu commotionem sensisset
Salóme soror, submisit jauidudum subornatum pincernam, qui indicaret
solicitationem se à Mariamme, ut regi porrigeret poculum amatorium;
quod ille, qualecunque tandem esset, apud se haberet. Hinc eunuchum
Mariammes fidissimum tormentis Herodes examinavit, certus nihil sine
illo esse tentatum: qui cruciatus non ferens, id unum prodidit, offen-
sam esse mulierem propter ea quæ Sohemus indicaverat. Quo audito,
exclamans Rex, Sohemum sibi regnòque antehac semper fidissimum
non fuisse hæc proditurum nisi aliquid commercii secretioris inter ipsos
intercessisset; Sohemum comprehensum iussit interfici. Uxorem ve-
rò, advocato intimorum amicorum concilio, veneficii accusavit; eâ
verborum animique asperitate, ut qui adstabant satis intelligerent,
velle regem illam capite damnari: quod omnium suffragiis factum est.
Quum autem censerent supplicium nequaquam præcipitandum; sed
includendam in aliquem regis carcerem; Salóme institit apud regem
ut quamprimum neceretur, ne quis in populo motus, illâ in carcere
vivente, existeret: itaque Mariamme ad supplicium ducta est. [*Jo-
seph. lib. 15. cap. 11.*]

Id conspicata Alexandra ejus mater, & intelligens similem exitum
sibi ab Herode expectandum, ut se ejus criminis non esse consciam
ostenderet, coepit filia convitium facere omnibus audientibus; sce-
lestissimam & ingratham erga virum clamicans, dignamque tali exitio,
quæ anfa fit tam inmane facinus. Hæc illâ turpiter fingente, ut etiam
in capillos miseræ involatura videretur, eam circumstantes merito
damnabant: & quæ ducebatur ad supplicium, ne verbo quidem ullo
eam dignata est, sed excelsò vultu atque animo calumniam refellens,
intrepida mortem subiit. [*Id. ibid.*]

Eâ preceptâ, impotentius flagrare coepit Herodes: sæpe invoca-
bat ejus nomen, sæpe etiam indecore lamentabatur. Et quamvis ob-
lectamenta excogitaret quæcunque poterat, apparandis conviviis ac
computationibus, nihil tamen proficiebat. Quare & regni curam re-
liquit: adeoque dolori succubuit, ut sæpe ministros juberet vocare
Mariammen, quasi illa adhuc viveret. [*Ibid.*]

Sic affecto Herode, supervenit pestilentia; quæ & plebis & aulico-
rum majorem partem abstulit: omnibus irato Deo hanc immensam inter-

468628

interpretantibus propter injustum reginæ supplicium. Ita auctâ regis ægritudine, postremò in solitudinem se abdidit prætextu venationis: ubi afflictaus se, intra paucos dies gravem morbum contraxit. Is erat inflammatio & dolor cervicis, mente etiam motâ nonnihil. Nec remedia quicquam proderant: sed quum exacerbare potiùs malum viderentur, res minimùm à desperatione abfuit. Itaque medici partim propter morbi contumaciam, partim quia in tantâ difficultate non erat libera diætæ electio, permittebant ei quicquid appeteret. [*Ibid.*]

Herode in urbe Samariæ ita decumbente, Alexandra habitans tum Hierosolymis conata est duas urbis arces in suam potestatem redigere; alteram Templo contiguam, alteram in ipsâ urbe sitam. Præfectos igitur tentavit, ut sibi & genitis ex Herode ac filiâ pueris eas traderent; ne fortè illo defuncto occuparentur ab aliis. At illi, quum essent alioquin etiam fidi, tum eo magis manebant in officio, quod & Alexandram oderant, nec fas putabant desperare de salute Principis. Amici enim erant veteres, unus etiam nepos regis, Achiabus nomine. Quare continuò per nuncios de Alexandrâ significaverunt. Ille sine morâ eam iussit interfici: superatoque tandem morbo, relictis & corporis viribus & animi, sic efferatus est, ut quâvis ex causâ ad sævendum esset propensissimus. [*Ibid.*]

• Ex tribus populi Romani censibus, quos à Cæsare Octaviano actos notat Suetonius, (*cap. 27.*) primum cum lustro factum fuisse, ipso VI. & M. Agrippâ II. Coss. ex Tabulâ marmoreâ Capuanâ liquet. [*tomo 3. Annal. Ptoleii, pag. 495.*] de quo ipse Cæsar, in rerum suarum Breviario. [*Inscriptionum Gruteri, pag. CCXXX.*] *In Consulatu sexto censum Populi collegâ M. Agrippâ egi. Lustrum post annum alterum & quadragesimum (à censurâ sc. Cn. Lentuli & L. Gellii; post quam lustra condi desierunt) feci: quo lustro civium Romanorum censa sunt capita quadragens centum millia & sexaginta tria. numerus sc. 4063000.* pro quo Eusebius in Chronico habet, 4164000.

Ludos quoque propter Actiacam victoriam decretos Cæsar cum Agrippâ exhibuit, & in iis equestre certamen per pueros & viros patricos peregit; iique quinto quoque anno, quo temporis spatio peragebantur, curæ erant quatuor Sacerdotum collegiis per ordinem; Pontificibus nimirum, Auguribus, Septemviris, & Quindecimviris. [*Dio, lib. 53. pag. 496.*]

Olympiade CLXXXVIII. Thebæ Ægypti usque ad solum dirutæ fuisse, in Chronico Eusebiano leguntur. à Cornelio Gallo sc. quem rebellantium Ægyptiorum urbes subvertisse, ex Julio Africano refert Georgius Syncellus in Chronico. [*pag. 308.*] Postquam enim Heroum urbem quæ defecerat paucis stipatus recepisset, in Thebaide seditionem propter tributa exortam citò admodum sedavit. [*Strabo, lib. 17. pag. 819.*] Civitatem plurimis interceptis exhaustit. [*Ammian. Marcellin. lib. 17.*] statuas sibi ipsi per universam propemodum Ægyptum posuit, suæque acta in pyramides inscripsit. [*Dio, lib. 53. pag. 512.*]

natu recitatâ, se ipsum imperio abdicare illudque Senatui & populo tradere velle significavit. Ubi peroravit, multis omnes eum verbis precati sunt, ut solus imperii summam gereret: omnibusque, quibus id ei persuaderent, adductis argumentis, tandem eò compulerunt, ut imperium solus obtineret. [*Dio, lib. 53. pag. 497. & 503.*] Quod VII. Idus Januar. ab eo susceptum fuisse, ex Tabulâ marmoreâ Narbonensi intelligitur. [*in Inscript. Græteri, pag. CCXXIX.*]

Quum hoc modo tam à Senatu quàm à populo confirmatum sibi Cæsar haberet imperium, ac nihilominus popularis esse videri vellet; recepit hoc quidem in se, ut sollicitè publicis negotiis præesset, quòd ea curâ diligentis indigerent: sed nolle se provinciis omnibus imperare dixit, aut quas regendas sumpsisset, in perpetuum gubernare. Ideoque infirmiores, nimirum quia essent pacatiores, Senatui restituit: potentiores provincias, ut quæ plus periculi ostenderent, ac vel hostes accolas haberent vel novos per se ipsæ motus aliquos ciere possent, sibi retinuit. Id faciebat sub hâc specie, ut Senatus optimis imperii partibus tutò perfrueretur, ipse laboribus & periculis objectus videretur: at sub hoc prætextu eum verè inermem imbellèmq; efficiebat; & ad se solum arma militèsq; transferebat. Hâc de causâ Senatui populòque Africa, Numidia, Asia, & cum Epiro Græcia, Dalmatia, Macedonia, Sicilia, Creta, Libya Cyrenaica, Bithynia cum Ponto finitimâ, Sardinia atque Hispania Bætica, adscriptæ sunt: Cæsari autem Hispaniæ quod reliquum erat, Gallia omnis & Germania, item Coele-syria, Phœnice, Cilicia, Cyprus & Ægyptus. Imperium verò in suas provincias Cæsar decennale suscepit, intra quod tempus eas se reduc-turum in ordinem promittebat: hoc quoque jactantiâ quâdam juvenili addito; quo breviori spatio eas pacare posset, eo citiùs se imperio destitutum. Deinde utriusque sortis provinciis patricos præfecit; Ægypto tantum equestri dignitatis virum, ob eas quæ supra sunt commemoratæ causas. Senatoribus autem seorsum Africam & Asiam, prætoribus reliquas omnes provincias adscripsit: utrisque verò ex æquo interdixit, ne ante quintum annum à gesto in Urbe magistratu provincias sortirentur. [*Dio, lib. 53. pag. 503, 504, 505.*]

Idibus Januariis eam provinciarum distributionem fuisse factam in-nuit Ovidius; de illis in primo Fastorum libro ad Germanicum Cæ-sarem ita canens.

*Idibus in magni castus Fovis ade sacerdos
Seminaris flammis viscera libat ovium.
Redditæque est omnis populo provincia nostro:
Et tuus Augusto nomine dictus avus.*

Nam & eodem die Cæsari Octaviano *Augusti* cognomentum datum fuisse sensit: quod quatrinduo post factum fuisse, in lib. de die Natali cap. 21. Cenforinus hisce verbis indicat. *Ex ante diem decimum sextum Kalend. Februarii Imperator Casar Divi filius sententiâ L. Munacii Planci à Senatu cæterisque civibus Augustus appellatus est, se VII. & M. Vipsanio Agrippâ III. Consulib.*

Cæsar enim rebus compositis, & omnibus provinciis in certam for-

mam redactis, Augustus cognominatus est. [*Liv. lib. 134.*] idque cognomen & in septimo illius Consulatu, Dio, [*lib. 53.*] & per Planci sententiam consensu univèrsi Senatus populique Romani inditum illi fuisse, Velleius [*lib. 2. cap. 91.*] confirmat. De quo Suetonius, [*in Octavio, cap. 7.*] *Munacis Planci sententia, quibusdam censentibus Romulum appellari oportere quasi & ipsum conditorem urbis, prævaluit ut Augustus potius vocaretur, non tantum novo sed etiam ampliore cognomine: quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur, ab auctu, vel ab avium gestu gustuque; sicut etiam Ennius docet scribens,*

Augusto augurio postquam incluta condita Roma est.

et Florus, in libri 4. & ultimi fine ipso. *Tractatum etiam in senatu, an quia condidisset imperium, Romulus vocaretur: sed sanctius & reverentius visum est nomen Augusti; ut scilicet jam tum dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur.*

Similia habet & Dio: qui à Romanis *Augustum*, à Græcis Σεβαστὸν, à splendore dignitatis & honoris sanctitate humano ampliore, nominatum eum fuisse notat. [*lib. 53. pag. 507. & 509. Confer Act. XXV. 21, 25. cum XVII. 23. & II Thessal. II. 4.*] Quibus addantur & Ovidii illa, in Factorum 1°.

Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes:

Hic socium summo cum Jove nomen habet.

Sancta vocant augusta patres: augusta vocantur

Templa, sacerdotum ritè dicata manu.

Hujus & Augurium dependet origine verbi:

Et quodcumque sua Juppiter auget ope.

Augeat imperium nostri ducis, augeat annos:

Protegat & nostras querna corona fores.

Hoc pacto omne populi Senatúsque imperium ad *Augustum* est translatum. [*Dio, lib. 53. pag. 507.*] Quod nomen cunctis antea inviolatum & usque ad nunc cæteris inausum Dominis, tantum orbis licitè usurpatum apicem declarat imperii: atque ex eodem die summa rerum ac potestatum penes unum cœpit esse & mansit, quod Græci *Monarchiam* vocant. [*Oros. lib. 6. cap. 20.*] Romanos verò *Augustorum* suorum epocham à Kalendis Januariis hujus anni deduxisse, docet Censorinus, in lib. de die Natali cap. 21. ubi 265. hujus æræ annum cum ordinationis Julianæ anno 283. confert; uti & sequente capite, in annum Augustanum 20 Marcii Censorini & Asinii Galli Consulatum conjicit, in annum Julianum 38 incurrentem.

In Asiâ, Trallibus terræmotu confidentibus, gymnasium corrui; quod ab Augusto postea est instauratum. [*Emseb. Chronic. cum Strabone, lib. 12. pag. 579.*]

3978

Diffidio inter Costobarum Idumæum & uxorem suam Salómen fororem Herodis orto, illa viro (contra Judæorum consuetudinem) libellum repudii misit; & ad fratrem se conferens, ait se prætulisse fraternam benevolentiam conjugali foederi. Costobarum enim dicebat ad res no-

4688 26

vas

vas moliendas cum Lyfimacho, Antipatro & Dositheo conspirasse: fidem assertioni suæ ex eo astruens, quòd Babæ filios jam per duodecim post captam ab Herode Hierosolymam annos, incio & invito rege, clàm ille in suis agris habuisset & incolumes servasset. Quo audito Herodes, missis quibusdam ad loca latebrarum, & illos interfecit, & quotquot in eodem hærebant crimine. Ut nihil jam reliquum esset ex Hyrcani cognatione; sed sublatis omnibus quorum excellebat dignitas, arbitrato suo posset quicquid vellet agere, nemine amplius resistente. [*Joseph. lib. 15. cap. 11.*]

Hinc securior Herodes factus, à patriis ritibus magis magisque discessit, eos peregrinis studiis violando. Ac primùm athletica certamina quinto quoque anno in honorem Cæsaris instituit: ad quæ exhibenda, theatrum Hierosolymis & in campo amphitheatrum extruere cœpit, utrumque sumptuoso opere conspicuum; sed alienum à Judaicis moribus, apud quos nullus est horum usus, nulla spectaculorum ostentatio. Ille tamen celebritatem suam nobilissimam esse voluit, denunciatam circumvicinis, ac longinquis etiam gentibus: magnisque præmiis propositis, non illi tantùm qui gymniciis certaminibus dabant operam, sed musici etiam præstantes & thymelici, evocabantur. Sed Judæis nihil tam molestum fuit quàm trophæa: quæ armis contestas hominum putabant fuisse imagines, ipsis per leges interdictas. Quos Herodes ut redargueret, jussit detrahi ornatum appositivum, & ostendit nudos stipites. Quo facto in risum versa est indignatio concepta ex suspitione imaginum. [*Id. ibid.*]

Periodus Calippica quinta incipit.

Multa contra Augustum vana dicta deblateravit Cornelius Gallus. [*Dio, lib. 53. pag. 512.*] de quo Ovidius, libro 2º Tristium, ad ipsum Augustum scripto.

*Non fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo;
Sed linguam nimio non tenuisse mero.*

Ob ingratum autem & malevolum animum, infamiâ eum Augustus notavit: & domo suâ illi interdicens, & intra provincias suas degere cum prohibens. Furtorum præterea, & populatæ provinciæ, & aliorum multorum criminum accusatus ille est, à Valerio Largo primùm homine improbissimo, qui socius ejus & convictor fuerat; deinde à multis aliis, qui Gallum hætenus adulati ad Largum, quoniam eum jam crescere videbant, studia sua converterunt. Decretumque est ab universo Senatu, ut judicio damnatus Gallus exularet, bona ejus Augusti essent, ac rem sacram ejus rei causâ senatus faceret. At ille dolorem non ferens, & nobilitatem acriter indignatam, cui negotium spectandum fuerat datum, metuens, stricto incubuit ferro & morte voluntariâ damnationem prævenit. Gallo verò & accusatorum denuntiationibus & senatusconsultis ad necem ita compulsus, laudavit quidem Augustus pietatem tantopere pro se indignantium: cæterùm & illachrymavit, & vicem suam conquestus est, quòd sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci. [*Sueton. in Octavio, cap. 66. Dio, lib. 53. pag. 512, 513. Ammian. Marcellin. lib. 17. Hieronym. in Chronico.*]

Cornelio Gallo in Ægypti præfecturâ successor datus est Petronius: qui multitudinis Alexandrinorum jactu lapidum in ipsum irruentium, tantum suis manibus militibus, impetum sustinuit; & nonnullis eorum interemptis, cæteros repressit. [*Strabo, lib. 17. pag. 819.*]

Polemo rex Ponti inter socios ac foederatos populi Romani adscriptus est; ac prima subsellia in theatris per totum ejus regnum senatoribus tributa. [*Dio, lib. 53. pag. 513.*] Ab eo Pontus Polemoniæ accepisse nomen videtur; apud Justinianum, Novellâ 28^a.

3979

Decem cives Hierosolymitani, contra Herodem conjuraverunt, fidas vestibus tegentes: in quibus & unus cæcus erat, non tam paratus ad agendum aliquid, quàm ad patiendum si quid patriorum morum assertoribus accideret. Quidam verò ex his quos Herodes ad perscrutanda talia disposuerat, rem totam expiscatus, regi aperuit. Illi verò comprehensi, interrito vultu fidas protulerunt; profitentes se non privati commodi gratiâ, sed pro disciplinâ publicâ, conjurationem hanc iniisse: ac deinde à regiis abducti, per omnes cruciatus necati sunt. Nec multo post delator eorum invisus omnibus, à quibusdam interfectus frustratim concisus est & objectus canibus, idque multis inspectantibus. Nemo tamen hoc factum prodidit, donec post longas ac molestas Herodis inquisitiones à consciis quibusdam mulierculis per tormenta expressa est confessio: tum verò authores ejus facinoris cum totis familiis plectebantur. [*Joseph. lib. 15. cap. 11.*]

4689 25

Herodes, ut contra tumultuantis populi seditiones esset tutior, anno regni sui 13. (ab Antigoni morte numerato) Samariam, itinere unius diei Hierosolymis distantem, munire coepit: novo *Sebastes* (sive *Augusta*) nomine illi imposito. Ejus circuitum 20 stadiorum esse voluit; sano sesquistadii amplitudine in ejus meditullio collocato, modis omnibus ornatissimo. Deditque operam ut tam è milite auxiliari, quàm è finitimis gentibus, plurimos in ejus civitatis corpus congregaret. [*Id. ibid. cum cap. sequ. initio.*] Τῶν Γαβινίων πόλιν, *Gabiniorum urbem*, eam appellat Africanus, in Georgii Syncelli Chronico. [*pag. 308.*] Quum enim Samaria à Johanne Hyrcano diruta, ab A. Gabinio Syriæ Proconsule instaurata denuò & incolis frequentata fuerit; (ut suprâ, ad annum Per. Julian. 4657. ex Josepho est notatum:) τῶν Γαβινίων vel Γαβινείων nomine, non alii quàm Gabiniani illi coloni hîc possunt intelligi. Quod ipsum à doctissimo eodemque humanissimo viro, Jacobo Goaro, (cujus summæ industriæ nupera illa luculenta Georgiani Chronici debetur editio) pariter fuisse animadversum, non parùm lætatus sum.

Aliam etiam Herodes toti genti ceu arcem Stratonis turrim imposuit. In magno quoque quem vocant campo, sorte lectis equitibus, castellum condidit; & in Galilæâ Gabalem, & Esthmonitum in Peræâ. Quibus arcibus ad tutelam regni per totam regionem opportunè dispositis, adempta est vulgo tumultuandi materia. [*Joseph. lib. 15: cap. 11.*]

Nonum Consulatum Augustus Tarracone (citerioris Hispaniæ urbe) iniit. [*Sueton. in Octavio, cap. 26.*] currente anno 3^o. Olympiadis CLXXXVIII. quo Indos ab Augusto per legatos amicitiam postulavisse,

viffe, in Chronico Eusebiano legimus: et quidem à Pandione rege missos, ut in Georgii Syncelli Chronico [pag. 311.] ex Romanis quibusdam tabulis notatum invenimus.

Tarraconem verò ad Augustum legatos Indorum ab oriente ultimo & Scytharum à boreâ, cum gentilitiis muneribus, venisse confirmat P. Orosius [lib. 6. cap. 21.] de quibus Horatius, in carmine Seculari:

*Fam Scytha responsa petunt superbi
Nuper & Indi.*

et lib. 4. Carm. Od. 14. ad Augustum:

*Te Cantaber, non antè domabilis,
Medusque, & Indus, te profugus Scythes
Miratur, ò tutela prasens
Italia dominaque Roma.*

Ita Florus, lib. 4. cap. ult. *Scytha misere legatos & Sarmata, amicitiam petentes. Seres etiam, habitansque sub ipso sole Indi, cum gemmis & margaritis elephantes quoque inter munera trabentes, nihil magis quam longitudinem viae imputabant, quam quadriennio impleverant: & tamen ipse hominum color ab alio venire cælo fatebatur.* Suetonius in Octavio, cap. 21. *Indos etiam ac Scythas, auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam suam populisque Romani ultro per legatos petendam.* Eutropius, libro 7°. *Scytha & Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera & legatos ad eum miserunt.* Aurelius Victor denique, gentium aucto numero. *Indi, Scytha, Garamantes ac Bactri, legatos miserunt orando fæderi.*

Amyntâ mortuo, regnum filius ejus Augustus non tradidit, sed provinciam populi Romani fecit: atque exinde Galatia cum Lycaoniâ Romanum habere præfectum coepit. [Dio, lib. 53. pag. 514.] primo M. Lollio Proprætoe eam provinciam administrante. [Euseb. Chron. Eutrop. lib. 7. Sex. Rufus, in Breviario.] Pamphyliz verò opida, quæ prius Amyntæ attributa fuerant, præfecturæ peculiari suæ sunt restituta. [Dio, ut supr.]

Anno regni Herodis 13° maximæ calamitates in Judæorum regionem ingruerunt. Primùm enim siccas diuturna obtinuit, quam sterilitas secuta est: postea per inopiam mutatâ victus ratione morbi invaluerunt, & pestilentia. Cùmque Herodi, ut publicæ necessitati succurreret, satis amplæ facultates non suppetere; quicquid erat in regiâ suppellectilis tam aureæ quàm argentæ, id totum ille concidit: nec laudatorum artificum parcens operibus, nec vasis ad usum necessariis. Inde confectam pecuniam misit in Ægyptum, quam tum Petronius obtinebat pro Cæsare. Is licet obrutus multitudine ob talem necessitatem ad se confugientium, tamen quia privatim amicus erat Herodi & servatos cupiebat ejus subditos, præ aliis eis concessit frumenti exportationem, tam in emendo quàm in evehendo adjuvans: ita ut maximum momentum ad gentis salutem in eo fuerit. [Joseph. lib. 15. cap. 12.]

Herodes, advecto frumento, primùm his qui sibimetipsis frumen-

tum comparare poterant, divisit omnibus accuratissimè dispensans. Deinde quia multi erant qui propter senium vel aliam debilitatem cibos parare non valebant; his quoque providit, adhibitis pistoribus, ut in promptu alimenta haberent. Atque ita populo approbatâ sua diligentia, non solum mutavit averforum à se animos, verum etiam eximiam laudem beneficentiæ & providentiæ retulit. [*Id. ibid.*]

A die 29. mensis Sextilis (triduo videlicet ante Elul Syrorum sive nostri Septembris initium) feria 6. deducitur Ægyptiaca illa epocha, quam Albatenus in astronomici sui operis 32. capitulo æram *Al-kepi* (id est, Coptitarum sive Ægyptiorum) appellat: per quam & stellarum motus ex Theonis tabulis supputari dicit, & ad quam ab ærâ Dilkarnain (sive Seleucidarum, quam ille cum Syris suis ab initio mensis Elul sive Septembris inchoat) annos 287. fluxisse asserit. Ita enim ex Ms. in eo legendum; non, ut perperam habetur editum, 387. Hoc verò anno dies primus mensis Thoth, tum in anno vago Ægyptiorum, tum in Ἐπιλύων ἡ τοὶ Ἀλεξανδρίων (ut Theon loquitur) Græcorum sive Alexandrinorum anno fixo, in eundem diem (Augusti Juliani 29) primùm coincidisse deprehenditur: quod non nisi periodo Alexandrinorum quidem annorum 1460, Ægyptiacorum verò 1461 confectâ potest contingere; quæ utriusque anni redintegrationem sive ἀποκατάστασιν exhibet. Γέρονε δὲ ἡ ἀγαθὴ ἐπιστὶς ἀποκατάστασις ἀπὸ τῆς ἀρχῆς χρόνου ἐν τῷ πέμπτῳ ἔτη τῆς Αὐγούστου βασιλείας: ut in explicatione τῶν χειρῶν κανόνων habet Theon. Contigit illa per 1460 annos facta redintegratio, à certo quodam temporis initio, in imperii Augusti anno quinto. finito sc. sive μτ̄ πέντε ἔτη, quinquennio post exordium imperii Augusti; quod post excessum Alexandri sive æram Philippicam annis 294 cœpisse, cum Ptolemæo Theon statuit. A Philippicâ verò illâ epochâ usque ad hanc ἀποκατάστασιν, anni sunt 299. ut in Astronomicâ Theodori Metochitæ epitome rectissimè habetur annotatum. Neque aliud omnino voluit Panodorus Alexandrinus monachus, de 1460 annorum periodo & ἀποκατάστασις istâ differens, in mensis Augusti diem 29 incidente, à cuius epochâ siderum motus & luminarium defectus in Tabulis astronomicis supputari scripsit: ut cunque illius sententiam, minimè à se intellectam, Georgius Syncellus, harum rerum imperitissimus, in Chronico suo [pag. 312, 313.] recitando perverterit.

3980

Herodes adversus hyemis asperitatem subditis suis providit; ne qui periclitarentur inopiâ vestium, absumptis pecoribus, & lanis aliisque tegmentis deficientibus. Ubi verò huic necessitati prospectum est, propinquis quoque Syrorum urbibus sollicitudinem impendit; distributis ad sementem faciendam frugibus. Sed & castella & urbes & ex plebe qui gravabantur numerosiore familiâ, ad ipsum confugientes necessitati inveniebant remedium: ita ut revocatis ad rationem quæ in externos tantum insumperat, reperta sint cororum 20 millia, intra regnum verò expensa 80 millia cororum. Corus autem 10. medimnos Atticos capiebat. [*Joseph. lib. 15. cap. 12.*]

Quum propter morbum Augustus nuptias filiaæ suæ & Marcelli, sororis suæ Octaviæ filii, Romæ non posset facere; M. Agrippæ eas absens

absens celebravit operâ. [*Dio, lib. 53. pag. 515.*]

Kalendis Januariis, quibus decimum Consulatum Augustus iniit, Senatus juramento confirmavit se ejus actâ approbare: quumque jam urbi (â quâ propter morbum diutiùs abfuerat) appropinquare diceretur, ac pollicitus populo viritim centenos effret denarios, negassetque se priùs id proscripturum quàm Senatus assensisset: omni cum legum necessitate Senatus liberavit, ut reapse potestatis absolutæ, tamque sui ipsius imperator quàm legum, agere aut non agere omnia suo posset pro arbitrio. [*Id. ibid. pag. 509, 515, 516.*]

Quamprimùm segetes messi maturæ factæ sunt, Herodes ad 50 milia hominum, quos ipse famis tempore aluerat, per suos & propinquorum Syrorum agros dimisit. Atque ita res suorum penè perditas diligentiam suâ ille restituit; non mediocriter etiam sublevatis finitimis, qui eisdem laborabant difficultatibus. [*Joseph. lib. 15. cap. 12.*]

Eodem tempore auxilia Cæsari misit Herodes, quingentos selectos è suo satellitio: quos Ælius Gallus duxit in expeditionem Arabicam, eorumque sæpè forti operâ usus est. [*Id. ibid.*]

Fuit hic Ælius Gallus (in recentioribus Dionis editionibus *Ælius Largus* vitiosè dictus) *ex equestri ordine*, ut ait Plinius, [*lib. 6. cap. 28.*] et tertius sub Augusto Ægypti præfectus: cujus ut ut amici ac sodalis sui Strabo meminit; [*lib. 2. pag. 118.*] et unâ cum eo Memnonis statuam vidisse se scribit, [*lib. 17. pag. 816.*] Hunc Augustus cum parte Romani præsidii quod in Ægypto erat in Arabiam misit. [*Id. lib. 2. ut supr. & lib. 17. pag. 819.*] ut eas gentes & loca perentaret: ac præterea Æthiopum terminos & Troglodyticam Ægypto finitimam, & vicinum iis Arabicum sinum, qui perangustus Arabes dirimit à Troglodytis: eo utique consilio, ut vel eos sibi volentes conciliaret, vel subigeret adversantes. [*Id. lib. 16. pag. 780.*]

Ad expeditionem Arabicam Ælius 80 circiter biremes construxerat, & triremes, & phaselos apud Cleopatridem, antiquæ Nili fossæ proximam: quum nullum tamen cum Arabibus navale futurum esset prælium. Errore igitur intellecto, fabricatus est onerarias naves 130. quibus navigavit, ducens peditum Romanorum ex his qui in Ægypto erant & sociorum ad decem milia: quibus Judæi 500. & Nabatæi mille cum Syllæo intererant. [*Id. ibid.*]

Nabatæorum rex eo tempore erat Obodas, homo segnis & otio deditus, atque de bellicis præsertim rebus (quod omnibus Arabum regionibus commune erat vitium) parùm sollicitus: Syllæo verò procuratori suo, ætate juveni & ingenio callido, administranda commiserat. [*Id. ibid. pag. 781. cum Joseph. lib. 16. cap. 11.*] Hic Syllæus Ælio se iter monstraturum, & in omnibus com meatu auxilioque adfuturum pollicitus, omnia insidiosè egit. Nam nec tutum iter, nec expeditam navigationem monstravit: sed per avia & longos anfractus, & loca omnium indiga, & importuosa dorsa, vel occultis cautibus aut cœnosis stagnis periculosa duxit; æstu maris reciprocantis maxime iis in locis adversante. [*Strabo, ut supr. pag. 780.*]

Post multas ærumnas, quintodecimo die Album pagum Ælius Gallus pervenit, maximum Nabatæorum emporium; multis navigiis

4690 24

giis amissis, quorum nonnulla cum ipsis hominibus nullo bello, sed ob navigandi difficultates periere. Id Syllæi improbitas effecit, negantis terrestri itinere in Album pagum exercitum duci posse: cum quidem eò atque etiam ulterius mercatores tantâ camelorum & hominum multitudine tutum & comœtu probè instructum iter à petrâ in petram conficiant, ut nihil ab exercitu differant. [*Id. ibid. pag. 780, 781.*] Cujusmodi mercatorum turmas *Caravanas* hodie vocant.

Huc perveniens Ælii exercitus, stomacacæ & scelotyrbæ, morbis ei regioni familiaribus, tactus est: quorum illa circa os, hæc circa crura paralytis quædam est, ob aquas & herbas proveniens. Æstatem itaque ac hyemem ibi agere Ælius coactus est, dum reficeret infirmos. [*Ibid. pag. 781.*]

Zenodorus quidam, homo Lyfaniæ sive ditione Trachonitidis, Bata-nææ & Auranitidis conductâ, ejus proventibus non contentus, Trachonis incolas in speluncis more ferarum viventes & prædas ex Damascenis agere assuetos, fovebat; ex eorum quoque latrocinii captans compendium. Ab his malè vexati propinquorum agrorum coloni, Varro-nem Syriæ tunc præsidem querelis obtundebant; postulantes ut Zenodori injurias per litteras significaret Cæsari. Rescripsit verò ei Cæsar, ut latrocinia penitèns curaret extinguere. Varro igitur milite aggressus loca suspecta, expurgavit latronibus terram; ipsamque Zenodoro abstulit. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 15. & lib. 15. Antiquit. cap. 13.*]

Herodes in Sione regiam sibi ædificavit, duabus in eâ extructis ædibus amplissimis atque pulcherrimis, quibus ne Templum quidem usquam conferri posset: earumque unam Cæsaris, alteram Agrippæ appellavit nomine. [*Joseph. lib. 15. Antiquit. cap. 12. & lib. 1. Belli, cap. 16.*]

3981

Jubilæus XXIX.

Herodes, amoto à Pontificatu Jesu Phabetis filio, Simonem sacerdotem Hierosolymitanum, Boëthi Alexandrini filium, substituit: ejusque filiam Mariammen omnium ejus ætatis pulcherrimam, conjugio sibi copulavit. [*Joseph. lib. 15. cap. 12. & lib. 18. cap. 7.*]

4691 23

Peractis nuptiis, novam regiam condere cœpit, adjuncto etiam opido, quod à suo nomine Herodium vocari voluit; in loco ab urbe Hierosolymorum versus Arabiam 60 stadiis distante, ubi Judæos olim profligaverat dum pelleretur armis Antigoni. [*Id. lib. 14. cap. 25. & lib. 15. cap. 12. item lib. 1. Belli, cap. 11. & 16.*] Herodii, cum opido illustri ejusdem nominis, meminit Plinius. [*lib. 5. cap. 14.*]

Gallus ex Albo pago Nabatæorum cum exercitu digressus, per ejusmodi loca profectus est, ut camelis aquam portare cogeretur: quod ei malitiâ ductorum evenit. Quare post multos dies in Aretæ terram pervenit, qui Obodæ Nabatæorum regi affinitate conjunctus erat. Is Gallum amicè suscepit, & dona obtulit. Sed Syllæi proditio & hanc regionem difficilem transitu reddidit. Eam itaque diebus 30 permeavit per loca invia, speltâ & palmulis non multis & butyro pro oleo usus. Quam verò deinceps adibat, Nomadum erat, & reverâ ex magnâ parte deserta. Ea Atarena dicebatur: ejusque rex Sabus erat. [*Strabo, lib. 16. pag. 781.*]

Arabia

Arabiae Felicis rex Sabos erat : in qua licet primo in conspectum Aelio nemo prodiret, tamen haud exiguo id iter labore stetit. Nam solitudo regionis, Sol quoque, & aquae naturam infestam, ita eos afflixere; ut major pars exercitus periret. Morbus ille, nulli nostrorum assimilis, caput petebat; eoque exsiccato, multos statim perimebat: qui vero mortem evasisent, iis in crura per totum corpus descendebat, eaque ita affligebat, ut remedium nullum prodesset, nisi quis oleum vino mixtum biberet, eoque se inungeret. quod sane paucissimis licebat facere; quum neutrum in iis locis nascatur, neque ipsi ejus secum copiam attulissent. Inter haec mala barbari, qui prius, si quando praelium commisissent, semper inferiores discesserant, ac opida quaedam amiserant, morbo auxiliario suo usi, Romanos aggressi sua receperunt, reliquosque Romanos suam regione expulerunt. [*Dio, lib. 53. pag. 516, 517.*]

Hi tamen & primi & soli etiam Romanorum in Arabia Felice, Athlula (vel Athrulla) insignem urbem usque, bello progressi sunt. [*Id. ibid. pag. 517.*] in eaque expeditione Gallus opida diruit non nominata ab authoribus qui ante scripserunt, Egran, Anestum, Escam, Magusum, Tammacum, Labeciam, Mariabam, (circuitu sex mill. pass.) & Caripeta, quod longissime processit. [*Plin. lib. 6. cap. 28.*] Et nisi Syllaeus eum prodidisset, felicem Arabiam totam subegisset. [*Strabo, lib. 17. pag. 819. fin.*] Cujus in eo itinere progressum & regressum, ex Strabone, nunc subjicimus.

In Ararenam peragranda diebus 50. per invia itinera consumptis, usque ad urbem Agranorum (vel Egranorum potius) processit, & pacatam & fertilem regionem. Eorum rex (Sabus) aufugit: urbs primo adortu capta est. Hinc post sextum diem ad flumen pervenit. Ibi barbari instructa acie occurrerunt: e quibus ad 10 millia ceciderunt, ex Romanis duo tantum desiderati sunt. Nam omnino imbelles erant, & armis imperite utebantur; arcu, & lancea, & gladio, & fundis; & magna ex parte bipennibus. Mox etiam urbem cepit nomine Asca, a rege derelictam. Hinc Athrulla venit, quam nullo negotio cepit, & praesidio firmavit: & frumenti palmularumque viatico comparato, Marsyabas processit urbem Rhamanitarum, qui sub Ilasaro erant. Eam adortus, sex diebus obsedit: postea aquae inopia coactus destitit ab incepto. Duorum dierum itinere tantum se abesse ab aromatiferam, e captivis intelligebat. Sex autem menses contrivit in itinere, culpa ductorum.

Ea fraude sero deprehensa, per aliam viam reversus, nonis castris Anagrana pervenit; ubi praelium commissum fuerat: undecimis deinde ad Septem puteos, a reipsa sic nominatos. Hinc jam per loca pacata, in pagum Chaalla, post in vallum nomine Malotham ad flumen positum: postea per deserta non multum aquae habentia usque in vicum Negram (vel Hygram) qui sub Oboda est & ad mare jacet. In reditu totum iter diebus 60 confecit, in quo prius sex menses consumpserat. [*Strabo, lib. 16. pag. 781, 782.*]

Dum Aelius Gallus cum parte Aegyptiaci exercitus in Arabia bellum gereret, Aethiopes qui supra Aegyptum habitant, a regina ipso-

rum Candace (virili muliere, & altero oculo captâ) missi, impressi-
one factâ in Thebaidem, præsidia trium cohortium, quæ Syenæ Ele-
phantinæ ac Philis erant, repentino impetu ceperunt, & in captivita-
tem abduxerunt, ac Cæsaris statuas everterunt. Contra hos profectus
Ægypti præfectus Petronius, cum non totis decem millibus peditum
& equitibus 800. adversus triginta hominum millia, primùm eos
compulit, ut Pselcham confugerent, urbem Æthiopicam. Tum mis-
sis ad eos legatis, quæ capta erant petiit, & causas quamobrem bel-
lum movissent poposcit: ac dicentibus, se injuriâ affectos à nomar-
chis, respondit non illos esse regionis dominos, sed Cæsarem. Peten-
tibus porrò triduum ad deliberandum, nihilque interim eorum quæ
par erat facientibus; movens contra eos, in pugnam procedere coëgit,
ac celeriter in fugam vertit; cùm & compositi malè, & malè armati
essent. nam scuta ingentia & è crudo bovis tergore confecta habebant:
arma quibus pugnarent, secures alii, alii contos, nonnulli gladios ge-
rebant. Proinde quidam in urbem sunt compulsi, alii in deserta fugam
fecerunt, alios proxima insula excepit, qui sese fluvio commiserant;
inter quos & reginæ Candaces duces erant. Hos itaque omnes cepit,
trajecto ratibus ac navibus flumine, & in Alexandriam misit: atque
Pselcham profectus, eam cepit. unde numeratâ captivorum multitu-
dine & eorum qui in prælio ceciderunt, qui salvi evaserant pauci omni-
no deprehensi sunt. [*Strabo, lib. 17. pag. 820. Dio, lib. 54. pag. 524.*]

A Pselchâ Petronius Premnim venit, urbem naturâ munitam; cu-
mulis arenæ peragratis, quibus Cambysis exercitus obrutus est vento
incidente. Eam adortus primo impetu cepit. Inde Napata (Tanapen
Dioni dictam) progressus est, ubi Candaces regia erat, ejusque filius
morabatur. Ipsa cùm in castello propinquo sederet, legatos misit
qui de pace tractarent; redditis statuis, & captivis qui abducti fuerant
Syenâ. Sed impetu factò Petronius Napata cepit ac diruit, puero fu-
gente. Et quum neque progredi propter arenam & æstum, neque ibi
commodè cum toto exercitu permanere posset; cum prædâ retrò abi-
it, ac Premni moenibus & præsidio & quadringentorum hominum
cibariis in biennium munitâ, reversus est Alexandriam. Ex captivis
autem, cæteris divenditis, mille ad Cæsarem misit à Cantabris rever-
sum: quorum nonnulli morbo consumpti sunt. [*Id. ibid.*]

Cum his conferendus & ille Plinii locus est, libro 6. cap. 29. Æthi-
opum regionem intravere arma Romana D. Augusti temporibus, duce
P. Petronio, & ipso equestris ordinis, præfecto Ægyptiis. Opida eorum ex-
pugnavit, quæ sola invenerat, quo dicemus ordine. Pselchin, Primin,
Aboccin, Phihurin, Cambysin, Attenam, Stadisin ubi Nilus præcipitans se
fragore auditam accolis aufert. Diripuit & Napata. Longissimè autem à
Syene progressus est DCCCLXX millia passuum: nec tamen arma Ro-
mana ibi solitudinem fecerunt.

Phraates III. Scytharum maximo auxilio in regnum restitutus est.
Quorum adventu audito, Tiridates cum magnâ amicorum manu ad
Cæsarem profugit, in illud ipsum regnum restitui & ipse desiderans;
jurisque Romanorum futuram Parthiam affirmans, si ejus regnum
muneris eorum fuisset. Phraates, hoc cognito, legatos statim ad Cæ-
sarem

farem misit; servum suum Tiridatem, & filium suum, quem ille obfidem Cæsari tradiderat, remitti sibi postulans. [*Justin. lib. 42. cap. 5.*]

Quum Tiridates & legati Phraatis Romam advenissent, in senatum eos Augustus introduxit: ac deinde mandatâ sibi à Senatu litis cognitione, utriusque partis postulata audivit. Tum, neque Tiridatem dediturum se Parthis dixit, neque adversus Parthos Tiridati auxilia daturum. Ne tamen per omnia nihil ab illo obtentum videretur; Tiridati, quoad manere apud Romanos vellet, opulentum sumptum præberi jussit: Phraati verò filium remisit, ut pro eo captivos signaque militaria, Crassi & Antonii cladibus amissa, reciperet. [*Id. ibid. Dio, lib. 53. pag. 519.*]

Quum Romæ inter M. Agrippam & M. Marcellum, Augusti nepotem simul & generum, mutux similtates sese proderent, quòd alter alterum anteferri ab Augusto crederet, veritus ille ne, si uno in loco mansissent, contentiones inter eos intercederent, Agrippam continuo in Asiam misit, provincias transmarinas pro se administraturum. Agrippa urbe profectus, in Syriam missis legatis suis, ipse Mitylenis in Lesbo insulâ permanfit. [*Dio, lib. 53. pag. 518. cum Velleio Patereulo, lib. 2. cap. 93. Josepho, lib. 15. cap. 13. & Suetonio, in Octavio, cap. 66.*]

Augusto XI. Consulatu sese abdicanti, & L. Sestium summum Bruti fautorem in locum suum subroganti, Senatus honores decrevit. Ut Tribunus plebis perpetuus esset. Ut quoties senatus haberetur, etiam si Consulatum non gereret, de quibuscunque rebus quicquid vellet sancire posset. Ut Proconsulare imperium semper haberet; neque id intra pomerium veniens deponeret, aut renovando opus esset: utque major ipsi in provinciis, quàm præfectis earum, semper esset potestas. [*Dio, ut supr. pag. 518, 519.*]

3982 Aelius Gallus, ab Arabicâ expeditione rediens, Negrâ vico in Nabatæorum regno relicto, exercitum undecim dierum spatio in Muris portum trajecit. Hinc Coptum transgressus, cum utilibus copiis Alexandriam pervenit. Cæteros non bello (in quo septem tantum perierant) sed fame, labore, morbo, & itinerum difficultate amiserat. [*Strabo, lib. 16. pag. 782.*] Hujus medicamenta quædam composita referuntur à Galeno, in libro 2º de Antidotis: inter quæ theriaca est, Cæsari ab eo oblata, quâ multos ex commilitonibus suis servaverat.

M. Marcellus, Octaviæ Augusti sororis filius & Juliæ Augusti filix maritus, mortuus est. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 93. Dio, lib. 53. pag. 517. & 519.*]

Augustus Cyprum ac Galliam Narbonensem, quia nihil armis suis indigerent, populo reddidit: pro eisque Dalmatiam recepit. [*Dio, lib. 54. pag. 523. cum lib. 53. pag. 504.*]

Pantomimorum saltatio à Pylade Cilice & Bathyllo Romam primum est introducta: cumque veteres ipsi canerent & saltarent, primus Pylades chorum sibi præcinere fecit. [*Euseb. Chronic. cum Scaligeri Collectan. Græc. pag. 390. & Animadversion. pag. 155, 156.*]

Sebaste jam conditâ, Herodes in loco maritimo, ubi Stratonis turris stetit, urbem alteram magnificentissimè extruere cœpit, quam Cæsaream

sarcam appellavit: admirandi operis portu addito, magnitudine Piræco pari. Quod totum opus duodecim annorum spatio ille absolvit; nec labori parcens, nec sumptibus. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 16. & lib. 15: Antiqu. 13.*] Unde de Cæsare Eutropius, libro 7^o. *Tanto amore apud Barbaros fuit, ut reges populi Romani amici in honorem ejus concederent civitates, quas Cæsareas nominarent: sicut in Mauritaniâ à rege Juba, & in Palaestina, quæ nunc est urbs clarissima:*

Herodes filios suos Alexandrum & Aristobulum (ex Mariammæ Hafmonæâ susceptos) Romam ad Cæsarem educandos misit: quibus paratum erat hospitium apud Pollionem Herodis studiosissimum. Adolescentes summâ humanitate Cæsar excepit; fecitque Herodi potestatem, ut arbitrato suo è filiis quemcumque vellet hæredem regni designaret: Trachonitide etiam, Batanæâ & Auranitide illi donatâ. [*Joseph. lib. 15. cap. 13.*]

3983

Postquam Trachonem ab Augusto Herodes accepisset, adhibitis ducibus ad latronum speluncas penetrans, maleficia eorum coercuit, & circumvicinis securitatem præstitit. Zenodorus autem partim invidiâ, partim dolore ademptæ possessionis permotus, Romam ad accusandum Herodem profectus est: nihil tamen efficere potuit. [*Id. ibid.*]

Herodes, apud Mitylenem salutato Agrippâ sibi amicissimo, in Judæam reversus est. [*Id.*]

Gadarenses quidam Agrippam adierunt, Herodem accusaturi: quos ille ne auditos quidem ad regem victos remisit. Eis tamen percit Herodes: qui ut erga suos erat inexorabilis, ita ab alienis acceptas injurias libenter contemnebat ac remittebat. [*Id.*]

In Siciliam Augustus profectus est, ut eam, ac omnes alias ad Syriam usque provincias, constitueret. [*Dio, lib. 54. pag. 524.*]

Augustus M. Agrippam (cujus patientiam desiderabat, quòd ex levi rigoris suspitione, sub specie ministeriorum Principali-
um Mitylenas se, relictis omnibus, contulisset) ex Asiâ in Siciliam ad se accersitum, uxorem suam, licet ipsius Augusti sororis Octaviæ filiam, repudiare, & filiam suam Juliam, Marcelli viduam, ducere jussit: ac continuo Romam misit ad nuptias peragendas, urbisque administrationem suscipiendam. [*Id. ibid. pag. 525. cum Velleio Paterculo, lib. 2. cap. 93. & Suetonio in Octavia, cap. 63. & 66.*]

4693 21

Zenodorus, desperatis rebus suis, Auranitidem ditionis suæ partem 50 talentis annuis Arabibus elocaverat. Eam, licet donatione Cæsaris comprehensam, Arabes jamdudum Herodi infesti non patiebantur sibi ab eo auferri: modò excursionibus ac vi eam sibi vindicantes, modò contententes de jure possessionis apud judices. Pelliciebant etiam ad se egenos milites, qui miserorum more meliora sperant ex rerum novitatibus. Hæc quum maturè Herodes cognovisset, maluit tamen bonis rationibus occurrere quàm hostiliter; ne daret occasionem novis motibus. [*Joseph. lib. 15. cap. 13.*]

Rebus in Siciliâ ordinatis, in Græciam Augustus transmisit: ubi Atheniensibus Æginam & Eretriam ademittit, ficti quidam sunt auctores, quòd Antonio favissent. [*Dio, ut supr. pag. 525.*]

Canda-

Candacen Æthiopum reginam, cum multis hominum millibus Premium præsidium aggressam, Petronius auxilio profectus antevertit: & castellum ingressus, multo apparatu confirmavit, reginamque ad conditiones pacis accipiendas coëgit. [*Strabo, lib. 17. pag. 821. cum Dione, lib. 54. pag. 524.*]

Legatis ad se missis mandavit Petronius, si quid vellent, ut ad Cæsarem proficiscerentur: ac negantibus scire si quis Cæsar esset, & ubi conveniendus, dedit qui deducerent. [*Strabo, ibid.*]

3984

Rebus in Græciâ confectis, Augustus in Samum navigavit; ibique hyemavit. [*Dio, lib. 54. pag. 525.*]

Quum Armeniæ majoris populus Artabazem sive Artaxiam (Artavastis, per dolum ab Antonio capti, filium) accusaret, Tigranemque fratrem ejus, qui tum Romæ erat, evocaret; Augustus Tiberium accersivit, ut Artabazem regno pelleret Tigranemque ei præficeret. [*Id. ibid. pag. 526. cum Tacito, lib. 2. Annal. cap. 3.*]

Candaces legati in Samum venientes, Cæsarem invenerunt in Syriam progredi parantem, & Tiberium in Armeniam amandantem. Ab eo facile quæ volebant impetravere; tributis etiam eis remissis. [*Strabo, lib. 17. pag. 821.*]

Vere in Asiam Augustus perrexit, M. Apuleio & P. Silio Consulibus: ibique & in Bithyniâ omnia composuit: non propterea, quòd tam hæ provinciæ quàm priùs ab ipso peragratae populi esse censerentur, rationem earum nullam habens; sed omnibus haud aliter curatis, ac si ipsius essent. Nam & omnia, ut conveniebat, emendavit; & pecunias largitus est, aliis etiam ultra tributum novas imperavit. Cyzicenis verò, quòd in quâdam seditione nonnullos Romanos flagris cæfos necassent, libertatem ademit. [*Dio, lib. 54. pag. 525.*]

4694-20

Inde in Syriam venit: anno postquam in eâ provinciâ antea fuerat decimo; [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 15.*] regni verò Herodis (à morte Antigoni) decimo septimo. [*Id. lib. 15. Antiquit. cap. 13.*] ubi Tyriis & Sidoniis, propter factiones, libertatem ademit. [*Dio, ut supr. pag. 525.*]

Zenodorus interposito jurejurando Gadarensibus est pollicitus, non priùs se destitutum quàm quovis modo efficeret, ut illi ab Herodis dominatione liberati attribuerentur ad provinciam Cæsaris. Hinc eorum plurimi, ab illo persuasi, coeperunt clamare in Herodem, gravem eum dictitantes ac tyrannum; atque de vi & rapinis ejus, violatisque ac dirutis templis, apud Cæsarem conquerentes. Quibus nihil Herodes territus, paratus erat causam dicere: Cæsar verò comiter illum tractabat, nihilo alienatior propter tumultuantem multitudinem. Gadarenses igitur videntes quorsum Cæsar & amici ejus tenderent, & certis conjecturis timentes ne dederentur Herodi; proximâ post congressum nocte alii se jugulaverunt, alii præcipitaverunt tormentorum metu, quidam etiam in flumen se jacentes necaverunt: atque ita quum se ipsi prædamnarè viderentur, sine morâ Cæsar Herodem absolvit. [*Joseph. lib. 15. cap. 13.*]

Zenodorus quoque præcordiis ruptis sanguine multo per secessum profluente apud Antiochiam Syriæ vitam finivit. [*Id. ibid.*]

Zenodori tetrarchiam Augustus Herodi donavit. [*Id. ibid. Dio, lib. 54.*

pag. 526.] portionem sanè non contemnendam: quæ sita Galilæam inter & Trachonem, complectebatur Ulatham, Paneadem, & agros finitimos. Adjunxit eum deinde Cæsar rectoribus Syriæ; & ne quid eo inconsulto provinciæ illius procuratoribus liceret administrare, præcepit. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 15. & lib. 15. Antiquit. cap. 13.*]

Herodes fratri suo Pheroræ tetrarchiam à Cæsare impetravit; de suo regno decisis centum talentorum redditibus: ut etiam si quid fatale illi accideret, in tuto essent res illius, neque subjiceretur Herodis filiorum imperio. [*Id. lib. 15. cap. 13.*]

Claudius Tiberius Nero, missus ab Augusto vitrico suo cum exercitu ad visendas ordinandâsque quæ sub Oriente sunt provincias, præcipuis omnium virtutum experimentis in eo tractu editis, cum legionibus ingressus Armeniam, redactâ eâ in potestatem populi Romani, regnum ejus Artavasdi tradidit: cùm rex quoque Parthorum, tanti nominis famâ territus, liberos suos ad Cæsarem misit obsides. Ita summus Tiberii adulator Velleius Paterculus. [*lib. 2. cap. 94.*]

Tigranem Artavasdis filium Armeniis regem hoc tempore fuisse datum, alii omnes memorant. Artavasde enim, qui & Artabazes dictus est, ab Antonio, in Ægyptum ad Cleopatram captivo abducto, filiorum natu maximus Artaxias (quem paterno nomine *Artabazem* Dio hîc appellat) Armeniæ regno potitus est. Cui Archelaus & Nero Cæsar per vim à se pulso juniorem ipsius fratrem (patris item nomine à Velleio *Artavasdem*, qui ab aliis *Tigranem* nuncupatum) successorem nunc dederunt. Sic enim Josephus [*lib. 15. cap. 5.*] rem refert; Archelai nomine Cappadociæ regem designans, Neronis Claudium Tiberium, licet nondum à Cæsare adoptatum; ad quem pars narrationis illius Horatianæ spectat, lib. 1. epistol. 12.

*Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res:
Cantaber Agrippæ, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit; jus imperiûmque Phraates
Cæsaris accepit genibus minor.*

Cum quâ & Ovidii illa conferenda, in 2^o Tristium:

*Nunc petit Armenius pacem; nunc porrigit arcus
Parthus eques, timidâ captâque signa manu.*

Tiberium tamen, sive Claudium hunc Neronem, ab Armeniis ante ejus adventum occiso Artabaze sive Artaxiâ, nihil suo apparatusi respondens perfecisse, Dio asserit: [*lib. 54. pag. 526.*] licet eâ se re, quasi suâ quicquam virtute egisset, ille jactaverit; præsertim quòd sacrificia propter eam essent decreta. Cui favet & ille Taciti locus: [*lib. 2. Annal. cap. 3.*] *Occiso Artaxiâ per dolum propinquorum, datus à Cæsare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum à Tiberio Nerone.* qui ducto ad Orientem exercitu, regnum Armeniæ Tigrani restituit, ac pro tribunali diadema imposuit: ut habet in *Tiberio* [*cap. 9.*] Suetonius.

Recepisse & signa Tiberium, quæ M. Crasso Parthi ademerant, addit ibidem Suetonius: quando Parthi videlicet signa militaria, quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant, reposcenti Augusto redderunt;

runt, obsidésque insuper obtulerunt: ut apud eundem est, in *Octavio*. [cap. 21.] Quum enim in Syriam ad componendum Orientis statum Augustus venisset; Phraates, quia nihil dum eorum quæ pactus fuerat perfecisset, veritus ne bellum Parthiæ ab Augusto inferretur, signa Romana, & quæ Crasso oppresso Orodes & quæ ipse filius ejus Antonio pulso ceperat, illi remisit. Totâ quoque Parthiâ captivos omnes, ex Crassiano & Antoniano exercitu. recollectos, tradidit: paucis demptis, qui se ipsos pudore moti interemerant, aut in Parthiâ occultè remanserant. Eaque Augustus, quasi bello aliquo Parthum vicisset, accepit. [Liv. lib. 139. Florus, lib. 4. cap. ult. Strabo, lib. 2. pag. 288. & lib. 16 pag. 748. Vellei. Paterni. lib. 2. cap. 91. Justin. lib. 42. cap. ult. Dio, lib. 54. pag. 525. Eutrop. lib. 7. Oros. lib. 6. cap. 21. & Cassiodorus, in Chronico.]

Perfas sive Parthos Augusto, quod nulli antea, obsides dedisse, Eutropius; regisq;ue obsidibus traditis, firmum tœdus fideli supplicatione meruisse, scribit Orosius. [us sup.] Et Phraatem quidem filios Augusto Casari & filiorum filios credidisse, amicitiamque illius datis obsidibus emereri officiosè voluisse, in fine libri 6ⁱ Strabo; & filios nepotésque illius obsides Augusto datos, in libri 4ⁱ fine Justinus confirmat. Sed eum tamen *cuncta venerantium officia ad Augustum vertisse, partemque proliis firmandæ amicitia misisse, haud perinde illius metu, quam fidei popularium diffusum;* in 2ⁱ Annalis initio monuit Tacitus. Ita enim hic res sese habuit.

Thermusa Italici generis femina, ex concubinâ Phraatis uxor jam facta, Phraatici filio suo, quem cum ancilla adhuc esset Regi pepere- rat, Parthorum regnum adstruere cogitans; marito, apud quem omnia poterat, persuasit ut filios suos legitimos Romam obsides mitteret. [Joseph. lib. 18. cap. 3.] Phraates, vocato in colloquium Titio qui per id tempus Syriæ præerat, quatuor ei filios legitimos obsides tradidit: Saraspadem, Cerospadem, Phraatem & Vononem; duas eorum uxores, & filios quatuor. Seditionem enim metuens, & ne sibi ab inimicis struerentur insidiæ, filios à medio amovit: hoc sibi persuaso, neminem adversum se prævaliturum, si neminem ex Arsaciorum genere, cujus Parthi erant studiosissimi, substituendum sibi relinqueret. [Strabo. l. 16. pa. 748, 749.] In vetere Inscriptione Romanâ, cum *Seraspadane* (ita enim ibi nominatus reperitur) alius Phraatis filius conjunctus habetur, à Strabone non memoratus; *Rhodaspes, Phraatis Arsacis Regum Regis F. Parthus*. [Inscr. Græc. pa. CCLXXXVIII.]

Augustus in Oriente subditos ex Romanarum legum præscripto composuit, tœderatos verò majorum suorum institutis uti permisit: neque quicquam illis adimere, sed contentus esse partis statuit; idque etiam ad Senatum scripsit. Itaque tunc temporis nullum bellum attigit: Iamblichus verò Iamblichi filio paternum in Arabiâ principatum dedit. Tarcondimoto similiter Tarcondimoti filio principatum patris in Ciliciâ tribuit: maritimis quibusdam exceptis, quæ Archelao cum minoris Armeniæ regno donavit; Medo rege, qui regnum id antè obtinuerat, vitâ functo. Mithridati quoque cuidam Commagenam, quod ejus rex patrem hujus Mithridatis occidisset,

differ, puero etiamnum attribuit. [*Dio, lib. 54. pag. 526.*]

Herodes, deducto ad mare Cæsare, in regnum reversus, in terrâ Zenodori elegantissimum illi templum è marmore candido construxit; prope Panium montem, in cujus radicibus sunt fontes Jordanis fluminis. Tunc etiam tributorum partem remisit regni sui subditis: prætextu quidem, ut post sterilitatem se reficerent; re autem verâ ut placaret eorum animos offensos talibus regis operibus, quæ videbantur planè ad religionis & bonorum morum perniciem tendere, ut omnium jactabatur sermonibus. [*Joseph. lib. 15. cap. 13.*]

3985

His Herodes ut occurreret, conventicula per urbem & frequentiora convivia prohibuit: & tum alios speculatores adhibuit, qui se conventibus insererent & vulgi sermones captarent; tum ipse quoque se plebeio cultu noctu vulgo miscuit, ut experiretur quid de se populus sentiret. Et quocumque pertinaciter ejus studia improbarent, in omnes inclementer animadvertibat: reliquam verò multitudinem sacramento obstringebat, jusjurandum exigens quòd non discessuri essent à fide & officio. [*Id. ibid.*]

Hoc juramentum à Pollionis Pharisæi Sameæque sectatoribus plerisque Herodes requisivit: quod cum non impetrasset, non tamen in eos ut in cæteros tales sæviit, Pollionis reverentiâ. Remisit etiam hanc necessitatem Essæis: quos propter Manahemum ex eâ sectâ fatidicum in pretio habuit; qui & cum è plebe puerum regem Judæorum salutavit, & regem postea factum ultra 30 annos regnaturum prædixerat. [*Id. ibid.*]

Julia Agrippæ Caium peperit: sacrificiùmque perenne natalibus ejus, cum quibusdam aliis, decretum est. [*Dio, lib. 54. pag. 526.*]

Augustus in Samum reversus, ibidem iterum hyemavit; & libertatem Samiis hospitii pretium dedit; ac non pauca eo tempore negotia confecit. Frequentes enim eò ad ipsum legati commearunt: ac Indi pacem, quam antea per oratores (de quibus ad annum Periodi Julianæ 4689 dictum) petierant, tunc interposito foedere sanxerunt. Inter dona verò ab Indis missa tigres erant, animalia tum primùm Romanis ac Græcis visa: & adolescens quidam humeris carens, (cujusmodi Mercurii fingi solent) qui manuum loco, pedum omnia officio ita peragebat, iis ut arcum tendere, sagittas emittere, ac tubâ canere diceretur. [*Id. ibid. pag. 527.*]

Hos Indorum legatos Antiochiæ, quæ apud Daphnem est, se vidisse Nicolaus Damascenus narrat. In epistolâ quidem plures fuisse memoratos: sed tres tantùm superfuisse, quos vidisse se ait; cæteris longitudine viæ magnâ ex parte absumptis. Epistolam Græcam fuisse in membranâ scriptam; in quâ significaretur Porum esse, qui scriberet, se etsi sexcentis regibus imperaret, Cæsaris tamen amicitiam magni pendere, & paratum se quocumque voluerit aditum concedere, & in quibuscunque rectum fuerit opitulari. Hæc dicit in epistolâ contineri. Allata præterea esse dona ab octo servis nudis subligacula indutis & aromatibus delibutis. Ea fuisse, Hermân (illum de quo dictum) à puero brachia ab humeris truncatum; viperas ingentes, serpentem decem cubitorum, testudinem fluvialem trium cubi-

cubitorum, & perdicem vulture majorem. [Strabo, lib. 15. pag. 719.]

In his Zarmarus five Zarmanochegas erat, ex Indorum sophistis unus: qui vel gloriæ causâ, vel senectutis secundum patrias leges, five ut ostentaret se Augusto & Atheniensibus, (Athenas enim venerat) Græcorum deorum sacris, et si (ut referunt) non legitimo tempore, in gratiam Augusti initiatus; abeundum sibi è vitâ censuit, ne quid adversi accideret immoranti. Ridens igitur & nudus & unctus in rogum se dedit: atque sepulchro ejus inscriptus est titulus. *Hic jacet Zarmanochegas Indus, è Barbosâ, qui secundum patriam Indorum consuetudinem se vitâ eduxit.* [Id. ibid. pag. 719, 720: Dio, lib. 54. pag. 527.]

Augustus Romam reversus, equo ovans in urbem invecus, & arcu triumphali trophæum gestante honoratus est. [Dio, ibid. pag. 526.]

Magnæ sibi laudi Augustus ducebat, quod præliis prius amissa, citra ullum certamen à Parthis recepisset. Itaque & sacrificia ejus rei causâ & templum Martis Ultoris in Capitolio (ad imitationem Jovis Feretrii) ubi signa ea suspenderentur, decerni jussit, ac deinde perfecit. [Id. ibid.]

Templum hoc Marti ante Philippensem victoriam prius ille voverat; sed par beneficium alterum ab eo jam se consecutum prædicans, anno demum 22^o votum illud persolvit: Romulûmque æmulatus, qui Acrone Cœninsium rege occiso arma ejus in templo Jovi Feretrio à se dicato suspenderat, Marti Bis-ultori templum extruxit & signa militaria à Parthis recepta in eo reposuit; ludis Circensibus institutis, mense Maio quotannis in harum rerum memoriam celebrandis. De quibus, in 5^o Fastorum, Ovidius:

Nec satis est meruisse semel cognomina Marti:

Persequitur Parthi signa retenta manu.

Gens fuit & campus & equis & tuta sagittis;
Et circumfusus in via fluminibus.

Addiderant animos Crassorum funera genti;
Cum perii miles, signaque, duxque simul.

Signa decus belli Parthus Romana tenebat;
Romanaque aquila signifer hostis erat.

Isque pudor mansisset adhuc, nisi fortibus armis
Caesaris Ausonia protegerentur opes.

Ille notas veteres & longi dedecus arvi
Sustulit: agnoverunt signa recepta suos.

Quid tibi nunc solita mitti post terga sagitta,
Quid loca, quid rapidi profuit usus equi?

Parthe refers aquilas, victos quoque porrigis arcus:
Pignora jam nostri nulla pudoris habes.

Ritè Deo templumque datum, noménque Bis-ultor:
Emeritus voti debita solvit honor.

Solemnes ludos circi celebrate Quirites:
Non visa est fortem scena decere Deum.

U u u

Quibus

Quibus addantur & Horatii illa, lib. 4. Odâ ultimâ,

—————*tua Cæsar ætas*
Fruges & agris restulit uberes,
Et signa nostro restituit Fovi
Direpta Parthorum superbis
Postibus.

et frequentes Cæsaribus ipsius nummi, inscriptionem præferentes.
SIGNIS RECEPTIS.

Herodes, anno regni sui 18^o (ab exitu Antigoni numerato) Judæis consilium suum de instaurando Templo Hierosolymitano proposuit: quos cum sollicitos esse animadverteret, ne fortè demolitus vetus ædificium, novum non posset absolvere; certiores eos reddidit mansurum vetus templum integrum, nec demoliendum tantisper dum omnis materia compararetur quæ esset ad futuram fabricam necessaria. Neque eos fefellit. Mille enim plaustra paravit quæ lapides conveherent; & ex omni artificum copiâ peritissimos selegit ad decem millia, & insuper mille sacerdotes stolis sacerdotalibus sumptu suo vestitos, partim cæmentariæ partim lignariæ fabricæ non imperitos: adhibendos operi omnes, materia jam antè convectâ. [*Joseph. lib. 15. cap. 14.*]

3987

Augustus, quum primum imperii decennium ad exitum jam tenderet, in aliud quinquennium suum sibi principatum prorogavit: & M. Agrippæ cum alia ferè eadem quæ sibi, tum tribunitiam potestatem ad idem quinquennium dedit. Tot enim ipsis annos tunc sufficere dicebat: licet non multo post etiam plures imperatoris potestatis annos ipse acceperit, ut iterum decennalis ejus principatus fieret. [*Dio, lib. 54. pag. 529.*]

4696 18

Quia jam vetustate libri Sibyllini exolescebant, pontificibus negotium Augustus dedit, ut suâ manu eos describerent; ne quis alius eos legeret. [*Id. ibid. pag. 532.*]

Pyladem mimum illum Cilicem, per factiones Româ ejectum, Augustus reduxit: quod gratiam populi illi conciliavit. A quo cum objurgaretur Pylades, quod cum Bathyllo eandem artem exercente & Mecænatis necessario rixaretur, respondisse ille fertur; *Expedit tibi, Cæsar, populum nobis intentum tempus consumere.* [*Ibid. pag. 533.*]

Materiâ ad aggrediendum opus necessariâ per biennium comparatâ, Templum Hierosolymitanum coepit Herodes extruere; annis 46. ante primum Pascha ministerii Christi: ut ex Judæorum illis verbis apparet, Johan. II. 20. eo tempore prolatis. *Τεσσαράκοντα ἔτη ἐναντιώρουσαν οὐκ ἔτι ἐκείνη ἐστὶν ἡ ἐκδομήνη ὁ ναὸς τούτος.* *Quadraginta & sex annis hæcenus ædificatum est Templum hoc.* ut aoriston illud à Lidyato nostro rectè est expositum.

4697 17

Et quidem Templi hujus structura sub Zorobabele anno primo monarchiæ Cyri cœpta, & aliquamdiu interrupta, post 20 demum annos, imperii Darii Hystaspis F. anno sexto, finita; ejusdemque magnifica instauratio, hoc tempore ab Herode cœpta, annorum novem ac dimidii spatio est consummata. Verum in temporis augustissimo

fimo

simo huic ædificio impensi ratione æstimanda, non horum tantum duorum, sed successorum etiam opera consideranda venit: quum in eo perficiendo & longa secula, & omnes thesauros sacros, quos toto orbe Deo missos repleverant, consumpta fuerint, ut in libro 6^o Judaici belli cap. 6. (ueq. 17.) Josephus monuit. Neque enim unius Herodis opes, tantis præsertim largitionibus, tot palatiorum, templorum & urbium structuris (quarum una Cæsarensis urbis ac portus omnium sumptuosissima etiam tum illi incumberebat, quum in Templo condendo laboraret) tantopere accisæ, immensa opulentiæ templo (ut in Historiæ suæ lib. 5. cap. 8. istud appellat Tacitus) perficiendo pares erant. Et magnam illam Templi instaurationem ab Herode cœptam, usque ad belli Judaici sub Gessio Floro initia ex ingentibus illis donariis Deo dicatis continuatam fuisse, locus ille Josephi ostendit, in Antiquitatum libro 20. cap. 8. *Fam absolutum eras & Templi ædificium. Populus igitur quum videret esse in otio circiter octodecim opificum millia, solitorum hæcenus in Templo ex operarum mercedibus victum querere; nolensque sacram pecuniam repositam habere, ne quando prada Romanis fieret, simulque opificibus inde provisum cupiens, quòd vel unâ horâ diei operato statim merces representaretur: suasisit regi (Agrippæ juniori,) ut Orientalem instauraret porticum, qua Templi extrema clauderebat.*

Julia Agrippæ Lucium peperit: quem, simul cum fratre ejus Caio, Augustus quò tutior esset ab insidiis, non expectato dum virilem ætatem attingerent, statim adoptavit & hæredes imperii fecit. [*Dio, lib. 54. pag. 533.*]

In Cypro plurimæ civitatum partes terræ motu conciderunt. [*Euseb. Chronic.*]

3988

M. Agrippa, ludis quinquennialibus (qui Aetiaci quarti erant) Romæ celebratis, ab Augusto rursus in Syriam missus est. [*Dio, lib. 54. pag. 534.*]

4698 16

Herodes navigavit in Italiam, salutatum Cæsarem, & ad invisendos Romæ suos liberos. [*Joseph. lib. 16. cap. 1.*] Per Græciam verò transiens, agoni Olympico (Olympiade CXCI. quâ Diodotus Tyaneus stadio vicit) non interfuit modò sed etiam præfuit. Qui ludos illos propter Elidensium inopiam celebritati suæ non satis respondisse animadvertens, annuos redditus eis attribuit; quòd splendidius sacrificia fierent, & alia quæ ad decorandum tam frequentem conventum pertinerent. Pro quâ munificentia perpetuus Agonotheta declaratus est. [*Id. lib. 1. Belli, cap. 16. cum lib. 16. Antiquit. cap. 9.*]

Cæsar Herodi Romæ humanissimè tractato filios reducendos domum reddidit, satis jam institutos disciplinis liberalibus. [*Id. lib. 16. cap. 1.*] Ipse verò in Galliam profectus est. [*Dio, lib. 54. pag. 533.*]

Æmilius Macer Veronenfis Poëta in Asiâ moritur. [*Hieronym. in Chronico.*] de quo Tibullus:

Castra Macer sequitur; sentro quid fiet Amori?

• Hierosolymis Sacerdotum operâ structura Templi, ita propriè dicti, quod Sanctum & Sanctum Sanctorum complectitur, sesquianni spatio

spatio perfecta est. Quo toto tempore nunquam interdiu pluuisse, noctu tantum imbribus descendantibus, fama est. Octo deinde annis sequentibus, porticus, & septa, & reliqua circa Templum ædificia omnia sunt absoluta. [*Joseph. lib. 15. cap. ult.*]

Templi hujus duplex extat descriptio: una à Josepho (qui in eo Sacerdotalia munia ipse obiit) in 15. Antiquitatum libro, cap. 14. & lib. 6. Belli, cap. 6. (*אפ. יד.*) altera à R. Judâ (120 ferè post illius excidium annis) in Mischnæ suæ tractatu qui *מדרש* inscribitur, facta. Prioris ichnographiam habemus à Ludovico Cappello ad finem compendii Historiæ Judaicæ adjectam; posterioris, à Constantino L'empereur præfixam Commentario suo in Codicem *Middab.* In cujus Præfatione, ex constanti Hebræorum sententiâ ostendit, Zerubbabelis & Herodis templum pro eodem rectè fuisse habitum; sicut à Cornelio Tacito in 5^o Historiarum libro templum à Pompeio expugnatum idem censebatur cum eo, quod illic à Tito oppugnatum narrat.

3989

Quum Alexander & Aristobulus in Judæam reversi omnium amorem sibi conciliassent; Salôme soror Herodis & ejus sequaces, metuentes ne ultores aliquando illi fierent materni interitus, in vulgus rumores sparserunt patrem illos aversari propter supplicii de genitrice sumpti memoriam. Herodes verò nihil mali adhuc suspicans, in eo quo par erat honore illos habuit; & quòd jam essent adulti, uxores eis dedit: Alexandro Salomes filiam Bernicem; Alexandro Archelai Cappadocum-regis filiam Glaphyram. [*Joseph. lib. 16. cap. 1. & 2.*]

4699 15

Augustus Cyzicenis libertatem restituit: Paphiis quoque (in Cypro) terræmotu afflictis pecunias largitus est; ac permisit, ut ex Senatusconsulto urbem Augustam nominarent. [*Dio, lib. 54. pag. 539.*]

Herodes, audito M. Agrippam iterum venisse in Asiam, illò profectus impetravit ab eo in regnum suum ut venire dignaretur ad amicum & hospitem. [*Joseph. lib. 16. cap. 2.*]

3990

Agrippam excepit Herodes in recens conditis urbibus; & ostendens ædificia, omne genus deliciarum & magnificentiæ tam ipsi quam amicis exhibuit, apud Sebasten & Cæsarensē portum, & in extructis à se arcibus, Alexandrio, Herodio, Hyrcaniâ. In urbem quoque Hierosolymitanam eum perduxit; occurrentibus populariter omnibus amictu & cultu festivo, cum faustis acclamationibus. Agrippa autem Deo hecatombe immolatâ populo epulum præbuit: & quamvis libenter ibi diutiùs fuisset commoraturus, appetente tamen hyeme tempestatum metu maturiùs abnavigavit in Ioniam; unâ cum amicis maximis honoratus muneribus. [*Id. ibid.*]

Alander, Bosphori Cimmerii rex ab Augusto constitutus, moriens uxori suæ Dynami, filix Pharnacis & Mithridatis nepri, regnum reliquit. Eam Scribonius quidam, Mithridatis se nepotem esse perhibens, in matrimonium ducens, Bosphorum occupavit. Quo audito, Agrippa Polemonem Ponti ejus, quæ est ad Cappadociam sita, regem misit, ut ei bellum faceret. [*Dio, lib. 54. pag. 538.*]

Scribonium, fraude ejus cognitâ, Bosphorani necaverunt: & supervenienti

4700 14

pervenienti Polemoni, ne is rex ipsis constitueretur metuentes, restiterunt. Quos ille prælio vicit, neque tamen subegit. [*Id. ibid.*]

Instante vere Herodes, audito quod cum exercitu Bosphorum Agrippa peteret, ad illum properavit: factaque præter Rhodum ac Coum navigatione, Lesbum petiit; ratus se ibi eum inveniturum. Sed repulsus adversis Boreæ statibus, aliquot diebus apud Chium hæsit: ubi & privatim multos salutarum venientes regis honoravit muneribus; & quum animadvertisset porticum urbis dirutam bello Mithridatico jacentem adhuc, quod propter inopiam reparari non posset ad pristinam pulchritudinem & amplitudinem, tantum pecuniarum contulit in ejus fabricam quantum abundè ad absolvendam sufficeret, hortatus ut quamprimum veterem ornatum urbi redderent. [*Josepb. lib. 16. cap. 3.*]

Mutato vento, Herodes primum Mitylenen ac deinde Byzantium allatus, ut audivit Agrippam jam ultra Cyaneos scopulos provectum, quantâ potuit contentione secutus, apud Sinopen Ponticam urbem offendit, ex insperato visus cum classe appellere; Fuitque adventus ejus gratissimus, & singulari affectu se invicem complexi sunt: quod evidens esset argumentum fidei & amicitiae, regem intermissis propriis negotiis præsto factum Agrippæ opportunissimo tempore. Quamobrem indivisus ei hærebat Herodes in exercitu, laborum socius ac consiliorum particeps. Nec minùs aderat quum remittendus esset animus, solus adhibitus ex æquo & in difficilibus propter benevolentiam, & in jucundis honoris gratiâ. [*Id. ibid.*]

Bosphoranos Agrippa superavit; & signis Romanis, quæ illi quondam sub Mithridate sustulerant, bello recuperatis, victos ad deditionem coëgit. [*Oros. lib. 6. cap. 21.*]

Quum Julia, Augusti filia & Agrippæ conjux, noctu Ilium proficisceretur, accidit ut effusis torrentibus Scamandro supra modum aucto Julia, cum famulis qui ad lecticam erant, in magnum vitæ discrimen in trajiciendo fluvio adduceretur; Iliensibus adventus illius prorsus ignaris. Indignatus verò Agrippa quod Ilienses minimè opem tulissent, drachmarum argenti millibus centum eos multavit. [*Nicol. Damascen. lib. de Vita sua: in Excerptis ab Henr. Valesio edit. pag. 418.*]

Iliensium legati, Agrippæ obloqui non ausi quidquam, Nicolaum Damascenum (qui tum fortè aderat) orârunt, uti Herodem regem sibi suffragatorem atque adiutorem conciliaret. Quod ille ob veterem civitatis gloriam libentissimè suscipiens, Regi omnem seriem exposuit: immeritò Agrippam Iliensibus succensere, cum nec ipse eos de adventu uxoris suæ præmonuerit, neque illi ob nocturnum illius adventum præsentire quidquam potuerint. Herodes verò causam Iliensium suscipiens, veniam multæ eis impetravit, [*Id. ibid.*] et iratum eis Agrippam reconciliavit. [*Josepb. lib. 16. cap. 3.*]

Bosphorani, armis demùm positus, Polemoni traditi sunt; conjuxque Dynamis eidem data: Augusto nimirum id probante. Ob hæc supplicatio Agrippæ nomine fuit: neque tamen is triumphum, etsi decretum sibi, duxit; neque omninò quidquam de his rebus ge-

stis ad Senatum perscripsit. Cujus exemplum pro lege quâdam acceptum posteriores imitati, ne ipsi quidem Senatum per litteras de re gestâ certiores fecerunt; neque triumphum oblatum acceperunt, solis triumphalibus ornamentis contenti. [*Dio, lib. 54. pag. 538.*]

Confectis Ponticis negotiis, Agrippa & Herodes per Paphlagoniam, Cappadociam, ac majorem Phrygiam, terrestri itinere pervenerunt Ephesum; & inde rursûm Samum trajecerunt navigio. [*Joseph. lib. 16. cap. 3.*]

Iliensibus in patriam jam reversis, eo quòd spem omnem impetrandæ veniæ amiserant, Herodes in Paphlagoniam profecturus Agrippæ de mulctæ remissione epistolam Nicolao Damasceno tradidit; qui Chium ac Rhodum, ubi ejus filii morabantur, petebat. Nicolaus igitur Amiso solvens, Byzantii portum tenuit. Inde in Troadem navigans, Ilium ascendit: litterisque de mulctæ liberatione traditis, cum ipse, tum maximè Herodes rex, maximos honores ab Iliensibus consecutus est. [*Nicol. Damascen. ut supr.*]

Agrippa in toto itinere per singulas civitates in multis Herodi gratificatus est; ad ejus præces multorum subveniens necessitatibus. Si cui enim mediatore opus erat apud Agrippam, per neminem alium facilis voti compos factus est. Pro Chiis quoque debitam Cæsaris procuratoribus pecuniam Herodes persolvit, immunitate impetratâ: & aliis item, quacunque in re singulis opus esset, adfuit. [*Joseph. lib. 16. cap. 3.*]

Postquam ventum est in Ioniam, præstò fuit magna multitudo Judæorum, ejus regionis urbes incolentium: qui nacti opportunitatem, questi sunt de indigenarum injuriis; quòd nec legibus suis eos vivere sinerent, & festis diebus traherent ad tribunalia, & sacram pecuniam Hierosolyma mittere vetarent, adigerentque se ad expeditiones & munia publica convertendamque in eos sumptus sacram pecuniam, contra concessa per Romanos privilegia. Has querelas ut Agrippa audiret, Herodes dedit operam; addito eis ex amicorum cohorte Nicolao Damasceno (ex Troade jam reverso) qui causam eorum ageret. Quod cum ille coram Agrippâ (assistentibus Romanorum honoratoribus, & regibus aliquot ac dynastis) copiosè præstitisset: Græci factum minimè inficiati, hoc solum prætexebant, quòd onerosi sibi essent inquilini Judæi. At illi & ingenuos cives se approbaverunt, & sine cujusquam injuriâ patriis legibus vivere. Respondit igitur Agrippa, se & propter Herodem amicum illis gratificari paratum, & quia æquum postulare videbantur: vellèque ut quæ priùs illis concessa erant privilegia rata manerent, neque ipsis quenquam molestum esse, juxta patria instituta viventibus. Tum Herodes assurgens ei gratias egit omnium nomine. Deinde post mutuos complexus male dicto, à Lesbo digressi sunt. [*Id. ibid. cap. 4. & 5.*]

Herodes paucis post diebus secundâ navigatione usus Cæsaream appulit; & inde Hierosolyma petiit. Ibi advocatâ populi concione, rationem eis suæ peregrinationis exposuit, & impetratam immunitatem Judæis per Asiam degentibus. Deinde quò magis eos exhilararet sibi que benevolos redderet, professus est quartam tributorum partem

partem se remittere: quâ illi munificentiam deliniti, omnia fausta Regi comprecati, cum maximâ lætitiâ discesserunt. [*Ibid. cap. 5.*]

3991

Augustus Pontificatum Maximum, quem nunquam vivo Lepido (Triumviro quondam & Pontifici auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit. [*Sueton. in Octavio, cap. 31. Dio, lib. 54. pag. 540. fin.*] pridie Nonas Martias; ut in libro 3. Fastorum indicat Ovidius.

4701

13

Pontifex M. factus, quidquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis authoribus ferebatur, supra duo millia contracta cremavit: ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito; condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. [*Sueton. ut supr.*]

Berytum colonia deducta est, [*Enseb. Chronic.*] Augusti beneficio gratiosa. [*Ulpian. c. Sciendum est. D. de Censib.*] in quâ duæ legiones ab Agrippâ sunt collocatæ. [*Strabo, lib. 16. pag. 756.*]

Herodes, sororis Salomes & fratris Pheroræ calumniis atque artibus adversus Alexandrum & Aristobulum filios ex Mariamme susceptos, accensus, ad frangendos eorum animos Antipatrum filium natu maximum, sed ex matre plebeia & ab ipso adhuc privato genitum, quem in eorum gratiam civitate expulerat, (solis festis diebus eò commeandi facultate concessâ) complecti arctius & fovere palam ad spem successionis coepit: & Cæsari sæpè pro eo scribens, privatim hunc diligentius commendavit. Et precibus illius postremò victus, etiam matrem ipsius Doridem, genere Hierosolymitanam, quam Mariammen ducturus ille repudiaverat, in Regiam induxit. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 17. & lib. 16. Antiquit. cap. 6.*]

3992

Agrippâ post decennalem rerum in Asiâ administrationem (ab eo tempore numeratâ, quo à Cæsare in Syriam & Asiam missus Lesbim permansit) decessuro; ad eum salutandum Herodes navigavit: solum ex filiis secum ducens Antipatrum. Quem Agrippæ cum multis muneribus tradidit Romam ducendum, & recipiendum in Cæsaris amicitiam. [*Id. lib. 16. cap. 6. fin.*]

Agrippa ex Syriâ reversus, in aliud quinquennium tribuniciam potestate prorogatâ, ad Pannonicum bellum gerendum ab Augusto missus est. Cujus adventu exterriti Pannonii, quum à rebellionē destitissent, reversus Agrippa in Campaniâ mortem obiit; corporæque in forum Romanum delato, funebri oratione ab Augusto laudatus est. [*Liv. lib. 136. Dio, lib. 54. pag. 541.*]

4702

12

Antipater illustris factus est Romæ, paternis litteris commendatus amicis omnibus: & licet absens, in Mariammes filios patrem per litteras exacerbare non destitit, quasi de incolumitate ipsius sollicitus; sed reverâ ad speratam regni successionem malis artibus viam sibi præmuniens. [*Joseph. lib. 16. cap. 7.*]

Augustus in Agrippæ locum, ad rerum summam secum administrandam, privignum suum Tiberium invitus adsumpsit; quum nepotes sui (Caius & Lucius) puerilem adhuc ætatem agerent. Itaque Tiberio filiam suam Juliam (Agrippæ viduam) despondit; coacto prius uxorem suam Agrippinam (Agrippæ ex Pomponii Attici filiâ genitam) non sine magno angore animi, relinquere, quæ infantem

Dru-

3993

Drusum ex eo natum jam alebat, & rursus uterum tum ferebat. [*Sueton. in Octavio, cap. 63. & Tiberio, cap. 7. Dio, lib. 54. pag. 543.*]

Herodes, filiis suis Alexandro & Aristobulo inimicus jam factus, Romam cum eis navigavit, coram Cæsare ipsos accusaturus. [*Joseph. lib. 16. cap. 7.*] Nicolaum verò Damascenum secum in eadem navi ducens, unâ cum eo philosophabatur. [*Nicol. Damascen. de Vita sua: in Excerpt. Henr. Valeſii, pag. 421.*]

Romæ Cæsarem non inventum Herodes Aquileiam usque persecutus est: ubi coram eo filios insidiarum in ipsum structarum accusavit. Cùmque adolescentes purgatione, precibus, lachrymis, omnibus qui aderant satisfecissent; à Cæsare demùm patri reconciliati sunt. Tum post actas Cæsari gratias unâ discesserunt; & cum eis Antipater, simulans se gratulari reversis in gratiam. [*Joseph. lib. 16. cap. 7. & 8.*]

Sequentibus deinde diebus Herodes 300. talentis Cæsarem donavit, spectacula edentem Romæ & congiarium populo dividentem. Cæsar vicissim ei donavit dimidium redituum è metallis Cyprii; & reliquum dimidium procurationi ejus commisit: aliisque hospitalibus officiis honorato, liberam potestatem permisit eligendi successorem quemcunque è filiis, aut si mallet distribuendi regni in singulos. Quod cùm ille jam pararet facere; negavit se commissurum quin ille quàm diu viveret tam regnum haberet in potestate quàm filios. [*Id. ibid. cap. 8.*]

Absente Herode Trachonitæ, sparso rumore de ejus interitu, ab eo deficientes ad pristina reversi sunt latrocinia. Sed operâ ducum quos ille in regno reliquerat perdomiti, rursus imperata facere coacti sunt. Quadraginta tamen ex his latronum principes, captorum exemplo territi, relicto patrio solo in Arabiam (Nabatæam) fugerunt: recipiente eos Syllæo (Herodi, propter negatum sororis Salômæ conjugium, infenso) & munitum quendam locum eis concedente. [*Id. ibid. & cap. 13.*]

Herodes & filii domum navigantes, cùm appulissent Eleusam opidum Ciliciæ quod Sebaste mutato nomine dicebatur, offenderunt ibi Archelaum regem Cappadocum. Is excepto Herode perhumaniter, multum gavissus est ob reconciliatos filios, & quòd Alexander ejus gener egregiè refellisset objecta crimina: datisque vicissim regiis muneribus digressi sunt. [*Ibid. cap. 8.*]

In Judæam reversus Herodes, advocatâ in Templum concione, quid eâ in peregrinatione egisset exposuit: declaravitque filios post se regnuros; primùm Antipatrum, deinde ex Mariamme natos Alexandrum & Aristobulum. [*Ibid.*]

3994

Agrippa primus illius nominis Judæorum rex, natus est: annum 54. ætatis agens, quum ab Angelo percussus (A&. XII. 23.) interiit. [*Joseph. lib. 19. cap. ult.*] Circa quod tempus natus est etiam claudus ille; qui plusquàm quadragenarius à Petro ad portam Templi speciosam sanatus est. [*Act. IV. 22.*]

Augustus filiam suam Juliam Tiberio (priùs desponsam) matrimonio conjunxit. [*Dio, lib. 54. pag. 546.*]

4703 II

4704 IO

Cæsa-

Cæsareæ Stratonis structura perfecta est, anno regni Herodis (post Antigoni mortem inchoati) 28^o, Olympiade CXCII. (anno videlicet illius 3^o.) In ejus dedicatione magna fuit celebritas, & apparatus facti sunt sumptuosissimi. Exciti enim sunt ad certamen musici, & athletæ gymnicorum certaminum: ad hæc gladiatorum & ferarum comparatus magnus numerus, & quicquid hujus generis in pretio est tam Romæ quàm apud gentes cæteras. Consecratum autem est hoc quoque certamen Cæsari, instaurandum per singula quinquennia. Hunc omnem apparatus Herodes suo sumptu magnâ ambitione undecunque curavit convehis, multa in hoc conferente etiam uxore Cæsaris *Fulsiâ*, (ita enim *Liviam* Josephus semper appellat:) ut omnibus computatis sumptus ad 500. talenta accederet. Congregatâ igitur ingenti multitudine spectaculorum gratiâ, legationes quæ à diversis populis mittebantur ob accepta beneficia, omnes excepit diversoriis & mensis & continuis hilaritatibus; dum hominum frequentia spectaculis se totos dies exercet, noctu verò conviviiis. [*Joseph. lib. 16. cap. 9.*]

3995

Post hanc celebritatem & festos dies aliud opidum extruere cœpit Herodes in campo Capharfabâ, (vel Capharfulamâ, I Maccab. VII. 31.) quod à patris nomine Antipatridem appellavit; & castellum, matris nomine Cypron dictum. In honorem etiam defuncti fratris turrim in urbe Hierosolymitanâ pulcherrimam extruxit Pharo non mirum, Phasaëlum vocatam: deinde ejusdem nominis opidum circa vallem Jerichuntis, ex quo ager etiam Phasaëliticus appellatus est. [*Id. ibid.*]

Asiatici & Cyrenenses Judæi, per legatos apud Augustum conquærentes quod à Græcis non sinerentur uti patriis institutis & immunitate sibi à Romanis concessâ, rescripta ab eo pro jure suo conservando obtinuerunt. [*Id. ibid. cap. 10.*]

47059

Herodes nimiam profusione exhaustis opibus, pecuniis opus habens, Johannis Hyrcani exemplo, noctu insciam plebe, Davidis reclusit sepulchrum: in quo pecuniam quidem non invenit, sed mundi pretiosi & aureæ suppellectilis vim magnam inde sustulit. Ad cujus facti expiationem, in aditu sepulchri monumentum è candido marmore condidit sumptuosissimum. Ejus operis, sed non descensus Regis in sepulchrum, Nicolaus Damascenus meminit; qui regis sui Herodis adhuc viventis res gestas scriptis mandavit. [*Id. ibid. cap. 11.*]

Antipater per alios Alexandrum & Aristobulum fratres involvens falsis criminationibus, patrocinium eorum sæpe simulabat; ut, approbatâ suâ benevolentiam, facilius juvenes clam posset opprimere: atque talibus versutiis circumveniebat patrem, ut putaret hunc solum incolumitatis suæ curam gerere. Quapropter etiam Ptolemæum procuratorem suum Rex Antipatro commendavit, & cum matre ejus (Doride) omnia communicavit consilia: ad eum ut nihil non horum arbitrato gereret, & infensum eum redderent his quos exosos Regi esse ipsorum intererat. [*Ibid.*]

Pheroras in amorem ancillæ propriæ tam insanum incidit, ut oblata sibi in conjugium à rege Herode fratre filiam Cypron fastidierit, licet à Ptolemæo procuratore Regis persuasus, ancillam se ablegaturum,

X x x

rum, & intra 30 dies nuptias cum Cypro sese celebraturum, Regi fuisse pollicitus. Idemque Herodem apud filium Alexandrum inculpavit, quasi à Salomé sorore audivisset (quod illa tamen inficiata est) cum ardentem amare uxorem ipsius Glaphyram. Ob quorum utrumque magnâ in offensâ apud Regem fuit. [*Ibid.*]

3996

Morbo affectus est ille, qui ad piscinam Bethesdam Hierosolymis decumbens, post annos 38. sanitati à Christo restitutus est. [*Jo- hann. V. 5.*]

47068

Alexander, adversariorum technis penè ad desperationem redactus, per socerum Archelaum Cappadocum regem, in Judæam adventantem, patri reconciliatus est. [*Joseph. lib. 16. cap. 11. & 12.*]

Archelaum, in summam amicitiam receptum & cum pretiosissimis muneribus in Cappadociam dimissum, Herodes Antiochiam usque comitatus est: ubi præsidem Syriæ Titum illi reconciliavit, atque ita in Judæam reversus est. [*Ibid. cap. 12.*]

Herodes tertio Romam ad Cæsarem est profectus. [*Ibid.*]

Dum is à regno abesset, latrones Trachonitæ qui ad Syllæum Arabem se receperant excursionibus non Judæam tantum infestabant sed totam etiam Coelesyriam, abigebantque prædas in sua receptacula; Syllæo præbente impunitatem & securitatem maleficiis. [*Ibid. cap. 13.*]

Augustus Pontifex Maximus annum à Julio Cæsare ordinatum, sed postea negligentiam conturbatum atque confusum, rursus ad pristinam rationem redegit. [*Sueton. in Octavio, cap. 31.*] In annis enim 36. intercalati fuerant dies 12. cum debuerint intercalari 9. Augustus igitur annos 12. sine intercalari die transigi jussit: ut illi tres dies, qui per annos 36. vitio sacerdotalis festinationis excreverant, sequentibus annis 12. nullo die intercalato devorarentur. [*Plin. lib. 18. cap. 25. Solinus, cap. 3. Macrobi. lib. 1. Saturnal. cap. 14.*]

In anni ordinatione Sextilem mensem è suo cognomine Augustus nuncupavit, magis quam Septembrem quo erat natus: quia hoc sibi & primus Consulatus & insignes victoriæ obtigissent. [*Sueton. ut supr. Dio, lib. 54. pag. 552.*] De quo videnda ipsius Senatusconsulti verba apud Macrobium, lib. 1. Saturnal. cap. 12. ubi etiam plebiscitum factum ob eandem rem memorat, Sexto Pacuvio tribuno plebem rogante. Factum verò hoc fuisse, C. Marcio Censorino & C. Afinio Gallo Consulibus. Censorinus in lib. de die Natali cap. 22. & Dio libro 55. confirmat.

In eorundem Consulatu Romæ secundum civium censum actum fuisse, in quo 4233000. cives Romani numerati fuerint, ex Ancyrani lapidis fragmentis colligitur. [*Inscript. Græcæ. pag. CCXXX.*] Apud Suidam in Αὐγύστῳ, longè minor censitorum habetur numerus, 4101017. qui tamen non pro Urbis tantum sed pro Orbis etiam Romani censu ridiculè nobis ibi obtruditur.

Herodes (Româ reversus) Templi, intra annos 9. & dimidium à se instaurati, Encænia celebravit: ipso regni (à Senatu primum accepti) die natali, quem anniversariâ hilaritate solitus erat colere. Ubi Rex boves 300. alii, pro suis quisque facultatibus, victimas innumeras

3997

meras Deo mactaverunt. [*Joseph. lib. 15. cap. ult.*]

Quum Herodes comperisset, se absente, multa damna suis à Trachonitis latronibus illata, neque posset eos in potestatem redigere, quòd essent sub tutelâ Arabum; nec tamen injuriam acceptam concoqueret: perlustrato Trachone, interfecit eorum domesticos. Quo factò illi irritiores, (maximè quòd legem haberent quæ juberet domesticorum cædem inultam non sinere) contempto periculo, totam Herodis ditionem agendo & ferendo perpetuis vexabant incursionibus. [*Id. lib. 16. cap. 13.*]

Quum principatum depositurum Augustus præ se ferret, altero illius decennio ad finem jam accedente, quasi invitus iterum illum suscepit: & in Germanos bellum molitus, misso adversus eos Tiberio, ipse domi substitit. [*Dio, lib. 55. pag. 551. fin.*] Militibus verò, quòd Caium tunc primùm militaribus exercitiis deditum secum habebant, pecuniam largitus est. [*Ibid. pag. 552.*]

Dionysius Halicarnassæus, Olympiade CXCIII. Claudio Tiberio Nerone II. & Cn. Calphurnio Pisone Cos. Antiquitatum Romanarum libros coepit scribere: ut in eorum Præfatione ipse indicat. Qui ut à Clemente Alexandrino in libro 1. Stromatum inter Chronographos, ita à Quintiliano in lib. 3. cap. 1. inter claros Rhetoras numeratur.

Herodes ad Syriæ præfides à Cæsare constitutos Saturninum & Volumnium (Procuratorem) mittens, latrones Trachonitas, qui ex Arabum Nabatæorum finibus ditionem ipsius perpetuis incursionibus vastabant, deposcebat ad supplicium. Illi, hoc audito, numero ad mille accrescentes, repentinis insultibus agros simul & vicos populari coeperunt, & jugulare quotquot in manus eorum inciderent. Quare Herodes & latrones sibi dedi postulabat, & 60. talenta quæ Obodæ per Syllæum commodaverat repetebat. Syllæus verò, qui detruso à regimine Obodæ ipse administrabat omnia, inficiabatur eos latrones esse in Arabiâ, & pecuniam differebat reddere de quâ disceptabatur apud Saturninum & Volumnium. Tandémque illis authoribus convenit, ut intra 30. dierum spatium & debitum redderetur, & ex utroque regno restituerentur perfugæ; [*Joseph. lib. 16. cap. 13.*] Syllæo apud Berytum coram Syriæ præfidibus illis per Cæsaris fortunam jurante, omnino intra 30. eos dies exhibiturum se & pecuniam, & Herodis perfugas. [*Ibid. cap. 16.*]

Postquam advenit præstitutus terminus, Syllæus stare nolens conventis Romam profectus est. Herodes verò, Saturnino & Volumnio permittentibus ei contumaces armis persequi, cum exercitu invasit Arabiam; septem mansiones emensus triduo. Cùmque pervenisset ad castellum in quo se latrones continebant, primo impetu id cepit: ipsamque munitionem nomine Ræptam diruit, nullo alio damno dato regionis incolis. Et quum in eorum auxilium procurrisset dux Arabum Nacebus, commissum est prælium: in quo pauci ex Herodianis, Arabum verò circiter 25. cum ipso duce ceciderunt; reliqui in fugam compulsi sunt. Hoc modo latrones ultus, Idumæorum tria millia in Trachonem deduxit, ut coërcerent ibi latrocinia: & ad duces Romanos agentes in Phœniciâ dedit litteras, quibus eos certiores fecit, quòd

47077

in contumaces tantum Arabas concessio ab eis jure usus sit, nihilque egerit præterea, quod & ipsorum inquisitione postea verum comper- tum est. [*Ibid. cap. 14.*]

3998 Sed aliter Romam properatis nunciis Syllæo relatum est, suo more exaggerantibus omnia. Quibus mendaciis ita accensus à Syllæo Cæsar est, ut minaces ad Herodem scripserit litteras, quod exercitum extra regni sui fines eduxisset: legatosque ad agendam causam suam missos primum ne admisisset quidem, iterum verò audiri petentes in- fecto negotio dimiserit. [*Ibid. cap. 15.*]

Eâ occasione usi Trachonitæ, Idumæorum custodiam, quam illis imposuerat Herodes, juncti Arabibus vexabant: quod Herodes, irâ Cæsaris territus, ferre cogebatur. [*Ibid.*]

Defuncto Obodæ in Arabum (Nabatæorum) regnum successit Aeneas, mutato nomine Aretas dictus. Hunc Syllæus, Romæ agens, per calumnias pellere conabatur, & sibi principatum usurpare: multa pecuniam partitus in aulicos, multa etiam Cæsari daturum se pol- licitus; quem iratum sciebat Aretæ, quod se inconsulto ausus esset regni habenas suscipere. [*Ibid.*]

Caius & Lucius, Augusti ex adoptione filii, in principatu educati, ex molliore vitâ etiam audaciores fiebant. Lucius quippe, eorum na- tu minor, injussu in theatrum ingressus, quum omnium applausu exci- peretur; auctâ licentiâ ausus est petere, ut Caio fratri, nondum ex ephebis egresso, Consulatus daretur. Quo audito, Augustus optavit, ne talis ulla temporum ei necessitas eveniret, qualem olim ipse sen- serat; ut Consulatus ei mandandus esset, qui nondum vicefimum an- num attigisset. Et cum nihilominus filii hoc ab ipso contenderent; tum demum dicebat hunc magistratum alicui esse suscipiendum, quum & ipse à peccando sibi cavere, & populi cupiditatibus posset resistere. Deinde sacerdotium Caio, utque in senatum ire ac inter senatores spectaculis epulisque interesse liceret, dedit. [*Dio, lib. 55. pag. 354.*] Atque ut ambo etiam, necdum positâ puerili prætextâ, Principes juventutis appellari & destinari Consules, specie recusantis flagran- tissimè cupiebat. [*Tacit. Annal. lib. 1. cap. 3.*]

Ut tamen aliquâ ratione eos modestiores, tanquam privatos, officere- ret; Tiberio tribunitiam potestatem in quinquennium concessit; & Armeniam, quæ post Tigranis (regis in eâ à Tiberio collocati) obitum defecerat, attribuit. Hoc frustra ab Augusto factum, & hos, & Tiberi- um offendit: hos, quod se spretos judicabant, Tiberium, quod iram eo- rum veritus in Armeniam non abiit, sed Rhodum se contulit. [*Xiphil. & Zonar. ex Dione.*] Specie quidem ut ingenium quibusdam adhuc disci- plinis excoleret; revera autem, ut à conspectu se eorum & actioni- bus subduceret. [*Dio, ibid. & in Excerptis ab Hen. Valesio editis. pag. 662.*] ne fulgor suus orientium juvenum obstaret initiis. [*Vellæ. Pa- tercul. lib. 2. cap. 99.*] Sic enim quidam existimabant; adultis jam Au- gusti liberis, loco & quasi possessione usurpati à se diu secundi gradus sponte cessisse: exemplo M. Agrippæ, qui M. Marcello ad munera publica admoto, Mirylenas abierit; ne aut obstare, aut obtroctare præsens videretur. Quam causam & ipse, sed postea, reddidit. [*Sue- ton. in Tiberio cap. 10.*]

Non

47086

Non desunt tamen qui id ab eo factum putent propter Juliam uxorem; quam neque criminari aut dimittere auderet, neque ultra perferre posset. [*Sueton. ibid. Dio; in Excerpt. pag. 662.*] Alii ægrè eum tulisse dicunt, quòd non esset adoptatus Cæsar. Nonnulli affirmant amandatum esse ab Augusto, quòd ejus filius infidiaretur. [*Dio, ibid.*]

Tunc autem, dissimulatâ causâ consilii sui, satietatem honorum ac requiem laborum præterens, commeatum à socero, atque eodem vitrico, Augusto petiit. [*Vellei. Patere. lib. 2. cap. 99. Sueton. in Tiber. cap. 10.*] Neque aut matri suppliciter precanti, aut vitrico, deserti se etiam in senatu conquerenti, veniam dedit. Quin & pertinaciùs retinentibus, cibo per quatrimum abstinuit. Factâ tandem abeundi potestate, relictis Romæ uxore & filio, confestim Ostiam descendit: ne verbo quidem cuiquam prosequentium reddito, paucosque admodum in digressu osculatus. [*Sueton. ibid.*] Discedens tamen testamentum resignavit, & coram matre atque Augusto recitavit. [*Dio, in Excerptis Valesii. pag. 662. 665.*]

Ab Ostiâ oram Campaniæ legens, imbecillitate Augusti nuntiata, paulum substitit. Sed increbrescente rumore, quasi ad occasionem majoris spei commoraretur, tantum non adversis tempestatibus Rhodum enavigavit. [*Sueton. in Tiber. cap. 11.*] iter ipsum privati instar peragens; nisi quòd Parios statuum Vestæ sibi vendere coëgit, quam in Concordiæ templo dedicaret. [*Dio, in Excerpt. pag. 662.*]

Rhodum verò adveniens, modicis contentus ædibus, nec multo laxiore suburbano, genus vitæ civile admodum instituit, sine lictore aut viatore gymnasia interdum obambulans; mutuâque cum Græculis officia usurpans; prope ex æquo. [*Sueton. ut supr.*] Omnes tamen proconsules legatique, in transmarinas profecti provincias, visendi ejus gratiâ ad eum convenientes, semper privato fasces suos summisserunt; falsique sunt orium ejus honoratius imperio suo. [*Vellei. Patere. lib. 2. cap. 99.*] Atque in eo otio Theodorum Gadareum rhetorem, qui se dici maluit Rhodium, studiosè audiit. [*Quintilian. lib. 3. cap. 1.*]

Magna conjunctio Planetarum facta est: cujusmodi unica, 800 annorum spatio interposito, solet contingere.

Æneas, qui & Aretas, novus Arabum Nabatæorum rex, litteras cum muneribus misit ad Cæsarem; & in his multorum talentorum coronam auream. In litteris Syllæum accusabat, cum ob alia crimina, tum quòd nequissimus servus veneno sustulisset Obodam, cujus etiam vivi invasisset principatum. Sed legatos Cæsar audire non dignatus, eorumque munera aspernatus, re infectâ eos dimisit. [*Ioseph. lib. 16. cap. 15.*]

Herodes malis & insolentiâ Arabum coactus, legatum Romam Nicolaum Damascenum misit, tentaturum si quid æqui per amicos impetrare posset à Cæsare. [*Id. ibid.*]

Herodis cum filiis suis ex Mariamme susceptis diffidium vehementer exacerbatum est artibus Euryclis Lacedæmonii; illius (ni fallor) qui ante annos 25. Antonium à pugnâ Actiâ fugientem persecutus, jam Herodis hospitio usus & apud Antipatrum diversatus, in Alexan-

dri gratiam sese insinuaverat. Ob quem proditum quum 50. talenta ab Herode accepisset, ad socerum illius Archelaum se contulit, & operam suam in conciliandâ Alexandro patris gratiâ prædicabat. Unde, ab eo quoque acceptâ pecuniâ, in patriam properè est reversus: ubi quum similibus artibus uteretur, Lacedæmone pulsus est in exilium. [*Id. ibid. cap. 16.*]

Herode, inquisitione in filios institutâ, plurimos ex amicis, tam suis quàm ipsorum, acerbitate tormentorum interemit; nec tamen aliud quicquam mali comperit, nisi liberiores quasdam improvidorum juvenum querelas de sævitiâ immodicâ patris, de turpi ejusdem facilitate præbentis aures quibuslibet delatoribus, de impietate ac nefariis fraudibus Antipatri fratris & conjunctæ factionis: quibus malis ut se expedirent juvenes, de fugâ ad Archelaum capeffendâ consultâsse dicebantur, nec id ipsi quoque negabant. Quos tamen Herodes, quasi convictos insidiarum in patrem conjecit in vincula; in eos sæviturus, prout res suæ Romæ tulissent. Atque hæc de re litteras ille ad Cæsarem misit per Voluminum (militiæ magistrum; ut in libro 1. Belli cap. 17. Josephus eum nominat) & Olympium (amicum:) quos & jussit ut inter navigandum ad Eleusam opidum Ciliciæ appellerent, ibique cum Archelao, quod horum conaruum esset particeps, expostularent. [*Ibid.*]

Romæ Nicolaus Damascenus, junctus Arabibus qui ad Syllæum accusandum venerant, ejusdem se accusatorem professus est apud Augustum, non Herodis defensorem; ne sicut antè cæteri repelleretur. Cùmque multa ejus crimina patefecisset, etiam addidit Cæsarem ejus mendaciis in Herodis causâ circumventum. Quæ cum apertè retexisset, & certis legitimisque scriptis confirmâset: Syllæum Cæsar damnatum in provinciam remisit, ut postquam satisfacisset creditoribus poenas daret. [*Ibid.*]

Hinc Aræ & Herodi reconciliatus Augustus; illius quidem munera dudum rejecta recepit, eique regnum Arabicum suâ autoritate confirmavit: Herodi verò per litteras consuluit, ut indicto apud Berytum conventu, & adhibitis Syriæ præsidibus cum rege Cappadocum Archelao aliisque amicis & viris illustribus, de re totâ filiorum decerneret. [*Ibid.*]

In insulâ Coo terræmotu plurima conciderunt. [*Ensch. Chronic.*]

Zachariæ Sacerdoti ex classe Abiæ in Templo Domini suffitum facienti secundum ritum functionis sacerdotalis, [*Exod. XXX. 7, 8*] angelus Gabriel (qui olim definitis annorum Hebdomadibus Danieli adventum Messiæ annunciaverat) ad dexterum altaris suffitus apparuit; Johannem filium, Nazaræum & Præcursorem Domini, in spiritu & virtute Eliæ, nasciturum ei senî uxoriq; Elizabethæ & provectæ ætate & sterili, annuncians. Cui promissioni non credens Zacharias, mutus redditus est. [*Luc. I. 5. — 22.*]

3999

Zachariâ impletis diebus ministerii sui domum reverso, uxor ejus Elizabetha concepit: et occultavit se menses quinque, dicens; *Ita mihi fecit Dominus diebus quibus me intuitus est, ut auferret probrum meum inter homines.* [*Ibid. 23, 24, 25.*]

Hero-

Herodes, acceptis Augusti litteris, supra modum gavisus, tum quòd rediisset ingratiàm, tum propter concessam sibi statuendi de filiis potestatem liberam; Berytam convocavit per nuncios quotquot visum erat Cæsari, uno Archelao excepto: filiis, non longè ab urbe, in Platane vico Sidoniorum detentis. Ibi primus Saturninus, vir consularis multisque defunctus honoribus, protulit sententiam moderatam circumstantiis: damnare se quidem Herodis filios, non tamen censere interficiendos. Post illum ipsius tres filii, qui legati patris erant, eandem sententiam tulerunt. Contrà Volumnius capite plectendos pronuntiavit, qui tam impii erga parentem fuerint: quem deinceps major pars secuta est. Moxque inde Herodes Tyrum eos secum duxit: quòd cum Nicolaus appulisset à Româ veniens, de filiorum causâ cum illo collocutus, secum illum Cæsaream navigare iussit. [*Joseph. lib. 16. cap. ult.*]

Hic quum vetus quidam Regis miles, Tiro dictus liberius eum destinati in filios facinoris arguisset; eum, & militum ductores 300, quos ejusdem cum ipso sententiæ fuisse ille indicaverat, Herodes victos iussit servari in carcere. Eâ occasione Trypho tonsor Regis accedens ait se non semel à Tirone sollicitatum ut guttur ei, inter curandum, novaculâ præcideret. Moxque tortus est & tonsor & Tiro cum filio: qui videns patrem sævissimè tractatum, ut tormentis eriperet, intentatæ in Regem cædis malè misericors eum accusavit. Tum Herodes, productis in concionem 300 ductoribus militum, unâ cum Tirone & filio tonsorèque indice, omnes accusavit apud populum: in quos multitudo quicquid ad manus veniret conjiciens, ad unum eos interfecit. [*Id. ibid.*]

Alexander & Aristobulus ducti Sebasten, ibi iussu patris sunt strangulati: & corpora eorum in castello Alexandrio recondita sunt; ubi maternus eorum avus Alexander & plerique ex progenitorum serie sepulti fuerant. [*Id. ibid. & lib. 1. Belli, cap. 17. fin.*]

Augustus, duodecimo Consulatu suscepto, Caium filium togâ virili datâ in forum deduxit, Principem juventutis designavit, & præfectum tribus esse iussit. [*Sueton. in Octav. ca. 26. & Zonar. ex Dione.*] Principis verò illum titulum ab universis equitibus Romanis illi hastis argenteis donato fuisse tributum, ipse Augustus in rerum suarum Breviario indicat: ubi & de Consulatu, Caio simul & Lucio tum decreto adjicit. *Honoris mei causâ Senatus populûsque Romanus annum quintum & decimum tum agentes Consules designavit, ut eum magistratum inirent post quinquennium ex eo die quo deducti in forum.* Ita lapis Ancyranus, in Gruteri inscriptionib. [*pag. CCXXXI.*] quum in alio Romano lapide, Caium *Populus Consullem creavisse* (id est, designavisse) dicatur, *annos natum XIV.* Hoc enim tempore, ætatis annum XIV. ille compleverat, & XV. ingressus fuerat.

Antipater, sublatis fratribus, patrem quoque de medio tollere stavit. Et quum pluribus in regno se odiosum esse non ignoraret, muneribus sibi eorum animos, tam Romæ quàm in Judæâ, satagit adjungere: imprimisque Saturnium Syriæ præsidem, cum patris sui fratre Pherorâ & sorore Salômæ. [*Joseph. lib. 17. cap. 1.*]

Hero-

47095

Herodes filii Alexandri viduam Glaphyram ad patrem Archelaum Cappadocum regem remisit: additâ etiam dote ex fisco regio, nequid eâ de causâ exoriretur controversiæ. Pupillorum verò Alexandri & Aristobuli curam ipse gerebat singularem. Quod cum ægerrimè ferret Antipater, timens ne adulti potentiæ ipsius officerent, eis perniciem moliebatur: flexitque precibus Herodem, ut ipsi filiam Aristobuli ducere permitteret, & filio suo patruum Pheroræ filiam. [*Ibid.*]

Zamarim Judæum Babylonium invitavit Herodes, & agrum in Trachonitide illi incolendum dedit, ut esset regioni toti præsidio adversus latrocinia. Is cum 500 equitibus & 100 cognatis adveniens, varia variis in locis per Trachonem erexit castella, & urbem Bathyræ; unde Judæis, è Babyloniâ Hierosolymam ad festos dies per tentibus, securum iter commeatumque præbebat adversus Trachonitarum & aliorum latrocinia. [*Ibid. cap. 2.*]

Antipater patri struens insidias, patruum Pheroram sibi adjunxit, & mulieres regias Phariseorum sectæ addictissimas, Salomé exceptâ, quæ fratri Herodi constanter adhærebat. Erant Pharisei genus hominum astutum, arrogans, & regibus infestum. Unde quum tota Judæorum gens fidem suam jurejurando obligassent Regi & Cæsari; hi soli non juraverunt, excedentes sex millium numerum. Quibus hoc nomine à Rege multatis, Pheroræ uxor pro eis multam persolvit. Cui reponentes gratiam, quoniam credebantur futura prædicere ex Dei colloquiis, prædicebant, decretum esse Deo regnum ablatum ab Herode & ejus progenie transferre in ipsam & maritum Pheroram ac communes liberos. Hæc res Regi per Salómen innotuit; & quòd aulicos quosdam sollicitarent muneribus atque corrumpent. Quâ in culpâ Phariseorum aliquos deprehensos interfecit, præcipuos autores hujus consilii: cumque his Bagoam eunuchum, & suas delicias Carum, præstantissimæ formæ gratiâ sibi commendatum; & præter hos, quoscunque è domesticâ familiâ cum Phariseis conspirasse ipsorum indicio compererat. [*Ibid. cap. 3.*]

Herodes, convictis Phariseis & supplicio traditis, amicorum concilium advocavit; & apud eos Pheroræ uxoris accusationem instituit. Cumque eam Pheroras fratris gratiâ nollet dimittere; Antipatro interdixit Pheroræ consuetudine. [*Ibid.*]

Antipater, ad avertendam patris de se suspicionem, per amicos Romæ degentes curavit ut ad Augustum à patre quamprimum mitteretur. Quo factò, misit eum Herodes cum pretiosissimis muneribus & Testamento: in quo ipsum Antipatrum regem declarabat, aut si ille prior vitâ decederet, Herodem natum sibi ex Mariamne Simonis Pontificis filiâ. [*Ibid. cap. 4.*]

Sexto post conceptum Johannem mense, angelus Gabriel Nazaretham in Galilæâ missus à Deo est ad beatissimam Virginem Mariam, Josepho ex eadem cum ipsâ stirpe Davidicâ desponsatam. Qui, eâ salutatâ, Filium Dei ipsam parituram, & sacratissimo J E S U nomine cum nuncupaturam, annunciavit. Illa verò, de mirabili conceptionis modo, per supervenientis Spiritus sancti virtutem perficiendâ, ab Angelo

gelo pleniùs edocta, summâ cura fide dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* [Luc. I. 26, — 38.]

Ita Christo concepto, mater Domini in montanam regionem cum festinatione profecta est, in urbem Juda. (*Hebronem*; urbem Sacerdotalem, in montanis Judææ positam. [Fosq. XXI. 10, 11.]) Ubi quum domum Zachariæ Sacerdotis ingressa cognatam suam Elizabetam salutavisset; illa subsultantem sentiens foetum in utero suo, repleta Spiritu sancto beatam prædicavit Mariam quæ credidit, & perficienda ea quæ dicta fuerant ei à Domino confirmavit. Cui pro responso beata Virgo (Hannæ imitata Canticum. I Samuel. II. 1.) divinum illum Hymnum retulit: *Magnificas anima mea Dominum, &c.* Et mansit Maria cum illâ quasi menses tres. [Luc. I. 39. — 56.]

Syllæum Arabem, nihil eorum quæ Cæsar imperaverat peracto, Romam profectum Antipater eorundem criminum reum egit apud ipsum Cæsarem, quorum Nicolaus Damascenus antea. Accedebat & alter accusator Aretas (Nabatæorum rex) multorum honoratorum cædes apud Petram se invito patratas objiciens, & Sohemi maximè, hominis in omni virtute præstantissimi. Objecta illi itidem & Fabati procuratoris Cæsaris cædes est. [Fosq. lib. 1. Belli, cap. 18. & lib. 17. cap. 4.]

Pheroram obstinatè permanentem in amore conjugis Herodes in ipsius tetrarchiam ablegavit; quod ille fecit libenter, addito jurejurando nunquam se rediturum, nisi Herodis mortè cognitâ. Itaque paulo post ægrotantem Herodem, quanquam sæpe accitus ad accipienda quædam secretiora mandata tanquam à morituro, propter sacramenti religionem visere recusavit. [Fosq. lib. 1. Belli, cap. 19. & lib. 17. Antiquis. cap. 5.]

Quum Elizabetæ completum esset tempus ad patiendum, peperit filium. Quem quum octavo die circumcidendum adstantes *Zachariam* patris nomine appellari vellent; *Johannem* nominandum parentes significaverunt. Zacharias verò, loquelæ usu restituto, repletus Spiritu sancto prophetavit, dicens: *Benedictus Dominus Deus Israël, &c.* [Luc. I. 57, — 68.]

Josephus prægnantem reperiens Mariam sponsam suam, voluit clam eam dimittere. Sed ab Angelo per quietem admonitus, concepisse eam ex Spiritu sancto, & parituram filium JESUM, qui servaturus esset populum suum à peccatis ipsius; recepit uxorem suam. [Matth. I. 18, — 24.]

Pheroram in morbum incidentem frater Herodes, valetudini præter spem restitutus, invisit & humanissimè curatum voluit: sed paucis post diebus ille mortuus est. Cujus corpus Hierosolyma translatum Herodes sepeliit, & publico luctu honoravit. [Fosq. lib. 1. Belli, cap. 19. & lib. 17. Antiquis. cap. 5.]

Taphenitæ duo, è libertis Pheroræ charissimi, veneno illum à Doride matre Antipatri sublatum fuisse, Herodi indicârunt. Quod facinus dum tormentis Herodes inquireret, paulatim alia longè majora scelera & manifestas infidias Antipatri filii comperit. Lethale enim venenum, ex Ægypto à Theudione fratre Doridis per Antiphilum

unum ex amicis Antipatri missum, ad patrem tollendum Antipater Romam profecturus Pheroræ tradiderat; ut suspicio patricidii in absente filio non hæreret. [*Id. lib. 17. Antiqu. cap. 6.*]

Hinc Herodes uxorem suam Doridem, Antipatri matrem, multorum talentorum ornamentis spoliatam eiecit è regiâ. Alteram etiam uxorem Mariammen, Pontificis filiam, ut secretorum horum omnium participem, abiecit; & filium ejus è Testamento delevit, ubi successor destinatus fuerat. Socerò quoque Simoni Boëthi filio Pontificatu privato surrogavit Matthiam Theophili filium Hierosolymitanum genere. [*Id. ibid.*]

4000

Die expiationis, quo solenne à Judæis celebratur Jejunium, novus Pontifex Matthias rem divinam facere non potuit, nocturnam passus pollutionem. Itaque Josephus Ellemi filius, adjutor vicarius propter cognationem ei datus, eo die in Sanctum Sanctorum est ingressus. [*Id. lib. 17. cap. 8.*]

Bathyllus libertus Antipatri Româ veniens, subjectus quæstionibus factus est attulisse se venenum quod daret patroni sui matri & Pheroræ; ut si prius illud parùm fuisset efficax, hoc posteriore Herodem aggredierentur. Simulque venerunt ad regem ab amicis Romæ degentibus litteræ, instinctu Antipatri scriptæ: in quibus Archelaus & Philippus Herodis filii accusabantur, quòd crebrò crimen patris refricarent de cæde Alexandri & Aristobuli, miserarenturque farum germanorum innocentium. Erant enim tum Romæ in studiis adolescentuli: còsque jam pater redire præceperat. Unde amicos illos magnis corrupit mercedibus, ut fratres imminentes spei suæ patri suspectos redderent: quum ipse etiam per se ad patrem de illis scriberet, quasi eos excusans, & verba eorum ætati imputans. [*Id. lib. 17. Antiqu. cap. 6. & lib. 1. Belli, cap. 20.*]

Prodiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur totus Romanus orbis. Quæ descriptio prima facta est præsidente Syriæ Cyrenio. [*Luc. II. 1.*] Unde libellus postea ab Augusto est confectus, in quo opes publicæ continebantur: quantum civium, sociorumque in armis; quot classes, règna, provinciæ, tributa, aut vectigalia, & necessitates ac largitiones. [*Tacit. lib. 1. Annal. cap. 11.*]

Hic à Græcis *Kuplwi* & *Kueini* dictus, P. Sulpicius Quirinius est; qui ante septennium Romæ Consulatum gessit: de quo, in libro 12. [*pag. 569.*] Strabo, de Homonadensibus Ciliciæ populis verba faciens. *Ipsos Quirinius fame expugnavit, & quater mille viros cepit, quos in urbes vicinas distribuit: eorum verò regionem omni juventute exhaustam reliquit.* et Tacitus, libro 3^o Annal. cap. 48. *Impiger militia, & acribus ministeriis consulatum sub D. Augusto; mox expugnatu per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphu adeptus.* Statutum autem ab ipso Augusto fuerat; ne magistratus deposito honore statim in provincias mitterentur: [*Sucton. in Octavio, cap. 36.*] sed post quintum demùm à gesto in Urbe magistratu exactum annum. [*Dio, lib. 53. pag. 505.*]

Hinc Ciliciæ proconsulatum tunc obtinens Quirinius, in vicinam Syriam mitti potuit; vel ut Censitor, cum potestate extraordinariâ,
vel

vel ut Procurator Cæsaris cum ordinariâ : & ipso Ciliciæ, & Sentio Saturnino Syriæ Proconsulatum adhuc tenente. Nam & Volumnium & Saturninum, à Josepho similiter Syriæ *ἡγεμόνας* sive *Præsides* non semel dictos audivimus : quum Volumnius *ἑταῖρος* tantum fuerit (ut in lib. 1. Belli, ca. 17. eum appellatum videmus) sive *Procurator*. Atque ut paulo post in Proconsulatus dignitate Saturnino Quintilius Varus successor datus est; ita nihil obstat, quo minus Quirinius in negotiorum Cæsaris procurandorum officio Volumnio nunc vel successisse dici possit, vel accessisse, quomodo Herodem regem, *Συρίας ὄνους ἑταῖρον*, Syriæ totius Procuratorem ab Augusto constitutum Josephus notat : [lib. 1. Belli, cap. 15.] quod Syriæ procuratoribus ita esset adjunctus, ut ex ejus sententiâ facienda essent omnia. [lib. 15. Antiquit. cap. 13.] Atque ita utrumque constabit : & quod habet Tertullianus, [lib. 4. contra Marcion. cap. 19.] *census actos sub Augusto in Judæâ per Sentium Saturninum*; & quod verba Evangelistæ præferunt, eandem factam esse descriptionem *presidentē Syriæ Cyrenio* vel Quirinio. cujus ille potius quàm Saturnini præfecturæ mentionem facere hic maluit; quia præsentem descriptionem cum alterâ post decennium, relegato in exilium Archelao, ab eodem Quirinio peractâ conferre voluit : ex duobus Quirinii censibus, cum qui cum nativitate Christi conjunctus erat *primum* fuisse declarans.

Dum prior verò ageretur hic census, ascendit Josephus à Galiliâ, ex urbe Nazarethâ, in Judæam, in urbem Davidis quæ vocatur Bethlehem, propterea quod erat ex domo & familiâ Davidis : ut describeretur cum Mariâ uxore, quæ erat prægnans. [Luc. II. 4, 5.]



ÆTAS MUNDI SEPTIMA.

JESUS CHRISTUS, Dei filius, in temporis plenitudine, Bethlehemi ex beatissimâ Virgine Mariâ natus est. [Matth. I. 25. & II. 15. Gal. IV. 4.] quem illa fasciis involutum reclinavit in præsepi : eo quod non esset locus in diversorio. [Luc. II. 7.]

Servatoris nativitas pastoribus in agro vicino nocte gregem suum custodientibus per Angelum Domini revelata est : sermonem illius excipiente multitudine exercituum cœlestium, gloriam Deo, terræ pacem, & hominibus benevolentiam comprecantium. Pastores Bethlehemam festinantes, invenerunt Mariam & Josephum, & infantem jacentem in præsepi; & divulgaverunt id quod dictum fuerat ipsis de puerulo illo : & reversi sunt, glorificantes & laudantes Deum. [Luc. II. 8, — 20.]

Octavo à nativitate die circumcisus est puerulus; & vocatum est nomen ejus JESUS, quod indicatum fuerat ab Angelo priusquam ipse in utero conciperetur. [Luc. II. 21.]

Magi ab Oriente, duce Stellâ, Hierosolymam ad regem Herodem venien-

venientes, ibique edocti locum Christi natalem esse Bethlechemum Judææ, eò profecti sunt: & domum à superstite Stellâ demonstra- tam ingressi, invenerunt ibi puerulum cum Mariâ matre ipsius. Qui prostrati adoraverunt eum: apertisque thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, & thus, & myrrham. Deinde divinitus in somnis admoniti ne reverterentur ad Herodem, per aliam viam regressi sunt in regionem suam. [*Matth.* II. 1, — 12.]

Die post partum quadragesimo Maria Hierosolymam ad Templum accessit: tum ut filium Jesum ibi sifteret Domino, secundum legem de Primogenitis; tum ut pro seipsâ offerret par turturum, aut duos pullos columbarum, (eâ conditionis ipsius paupertate existente, ut non posset agnum afferre) secundum legem de puerperarum Puri- ficatione. [*Luc.* II. 22, 23, 24, 27. cum *Levitic.* XII. 2, 3, 4, 6, 8.]

Quum puerulum Jesum introducerent in Templum parentes, ut facerent quod ex Lege consuetum erat; venit in Templum Hieroso- lymitanus Simeon, cui divinitus fuerat revelatum, ipsum non moritu- rum, priusquam vidisset Christum Domini. Quo in ulnas recepto, laudavit ille Dominum, tum de Christo ipso tum de matre illius edi- tis vaticiniis. Eodem ipso quoque momento superveniens Anna pro- phetissa, filia Phanuelis, vicissim palam agnoscebat Dominum, & loquebatur de eo omnibus qui redemptionem expectabant Hierosoly- mis. [*Luc.* II. 25, — 38.]

Quum Josephus & Maria perfecissent omnia secundum Legem Do- mini, reversi sunt in Galilæam, in urbem suam Nazaretham. [*Luc.* II. 39.]

Angelus Domini apparens Josepho in somnio, de fugâ in Ægy- ptum monuit; ut vitæ infantis consuleret, & Herodis conatus elu- deret. Qui expectatus accepit puerulum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum: ubi usque ad obitum Herodis mansit. [*Matth.* II. 13, 14, 15.]

Herodes, infantem Bethlehemi adhuc fuisse existimans, ut eum in- ter reliquos perderet, interemit omnes pueros qui erant in Bethlechem & in omni confinio ejus, à bimatu & infra, secundum tempus (Stel- læ in Oriente primùm visæ) quod exquisierat à magis. [*Matth.* II. 16.]

Acceptis Româ ab Antipatro litteris, quibus significarat rebus ex sententiâ peractis brevi se rediturum in patriam, Herodes dissimu- latâ irâ insidiosè rescipit, ut properaret ne quid sibi per ejus ab- sentiam quod nollet accideret. Simulque modicè de matre ejus que- stus est; pollicendo remissurum se querelas post adventum illius. [*Jo- seph. lib.* 17. cap. 7.]

Ad Antipatrum verò nihil adhuc vel de Pheroræ morte vel de iis quæ contra seipsum in Judæâ mota sunt perlatum fuerat: quamvis inter scelus probatum & ipsius reditum septem mensium spatium in- tercesserit. [*Id. lib.* 1. *Belli, cap.* 20. & *lib.* 17. *Antiqu. cap.* 6. *fin.*] In itinere enim, Parenti quidem de Pheroræ excessu epistolam, in Cili- ciâ autem patris illas celeriter eum revocantes litteras accepit: atque ad Celenderim Ciliciæ opidum perveniens, dubitare cœpit de reditu; vehe-

vehementer contristatus matris ignominia. Navigare tamen pergens, in Sebastum Cæsareæ portum delatus est: ubi à nemine salutatus, inde Hierosolymam est profectus. [*Id. lib. 17. Antiquit. cap. 7.*]

Fortè per idem tempus Hierosolymis erat Quintilius Varus, successor Saturnino missus in Syriam; tunc verò ab Herode in consilium de rebus agendis adhibitus. Quibus unà sedentibus supervenit Antipater omnium inscius, & ita ut erat purpuratus in regiam ingressus est: quo mox admisso, amicorum comitatus per janitores exclusus est. Ipsum verò accedentem pater à complexu repulit; perpetratum fratricidium & cogitatum patricidium opprobans; & Varum cognitorem ac iudicem in crastinum denuncians. [*Id. ibid.*]

Sequenti deinde luce, præsidente Varo ac rege, ipse pater accusationem primùm exorsus, ejus prosecutionem & confirmationem Nicolao Damasceno reliquit, amicitia & domestica consuetudine sibi conjunctissimo, totiusque negotii scientissimo. Ubi cum à criminibus objectis Antipater purgare se non posset; venenum patri paratum in medium proferri Varus jussit: quod cuidam capitis damnato ad bibendum datum, sine morâ necavit hominem. Quo facto, surgens Varus abiit è concilio, & sequenti die Antiochiam profectus est; ubi plurimum degebat, quòd illic esset Syrorum regia. Herodes verò confestim vincitum filium in carcerem conjecit: et Romam Cæsari de eo significavit per litteras; missis etiam qui coràm eloquerentur mandata, docerentque quàm scelerata esset Antipatri malitia. [*Id. ibid.*]

Per eosdem dies interceptæ sunt Antiphili ex Ægypto ad Antipatrum missæ litteræ; unà cum aliis Româ ad Antipatrum & Herodem regem ab Acme scriptis. Judæa hæc erat genere, Livie uxoris Cæsaris ancilla: quæ magnâ pecuniâ ab Antipatro corrupta, confictam ad Herodem transmisit epistolam, quasi à Salôme sorore ad dominam suam contra ipsum scriptam; in quâ postulabat, ut sibi liceret Syllæo nubere. (Nabataeo nimirum illi, Herodis hosti acerrimo: quem paulo post, ob prodirum in expeditione Arabicâ Elium Gallum & alia crimina, Romæ securi esse percussum, in libro 16. pag. 782. Strabo indicat.) Harum epistolarum exemplum, unà cum suis adversus filium litteris, Herodes per legatos ad Cæsarem misit. [*Id. ibid.*]

Dum legati Romam properant, Herodes morbo correptus testamentum condidit, successionem regni relinquens nato minimo (Herodi Antipæ) exasperatus in Archelaum & Philippum calumniis Antipatri. [*Id. lib. 17. cap. 8.*]

Judas Sariphæi filius & Matthias Margalothi, doctissimi Judæorum & interpretes patriæ legis præstantissimi, postquam cognoverunt morbum Regis esse incurabilem, juvenibus quos disciplinis instituebant persuaserunt, ut Aquilam auream ab Herode supra majorem Templi portam positam deicerent. Qui claro meridie ascendentes, detractam aquilam conciderunt secutibus, inspectante congregatâ in Templum multitudine. Quod ut renunciatum cognovit dux regius, cum validâ suorum manu adveniens, circiter 40. juvenes, resistere

aufos, cum duobus Magistris comprehendit, & ad Regem perduxit. Eos, in facti defensione constanter persistentes, Herodes victos Jerichuntem misit: moxque accitis Judæorum primoribus, in concionem eorum lecticâ ob imbecillitatem delatus, de injuriâ non tam sibi quàm Deo (ut dicebat) illatâ conquestus est. Quibus ex sententiâ suâ id factum fuisse denegantibus, in cæteros mitior, Matthiæ Pontifici summum ademit sacerdotium, quasi non alieno ab hoc consilio; eique successorem dedit Joazarum, uxoris suæ (Mariammes, Simonis Pontificis filiæ) fratrem; Matthiam verò alterum, seditionis consortem, ejusque socios vivos exulsit: & Luna nocte eâ defecit. [*Id. ibid.*] Quam eclipsim die Martii 13^o hqris 3. post mediam noctem fuisse factam, astronomicus calculus indicat.

Herodi deinde morbus factus est gravior. Lento enim calore torrebatur; qui non tam externo tactu deprehendebatur, quàm intus popularetur viscera. Accessit & bulimia, cui placandæ necesse esset continuò cibos suggerere: simulque vexabatur intestinorum exulceratione & colicis passionibus. Pedes tuebant phlegmate humido, similiterque inguina. Ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermiculis; accedente foedâ nec minùs molestâ tentiginæ, non sine foetore gravissimo. Super hæc omnia nervorum contractione laborabat, & difficultate anhelitus. [*Ibid.*]

Quamvis autem gravius ille affligeretur, quàm ut videretur posse morbo perferendo sufficere, tamen evasurum se sperabat; accersendis medicis intentus, & medicamentis conquirendis undique. Profectus etiam ultra Jordanem fluvium, calidis aquis se fovebat apud Callirhoën; quæ, in lacum Asphaltitem effluentes, præter vim medicam potu quoque jucundæ sunt. Ibi de medicorum consilio immixtus fovendus in refertum oleo solium, visus est illis jam agere animam. Quare exortâ comploratione familiarium exciratus & ad se reversus, nullamque ampliùs salutis spem habens, singulis militibus 50. drachmas jussit distribui: magnâque liberalitate usus in duces atque amicos, rursùm Jerichuntem reversus est. [*Ibid.*]

Cùm audiisset Augustus inter pueros quos in Syriâ (Palæstinâ) Herodes rex Judæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: *Melius est Herodis porcum esse quàm filium.* Ita refert Macrobius. [*lib. 2. Saturnal. cap. 4.*]

4001

Herodes nobilissimos Judæorum undique edicto minaci Jerichuntem accitos conclusit in Hippodromo; datis mandatis Salômæ sorori & ejus viro Alexæ, ut statim post obitum suum curarent illos per milites interfici: hoc quærens, ut populo luctus causa præberetur, lætaturus alicui de regis invisi miserabili interitu. [*Joseph. lib. 17. cap. 8.*]

Româ, à legatis ad Cæsarem missis, venerunt literæ: quibus significatum est, Acmen ab irato Cæsare occisam esse propter locatam Antipatro operam; ipsùmque Antipatrum relinqui arbitrio patris, sive in exilium eum vellet pellere sive capite plectere. His auditis Herodes paululum recreatus est: sed mox repetitus gravi dolore, cibi tamen avidus, pomum simul & cultellum, quo illud repurgaret, poposcit.

poscit. Quum autem cultro seipsum ferire veller, Achiabus nepos
etum ejus præveniens, clamore sublato cohibuit ejus dexteram:
moxque denuò luctus cum trepidatione ac tumultu occupavit palati-
um, quasi rege jam agente animam. [*Id. lib. 17. cap. 9.*]

Eum strepitum ubi persensit Antipater, ratus patrem verè vitam
finivisse, cum custode carceris de missione cœpit agere; multa & in
præsens & in futurum post acquisitam potestatem illi promittens.
Cujus conatum quum ille Regi renunciasset; præ indignatione ex-
clamans Herodes, quamvis morti proximus erexit se in cubitum: jus-
sitque unum è satellitio sine morâ Antipatrum occidere, & corpus
obsuro condi in castello Hyrcanio. [*Id. ibid.*]

Deinde, mutatâ voluntate mutavit etiam Herodes testamentum.
Antipam enim, quem prioribus tabulis regni successorem destinaverat,
Galilææ simul ac Perææ tetrarcham constituit: regno verò Ar-
chelao largitus est. Philippo filio Gaulonicam, Trachonicam,
Batanæam, & Paneada regiones tetrarchiæ nomine assignavit. Salô-
mæ sorori suæ Jamniam, Azorum, & Phasaëlica attribuit; cum ar-
genti signati 500 millibus. Cæteris cognatis pecuniam & redditus
annuos reliquit. Cæsari legavit argenti signati centies centena millia:
& vasa sua tam aurea quàm argentea, magnùmque vestis pretiosæ
numerum. Liviæ autem Cæsaris uxori & quibusdam amicis quinquagies
centena millia. [*Id. lib. 17. cap. 10.*]

His ita ordinatis, quintâ die postquàm Antipatrum filium occidit,
vitâ Herodes defunctus est: annos quidem 34. ex quo interfecit Anti-
gonum, regno positus; ex quo autem à Romanis rex declaratus
est, 37. [*Id. ibid. & lib. 1. Belli, cap. ult.*] circa Novembris nostri di-
em 25. septimo videlicet Cislevi mensis: qui idcirco à Judæis ut dies
lætus & festivus celebratur; quòd in eo Herodes, qui sapientes odio
prosecutus est, mortem obierit, ut ex תענית מנחת ספרו sive volumine Fejunii,
in Chronologiâ suâ notavit Egorardus Liveleius, vir doctissimus.

Salôme & Alexas, priusquàm Regis mors innotesceret, in Hippo-
dromo clausos domum suam quemque dimiserunt: dicentes ita ipsum
jubere, ut in agros digressi curarent suametipsum negotia. [*Joseph.
lib. 17. cap. 10.*]

Indicatâ deinde Regis morte, congregatâque in Jerichuntinum the-
atrum omni militiâ, primùm legerunt litteras ejus scriptas ad milites:
in quibus gratias eis agebat pro fide ac benevolentia; rogabatque ut
eandem servarent Archelao filio, quem regni successorem sibi substitu-
eret. Deinde Ptolemæus, cui annulus Regis signatorius creditus fu-
erat, Testamentum perlegit: quod non aliâs ratum habendum esset,
quàm accedente Cæsaris consensu. Moxque acclamatum est Regi
Archelao: & milites catervatim unâ cum suis ducibus pollicebantur
eandem, quam Parri hætenus præstitissent, fidem atque operam; læ-
tis ominationibus Deum illi fautorem comprecantes. Tum funus
ambitiosissimo apparatu ab Archelao præparatum est. [*Ibid.*]

Defuncto Herode, qui quærebat vitam infantis Jesu; angelus Do-
mini in somnis apprensus Josepho in Ægypto, ut cum puerulo & matre
ejus proficisceretur in terram Israël, illi mandavit. Qui expectatus,
quod

quod erat injunctum fecit. [*Matth. II. 19, 20, 21.*]

Veniens in terram Israël Josephus, quum audisset Archelaum regnare in *Judaâ* pro Herode patre suo, timuit illuc abire: & divinitus admonitus in somnis, secessit in partes *Galilææ*, (cujus Tetrarchiam Antipæ in Testamento pater Herodes concesserat) ibique habitavit in urbe *Nazareth*. unde & Christus *Nazareni* cognomentum accepit. [*Matth. II. 22, 23.*] et *Nazarenorum*, Christiani. [*Act. XXIV. 5.*]

Herodis corpus funebri pompâ per 200 stadia, Jerichunte in Herodion castellum, ubi ipse sepeliri se mandaverat, delatum est. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. ult. fin.*] octo stadiis (sive milliari Italico; quantum ex lib. 17. Antiquit. cap. 10. colligi poterit) singulis diebus confectis. Ferebatur autem in lecticâ aureâ, distinctâ variis gemmis pretiosis, & intratâ purpurâ. Corpus quoque amictum erat purpurâ: imposito capiti diademate, & desuper coronâ aureâ, sceptroque in manu dextrâ. Lecticam stipabant filii, & cognatorum numerus. Hos sequebantur milites, distributi per nationum genera: deinde 500. famuli, ferentes aromata. [*Id. lib. 17. Antiquit. cap. 10.*]

Finitâ funebri pompâ, Archelaus Hierosolymam veniens per septem dies, de more Judaico, luctum patris celebravit; & in fine luctus funebre epulum multitudini præbuit. Deinde in Templum ascendens, quacunq; transibat excipiebatur gratulationibus ac faustis acclamationibus. Tum conscenso suggesto sublimis aureo folio residens, plebem benignissimè allocutus est; præclarissima quæque ei promittens: adhuc tamen à Regis nomine abstinere se dixit, donec à Cæsare paterni Testamenti fieret confirmatio. Et sacrificio peracto, convivium cum amicis iniit. [*Id. ibid.*]

Interea seditio est excitata ab amicis eorum, quos propter dejectam Aquilam auream Herodes supplicio affecerat: qui tum convitia in defunctum regem jactabant, tum quosdam illius amicos ad poenam deposcebant: simulque Pontificem Joazarum dejici Pontificatu postulabant. Quos cum frustra placare Archelaus conaretur; res eò denique processit, ut sub festum Paschatis, immisso ab Archelao toto exercitu, ad tria millia virorum circa Templum ab equitibus cæderentur, reliquis fugâ se in proximos montes recipientibus. [*Id. lib. 17. cap. 11.*]

Tum Archelaus ad mare descendit unâ cum matre suâ (Malthace Samaritanâ,) ad Cæsarem navigaturus; ducens secum Nicolaum Damascenum & Ptolemæum (Herodis procuratorem,) multosque ex amicis alios: & familiâ & regno commissis Philippi fratris sui fidei. Simul etiam profecta est Salome Herodis soror, ducens secum suam progeniem. Alii quoque ex cognatis sequebantur multi, quasi collaboraturi pro parandâ regiâ dignitate Archelao; re autem verâ obnixuri ei potiùs, & præcipuè perpetratum in Templo facinus incusaturi. [*Ibid.*]

Cum hoc comitatu eunti Archelao occurrit apud Cæsaream Sabinus procurator Cæsaris in Syriâ, in Judæam properans ad asservandam Herodis pecuniam. Quem Varus Syriæ præses commodum interveniens

veniens retinuit: aderat enim ab Archelao accersitus per Ptolemæum. Ita ille in Præsidis gratiam neque arces occupavit in Judæâ, neque thesauros obsignavit regio; omnia relinquens in potestate Archelai, tantisper donec Cæsar de his aliquid statueret: & hæc pollicitus, mansit Cæsareæ. Sed postquam Romam navigavit Archelaus, & Varus versûs Antiochiam profectus est; ipse Hierosolyma petiit, & occupavit regiam. Accitis deinde præfectis arcium & regiis procuratoribus, rationes reposcebat ab eis, & arces sibi committi postulabat. Præfecti tamen non discesserunt à mandatis Archelai, sed omnia servabant in ipsius adventum integra; prætexentes ea se servare Cæsari. [*Ibid.*]

Eodem tempore etiam Antipas Herodis filius Romam navigavit, parandi sibi regni spe, ad quam excitatus erat per Salómen; quasi Archelao præferendus, eo quòd prioribus Testamenti tabulis successor regni destinatus fuerat, quæ validiores deberent esse quàm illæ scriptæ posteriùs. Ducebat autem secum matrem suam (Cleopatram Hierosolymitanam) & fratrem Nicolai Damasceni Ptolemæum, inter amicos olim Herodis præcipuum, & tunc suis faventem partibus. Sed maximè illum ad affectandum regnum movit Irenæus orator, vir eloquens & diu versatus in regiis negotiis. Postquam verò Romam Antipas pervenit, omnes cognati ad eum, Archelai odio, defecerunt: Sabino quoque, scriptis ad Cæsarem litteris, Archelaum accusante. [*Ibid.*]

Archelaus per Ptolemæum Cæsari libellum obtulit, & jus suum, & rationes pecuniarum Herodis obsignatas, continentem. Cæsar, eo libello simulque Vari ac Sabini litteris perlectis, amicos in consilium advocavit: Caio Agrippæ & Juliæ filiæ suæ filio, jam à se adoptato, primum locum in consistorio tribuens. Ibi tum Antipater Salómes filius, vir facundissimus, contra Archelaum dixit: cui pro eodem Nicolaus Damascenus respondit. Quo finem dicendi faciente, Cæsar Archelaum ad genua sibi accidentem erexit humanissimè, dignum esse regno pronuncians: præ se ferens, nihil se facturum, nisi Testamento præscriptum & Archelao ipsi commodum. Vidensque hæc promissione confirmatum in spe juvenem, nihil tum amplius super eâ re statuit. [*Ibid.*]

Ad compefcendos tumultus, post Archelai discessum in Judæâ ortos, Varus Antiochiâ veniens, autores ejus motus affectit supplicio: & maximâ ex parte seditione compressâ, rediens legionem unam reliquit Hierosolymis, ut Judæis novandarum rerum facultatem præriperet. Quamprimùm verò ille abiit, Sabinus Cæsaris procurator ibi subsistens, fretus relictis illic copiis & parem se jam putans populo, arces occupare conatus est, & violentas pecuniæ regiæ scrutationes fecit, privati lucri & prædæ cupidine. [*Ibid.*]

Ad festum Pentecostes multa millia non solum religionis gratiâ, sed etiam ut pœnas à Sabino expeterent, non ex Judæâ tantùm graviùs offensâ, sed è Galilæâ quoque ac Idumæâ, tum à Jerichunte & trans Jordanem sitis opidis, confluxerunt; & castris trifariam partitis, Sabinum acriter oppugnârunt. Quibus Romani milites strenuè

se se opponentes, plurimis eorum cæsis, penetraverunt ad faciæ pecuniæ conditorium: cujus bona pars furto militum disperiit, ad Sabinum autem propalâ 400 talenta ex eâ prædâ relata sunt. Eum Judæi, è pugnacissimis globo facto, in regiâ obsederunt. Rufus verò & Gratus, qui sub se habebant tria millia bellicosissimorum & strenuissimorum virorum ex Herodis exercitu, in partes Romanorum se transtulerunt. Judæi tamen nihilo segnius instabant oppugnationi, muros suffodientes cuniculis; & adversarios, securitate promissâ, ut abirent hortantes. Quorum nimiam æquitatem suspectam habens Sabinus, inde milites abducere noluit: à Varo subsidium expectans.

[*Ibid.*]

In hoc rerum statu etiam alibi per Judæam diversis in locis innumerum tumultus exoriebantur: quòd proprium regem gens non haberet, qui multitudinem bonis rationibus contineret in officio. Duo enim virorum millia, qui aliquando sub Herode meruerant, tunc verò dimissi domi agebant, in unum collecti bello impetebant regios. Quibus resistens regionum dux Achiabus, nepos Herodis, quum nusquam æquo loco sustinere eos auderet, ut veteranos & bellandi peritissimos; se & sua, quantum poterat, asperitatibus accessu difficilibus tuebatur. [*Ibid.*]

Judas (Ezekiæ, latronum ductoris olim per Herodem magno labore expugnati, filius) apud Sephorim urbem Galilææ collectâ circa se hominum desperatorum manu, incurfabat regis ditionem: & positus ejus armamentario, armatisque inde suis ad unum omnibus, pecuniam quoque regiam in illis locis occupavit. Unde jam formidandus accolis, spoliabat in quoscunque incideret: aspirabatque ad regnum, non bonis artibus, quarum imperitus erat, sed nocendi licentiâ. [*Ibid.*] Cùm verò Hebræorum יהודה fuerit Syrorum סור, indeque Judas & Thaddæus, [*Luc. VI. 16. cum Marc. III. 18.*] multoque magis Theudas, idem planè nomen extiterit: non alius videtur fuisse Judas hic, quàm Theudas ille, de quo in Act. V. 36. Gamaliel dixit. *Ante hæc tempora exortus est Theudas, dicens se aliquem esse, cui agglutinatæ sunt manus virorum circiter quadringentorum: qui interceptus est, & omnes qui paruerant ei dissoluti sunt & ad nihilum redacti.*

Simon etiam Herodis regis servus, vir alioqui & formâ & staturâ & robore egregius in primis habitus, ausus est diadema sumere: stipatusque numerosis copiis, & Rex consalutatus ab insanâ multitudine, placebat sibi præ quovis alio. Diripiendâ ac incendendâ Jerichuntinâ regiâ, potestatem suam auspicatus est: passimque crematis aliis regis palatiis, & prædâ concessâ suæ factionis hominibus, majora etiam ausurus videbatur; ni maturè occursum fuisset. Nam Gratus regionum militum dux, tum Romanorum partes fovens; suas copias contra Simonem duxit: ubi post acerrimum conflictum transamnani homines incompoti, & ferociter magis quàm peritè pugnantes, delati sunt. Ipsum Simonem per angustas quasdam fauces fugientem Gratus affecutus obruncavit. Ita Josephus. [*ut supra.*] Nam ad Varum potius id Tacitus refert: in Historiæ suæ libro 5. cap. 5. de Simone isto sic scribens. *Post mortem Herodis, nihil expectato Casare, Si-*

mon quidam regium nomen invaserat. Is à Quintilio Varo obtinente Syriam punitus.

Apud Amatha quoque Jordani apposita palatium regium incensum est à quâdam hominum colluvie, qualis circa Simonem fuerat. Athronges etiam, pastor hætenus obscurissimus, vasto tantum corpore & manuum robore insignis, regiam sibi assumpsit dignitatem. Huic erant quatuor fratres, & ipsi grandi staturâ & manu prompti; in quos quasi legatos magnam quæ confluerat turbam distributam obire jubebat prælia: ipse diademate ornatus consultabat de rebus agendis, quarum penes se servabat arbitrium. Durabátque diu potestas hujus, & non inanis regis appellatio: donec in Archelai (Româ reversi) potestatem postea redactus est. [*Jeseph. lib. 17. cap. 12.*]

Maximè autem in Romanos cædibus Anthronges sæviebat, & in milites regios; utrisque ex æquo infensus. Circa Emmauntein cohortem, frumenta & arma in exercitum portantem, copiæ illius insidiis exceperunt: ductorèque ejus Arium centurionem cum 40 fortissimis peditibus telis confixerunt. Reliquos nihilo mèhora jam expectantes superveniens cum regio milite Gratus servavit, relictis cæforum cadaveribus. [*Ibid.*]

Quintilius Varus, cognito ex Sabini litteris periculo, timens tertie legioni, assumptis duabus reliquis (nam tres in universum erant in Syriâ) & quatuor turmis equitum, auxiliisque regum & tetrarcharum, properavit in Judæam ut obsessis succurreret; jussis qui præmittentur convenire Ptolemaidem. Berytiorum etiam urbem prætercundo, 1500 auxiliares ab eis accepit. Aretas quoque Petrus, amicus Romanis factus propter Herodis inimicitias, non parvam manum misit tam peditum quàm equitum. [*Ibid.*]

Postquam apud Ptolemaidem in unum convenit totus exercitus, partem ejus Varus filio & amicorum uni tradidit ducendam contra Galilæos agro Ptolemaidis finitimos. Qui regionem eorum ingressus, profligatis quotquot ausi sunt cum armis occurrere, Sephorim cepit: & venditus sub hastâ incolis, urbem absumpsit incendio. [*Ibid.*]

Ipse Varus versùs Samariam progressus cum exercitù, à civitate quidem abstinuit, quam sciebat immunem à seditiosorum contagio: castra autem posuit in quodam vico, qui erat Ptolemæi possessio, Aarus nomine. Eum Arabes incenderunt, propter Herodem amicis quoque ejus infensi. Inde progressi Sampho alium vicum idem Arabes diripuerunt, móxque incenderunt, quamvis muatissimum: toto illo itinere omnia miscentes flammis ac cædibus. Emmaus autem Vari jussu cremata est, in vindictam cæforum ibi militum, deserta tamen ab habitatoribus. [*Ibid.*]

Inde cum appropinquarent Hierosolymis, Judæi qui legionem ab eâ parte obsidebant, ad primum venientis exercitus conspectum territi diffugerunt, oppugnatione quam inceptabant relictâ. Hierosolymitani autem Judæi graviter à Varo increpati, excusationem afferebant; populum quidem propter festum confluisse, bellum verò non ex suâ sententiâ, sed ex convenarum audaciâ susceptum. Et jam antè obvi-

am Varo procefferant, Josephus Herodis regis nepos Gratusque ac Rufus cum militibus, & Romani qui obsidionem tulerant. Sabinus enim in ejus conspectum non venit, sed subducens se clam ex urbe, ad mare profectus est. [*Ibid.*]

Tum Varus dimissam per totam regionem parte exercitus, perquirebat defectionis auctores; & indicio repertos, alios ut fontes puniit, nonnullos dimisit incolumes: adique sunt in cruce eadem de causa circiter duo millia. Post hæc ablegato exercitu cuius non erat usus amplius, qui que contra ejus voluntatem lucri studio multa maleficia patrataverat; ipse audito decem millia Judæorum in unum confluisse, properavit ut eos deprehenderet. Illi non ausi manus conferere, deditioem fecerunt arbitrato Achiabi. Varus autem datam seditiosorum vulgo defectionis veniam, duces eorum misit ad Cæsarem. Atque ita rebus compositis, & relicta Hierosolymis eadem legione in præsidio, reversus est Antiochiam. [*Ibid.*]

Malthace, Archelai mater, morbo Romæ vitam finit. [*Ibid.*]

Cæsar, acceptis Vari de Judæorum defectione litteris, cæteris seditiosorum ducibus ad se missis ignovit; in solos aliquot regis Herodis necessarios animadvertit, quod nec cognationis nec justitiæ respectu à nefariis armis abstinerint. [*Ibid.*]

Romam venit eodem tempore, Vari permissu, Judæorum legatio, postulans ut eis liceat suis legibus vivere: erantque legati 50. quibus aderant Judæorum Romam incoletium plus quam octo millia. Cumque Cæsar convocasset in ædem Apollinis magno sumptu à se extructam concilium amicorum & primariorum civium; venerunt eodem legati, prosequente Judæorum turbam, & Archelaus cum amicorum comitatu. Aderat & Philippus à Syriam Vari hortatu veniens, tum ut fratris advocatum ageret, cui Varus bene cupiebat; tum ut in divisione regni Herodiani ad ipsum quoque rediret pars aliqua. Datam igitur Judæorum legatis dicendi copiam, ab accusatione Herodis & Archelai illi exorssi, postulabant demum ut mutatam Reipublicæ formam posthac sine regibus agerent, & contributi provinciæ Syriæ, Romanis parerent potestatibus. Quibus cum pro Herode mortuo & præsentem Archelao Nicolaus Damascenus respondisset; Cæsar dimisit concilium. [*Ibid.*]

Post paucos deinde dies Archelaum Cæsar non quidem Regem declaravit, sed dimidiam parte ditionis quæ Herodis fuerat ei concessam Ethnarcham cum constituit; regnum quoque pollicitus, si virtutem exhiberet regno convenientem. Obligat verò illi Judæa & Idumæa, præterque has Samaria; cui ex autoritate Cæsaris tributorum quarta pars remissa est, eo quod cæteris tumultuantibus soli quies manserant in officio. In ejus ditione comprehendebantur urbes, Stratonis turris, Sebaste, Joppe, Hierosolyma. nam Gazam, Gadara & Hippon Græcanici instituti urbes Cæsar ob id separatas à regni terminis Syriæ contribuit. Sexcenta autem talenta quotannis redibant à sua ditione ad Archelaum. [*Id. ibid. cap. 13.*]

Alterum ditionis Herodianæ dimidium in alios duos Herodis filios Cæsar partitus est. Herodi Antipæ Galilæa cessit, & Peræa (fertilissima

lima trans Jordanem inter duos lacus, Tiberiadis & Asphaltiten; regi-uncula:) quarum annui reditus erant 200 talenta. Philippo Batanæa cum Trachonitide, & Auranitis cum parte quâdam Zenodori (ut vocabant) domus: quæ pendebant annua talenta 100. Salômæ autem præter legatas à fratre urbes Jamniam, Azotum & Phasaëlica, argentique quingenta millia, Cæsar largitus est in Ascalone palatium: percipiebátque ex subjectis sibi locis 60 talenta annua, habitans in ditione Archelai. Reddita sunt etiam cæteris regis cognatis legata, ita ut Testamento caverat. Duæ deinde ejus filiæ virgines, præter relicta sibi à patre acceperunt ex Cæsaris munificentia 250 signati argenti millia, & elocatae sunt Pheroræ filiis. Quin & totum regis legatum, 1500 talentorum æstimatione, cessit ipsius filiis: paucis aliquot vasis sibi retentis, non tam ob pretium charis, quàm ob amici memoriam. [*Id. ibid.*]

Ita gentem coërcitam liberi Herodis tripartito rexere: inquit Tacitus, Historiæ libro 5. cap. 9. Cui addendus & Strabo: de liberis ejusdem, in libro 16. [*pag. 765.*] ita scribens. *De filiis alios ipse, ut eorum impetitus insidiis, interemit: alios moriens, assignatâ cuique portione, successores reliquit. Cæsar & Herodis filios, & sororem Salômien, & Berenicem Salômes filiam, honore prosecutus est.*

Juvenis quidam Judæus plebeius, educatus Sidone apud quendam Romani civis libertum, Alexandrum Herodis filium de facie referens, mentitur se illum esse, qui à supplicio, cum fratre Aristobulo, custodis cujusdam beneficio servatus sit; ut id mentiretur inductus à vafro quodam impostore rerum omnium regiæ Herodis gnaro. Hujus technis & dolis instructus, quum Cretam appulisset, quotquot Judæorum venerunt in ejus colloquium, omnibus rem persuasit: & auctus ab eis pecuniâ trajecit in Melum insulam, ubi magnam pecuniæ vim adeptus est prætextu regiæ prosapiæ. Et jam sperans recepturum se paternum principatum, Romam properavit, suis hospitibus deducen- tibus. Cùmque adnavigâset Puteolos, ibi quoque à deceptis Judæis simili favore exceptus est: Romamque adveniēti universa Judæorum illic agentium multitudo profecta est obviam. Id ubi allatum est ad Cæsarem, Celadum unum è suis, libertis familiariter olim versatum cum adolescentibus illò misit, jussum ut Alexandrum in conspectum suum adduceret: quod ille fecit, nihilo in dignoscendo aliis sagacior. Non tamen fefellit Cæsarem: qui Pseud-Alexandrum istum imposturam fatentem in remigum ordinem allegit, quòd esset valido corpore; eum verò qui ad hæc audenda illum impulerat necavit. [*Joseph. lib. 17. cap. 14.*]

4002

Archelaus ethnarcha in Judæam reversus, Joazaro Boëthi filio (vel ex Simone filio nepoti) Pontificatum abrogavit, insimulato quòd seditiosis consensisset: eamque dignitatem in Eleazarum illius fratrem collocavit. [*Id. ibid. cap. 15.*]

Augustus, Consulatu decimo tertio suscepto, Lucium filium in forum deduxit. [*Sueton. in Octavio, cap. 26.*] iisdem illi datis honoribus, qui in fratrem Caium ante triennium fuerant collati. Quorum & nummi testes sunt, in quibus effigies Caii & Lucii cum clypeis & ha-

47122

stis cernuntur, hâc inscriptione adpositâ. C. L. CÆSARES. AVGVSTI. F. COS. DES. PRINC. JVVENT.

In eodem Consulatu suo XIII. *sexagenos denarios plebi, quæ tum frumentum publicum accipiebat, se dedisse, ipse in monumento Ancyrano indicat: addens, ea millia hominum paullo plura quàm ducenta fuisse. Quod ipsum etiam in Excerptis ex Dione, apud Xiphilinum habetur: nisi quod pro 60 denariis (quos drachmas Græci reddunt) Latinus interpres 240 denarios, nescio quâ incogitantia, reposuerit.*

Magnificentissimis gladiatorum muneris naumachiaque spectaculis Augustus, se & Gallo Caninio Consulibus, dedicato Martis templo, animos oculosque populi Romani replevit. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 100. cum Hieronymo, in Chronico.*] Spectaculis exhibitis, aquam in circum Flaminius induxit, in quâ 36. crocodili sunt concisi. [*Xiphilin. ex Dione.*]

Navale verò ibi exhibuit prælium, circa Tiberim cavato solo, in quo postea Cæsareum nemus erat. [*Sueton. in Octavio, cap. 43.*] cuius loci excavati longitudo 1800 pedum fuit, latitudo 200. in quò 30 rostratæ naves & triremes plurimæ, præter minora navigia, inter se conflixerunt: ut in rerum suarum Breviario, lapidi Ancyrano insculpto, ipse Augustus indicat. Hujus naumachia, ut nuperrimè editæ, in libro Artis suæ 1^o ita meminit Ovidius.

*Quid modò, cum belli navalis imagine Cæsar
Persidas induxit Cecropidâsque rates?
Nempe ab utroque mari juvenes, ab utroque puella
Venere; atque ingens orbis in urbe fuit.*

Ejusmodi ludicris vacanti Romæ Augusto, in Oriente ab Armeniis negotium datum est. Eos in hoc unum servitutis genus Pompeius affueverat, ut rectores à Romanis acciperent. Sed jam Artavaldem sive Artabazem, eo jure regem ab Augusto ipsis impositum, non sine Romanorum clade dejecerunt; Tigrane in locum ejus substituto. Ad hanc verò defectionem tuendam, Parthos in auxilium advocârunt: atque ita, se ad eos subtrahente Armeniâ, Phraates desciscens à societate Romanâ adjecit Armeniæ manum. [*Florus, lib. 4. cap. 12. Velleius Patercul. lib. 2. cap. 100. Tacitus, Annal. lib. 2. cap. 3. Dio, in Zonara; & Excerptis à Fulv. Ursino edit. legat. 39. Sextus Rufus, in Breviario.*]

Caium & Lucium teneros adhuc ad curam Reipublicæ Augustus admovit, & Consules designatos circum provincias exercitusque dimisit. [*Sueton. in Octav. ca. 64.*] Unde & Caium provincias ad fidendum obisse, in Velleio Paterculo [*lib. 2. cap. 101.*] legimus. ubi ad sedandum, Beatus Rhenanus legendum sensit; ad visendum, Justus Lipsius. cuius veriore hinc esse emendationem, locus iste Dionis, in Excerptis ab Henr. Valesio editis, [*pag. 665.*] ostendit. « Caius Cæsar legiones quæ ad « Istrum castra habebant, pacis more obiens spectavit. Bellum enim « nullum ab eo gestum: non quod nullum bellum ingrueret; sed quia « ipse quidem in summâ pace ac securitate principatus artes discobat, « belli autem discrimina aliis mandabantur.

Romæ

Romæ eo ipso anno quo gladiatorii muneris naumachiaque spectacula D. Augustus exhibuit, foeda dictu memoriâque horrenda in ipsius domo tempestas erupit. Quippe filia ejus Julia, per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil quod facere aut pati turpiter posset tœmina luxuriâ & libidine infectum reliquit: magnitudinẽque fortunæ suæ peccandi licentiâ metiebatur, quidquid liberet pro licito judicans. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 100.*] eò lasciviæ progressa, ut in ipso etiam foro & rostris nocturnas comestiones & comporationes ageret; ad supra locis illis abusa ex quibus pater legem de adulteriis rulerat. Unde tantâ subito irâ correptus est Augustus, ut hæc intra domus claustra cohibere nequaquam potuerit, sed publicaverit & cum Patribus etiam communicaverit. [*Seneca, de Beneficiis lib. 6. cap. 32. Dio, in Xiphilini epitome; & excerptis Valesii, pag. 665.*] Sed absens, ac libello per quæstorem recitato, notam senatui rem fecit: abstinuitque congressu hominum diu præ pudore; de necandâ etiam filiâ deliberans. [*Sueton. in Octavio, cap. 65.*] In Pandatariam demùm Campaniæ insulam relegata est: ultrò eam in exilium matre Scriboniâ comitante. [*Vellei. Patercul. & Dio, ut supra.*] quæ eodem quo ipsam pepererat die à Cæsare repudiata fuerat; L. Marcio & C. Sabino Consulib. [*Dio, lib. 48. pag. 377.*] anno videlicet Julianæ Periodi 4675. Ut 38. ætatis annum hoc tempore Julia egerit: quâ ætate minorem eam non fuisse, etiam ex Macrobio intelligimus. [*lib. 2. Saturnal. cap. 5.*]

Tiberius in Rhodo audiens Juliam uxorem ob libidines atque adulteria damnatam, repudiũque ei suo nomine, ex autoritate Augusti remissum, quanquam lætus animo, tamen officii duxit, quantum in se esset, exorare filiæ patrem frequentibus litteris; & vel utcunque meritæ, quicquid unquam dono dedisset, concedentem. [*Sueton. in Tiberio, cap. 11.*]

4003

Quum Armenios defecisse intellexisset Augustus, & à Parthis esse adjutos; eâ re dolens, quid ageret ambigebat. Nec enim ipse propter senectutem bellum gerere poterat; & Tiberius jam secesserat, nec alium ex potentioribus mittere audebat: Caius verò & Lucius adolescentes & rerum imperiti erant. Verùm urgente necessitate, Caium delegit; potestate Proconsulari & uxore datâ, ut eâ quoque re dignitas ejus augetur, & consiliariis adjunctis. [*Zonar. ex Diome.*] Uxorem verò illi Lolliam Paulinam dedit. [*Sueton. in Claudio, cap. 26.*] vel filiam vel neptem Marci Lollii. [*Plin. lib. 9. cap. 35. Solin. ca. 55.*] quem rectorem, & veluti moderatorem juventæ Caii esse voluit. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 102. Sueton. in Tiberio, cap. 12.*]

Quum ad expeditionem hanc ille se pararet, *ματαιότητις* suam scribebat Ovidius; in libro ejus primo, mentioni naumachia modò peractæ ista subjiçiens.

Ecce parat Caesar domito quod defuit orbi

Addere: nunc Oriens ultime noster eris.

Parthe dabis pœnas: Crassi gaudete sepulti,

Signaque barbaricas non bene passa manus.

Ullor

*Uxor adest, primisque ducem profitetur in annis;
Bellaque non puero tractat agenda puer.*

et paulo post addens:

*Auspiciis annisque patris puer arma movebis;
Et vinctis annis auspiciisque patris.
Tale rudimentum tanto sub nomine debes;
Nunc juvenum princeps, deinde future senum.*

Qui in futuris conjectandis haud bonus hic Vates, in præsentæ ætatis Caii anno designando non multum à vero abiit. Pater enim illius Augustus annos undeviginti natus exercitum sibi comparavit: ut suo loco ex Ancyrano marmore est ostensum. Et undevigesimum ætatis annum ingressus jam Caius est, quum ad bellum Armeniacum & Parthicum se pararet; pari cum patre ætate illud deinde administraturus.

Dionysium, orbis situs recentissimum authorem, ad commentanda omnia in Orientem præmisit D. Augustus, ituro in Armeniam ad *Parthicas Arabicasque* res majore filio: ut apud Plinium legimus. [lib. 6. cap. 27.] sive notissimus ille Dionysius hic fuerit, cujus Periegesis Græco carmine conscripta extat; sive Dionysius Diogenis filius, quem terrarum dimensionem edidisse, in 1^o Periplusi sui libro Marcianus Heracleota significat.

Caium Cæsarem *Armeniam* obtinuisse, Tacitus; [Annal. lib. 2. cap. 3. & lib. 3. cap. 48.] in *Syriam* missum, Velleius Paterculus; [lib. 2. cap. 101.] *Orienti* præpositum, Suetonius: [in *Tiberio*, cap. 12.] ad ordinandas *Aegypti Syriaque* provincias ab Augusto missum fuisse scribit Orosius. [lib. 7. cap. 3.] Jubæ regis de *Arabica* expeditione ad eundem Caium scripta volumina, in fine capituli 27. libri 6. citat Plinius: in sequenti tamen capite addens, Caium ipsum *prospexisse tantum Arabiam*, nullam in eam expeditionem fecisse.

De apparatu Caii bellico ad barbaros nuncio perlato Phraates Parthorum rex ad Augustum misit: apologiã pro his quæ gesta fuerant factã, pacem postulans. Cui per litteras respondens Augustus, Armeniã cedere eum iussit. Tigranes verò Armeniis legationem tunc ad eum nullam misit. [Dio, legat. 39. in Excerpt. ab Ursino edit.]

Tiberius, transacto tribunitiæ potestatis tempore, confessus tandem nihil aliud secessu devitasse se quàm æmulationis cum Caio Lucioque suspicionem, petiit ut sibi securo jam ab hac parte, corroboratis his & secundum locum facile curantibus, permitteretur revisere necessitudines, quarum desiderio teneretur. Sed neque impetravit: ultròque etiam admonitus est, dimitteret omnem curam suorum, quos tam cupidè reliquisset. [Sueton. in *Tiberio*, cap. 11.]

Remansit ergo Rhodi contra voluntatem: vix per matrem consecutus, ut ad velandam ignominiam quasi legatus ab Augusto abesset. Neque privatum modò, sed etiam obnoxium & trepidum tunc egit; mediterraneis agris abditus, & præternavigantium vitans officia. [Id. ibid. cap. 12.]

Caio ad bellum Armeniacum profecto, Tiberius *Chium* trajiciens adolescentem studiosè coluit, purgando suspensiones, & non ipsi tantum

tum Caio sed etiam comitibus ejus se submittendo. [*Xiphilin. & Zonar. ex Dione.*] licet Tiberio, ut solet, adulatus hinc Velleius, Caium illi omnem honorem, ut superiori, habuisse scripserit. [*lib. 2. cap. 101.*] Non *Chium*, sed *Samum* Tiberium visendi Caii privigni sui gratiâ trajecisse, ibique alieniorem cum sibi sensisse ex criminationibus M. Lollii, scribit Suetonius. [*ut supr. cap. 12.*]

Sed venit præterea in suspicionem Tiberius per quosdam beneficium sui centuriones, à comœatu castra petentes, mandata ad complures dedisse ambigua, & quæ tentare singulorum animos ad novas res viderentur. De quâ suspicionem certior ab Augusto factus, non cessavit efflagitare aliquem, cujuslibet ordinis, custodem factis, atque dictis suis. Equi quoque, & armorum solitas exercitationes omisit; redegitque se, deposito patrio habitu, ad pallium & crepidas: atque in tali statu biennio ferè Rhodi permansit, contemptior in dies, & invidiosior. [*Sueton. in Tiber. cap. 12.*]

Caius Judæam prætervehens, apud Hierosolymam supplicare contempsit: quod Augustus ubi per eum comperit, ut prudenter factum, collaudavit. Refert hoc Suetonius, in *Octavio*, cap. 93. & ex eo Orosius, lib. 7. cap. 3. ex Ægypto Caium venientem fines Palæstinæ præteruisse addens.

In Syriam inde venientem Caium, nihil præclari gessisse, ex Dione refert Zonaras. Tam variè ibi se gessisse, ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat; ait Velleius Paterculus. [*lib. 2. cap. 101.*] Per majestatem tamen Romani nominis faciliè cum cuncta sedavisse, Sextus Rufus in suo affirmat Breviario.

Quirinius Romam reversus, conjugem duxit generosissimam feminam Lepidam; destinatam aliquando Lucio Cæsari uxorem, atque Augusto nurum. Quam tamen *post vigesimum annum* (M. Valerio Messalâ & M. Aurelio Cottâ Consulibus, anno Per. Julian. 4733.) ille dimissam è matrimonio, veneni olim in se comparati arguebat. [*Sueton. in Tiberio, cap. 49. cum Tacito, lib. 3. Annal. cap. 22. & 23.*]

Cum Augustus in superius commemoratis litteris Phraatem simpliciter compellasset, regio titulo non apposito; adeò ille nihil est territus, ut rescribens superbè, sibi ipsi Regis regum titulo dato, Augustum tantum Cæsaris vocabulo affecerit. [*Dio, in Xiphilino, & legat. 39. ab Ursino edit.*] Postquam verò Caium in Syriam advenisse audisset, ac res domi odio sui conturbatas suspicaretur, eâ conditione, ut Armeniam missam faceret, in gratiam rediit. [*Xiphilin. ex Dione.*] Unde, ut in libro 7º Eutropii, Augustus *Armeniam à Parthis recepisse*; ita in Eusebiano Chronico (ad hunc annum) *Caius Cæsar amicitiam cum Parthis fecisse* legitur.

Quum Artabazes (sive Artavaldes) morbo extinctus esset, Tigranes dona misit Augusto, velut adversario de medio sublato: tituloque regio litteris haud inscripto, regnum ab eo petiit. Augustus his adductus, & bellum præterea Parthicum veritus, tum ea munera accepit, tum bonâ cum spe Tigranem in Syriam ad Caium proficisci iussit. Ita Dio; in Excerptis legationum, à Fulvio Ursino editis. *Armenios, qui tunc temporis validiores erant Parthis, dedidisse se Caio*, dicit

Sextus Rufus in Breviario. Et, si Jornandem hîc audire libeat: *Armenii cum Parthis commixti, per C. Casarem nepotem Augusti ocyus superantur. Armenii siquidem, utilius rati Romanorum amicitia reconciliari & proprias sedes incolere, quàm cum Parthis conjungi & sedes perdere, & Romanos infestos habere.*

4004

ÆR Æ vulgaris Christianæ, cujus nunc annum 1653 numeramus, 4714 I
annus primus hîc incipit: quo Caius Cæsar, vigesimum ætatis annum agens, quinquennio postquam in forum est adductus, Consulatum in Oriente iniit; quemadmodum ex marmoreâ tabulâ Neapolitanâ & Anagninâ, in Annalibus suis, ostendit Pighius.

Hoc etiam anno Tiberius *Rhodi specie secessus exulem egit.* Ita enim de eo rectè censuit Tacitus. [*Annal. lib. 1. cap. 4.*] Unde in familiari quodam convivio mentione ejus ortâ, extitit qui Caio polliceretur confestim se, si juberet, Rhodum navigaturum, caputque *exulis* relaturum. Quo præcipuè, non jam metu, sed discrimine, coactus Tiberius est, tam suis quàm matris (Livie) impensissimis precibus reditum exoptulare. Sed destinatum Augusto erat, nihil super eâ re nisi ex voluntate Caii statuere. [*Sueton. in Tiberio, cap. 13.*]

Quum Augustus, exacto anno suo climacterico, natalem suum 64. celebraret IX. Kalend. Octobr. hanc ad Caium scripsit epistolam. *Have, mi Cai, meus ocellus jucundissimus; quem semper mediisfidius desidero quum à me abes: sed præcipuè diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium; quem, ubicumque hoc die fuisti, spero latum & bene valentem celebrâsse quartum & sexagesimum natalem meum. Nam, ut vides, κλιμακτηρικὴν communem seniorum omnium tertium & sexagesimum evasimus. Deos autem oro, ut, quantum mihi superest temporis, id salvis vobis traducere liceat in statu Republica felicissimo, ἀνδραγαθητων ὑμῶν ἐν Ἀφροδισηίων stationem meam.* Ex libro epistolarum Augusti, quas ad Caium scripsit, hanc nobis conservavit in lib. 15. Noct. Attic. cap. 7. A. Gellius.

4005

Caius cum rege Parthorum in insulâ quam amnis Euphrates ambiebat, æquato utriusque partis numero, in colloquium coit: stante ex diverso hinc Romano, illinc Parthorum exercitu. Prior Parthus apud Caium in Romanorum ripâ, posterior hic apud Regem in hostili epulatus est. Quod spectaculum sub initia stipendiorum suorum, tribuno militum sibi visere contigisse, scribit Velleius Paterculus. [*lib. 2. cap. 101.*]

Eo tempore Marci Lollii perfida & plena subdoli ac versuti animi consilia, per Parthum indicata, Caii Cæsaris ira evulgavit. [*Id. ibid. cap. 102.*] Regum enim muneribus & spoliatis Orientis regionibus infamato suâ illi interdixit amicitia: licet uxor ipsius, hujus Lollii vel filia vel neptis tunicam ex margaritis lucrata fuisse dicatur, quadringentis sestertiùm æstimatam. [*Plin. lib. 9. cap. 35. Solim. cap. 55.*] Quo Lollio verò offensior, eo magis facilis exorabilisque in Tiberium vitricum Caius fuit. [*Sueton. in Tiber cap. 13.*]

Mors Lollii intra paucos dies secuta, fortuita an voluntaria fuerit, ignorare se proficitur, qui tum in his locis fuit, Velleius Paterculus; licet

licet sumpto veneno eum interiisse, Plinius & Solinus asserant. Sed quam hunc decessisse lætati sunt homines; tam paulo post obiisse Censorinum in iisdem provinciis, graviter tulit civitas, virum demerendis hominibus genitum: inquit Velleius. [*lib. 2. cap. 102.*] C. Martium, ut videtur, Censorinum illum, qui Judæorum Cyrenensium & Asiaticorum suggestionem Augusto obtulit; apud Josephum, libro 16. Antiquit. cap. 10.

4005

Quirinius, loco Lollii rector Caio Cæsari datus, Tiberium Rhodi agentem coluit: quod post mortem illius in Senatu patefecit ipse Tiberius; laudatis in se Quirinii officiis, & incusato M. Lollo, quem authorem Caio Cæsari pravitatis & discordiarum arguebat. [*Tacit. Annal. lib. 3. cap. 48.*]

4715 2

Permittente ergo Caio, revocatus est Tiberius: verum sub conditione, ne quam partem curamve Reipublicæ attingeret. [*Sueton. in Tiber. cap. 13.*]

Erat Tiberius ejus divinationis quæ ex astris ducitur cum ipse peritissimus, tum Thrasyllum mathematicum in contubernio habebat: qui procul adventare navim videns, quæ nuntium reditus à Liviâ & Augusto veherat, gaudium afferri affirmabat; cum quidem illum durius & contra prædicta cadentibus rebus, ut falsum & secretorum temerè conscium, eo ipso momento dum spatiatur unâ, præcipitare in mare destinasset. [*Id. ibid. cap. 14. Xiphilin. ex Dione.*]

Tiberius igitur septem annos Rhodi moratus, octavo post secessum anno, Publio Vinicio Consule, Lucio & Caio adhuc viventibus, in patriam rediit. [*Sueton. ut supr. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 99. & 103.*] Romam verò reversus, deducto in forum filio Druso, statim è Carinis ac Pompeianâ domo Esquilias in hortos Mæcenatis transmigravit: totumque se ad quietem contulit, privata modò officia obiens, ac publicorum munerum expers. [*Sueton. ut supr. cap. 15.*]

Lucius deinde ad Hispanienses profecturus exercitus, Massiliæ inglorius repentino morbo extinctus est, ante fratris Caii mortem duodeviginti mensibus. [*Florus, lib. 4. cap. ult. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 102. Tacit. Annal. lib. 1. cap. 3. Sueton. in Octavio, cap. 65. Zonar. ex Dione.*]

Post Lucii mortem, Augustus Tiberium adoptare voluit: sed ille, Caii invidiam veritus, vehementer repugnabat. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 103.*]

4006

Armeniam ingressus Caius, primâ parte introitus prosperè gessit: mox Addo vel Adduus, (Ador etiam apud Strabonem dictus) Artagerarum præfectus castellum illud ad defectionem perduxit: & Caium ad moenia pellectum, tanquam arcani aliquid dicturus, vulneravit. Cæsaris autem duces diuturnâ oppugnatione id ceperunt, murosque dejecerunt. [*Id. ibid. cap. 102. Strabo, lib. 11. pag. 529. Zonar. ex Dione.*]

4716 3

Apud Florum, [*lib. 4. cap. ult.*] ita historia hæc narrata legitur. Domnes, quem rex Artaxatis præfecerat, simulatâ prodicione, adortus Caium intentum libello, quem ut thesaurorum rationes continentem ipse porrexerat. Strictus, sed recreatus ex vulnere in tem-

pus. Cæterum barbarus undique infesto exercitu oppressus, gladio & pyrâ, in quam se percussus immisit, superstiti etiamnum Cæsari satisfacit. Florum quoque secutus est Sextus Rufus in Breviario. Sed quasi de *Parthis* hîc ageretur, non de Armeniis, importunè attextit; *Parthos ad satisfactionem tam audacis admissi, obsides tunc primùm Octaviano Cæsari dedisse, & erepta sub Crasso signa retulisse.* per errorem ea omnia ad hanc *Caii* (*Claudii* & hîc & apud Jornandem, & in Latinorum illo scripto quod in Græcum suum Chronicon transtulit Georgius Syncellus, perperam appellati) historiam referens, quæ de Parthis uno complexu, temporum ratione nullâ habitâ, scripserat Suetonius in Octavio, cap. 21. *Parthi & Armeniam vindicanti* (Octavio) *facilè cesserunt: & signa militaria, quæ M. Crasso & M. Antonio adem- rant, reposcenti reddiderunt; obsidésque insuper obtulerunt.*

Ariobarzanem origine Medum, ob insignem corporis formam & præclarum animum, volentibus Armenis Caius præfecit. [*Tacit. Annal. lib. 2. cap.*]

Caius ex vulnere, ut corpus minùs habile, ita animum minùs utilem reipublicæ habere cœpit. Nec defuit conversatio hominum vitia ejus assentatione alentium: per quæ eò ductus est, ut in ultimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consensescere, quàm Romam regredi mallet. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 102.*] Nam & parùm firmâ valetudine, & dissolutiore ingenio, hebetior jam factus, postulavit ut privatam sibi vitam liceret agere. Quod Augustus ægerrimè ferens, cum hortatus est, ut in Italiam reversus, quod vellet ageret. [*Zonar. ex Dione.*] Diu reluctatus, invitùsque reversurus in Italiam, nave onerariâ in Lyciam advectus, in urbe Limyrâ morbo obiit. [*Id. & Vell. Patercul. ut supr.*] Remeantem Armeniâ, & vulnere invalidum, interiisse notat Tacitus. [*Annal. lib. 1. ca. 3.*] Reversum in *Syriam* ex vulnere obiisse, Sextus Rufus asserit. Verùm in *Lyciâ* esse defunctum, cum Dione & Velleio (qui tribunus militum sub Caio ipso tunc militabat) confirmat Suetonius. [*in Octavio, cap. 65.*]

Caii mortem gravissimè Augustus tulit: per codicillos etiam de Asinio Pollione questus, quòd in tam magno & recenti luctu suo homo charissimus sibi pleno convivio cœnâsset. Cui rescripsit Pollio. *Eo cœnavi quo Aterium filium amisi. Quis exigeret ab amico dolorem, quàm à patre?* Refert M. Seneca, in libri *Controversiarum* 4. Proœmio.

Corpora Caii & Lucii à tribunis militum, ac cujusque civitatis decurionibus Romam apportata sunt; parmæque & hastæ, quas ab equitibus, quum ex ephebis excefferunt, acceperant aureas, (vel argenteas potius, ut suo loco, ex Ancyrano monumento est ostensum) in Curiâ suspensæ. [*Xiphilin. ex Dione.*] Etsi enim Hamæ sive Emesæ in Syriâ *C. Cæsaris epitaphium Græcis characteribus inscriptum legi*, in libro 2º *Observationum* suarum referat Bellonius: Romæ tamen ossa illius esse condita, hoc ostendit epitaphium, quod ibi ante templum Apostolorum retro Minervam cernitur. O S S A C. CÆSARIS AVGVSTI F. PRINCIPIS JVVENTVTIS. [*Inscript. Gruter. pag. CCXXXV. 4.*] Ambos verò fra-

fratres dolo novercæ Livix (aditum ad imperium filio suo Tiberio parantis) sublatos fuisse, suspicio erat. [*Tacit. Annal. lib. 1. cap. 3. & Zonar. ex Dione.*]

Augustus à populo *Dominus* appellatus, nomen illud non modò non admisit, sed etiam edicto prohibuit. [*Xiphilin. & Zonar. ex Dione; cum Suetonio in Octavio, cap. 53.*]

4007

Tertio principatus decennio ad finem jam accedente, in quartum decennium, quasi coactus, imperium suscepit. Qui nunc mansuetior, ac segnior ad Senatores exasperandos contra se factus, nolebat quenquam eorum amplius offendere. [*Xiphilin. ex Dione.*]

Augustus tribunitiæ potestatis consortionem Tiberio Neroni constituit, multùm eo cùm domi tum in Senatu recusante. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 103.*] Datam illi tribunitiam potestatem in quinquennium, dicit Suetonius; [*in Tiberio, cap. 16.*] in decennium, Dio. [*lib. 55. pag. 556. fin.*]

Tertio superfluo die intercalari, qui Romanorum sacerdotum vitio accreverat, in hujus anni mense Februario omisso, Kalendarium Julianum integritati suæ est restitutum. Deinceps verò unum diem secundùm ordinationem Cæsaris quinto quoque incipiente anno intercalari Augustus Pontifex jussit: & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandavit. [*Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 14. fin.*] Ex quâ disciplinâ omnium postea temporum ratio fundata est. [*Solin. cap. 3.*] quippe quæ posthac, usque ad mutationem Kalendarii anno abhinc 1579. à Gregorio XIII. Pontifice factam, constanter est observata. Tantùm ne nundinæ, quæ nono quoque die ineunte à Romanis celebrabantur, in Kalendas Januarias incidere, dies una in fine præcedentis anni sæpe intercalata est præter consuetudinem, & ex sequente anno eadem vicissim exempta, ut tempus ad Julii Cæsaris ordinationem competeret. Quâ de re videndus Dio, libro 48. pag. 377. & libro 60. pag. 681.

47174

Post quinquennium filiam suam Juliam ex insulâ in continentem, lenioribusque paulò conditionibus, Augustus transtulit: nam ut omnino revocaret, exorari nullo modo potuit; deprecanti sæpe populo Romano & pertinaciùs instanti, tales filias talisque conjuges pro concione imprecatus. [*Sueton. in Octavio, cap. 65.*]

Ælio Cato & Sentio [Saturnino] Contulib. V. Kalendas Julias, Tiberium Neronem Augustus adoptavit. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 103.*] Reipublicæ causâ adoptare se eum pro concione, jurans. [*Id. ibid. ca. 104. cum Suetonio, in Tiberio, ca. 21.*] Adoptatus etiam eadem die Marcus Agrippa est, Caii & Lucii frater; quem post mortem Agrippæ Julia enixa erat. [*Vell. Paterc. ibid. Sueton. ut supr. ca. 15.*] Veritus etiam Augustus, ne Tiberius aliquando animo elatus novas ad res confurgeret; ante adoptionem ipsum coëgit Germanicum Drusi fratris sui filium adoptare, quanquam ipse Tiberius natum habuisset filium. [*Dio, lib. 55. pag. 556, 557. cum Suetonio, in Tiber. ca. 15. & Tacito, lib. 1. Annal. ca. 3.*]

Protinus ab adoptione in Germaniam missus est Tiberius: cum quo præfectus equitum militans Paterculus, operum ejus per annos con-

tínuos

tinuos novem spectator fuit. [*Vell. Patere. ca. 104. & 105. init.*]

Delegato in Germaniam Tiberio, Parthorum legati, mandatis Augusto Romæ redditis, eum quoque adire in provinciam jussi sunt. [*Sueton. in Tiberio, ca. 16.*] Pluribus enim de regno concertantibus, venere in Urbem legati à primoribus Parthis, unum ex Phraatis III. filiis, qui obsides Romæ remanserant, regem petitori. Cæteris verò fratribus prælatus Vonones, à Cæsare opibus auctus, à Parthis lætantibus ad aliquod tempus acceptus est. [*Id. in Octavio, cap. 21. Joseph. lib. 18. ca. 3. Tacit. Annal. lib. 2. ca. 2.*]

Augustus, ad censum in Italiâ peragendum, Proconsulare imperium accepit. [*Dio, lib. 55. pag. 557.*]

4008

Sol aliquâ parte lumen suum amisit. [*Id. ibid. pag. 563.*] Martii die 28. circa 5. horam post meridiem; ut calculus astronomicus ostendit.

4718 5

M. Agrippæ (Posthumus), nullo honorum qui fratribus (Caio & Lucio) obtigerunt potito, virilis toga est data. [*Dio, ibid.*]

4009

Primates tam Judæorum quàm Samaritarum, non ferentes Archelai tyrannidem, detulerunt eum ad Cæsarem: scientes eum contra ipsius mandatum fecisse, à quo jussus fuerat ex æquo ac bono præesse subditis. Hoc audito Cæsar irâ commotus, accersit procuratorem ejus Romæ manentem; & ad ipsum Archelaum non dignatus quicquam scribere, ut in Judæam properaret, & dominum suum quamprimùm ad se adduceret, ei mandavit. [*Joseph. lib. 2. Belli, cap. 6. xep. 12. & lib. 17. Antiquit. ca. ult.*]

4719 6

Hujus mali prænuncium somnium Archelaus habuisse fertur, de novem aristas quas à bobus absumi viderit. Eas Simon Essæus de totidem regni annis interpretatus, jam instare Archelao dominationis terminum dixit. Quintâ verò post die Archelai procurator in Judæam venisse dicitur: qui eum cum amicis in convivio reperiens, indicatâ voluntate Cæsaris, ad causam dicendam evocavit. [*Ibid.*]

4010

Circa nostrum Novembrem, mensis Cislevi Judaici die 7. cœpit 10. annus regni Archelai: (quod enim *ethnarchiam* Augustus, Judæi *regnum* vocabant:) quo, Josepho Sacerdoti natus est filius Matthias: *Ματθαῖος ὁ Ἀρχελαῦ θ' Ἰσραήλ*) ut ex publicis tabulis, in libri de Vitâ suâ initio retulit Matthiæ hujus filius Flavius Josephus historicus. Qui ob hanc ipsam rationem, quod in libris Belli Judaici de *novem* Archelai annis priùs scripserat, in libris Antiquitatum omnino mutandum esse censuit: *decem* & annos in regno, & aristas in somnio Archelai substituens. Quâ quidem emendatione non admodum opus erat: quum *decimi* illius sive ethnarchiæ sive regni anni non multos ille dies numeraverit; sub finem ejus anni missus in exilium, quo Consules Romæ fuerunt M. Æmilius Lepidus & L. Arruntius. Sub horum enim Consulatu, *Herodem Palestinum* (non alium profectò quàm hunc ipsum Archelaum) à fratribus accusatum, trans Alpes fuisse relegatum, ac partem ejus *ditionis in publicum redactam*; in libro 55. [*pag. 567.*] author est Dio.

Cæsar igitur, auditis Archelai accusatoribus & ipsius defensione, Viennam Galliæ in exilium eum misit; patrimonio ejus & thesauris fisco adjudicatis. [*Joseph. lib. 2. Belli, cap. 6. & lib. 17. Antiqu. cap. ult.*] xep. 12.

Atque

Atque hic ille est Herodis filius quem in exilio apud Gallos Allobroges vitam exegisse notavit Strabo. [*lib. 16 pag. 765.*]

Augustus unicum nepotem suum M. Agrippam Posthumum (rudem sanè bonarum artium & robore corporis stolidè ferocem, nullius tamen flagitii compertum) proscripsit; & facultatibus ejus in ærarium militare relatis, ipsum in Planasiam, Corsicæ propinquam insulam, projecit. [*Tacit. Annal. lib. 1. cap. 3. Dio, lib. 55. pag. 569, 570.*]

Archelai ditione, id est, Judæâ (tribum Judæ & Benjaminis continente) Samariâ & Idumæâ, in provinciæ formam redactâ & Syriæ attributâ, Quirinius à Cæsare Syriæ Præses missus; ut in eâ totâque Syriâ censum ageret, Judæorum facultates æstimaret, Archelai domum venderet, & pecunias ejus in potestatem suam redigeret. [*Joseph. in fine libri 17. & initio 18.*]

Judæi, tametsi primùm ægrè ferrent mentionem descriptionis, persuadente tamen Pontifice Joazaro Boëthi filio (qui vel ab Archelao restitutus, vel eo absente Pontificatum ipse repetiit) non sunt reluctati pertinaciter, sed se censerî passi sunt. [*Id. lib. 18. ca. 1.*]

Hujus descriptionis tempore Judas Galilæus exortus, avertit populum multum post se: sed & ille periit, & omnes qui assensi fuerant ei dispersi sunt; ut inquit Gamaliel, Act. V. 37. Quem Judam Josephus, in 18 Antiquitatum libri capite 1. *Galanisem* cognominat, & ortum ex opido Gamalâ fuisse dicit: alibi verò *Galilaum* cum Gamaliele appellat, & agente Judææ censum Quirinio ad deficientum à Romanis populum sollicitavisse scribit. [*lib. 18. ca. 2. & lib. 20. ca. 3.*]

Hic, adjuncto sibi Phariseo Saddoco, sollicitabat ad defectionem populos; censum nihil aliud quàm manifestam servitutis professionem esse dicentans, & universam gentem ad tuendam libertatem adhortans. Fore enim ut re bene gestâ fortunis suis fruantur feliciter, & confirmati in earum possessione laudem quoque sibi parent fortitudinis: nec sperandum auxilium cœlestis numinis, nisi ipsi quoque rebus suis consulant. Accipiebantur hæc pronis vulgi auribus, ita ut accenderentur ad audendum aliquid. Atque ita dici vix potest quantum hi viri totam gentem conturbaverint; dum omnia miscent cædibus & latrociniiis, promiscuisque nullo amicorum aut inimicorum respectu prædationibus, & insignium virorum cædibus: prætextu quidem propugnandæ libertatis publicæ, sed re verâ privatorum lucrorum studio. Harum omnium calamitatum Judas & Saddocus authores fuere, novitatum cupidos affatim ad se contrahentes: quod non in præsens tantùm turbavit rempublicam, sed futurarum etiam cladum exitit seminarium. [*Id. lib. 18. ca. 1.*]

Tribus antiquis Judæorum sectis (Phariseorum, Sadducæorum, & Essenorum) quartam Judas iste Galilæus superinduxit: cujus sequaces, in cæteris cum Phariseis consentientes, solum Deum dominum habendum ac principem affirmant; faciliùs vel exquisitissima poenarum genera laturi, unâ cum cognatis suis ac charissimis, quàm mortalem aliquem appellaturi dominum. [*Id. lib. 18. ca. 2.*]

Quirinius, venditis & confiscatis Archelai facultatibus, peractôque Censu, qui incidit in annum ab Actiâ victoriâ 37. (à præcedentis anni Septem-

47207

Septembre cœptum) cùm mota esset contra Joazarum pontificem plebis seditio, privavit eum hâc dignitate, & Ananum (sive Annam) Sethi filium substituit. [*Id. ibid. ca. 3.*]

Simul cum Quirinio venit Coponius, vir equestris ordiinis: Judææ in provinciam jam redactæ primus procurator ab Augusto missus. [*Id. ibid. & cap. 1. cum libro 2. Belli, cap. 7. n. 16.*] qui Procuratorum suorum eò missorum præfecturam triennii termino præfinivisse videtur.

4011

Coponio Judæam administrante, hujus vel sequentis anni Paschate, quum sacerdotes (ut in eo festo facere mos erat) post mediam noctem Templi januas aperuissent; Samaritani quidam clam ingressi Hierosolyma, sparserunt ossa humana per porticus & per totum templum: quo factum est, ut posthac sacerdotes solito diligentiores custodias agerent. [*Joseph. lib. 18. ca. 3.*]

47218

Hujus verò anni Paschate, Christus anno ætatis suæ 12^o. à Josepho & Mariâ Hierosolymam ductus, & peractis jam septem diebus azy-morum parentibus domum redeuntibus, illis insciis ibi hærens, ac tri-duo quæsitus; inventus est in Templo, in medio Doctorum sedens, audiens eos, & interrogans. Et percellabantur omnes qui cum au-diebant, super intelligentiâ & responsis ejus. [*Luc. II. 41.—47.*]

Descendit deinde Jesus cum parentibus Nazaretham: & erat eis subjectus. [*Luc. II. 51.*] fabrilem cum patre artem exercens, & ex sudore vultus sui comedens panem suum. Quod illud civium ejus Nazarenorum dictum satis arguit; *Nonne hic est faber, filius Maria?* [*Marc. VI. 3.*]

4012

Ovidius Tomos in Ponto relegatus est, partim ob visum inhonestum aliquem Augusti actum, quem ille nullo modo conspectum vellet; de quo infortunio, in 2^o Tristium libro ad Augustum ita ipsum conquerentem legimus,

47229

*Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi est?*

partim ob libros amatorios editos; quod à Sidonio Apollinari & aliis habetur traditum, & ab ipso in eodem Tristium libro non obscure innuitur. Quum verò in Hirtii & Pansæ Consulatu natum illum fuisse ostenderit: hoc tempore annum ætatis 51. egisse illum oportuit. Sed eo labente anno neglecto, integrum completorum annorum numerum, in 4^o libri Tristium elegiâ extremâ, ita Poëta proposuit.

*Póstque meos ortus Pisæâ vineæus olivâ
Abstulerat decies præmia victor eques;
Cum maris Euxini positos ad lava Tomitas
Quærere me læsi Principis ira jubet.*

hoc est, ut in Ibin carmine (quod in primo ad Tomitas accessu, irarum plenus, adversus delatorem suum, effudit) clariùs ab eo est expressum,

Tempus ad hoc lustris mihi jam bis quinque peractis.

Pisæorum enim quadriennes Olympiadas cum quinquennialibus Romanorum

4013

manorum lustris, errore non exiguo, ille solet confundere.

In Ponto primam hyemem, & cum eâ primum exilii annum (eam enim quæ hanc antecessit hyemem in itinere transegerat) se excegisse, in 3ⁱⁱ libri Tristium elegiæ 12^a initio, ita Ovidius significat.

*Frigora jam zephyri minuunt; annoque peracto,
Longior antiquis visa Maotis hyems:
Impositamque sibi qui non bene pertulit Hellen, (Aries sc.)
Tempora nocturnis aqua diurna facit.*

Deinde in libri 4ⁱ elegiâ 6^a annum exilii sui secundum ita designat.

*Ut patriâ carco, bis frugibus arca trita est;
Disiluit nudo pressa bis uva pede.*

Secundus ab Augusto Procurator in Judæam missus est Marcus Ambivius. Cujus tempore Salomé regis Herodis soror vitâ decedens, Juliæ (vel Liviæ Augustæ) Jamniam cum suâ toparchiâ reliquit; & sitam in campo Phasaëlidem, Archelaidemque plurimis palmetis consitam, quorum fructus erat præstantissimus. [Joseph. lib. 18. cap. 3.]

4015

Tertiæ in Ponto exactæ hyemis, in libri 5ⁱ Tristium elegiæ 10. exordio, sic Ovidius meminit.

*Ut sumus in Ponto, ter frigore constiit Ister,
Facta est Euxini dura ter unda maris.*

Senatus Populusque Romanus, postulante Augusto, ut æquum Tiberio jus in omnibus provinciis exercitibusque esset, quàm erat ipsi, decreto complexus est. [Vellei. Patercul. lib. 2. ca. 121.] Per Consules etiam eam legem latam esse refert Suetonius, [in Tiber. ca. 21.] ut provincias cum Augusto communiter administraret Tiberius. Consulatum verò toto eo anno gessit Germanicus: quem Augustus ætate jam gravis Senatui, ut Senatum ipsum Tiberio, scripto commendavit; ut in hujus anni historiâ narrat Dio. [lib. 56. pag. 587.] Res enim ea jam miri nihil habebat: commendari ab Augusto Senatum filio, collega imperii, consorti Tribunitiæ potestatis; ut in 1^o Annalium libro [ca. 3:] loquitur Tacitus. Quin & Censor ille tum factus, Urbis curam L. Pisoni commisit; quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum jam Principem: ut in postremo libri 14. capitulo refert Plinius. quem Pisonem in Urbis præfecturâ viginti per annos pariter probatum, Domitio Aënobarbo & A. Vitellio Consulibus. id est, anno æræ Christianæ 32. mortuum esse, & publico funere celebratum, confirmat Tacitus. [Annal. lib. 6. ca. 11.] Unde colligitur, anno præseni æræ Christianæ 12^o. Tiberium jam Principem extitisse; toto ante excessum Augusti biennio: ideoque inter primi Principatus & sequentis Monarchiæ Tiberii initium distinctionem esse observandam.

4016

Quartam in exilio actam hyemem Ovidius, in Ponti libro 1^o elegiâ 2^a ad Maximum, hisce verbis commemorat:

*Hic me pugnantem cum frigore, cùmque sagittis,
Cùmque meo faso, quarta fatigat hyems.*

B b b b

Tertius

4723 10

4725 12

4726 13

4017

Tertius ab Augusto in Judæam Procurator missus est Annius Rufus. [*Joseph. lib. 18. ca. 3.*]

L. Munatio & C. Silio Consulibus. Augustus (quarto imperii decennio ad finem jam æcedente) quintum in decennium gubernationem Reipublicæ, invitatus scilicet, accepit: & Tiberio tribunitiam potestatem prorogavit. [*Dio, lib. 56. pag. 588.*]

Sexto Pompeio & Sexto Apuleio Consulibus. Augustus se *imperimè*, cum collegâ Tiberio, Romæ tertium suum censum egisse, eoque lustro censa fuisse Romanorum civium capita 4137000. in rerum suarum Breviario, marmori Ancyrano inciso, significat. [*Inscr. Gruter. pag. CCXXX.*] Errat igitur Eusebius in Chronico suo capita 937000. tum inventa fuisse tradens. Quem errorem in libro de regnorum ac temporum successione Jornandes secutus, alio quoque auctiorem nobis dedit, Augustum tunc *omnem orbem, venientis Jeshu Christi nativitate pacatum, censeri præcepisse* subjiciens: quum tamen in imperii illius annum 43. Domini nativitatem & ipse ibidem cum Eusebio conjecerit.

4727 14

Cum lustrum hoc in campo Martio magnâ populi frequentiam Augustus conderet, aquila eum sæpius circumvolavit: transgressaque in vicinam ædem, super nomen Agrippæ ad primam literam sedit. Quo animadverso, vota quæ in proximum lustrum suscipi mos est collegam suum Tiberium nuncupare jussit. Nam se, quanquam conscriptis paratisque jam tabulis, negavit suscepturum quæ non esset soluturus. [*Sueton. in Octavio, ca. 97.*]

Sub idem tempus ictu fulminis ex inscriptione statuæ ejus in Capitolio positæ prima nominis litera effluxit. Responsum est à vatibus, centum solos dies posthac victurum, quem numerum C litera notaret: futurumque ut inter deos referretur, quod A E S A R, id est, reliqua pars nominis, Hetruscâ linguâ Deus vocaretur. [*Id. ibid. Dio, lib. 56. pag. 589.*]

Interim rerum à se gestarum indicem conscripsit: quem incidi in æneis tabulis voluit, quæ ante ipsius Mausoleum statuerentur. [*Sueton. in Octavio, cap. ult. Dio, lib. 56. pag. 591.*] Cujus exemplum illud est, quod Ancyrano marmori, à nobis toties laudato, est insculptum: in quo idcirco superius illud lustrum *imperimè* ab eo actum legitur.

Atque ita, duobus illis Sextis Consulibus (in eodem monumento nominatis,) Augustus Nolæ in Campaniâ obiit. [*Vallei. Patercul. lib. 2. ca. 123. Sueton. in Octavio, ca. 100. Tacit. Annal. lib. 1. ca. 5. & 7. Dio, lib. 56. pag. 589.*] in domo & cubiculo, in quo pater ejus Octavius vitam finivit. [*Sueton. ibid. Tacit. ut supr. ca. 9.*] mensis Augusti die 19. quo olim primum Consulatum inerat. [*Sueton. ibid. Dio, ut supr. pag. 590.*]

Excessum Augusti non prius palam fecit Tiberius, quam Agrippâ Posthumo juvene interempto. Tribuno tamen militum, qui illum occiderat, renuntianti factum esse quod imperasset; neque imperasse se, & redditurum eum Senatui rationem respondit: invidiam scilicet in præsentia vitans, [*Sueton. in Tiberio, ca. 22. Tacit. Annal. lib. 1. ca. 6. Dio, lib. 57. pag. 604.*] Provisisque demum aliis quæ tempus monebat,

bat, simul excessisse Augustum, & rerum potiri Tiberium Neronem, fama eadem tulit. [*Tacit. ibid. ca. 5.*]

Principatum tamen, quamvis neque occupare confestim neque agere dubitasset; diu tamen recusavit impudentissimo animo: precantem Senatum, & procumbentem sibi ad genua, ambiguis responsis & callidâ cunctatione suspendens. ita ut quidam coram illi exprobraverit: Cæteros quod polliciti sint tardè præstare, sed ipsum quod præstet tardè polliceri. [*Sueton. in Tiber. ca. 24. cum Velleio Paterculo, lib. 2. ca. 24. Tacito, lib. 1. Annal. ca. 7. & Dione, lib. 57. pa. 602, 603.*]

Inter novum autem principatum hunc, ut cum Tacitus appellat [*lib. 1. Annal. ca. 6, 7.*] et priorem illum, quem biennio ante Augusti excessum Tiberius adeptus fuerat, discrimen hoc erat: quod ille ad exercitus & imperii Romani provincias tantum se extenderet, hic etiam ad ipsam urbem Dominam; in quâ Tiberio, *Censoriam & Tribunitiam* potestatem tantum obtinenti, principatus *Augustalis*, id est, *αυτοκρατορεως*, & legum potestate omni solutus, postea obtigit. Non enim ita cum Augusto æquale Tiberius gessit imperium, ut Lucius Verus cum M. Antonio Philosopho, qui duo pariter Augusti primi Rempublicam gubernaverunt, quemadmodum refert Spartianus [*in Hadriano, Alio Vero, & M. Aurelio Antonino.*] sed cujusmodi cum Hadriano habuit Antoninus Pius, qui ab eo adoptatus, factus est Patri & in imperio proconsulari (quoad provincias cæteras) & in Tribunitiâ potestate (domi) Collega, sicuti narrat Julius Capitolinus. Unde & Tiberius, edictum quo patres in curiam vocabar, non novi sui principatus, sed Tribunitiæ potestatis præscriptione posuit sub Augusto acceptæ; prætoris verò cohortibus signum ut Imperator dedit. [*Tacit. lib. 1. Annal. cap. 7.*]

4018

Pannonicæ legiones tumultuantes, subitâ defectione Lunæ territæ, Tiberio se submiserunt. [*Tacit. Annal. lib. 1. ca. 28. Dio, lib. 57. pag. 604.*] Totalis ea eclipsis, die 27 Septembris, horis 5. post mediam noctem conspecta fuit: ita ut in ipso defectu Luna manè occiderit.

Apud Ovidium, libro Ponti 4: post elegiam 5. ad Sextum Pompeium hoc anno Consulatum gerentem, sequitur ad Brutum 6. in quâ mortis & Augusti & Fabii Maximi (quem hoc eodem anno sub Tiberio decessisse ex Tacito, lib. 1: Annal. cap. 5. liquet) ille meminit. Quo tempore & quintum exilii annum se exegisse & sextum tunc egisse (unde de initio ejus nobis constat) hisce versibus ille indicat.

*In Scythiâ nobis quinquennis Olympias acta est,
Fam tempus lustrî transit in alterius.*

quem sextum etiam annum, in 10^æ elegiæ ad Albinovanum initio, ita commemorat.

*Hac mihi Cimmerico bis tertia ducitur ætas
Littore, pellitos inter agenda Getas.*

Sextum deinde brumæ (à quâ septimus exilii annus ducit initium) 4728 15
in elegiâ 13. ad Carum, mentionem hanc injicit.

*— sed me jam, Care, nivali
Sexta relegatum bruma sub axe videt.*

Ubi & de Auguſti *ἄνοδρωσ* pœma Geticâ linguâ conſcriptum à ſe hoc tempore fuiſſe narrat.

*Ah pudet, & Getico ſcripſi ſermone libellum,
Structaque ſunt noſtris barbarâ verba modis.
Et placui, gratare mihi, cœpique pœta
Inter inhumanos nomen habere Getas.*

Hebræa mulier à Satanâ incurvari cœpit, poſt annos 18. valetudini à Chriſto reſtituta. [*Luc. XIII. 1, — 16.*]

A Tiberio Judææ procurator miſſus in Annii Ruſi locum Valerius Gratus, in provinciæ illius adminiſtratione undecim annos exegit. [*Joſeph. lib. 18. ca. 3.*]

Cretæ præfecto vitâ defuncto, quæſtori & adſeſſori ejus inſula in reliquum tempus mandata eſt. [*Dio, lib. 57. pag. 611.*]

4019

Cùm Vononem regno Parthico exutum Armenii in regnum accipiſſent: minitante Artabano Parthorum & Medorum rege, Vonones legatis Romam miſſis Tiberii opem fruſtrâ imploravit. Cùmque potentiores Armeniorum Niphatem accolentes ſequerentur factionem Artabani: Vonones, omni ſpe regnandi deſtitutus, Antiochiam cum ingenti gazâ ſe recipiens, Syriæ præſidi Cretico Silano ſe dedit. Is reſpectu educationis quæ illi Romæ contigerat, hominem apud ſe aſſervavit in Syriâ: cuſtodiâ tamen circumdedit, manente luxu & regio nomine. Armeniis autem Orodem unum è ſuis filiis Artabanus regem impoſuit. [*Joſeph. li. 18. ca. 3. Tacit. Annal. li. 2. ca. 4. Suet. in Tiber. ca. 49.*]

4729 16

4020

Ovidius pœta in exilio diem obiit, & juxta opidum Tomos ſepelitur. [*Hieronym. in Chronico.*]

4730 17

Tiberius Archelaum Cappadociæ regem ſibi inviſum, quod ipſum Rhodi agentem nullo officio coluiſſet, Livie matris ſuæ litteris Romam eliciendum curavit. Illa, non diſſimulatis filii offenſionibus, clementiam offerebat, ſi ad precandum veniret. Archelaus ignarus doli, vel ſi intelligere crederetur vim metuens in Urbem properavit: exceptuſque immitti à Principe, & mox fictorum criminum in ſenatu ac cuſatus eſt. [*Tacit. Annal. lib. 2. ca. 42.*] Inſimulatus ergo quaſi novis rebus ſtuderet, homo non ſenectute modò extremâ, ſed podagrâ etiam vehementi conſectus ac delirare creditus, ex lecticâ nonnulla in ſenatu diſſeruit; & impotem ſe animi ſimulans, periculum tum evaſit. [*Dio, lib. 57. pag. 614.*] Nihilominus paulo poſt angore, ſimul feſſus & ſenio, vitam finiit. Ac inde Cappadocia in provinciæ formam redacta, equitique regenda data eſt. [*Id. ibid. Tacit. ut ſupr. Suet. in Tiber. ca. 37.*]

Ejus regni fruſtibus levari poſſe centeſimæ veſtigal profeſſus Tiberius, ducenteſimam in poſterum ſtatuit. [*Tacit. ibid.*] et ejus metropolim Mazacam, nobiliſſimam civitatem, Cæſaream appellari juſſit. [*Hieronym. in Chronico.*]

Per idem tempus Antiocho Commagenorum rege defuncto, contentio nata eſt inter plebeios & nobiles: his regnum in provinciæ formam redigi poſtulantibus, plebe contra cupiente ſub rege, ut antè, vivere. [*Tacit. ut ſupr. Joſeph. lib. 18. ca. 3.*] Similiter & Philopatore Cilicum rege mortuo, turbata eſt natio; plerisque Romanorum, aliis regium

regium imperium cupientibus: & provinciæ Syria atque Judæa fessæ oneribus, diminutionem tributi orabant. [*Tacit. Annal. lib. 2. cap. 42.*]

De his Tiberius apud Patres differens, persuasit non posse motum Orientem nisi Germanici sapientiâ componi. Indéque decreto Patrum permissæ Germanico sunt provinciæ quæ mari dividuntur; majore quoque imperio illi dato, quàm his qui sorte aut missu Principis obtinerent. [*Id. ibid. cap. 43.*] Hâc enim rerum Orientis specie Germanicum suctis legionibus abstrahere volebat Tiberius, novisque provinciis impositum dolo simul & casibus objectare. [*Ibid. cap. 5.*]

Et quia Syriæ præses Creticus Silanus per affinitatem Germanico erat connexus, Cn. Pisonem successorem illi constituit, ingenio violentum & obsequii ignarum: qui nec ipse ignorabat, se delectum qui Syriæ imponeretur, ad spes Germanici coercendas. Credidere quidam data & à Tiberio occulta mandata: & uxorem illius Plancinam haud dubiè Augusta monuit, muliebri æmulatione Agrippinam (M. Agrippæ & Juliæ filiam, Germanici conjugem) insectandi. [*Id. ibid. cap. 43.*]

Eodem anno duodecim celebres Asiæ urbes unâ nocte terræ motu prostratæ sunt: Ephesus, Magnesia, Sardes, Mosthene, Ægæ, Hierocæsarea, Philadelphia, Temnus, Cyme, Myrina, Apollonia, Hyrcania. Sedisse immensos montes, visa in arduo quæ plana fuerint, effulisse inter ruinam ignem memorant. Asperrima in Sardonios lues, plurimum in eisdem misericordiæ traxit. nam centies sestertiûm pollicitus Tiberius; & quantum ærario aut fisco pendeabant, in quinquennium remisit. Magnetes ad Sipylum montem, proximi danno ac remedio habiti. Temnios, Philadelphenos, Ægæatas, Apollonienses, quique Mostheni aut Macedones Hyrcani vocantur, & Hierocæsaream, Myrinam, Cymen incolunt, levari idem in tempus tributis, mittique ex Senatu placuit, qui præsentia spectaret refoverétque. Missus est autem cum quinque lictoribus M. Aletus è prætorii; ne Consulari obtinente Asiæ, æmulatione inter pares & ex eâ impedimentum oriretur. [*Id. ibid. ca. 47. cum Strabone, lib. 12. pag. 579. & lib. 13. pag. 627. Plinio, lib. 2. ca. 84. Dione, lib. 57. pag. 614. Eusebio in Chronico, & Orosio, lib. 7. cap. 4.*]

Ob hanc magnificam in publicum largitionem; Tiberio colossus erectus est juxta ædem Veneris in Romano foro; & in unaquaque restauratarum urbium statuæ illi positæ: ut ex Apollonio Grammatico refert Phlegon Trallianus, in libro de Mirabilibus. Ad quorum illustrationem & nummum argenteum addit Scaliger; in cujus superficie vultus Tiberii, in alterâ effigies Asiæ muliebri specie sedens cum his litteris. CIVITATIBUS ASIÆ RESTITUTIS.

4021

Germanicus, ad componendum Orientis statum expulsus, (at loquitur Suetonius, in C. Caligulâ, cap. 1.) in Lesbium insulam navigavit; ubi uxor ejus Agrippina novissimo partu Juliam edidit. Tum extrema Asiæ, Perinthumque & Byzantium Thracias urbes, mox Propontidis angustias & os Ponticum intravit, cupidine veteres locos & famâ ce-

473118

lebratos noscendi; pariterque provincias internis certaminibus aut magistratuum injuriis fessas refovebat. Appellens Colophona, Clarii Apollinis oraculum consuluit: quod per ambages, ut mos est oraculis, maturum exitium illi prædixisse dicitur. [*Tacit. Annal. lib. 2. cap. 54.*]

At Cn. Piso navigatione celeri per Cycladas & compendia maris, apud Rhodum Germanicum est affecutus: à quo ipse Piso præsentis naufragii periculo ereptus, nec tamen mitigatus, reliquit Germanicum & in Syriam præcurrit. Ubi cum ad legiones accessisset, largitione, ambitu, licentiâ, eas sibi conciliare statuit: cõque usque corruptionis provectus est, ut sermone vulgi parens legionum haberetur. Plancina quoque ejus uxor, tam ipsa per se quàm per aliquos milites ad mala obsequia promptos, contumelias in Agrippinam & Germanicum jactabat; idque hoc facilius, quòd id haud invito Imperatore fieri, occulto rumore ferebatur. [*Id. ibid. ca. 55.*]

Hæc licet Germanico innotescerent, res tamen Armeniæ eum prius ad se traxerunt. Nam eâ tempestate Armenii, amoro Vonone, regem non habebant, (si Tacitum hîc audimus: nam Suetonius, in *C. Caligulâ cap. 1.* Armeniæ regem à Germanico devictum memorat; Orodem videlicet Artabani Parthorum regis filium, ut ex Josepho jam dictum) sed favor nationis inclinabat in Zenonem, Polemonis regis Pontici filium, quòd is primâ ab infantiâ instituta & cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis, & quæ alia barbari celebrant, proceres plebẽmque juxtâ devinxerat. Huic igitur Germanicus in urbe *Artaxatâ*, approbantibus nobilibus, circumfusâ multitudine, insignis regium capiti imposuit. Cæteri venerantes regem, *Artaxiam* consalutavere; quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis. [*Id. ibid. ca. 56.*]

Cappadocia deinde in formam provinciæ à Germanico redacta, Q. Veranio equiti regenda data est. [*Id.*] et quædam ex regiis tributis diminuta, quo mitius Romanum Imperium speraretur. Commagenis Q. Servæus præponitur, tum primùm ad jus Prætoris translatis. [*Tacit. ut sup.*]

4022

Cuncta socialia prosperè composita non ideò Germanicum exhilarabant, de superbiâ Pisonis indignantem, qui jussus partem legionum ipse, aut per filium in Armeniam ducere, utrumque neglexerat. Cyrri demum urbe Syriæ, apud hyberna decumæ legionis convenère. ubi paucis familiarium adhibitis, sermo coeptus à Cæsare, qualem ira & dissimulatio gignit, responsum à Pisonis precibus contumacibus, operis discesseruntque odius. Pòstque rarus in tribunali Cæsaris Piso, & si quando affideret, atrox, ac dissentire manifestus. Vox quoque ejus audita est in convivio, cum apud Regem Nabatæorum coronæ aurææ magno pondere Germanico Cæsari & Agrippinæ, leves Pisoni & cæteris offerrentur; principis Romani, non Parthi regis filio eas epulas dari: abjecitque simul coronam, & multa in luxum addidit, quæ Germanico, quanquam acerba, tolerabantur tamen. [*Tacit. Annal. lib. 2. cap. 57.*]

Ab Artabano Parthorum rege legati ad Germanicum venerunt, reno-

renovandæ amicitia ac foederis gratiâ. Aiebat Rex se Germanici honori daturum, ut ad ripam Euphratis accederet: petens interim, ne Vonones in Syriâ haberetur, neu proceres gentium propinquis nuntiis ad discordias traheret. Ad ea Germanicus, de societate Romanorum Parthorumque magnificè; de adventu Regis & cultu sui, cum decore ac modestiâ respondit. Vonones, Pompeiopolim Ciliciæ maritimam urbem amotus est: non in gratiam Artabani tantum, sed etiam in Pisonis contumeliam; cui Vonones gratissimus erat, ob plurima officia & dona, quibus Plancinam devinxerat. [*Ibid. cap. 58.*]

M. Silano & L. Norbano Consulib. Germanicus in Ægyptum profectus est, cognoscendæ antiquitatis causâ. Sed cura provinciæ prætendebatur: levavitque apertis horreis pretia frugum; multaque in vulgus grata usurpavit, sine milite incedens, pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu. Tiberius cultu habitûque ejus lenibus verbis perstricto, acerrimè increpuit, quòd contra instituta Augusti, non sponte Principis Alexandriam introisset. Germanicus tamen, nondum comperto profectionem eam incusari, Nilo subvehebatur, orsus opido à Canopo. Mox visit veterum Thebarum magna vestigia: ubi manebant structis molibus literæ Ægyptiæ, priorem opulentiam complexæ. Aliis quoque miraculis intendit animum: quorum præcipua fuere Memnonis saxea effigies, ubi radiis Solis icta est vocalem sonum reddens; disjectâque inter & vix pervias arenas, instar montium eductæ Pyramides, certamine & opibus regum: lacusque, effossâ humo, superfluentis Nili receptacula; atque alibi angustia, & profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabilis. Exin ventum Elephantinen ac Syenen: atque ita ea ætas Germanico plures per provincias est transacta. [*Ibid. à cap. 59. ad 62.*]

Per idem tempus Vonones, corruptis custodibus, ex Ciliciâ effugere ad Armenios, indeque in Albanos Heniochosque, & consanguineum sibi regem Scytharum conatus est. Specie venandi, omissis maritimis locis, avia saltuum petiit: mox pernicitate equi ad amnem Pyramum contendit, cujus pontes accolæ ruperant auditâ regis fugâ; neque vado penetrari poterat. Igitur in ripâ fluminis, à Vibio Frontone præfecto equitum vincitur: moxque à Remmio Evocato, priori custodia regis adposito, quasi per iram gladio transfigitur. [*Ibid. cap. 68.*]

Jairo archisynagogus unica nata est filiola; quam post annos 12. mortuam Christus vitæ restituit: & mulier fluxu sanguinis laborare coepit, quæ post totidem annos tactu vestimenti ejus est senata. [*Luc. VIII. 42, 43. Marc. V. 25, 42.*]

Cùm oracula vana quædam, tanquam Sibyllina, de Romæ interitu anno 900. ab ejus origine obventuro ferrentur; Tiberius ea ut falsa redarguens, omnes libros qui vaticiniorum aliquid continerent inspexit: & ex iis alios, ceu nullius momenti, reprobavit; alios in probatorum numerum recepit. [*Dio. lib. 57. pag. 615.*]

Actum & de sacris Ægyptiis Judaicisque pellendis: factumque Senatusconsultum est, ut qui iis uterentur cederent Italiâ, nisi certam ante diem ritus suos exuissent. [*Tacit. Annal. lib. 2. ca. 85.*] coactique sunt reli-

473 19

religiosas vestes cum instrumento omni comburere. [*Sueton. in Tiberio, cap. 36.*] Quò referendum & Senecæ illud, in epist. 108. *In Tiberii Cæsaris principatum juvenia mea tempus inciderat. Alienigena tum gentium sacra movebantur: & inter argumenta superstitionis ponebatur quorundam animalium abstinencia.*

Ægyptiacæ superstitioni amovendæ occasionem dedit immane scelus ab Ægyptiis sacerdotibus adversus Paulinam clarissimam foeminam Romæ perpetratum: quo patefacto, Tiberius Isis templum dirui, ejusque statuam in Tiberim mergi jussit. [*Joseph. lib. 18. cap. 4.*] Judæis verò pellendis occasionem præbuit ex eâ gente quidam impostor, qui ne legibus pœnas daret, metu solum verterat. Is tum Romæ agens, gerebat se pro Mosaicæ legis interprete; ascitis in societatem tribus aliis per omnia sui simillimis. His cum se in disciplinam dedisset Fulvia mulier nobilis amplexa legem Judaicam, persuaserant ei, ut purpuram & aurum in Hierosolymitanum templum mitteret: quæ accepta in proprios usus converterunt. Id postquam Tiberius ex amico suo Saturnino ipsius Fulviæ marito de injuriâ conjugii factâ questo cognovit; jussit universos Judæos ex Urbe pelli. [*Id. ibid. cap. 5.*]

Ex juventute Judaicâ Consules delectu habito, quatuor millia militum libertini generis in insulam Sardiniam miserunt, coercendis illic latrocinii; si ob gravitatem cœli interiissent, vile damnum reputantes. Plurimi, qui patriâ religione militiæ sacramentum detrectabant, pœnis gravissimis sunt affecti: reliqui gentis ejusdem, vel similia sectantes, Urbe submoti sunt; sub pœnâ perpetuæ servitutis, nisi obtemperassent. [*Id. ibid. cum Tacito & Suetonio, ut supra.*]

Rhescupolis sive Rhescuporis Thraciæ rex, interemptor Cotyis fratris sui filii ejusdemque regni consortis, à Pomponio Flacco (cujus ut Mœsiæ præsidis meminit Ovidius, libro 4. Ponti, eleg. 9.) proditus & Romam tractus, ibique damnatus, & Alexandriam devectus; quasi fugam illic tentans, interfectus est. [*Tacit. Annal. 2. cap. 67. cum Velleio Paterculo, lib. 2. cap. 129. & Suetonio, in Tiberio, ca. 37.*]

4023

Germanicus Ægypto remeans, cuncta quæ apud legiones aut urbes jusserat abolita, vel in contrarium versa, cognoscit. Hinc graves in Pisonem contumeliæ, nec minùs acerba quæ ab illo in Cæsarem tentabantur. Dein Piso abire Syriâ statuit: mox adversâ Germanici valetudine detentus; ubi recreatum accepit, votaque pro incolumitate solvebantur, admotas hostias, sacrificalem apparatus, festam Antiochensium (apud quos Germanicus tum erat) plebem, per lictores proturbat. [*Tacit. Annal. 2. cap. 69.*] qui etiam ægrum Germanicum gravissimis verborum ac rerum acerbitatibus, nullo adhibito modo, affectit. [*Sueton. in C. Caligulâ, cap. 2.*]

Seleuciam deinde Piso digressus est, opperiens ægritudinem quæ rursus Germanico acciderat. [*Tacit. ut supra.*] Et reperiebantur in eâ quam Germanicus inhabitabat domo cruræ humanorum corporum reliquiæ, carmina, & devotiones, & nomen illius plumbeis tabulis insculptum, semiusti cineres ac tabe obliti, aliâque maleficia, quibus credebatur animas numinibus infernis sacrari. [*Tacit. ib. Dio, li. 57. p. 615.*]

Germa-

Germanicus irâ motus, Pisoni per litteras amicitiam, more majorem, renuntiavit; & (ut plerique addunt) provinciâ decedere jussit. Nec Piso moratus ultrâ, naves solvit; moderabatûrque cursui, quò propiùs regrederetur, si mors Germanici Syriam aperuisset. [*Tacit. Annal. 2. cap. 70. Sueton. in C. Caligulâ, ca. 3.*]

Germanicus morbo fractus, finem imminem sentiens, Pisonem & Plancinam ejus uxorem incusans, & ultionem ab amicis postulans, extinctus est; ingenti luctu provinciæ & circumjacentium populorum. [*Tacit. ibid. cap. 71, 72.*] Annum ætatis agens quartum & trigésimum, diutino morbo Antiochiæ obiit, non sine veneni suspitione, fraude Tiberii, operâ C. Pisonis, ministrati. [*Sueton. in C. Caligulâ, cap. 1. & 2.*]

Quo defunctus est die, lapidata sunt templa, subversæ aræ, Lares à quibusdam familiares in publicum abjecti, partus conjugum expositi. Quin & Barbaros ferunt, quibus intestinum, quibusque adversus Romanos bellum esset, velut in domestico communiq; mœrore consensisse ad inducias. Regulos quosdam barbam posuisse, & uxorum capita rasisse, ad indicium maximi luctus. Regum etiam regem & exercitatione venandi, & convictu megistanum abstinuisse: quod apud Parthos justitii instar est. [*Sueton. ut supr. cap. 5.*]

Funus sine imaginibus & pompâ, per laudes & memoriâ virtutum ejus celebre fuit. Corpus antequàm cremaretur nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturæ destinabatur, prætulérunt veneni signa, parùm constitit: nam ut quis misericordiâ in Germanicum & præsumptâ suspitione, aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur. [*Tacit. Annal. 2. cap. 73.*] Præter livores tamen, qui toto corpore erant, & spumas quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter ossa repertum est: cujus ea natura existimatur, ut tinctum veneno igne confici nequeat. [*Sueton. in C. Calig. cap. 1.*] Et edita postea Vitellii oratio est, quâ reum Pisonem ejus sceleris coarguit, hoc usus argumento; palâmque testatus, non potuisse ob venenum cor Germanici Cæsaris cremari. Contrâ defensus est Piso cardiâ morbi genere; ex quo obeuntibus, cor etiam posse cremari negatur. [*Plin. lib. 11. ca. 37.*]

A legatis deinde & aliis senatoribus qui aderant Syriæ præses delectus Cn. Sentius, infamem veneficiis in eâ provinciâ & percharam Plancinæ Martinam in Urbem misit: postulantis Vitellio ac Veranio, cæterisque qui crimina & accusationem tanquam adversus receptos jam reos instruebant. [*Tacit. Annal. 2. ca. 74.*] At Agrippina, quanquam defessa luctu & corpore ægro, omnium tamen quæ ultionem morarentur intolerans, ascendit classem cum cineribus Germanici, & liberis. [*Ibid. ca. 75.*]

Piso apud insulam Coum de morte Germanici nuntio accepto, gaudium suum intemperanter expressit: magis etiam insolescente Plancinâ, quæ luctum amissæ sororis tum primùm læto cultu mutavit. [*Ibid.*] Adfluebant centuriones, monebantque prompta illi legionum studia, repeteret provinciam non jure ablatam, & vacuam. [*Ibid. ca. 76.*] Ille missis ad Tiberium epistolis, incusavit Germanicum

luxus & superbiæ: seque pulsum, ut locus rebus novis patefieret, curam exercitus, eâdem fide quâ tenuerit, repetivisse. Simul Domitium Celerem impositum triremi vitare littorum oram, præterque insulas lato mari pergere in Syriam jubet. Ipse concurrentes desertores per manipulos componit, armat lixas, trajectisque in continentem navibus, vexillum tironum in Syriam euntium intercipit. Regulis Cilicum ut se auxiliis juvarent scribit. [*Ibid.ca.78.*]

Piso & sui oram Lyciæ ac Pamphylæ præterlegentes, obviis navibus quæ Agrippinam vehebant, utrimque infensi, arma primò expediere: dein mutuâ formidine, non ultra jurgium processum est. Marsusque Vibius nunciavit Pisoni, Romam ad dicendam causam veniret. Ille eludens respondit, adventurum ubi prætor qui de beneficiis quæret, reo atque accusatoribus diem prædixisset. [*Ibid.cap.79.*]

Interim Domitius Laodiceam urbem Syriæ adpulsus, cum hyberna sextæ legionis peteret, quòd eam maximè novis consiliis idoneam rebatur, à Pacuvio legato præventus est. Id Sentius Pisoni per litteras aperuit, monuitque ne castra corruptoribus, ne provinciam bello tentaret: duxitque validam manum, & prælio paratam. [*Ibid.*]

Piso castellum Celenderis in Ciliciâ munitum admodum occupavit. Nam admixtis desertoribus, & tirone nuper intercepto, suisque & Plancinæ servitiis, auxilia Cilicum quæ reguli miserant, in numerum legionis composuerat. Tum pro munimentis castelli manipulos explicat, colle arduo & derupto: nam cætera mari cingebantur. Sed Romanis cohortibus advenientibus, verterunt terga Cilices, seque castello clauserunt. [*Ibid.cap.80.*]

Interim Piso classem haud procul opperientem oppugnare frustra tentavit: regressusque, & pro muris modò semet adflitando, modò singulos nomine ciens & præmiis vocans, seditionem cœptabat; adeoque commoverat, ut signifer legionis sextæ signum ad eum transtulerit. Tum Sentius occanere cornua tubasque, & peti aggerem, erigi scalas jussit, ac promptissimum quemque succedere; alios tormentis hastas, saxa, & faces ingerere. Tandem victâ pertinaciâ Piso oravit, uti traditis armis maneret in castello, dum Cæsar cui Syriam permetteret, consulitur. Non receptæ conditiones: nec aliud, quàm naves & tutum in urbem iter, concessum est. [*Ibid.cap.81.*]

At Romæ postquam Germanici valetudo percrebuit, cunctaque ut ex longinquo aucta in deterius adferebantur: dolor, ira, & questus erumpebant. [*Ibid.ca.82.*] Ejusque mors, ut Tiberio & Livie summæ delectationi, ita summo omnibus aliis dolori fuit. [*Dio, lib.57. pag.615.*] Neque solatiis ullis, neque edictis inhiberi luctus publicus potuit: duravitque etiam per festos Decembris mensis dies. [*Sueton. in C. Caligulâ, cap.6.*]

Honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique sunt. Arcus additi Romæ, & apud ripam Rhemi, & in monte Syriæ Amano, cum inscriptione rerum gestarum, ac mortem ob Rempublicam obiisse. Sepulchrum Antiochiæ, ubi crematus: tribunal Epidaphnæ, quo in loco vitam finierat. [*Tacit. Annal. 2. cap.83.*]

Agrip-

Agrippina, nihil intermissâ navigatione hiberni maris, Corcyram insulam advecta est, littora Calabriae contra sitam. Illic paucis diebus componendo animo insumptis, ad opidum Brundisium navigavit. Ubi postquam duobus cum liberis feralem urnam tenens egressa navi, defixit oculos; communis omnium gemitus auditus est. [*Ibid. Annal. 3. cap. 1.*]

Tiberii filius Drusus Terracinam progressus obviam est, cum Claudio fratre, liberisque Germanici qui in Urbe fuerant. Novi Consules M. Valerius & M. Aurelius, Senatus, ac magna pars populi viam complevere. [*Ibid. cap. 2.*]

Dies quo Germanici reliquiae tumulo Augusti in campo Martio inferebantur, modò per silentium vastus, modò ploratibus iniquus fuit: magno omnium in defunctum honore, magnis in Agrippinam viduam studiis, & in Tiberium querelis. [*Ibid. ca. 4. & 5.*]

Piso Romam adveniens, navem tumulo Caesarum adpulit; dièque & ripâ frequenti, magno clientium agmine ipse, foeminarum comitatu Plancina, & vultu alacres incessere: festo ornatu, convivioque & epulis, in domo quæ foro imminabat reditum celebrantes. [*Ibid. ca. 9.*] Postera die, Fulcinius Trio Pisonem apud Consules postulavit. Tiberius integram causam ad Senatum remisit. [*cap. 10.*] Die senatus, Drusus Caesar orationem habuit meditato temperamento, mitigandæ in reum offensionem accommodatam. [*cap. 12.*] Exin biduum criminibus objiciendis statuitur; utque sex dierum spatio interjecto, reus per triduum defenderetur. [*cap. 13.*]

Dum causa ageretur, populi ante Curiam voces audiebantur; non temperaturos manibus, si Patrum sententias evasisset. Effigiesque Pisonis traxerant in Gemonias, ac divellebant, ni jussu Principis protectæ repositæque forent. [*cap. 14.*] Nec minus erat in Plancinam odium: sed eam Tiberii favor, malè conciliatus, ut credebatur, protegat. Ea cum causam suam à mariti causâ disjunxisset; sensit Piso astum de se esse: subque se jugulavit gladio. [*cap. 15.*]

Penè discerpium à populo, à senatu capitis eum damnatum fuisse, scribit Suetonius. [*in C. Calig. ca. 2.*] Ob necem Germanici ab ipso Tiberio in senatum deductum, dilatione petita, sibi ipsi manus intulisse; refert Dio. [*lib. 57. pag. 615.*] Audivisse se ex senioribus dicit Cornelius Tacitus, [*Annal. 3. ca. 16.*] visum sæpius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit, sed amicos ejus dictitavisse, litteras Tiberii & mandata in Germanicum continere; ac destinatum promere apud patres, Principemque arguere, ni elusus à Sejano per vana promissa foret: nec illum sponte extinctum, verum immisso percussore. *Quorum neutrum, inquit ille, adseveraverim: neque tamen occultere debui narratum ab eis, qui nostram ad juventam duraverunt.* Vide Suetonium in Tiberio, cap. 52.

Quum crebruisset Græcas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi; quibus obarati adversus creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur, ut flagitia hominum ceremoniis deum protegerentur: placuit Tiberio, ut Romam ad Senatum mitterent civitates jura sua, atque legatos. Auditis hæc de re primùm Ephesiis,

deinde Magnetibus, Aphrodisiensibus, Stratonicensibus, Hierocæsarensibus, Cypriis, Pergamenis, Smyrnæis, Teniis, Sardianis, Milesiis, Cretensibus, & aliis; facta sunt Senatusconsulta, quibus multo cum honore, modus tamen præscribebatur: jusque ipsis in templis figure æra, sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur. [*Tacit. Annal. 3. à cap. 60. ad 63.*]

C. Silanus Proconsul Asiæ, repetendarum à sociis postulatus, in Cytheram insulam relegatus est. [*Ibid. à cap. 66. ad 69.*] Cæsius Cordus quoque à Cyrenensibus repetendarum postulatus, accusante Anchario Prisco, damnatus est. [*Ibid. cap. 70.*]

4026

Ælius Sejanus, ad imperium adspirans, Drusum Tiberii filium & tribunitiæ potestatis cum eo consortem, uxore ejus Liviâ adulterio corruptâ, veneno per Lygdum spadonem dato sustulit. [*Tacit. Annal. 4. ca. 8. & 10.*] Qui & conficta de Judæis Romam incoletibus crimina ad Tiberium detulit: ut gentem è medio tolleret, quam nôrat vel solam vel præcipuè repugnaturam conatibus ipsius impiis, & conspirationi caput Imperatoris petenti. [*Philo, in lib. de legat. ad Caium; & libri in Flaccum initio.*]

4736 23

Drusi funere finito, Tiberius ad negotiorum consuetudinem rediit; justitio longiore inhibito. Et Iliensium legatis paulo seriùs consolantibus, quasi oblitteratâ jam doloris memoriâ irridens, se quoque respondit vicem eorum dolere, quòd egregium civem Hectorem amississent. [*Sueton. in Tiberio, ca. 52.*]

Senatusconsulta, authore Tiberio, facta sunt, ut civitati Cibyrticæ apud Asiâ, & Æginensi apud Achaiâ, motu terræ labefactis, subveniretur remissione tributi in triennium. [*Tacit. Annal. 4. cap. 13.*]

Legatis Romam missis, Samii ut Junonis, Coi ut Æsculapii delubro, vetustum asyli jus firmaretur, petierunt. [*Ibid. cap. 14.*]

Mortuus est Lucilius Longus, Tiberio omnium tristium lætorumque socius, unusque è senatoribus Rhodii secessus comes. [*Ibid. cap. 15.*]

Procurator Asiæ Lucilius Capito, accusante provinciâ, damnatus est. Ob quam ultionem, & quia priore anno in C. Silanum vindictum erat, decrevere Asiæ urbes templum Tiberio matricque ejus, ac Senatui. Et permissum est statuere. [*Ibid.*]

Valerius Gratus Judææ procurator, adempto Anano (sive Annæ) summo sacerdotio, Ismaëlem Fabi filium jussit esse Pontificem: quem & ipsum paulo post dejecit. [*Joseph. lib. 18. ca. 3.*]

4027

Ismaëli amoto, Eleazarus Anani (sive Annæ priùs dejecti) filius ab eodem Valerio Pontifex substituitur. [*Id. ibid.*]

4737 24

Cassius Severus orator, ante annos 17. ob maledicentiam judicio Senatus in Cretam relegatus, quum illic eadem quæ priùs acitaret, bonis exutus, interdicto igni atque aquâ, in saxosam Seriphii insulam est deportatus: ubi octavo post anno in summâ inopiâ vitam finiit. [*Tacit. Annal. 4. cap. 21. cum Hieronymo, in Chronico.*]

P. Dolabella Africæ Proconsul, accito in auxilium cum popularibus rege Mauritaniæ Ptolemæo Jubæ filio, Tacfarinatem occidit, & bello Numidico finem imposuit: Garmanum rex, qui levibus copiis

piis ex longinquo missis Tacfarinatem adjuverat, eo cæso, ad satisfaciendum populo Romano legatos ad Urbem misit. [*Tacit. Annal. 4. à cap. 23. ad 26.*]

Vibius Serenus exul majestatis à filio falso accusatus, ob vetus Tiberii in eum odium damnatus est. Quum tamen Gallus Asinius Gyaro aut Dorusâ claudendum censeret; quò molliret invidiam, Tiberius intercessit; egenam aquæ utramque insulam referens, dandòsque vitæ usus cui vita concederetur. Traque Serenus Amorgum (è Sporadibus insulis unam) reportatus est. [*Ibid. cap. 28, 29, 30.*]

Decem annis imperii exactis, ad resumendum id nihil decreto opus habuit Tiberius: neque enim in decennia intercisum, quod Augustus fecerat, id gerere statuerat. Ludi tamen decennales facti sunt. [*Dio, lib. 57. pag. 619.*]

4028 Eleazaro post annum amoto, Simoni Camithi filio Pontificatum Valerius Gratus tribuit. [*Joseph. lib. 18. cap. 3.*]

4738 25

Cyzicenis, quòd cives Romanos quosdam in vincula duxissent, inchoatumque Augusto velut heroi sanum non perfecissent, libertas quam bello Mithridatis meruerant circumfessi iterum adempta est. [*Tacit. Annal. 4. cap. 36. Dio, lib. 57. pag. 619.*]

Fonteius Capito, qui Proconsul Asiam curaverat, absolutus est; comperto ficta in eum crimina per Vibium Serenum. [*Tacit. Annal. 4. cap. 36.*]

4029

Undecim Asiæ Urbes, in quâ earum templum Tiberio & Senatui destinatum statueretur, magnâ ambitione certabant: earumque legatos de hoc disceptantes Tiberius in Senatu plures per dies audivit. Hypæpeni Trallianique simul cum Laodicenis & Magnetibus, transmissi sunt ut parum validi. Ne Ilienses quidem, cum parentem urbis Romæ Troiam referebant, nisi antiquitatis gloriâ pollebant. Paulùm addubitatum, quòd Halicarnassii 1200 per annos nullo motu terræ nutavisse sedes suas, vivòque in saxo fundamenta templi adseveraverant. Pergamēnos, eo ipso nitentes, æde Augusti ibi strâ satis adeptos creditum. Ephesii Milesiique, hi Apollinis, illi Dianæ ceremoniâ occupavisse civitates visi. Ita Sardonios inter Smyrnæosque deliberatum: quorum rationibus utrinque auditis, Smyrnæos Senatus prætulit: Censuitque Vibius Marfus, ut M. Lepidus, cui ea provincia obvenerat, super numerum legaretur qui templi curam susciperet: & quia Lepidus ipse deligere per modestiam abnucebat, Valerius Naso è prætoris sorte missus est. [*Ibid. ca. 55. & 56.*]

Quum Simon annum in Pontificatu exegisset, successorem illi Valerius Gratus in eâ dignitate dedit Josephum, cognomento Caiapham, (Ananæ, sive Ananiæ Grato prius summo Pontificatu exuti, generum. *Joseph. XVIII. 13.*) Quibus annis Pontificum mutationibus ita factis Gratum in Judæâ exactis annis undecim Romam repetisse, subdit Josephus. [*lib. 18. cap. 3.*] Quâ & nos inducti ratione, ad finem potius quàm initium præfecturæ illius referendas eas esse judicavimus.

4739 26

Valerio Grato successor Pontius Pilatus venit. [*Joseph. ibid.*] qui quomodo in præfecturâ se gesserit, ex Philone apparet, in libro de

legatione ad Caium. Ubi veritum illum fuisse scribit, ne de tollendis clypeis, ab ipso intra sanctam urbem dedicatis, mittenda à Judæis legatio, cætera quoque detegeret ejus crimina; *venditas sententias, rapinas, injurias, clades, tormenta, crebras caedes indemnatorum, crudelitatem sevisissimam.*

4030

Jubilæus XXX. & ultimus, in annum D. N. Jesu Christi XXX. incurrens, & principium Evangelii ipsius; promulgandi jam per vocem clamantis in deserto; *Parate viam Domini, complanate semitas ejus:* [Marc. I. 1, 2, 3.] atque annum illum acceptabilem, sive divini beneplaciti tempus aperiens, quo Deus Optimus Maximum mundo patefacere dignatus est. [Esai. LXI. 2. Luc. IV. 19.]

Anno enim decimo quinto principatus Tiberii Cæsaris (qui monarchiæ ipsius, ab excessu Augusti coeptæ, erat decimus tertius) Pontio Pilato procurante Judæam, tetrarchâ Galilææ Herode (Antipâ,) fratre autem ejus Philippo tetrarchâ Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lyfaniâ Abylenes tetrarchâ; sub Pontificibus Annâ & Caiaphâ, factum est verbum Domini ad Johannem Zachariæ filium, in deserto. [Luc. III. 1, 2.] Juxta cujus præscriptum, Nazareus hic, Sacerdos, & Propheta Domini, baptizabat in deserto Judææ (in quo positæ urbes, *Jofia XV. 16.* commemorantur) prædicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum; [Matth. III. 1. Marc. I. 4. Luc. III. 3.] atque operam dans, ut qui post ipsum venturus erat Christus manifestus fieret Israël. [Johan. I. 7, 8, 31.] Quem ut certius agnosceret, hoc ipsi à Deo signum est datum: ut super quem videret Spiritum sanctum descendantem & manentem, hunc sciret esse illum qui alios Spiritu sancto esset baptizaturus. [Ibid. vers. 33.]

Coeptum verò fuisse hoc illius ministerium maximè probabile est, die illi convenientissimo, mensis 7ⁱ die 10^o (circa nostri Octobris diem 19.) qui & *Pœnitentialis* fuit, cum solenni Jejunio conjunctus, in quo qui animam suam non affligeret, excindendus esset è populo suo; & *Expiatorius*, quo summus Sacerdos, Christi à Baptistâ præmonstrati typus, solus in Sancta sanctorum ingrediebatur, oblatæ sanguine populi peccata expiaturus: idemque ille dies, quo *tubâ* per totam terram personante *Jubilæus* indicendus mandabatur. [Levitic. XXV. 9.]

Ita Baptista, poenitentiae & remissionis peccatorum, per venturi Christi sanguinem acquirendæ, præco, veniens in omnem regionem circumjacentem Jordani, exaltabat sicut Tubam vocem suam, proclamans: *Agite poenitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum.* Et exivit ad eum Hierosolyma, & tota Judæa, totaque regio circumjacens Jordani: (ex ingenti præsertim illâ populi turbâ, quæ finito festo Tabernaculorum, circa initium Novembris, Hierosolymis revertebatur:) & baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua. [Matth. III. 2, 3, 5, 6. Marc. I. 5.]

Ipse verò Johannes habebat vestimentum è pilis camelinis, & zonam coriaceam circa lumbos suos: (instar Eliæ, II Reg. I. 8.) alimentum autem ejus erat locustæ (cibus quidem mundus, *Levitic.*

XI, 22.

XI. 22. sed vilis) & mel agreste. [Matth. III. 4. Marc. V. 6.]

Johannes Phariseos ad baptismum suum venientes acriter reprehendit. [Matth. III. 7. Luc. III. 7.] tum reliquum populum, tum speciatim publicanos & milites, officium suum edocens. [Luc. III. 10,—14.] Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Johanne, numnam ipse esset Christus; respondit ille. *Ego quidem baptizo vos aquâ: sed venit qui validior me est, cujus non sum dignus qui solvam corrigiam solearum; ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni. Cujus ventilabrum in manu ipsius, & qui perpurgabit aream suam: & coquet triticum in horreum suum, paleam autem excuret igni inextinguibili.* [Ibid. 15,—17. cum Matth. III. 11, 12. & Marc. I. 7, 8.]

Quum baptizaretur omnis populus, venit Jesus Nazarethâ Galilææ ad Jordanem, ut à Johanne baptizaretur. [Luc. III. 21. Matth. III. 13. Marc. I. 9.] Quo officium illud recusante, ut cui ipsi opus esset ab illo baptizari, & urgente Domino, oportere impleri à se omnem justitiam; baptizavit eum. [Matth. III. 14, 15.] Jesu tum incipiente esse annorum quasi triginta. [Luc. III. 23.]

Tum verò totius sacrosanctæ Trinitatis admodum illustris facta est patefactio. *Filio enim Dei in assumptâ humanâ naturâ ex aquâ ascendente & orante, apertis coelis Spiritus Dei visus est corporeâ specie, tanquam columba, descendens super ipsum: & vox Patris de coelo audita, dicens; Tu es Filius meus dilectus, in quo acquiesco.* [Matth. III. 16, 17. Marc. I. 10, 11. Luc. III. 21, 22.]

Jesus autem plenus Spiritu sancto revertit à Jordane, & actus est à Spiritu in desertum. Ubi per dies & noctes 40 tentante eum Diabolo, mansit inter feras, non comedens quicquam: & iis finitis postea esuriit. [Luc. IV. 1, 2. Matth. IV. 1, 2. Marc. I. 12, 13.]

Triplici deinde tentatione Dominum Satanas est adortus: & finitâ omni tentatione, abcessit ab eo ad tempus, [Matth. IV. 3,—11. Luc. IV. 3,—13.] et accedentes Angeli ministrabant ei. [Matth. IV. 11. Marc. I. 13.] Reversusque est Jesus cum virtute Spiritus in Galilæam. [Luc. IV. 14.]

Herodes Agrippa Aristobuli filius ex Cypro Phasaëli filiâ suscepit Agrippam juniorem, postremum Judæorum regem; cujus in Act. XXV. & XXVI. fit mentio. Annum enim ætatis agebat 17. quum pater interiit. [Joseph. lib. 18. cap. 7. & lib. 19. cap. ult.]

Bernice soror ejus, (cujus ibidem in Actis similiter fit mentio) nata est; Herodi regi Chalcidis postea nupta: annos 16 nata, quum pater est mortuus. [Joseph. ut supr.]

Quartus annus ministerii Johannis Baptistæ incipit: quo & preparatorium hoc illius ministerium (quæ potissima muneris ipsius pars fuit) finem accepit; ipso Domino, cui viam hæcenus paraverat, adveniente atque officium suum Propheticum exequente & illustribus miraculis, quæ nulla Johannes ediderat, obsignante. Cui magnifico apparatu, ab Esaiâ & Malachiâ ante tot secula tantopere celebrato, tam longum temporis spatium à nobis assignari nemo mirabitur, qui tempus exiguum tanto operi, absque miraculorum præsertim adminiculo;

4740 27

4741 28

4742 29

4031

4033

niculo, perficiendo minùs par esse consideraverit, quantum à Johanne præstandum fuisse patri ipsius Zachariæ angelus Gabriel confirmaverat. [Luc. I. 16, 17.] *Multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Elia, ut convertat corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam justorum; ut paret Domino populum instructum.* Neque modicum aliquod spatium, sed plenum prædicationis curriculum, ante Christi adventum, à Johanne fuisse confectum, illa Pauli satis arguunt. [Act. XIII. 24, 25.] *Prædicante Johanne ante faciem adventus ejus baptismum penitentia omni populo Israël; quum impleret Johannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse? non is sum ego; sed ecce veni post me, cujus non sum dignus pedum soleam solvere.*

Johannes enim, proximo ante adventum Christi die, quum ad eum, Bethabaræ baptizantem secus Jordanem, Judæi Hierosolymis Sacerdotes quosdam & Levitas è sectâ Pharisaicâ legatos misissent, sciscitaturos quisnam ipse esset; se non esse Christum, clarè professus est. Cùmque negasset se ipsum *Eliam* esse, vel *Prophetam* illum (à Mose, Deuteron. XVIII. 15. prædictum; eundem quidem cum Christo, Act. III. 22. & VII. 37. sed à Judæis alium existimatum) & se illam ab Esaiâ prænunciatam dixisset fuisse *Vocem clamantis in deserto, Complanate viam Domini*: illud, à Paulo laudatum, de Christo demùm adjecit testimonium. *Ego baptizo aquâ: sed in medio vestrum stat quem vos non nôstis. Hic ille est, qui post me venit, qui mihi antepositus est: cujus soleam ego non sum dignus qui solvam corrigiam.* [Johan. I. 19, — 28. cum V. 33.]

Postero deinde die, Johannes venientem ad se Jesum conspicatus, ait: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dicebam: Post me venit vir qui antepositus est mihi, quia prior me erat, &c. Et ego vidi, & testor hunc esse Filium Dei.* [Johan. I. 29, — 34.]

Sequente die iterùm stabat Johannes, & ex discipulis ejus duo. Et intuitus Jesum ambulantem, dixit: *Ecce Agnus Dei.* Quod duo discipuli audientes, Jesum secuti, apud eum manserunt diem illum: hora enim erat quasi decima. Horum unus Andreas, fratrem suum Simonem perduxit ad Jesum: qui eum intuitus, dixit; *Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas.* [Ibid. 35, — 42.]

Postero die, Jesus iturus in Galilæam, Philippum (qui erat ex Bethsaidâ, civitate Andree & Simonis Petri) sequi se jussit. Ille Nathanaëlem subter ficum inveniens, perduxit eum ad Jesum: qui verè Israëlitam eum fuisse pronuntiavit, in quo non esset dolus; séquens ipsum Scalam coeli (in illo Jacobi somnio, Genes. XXVIII. 12. præmonstratam) super quam Angeli Dei ascendentes ac descendentes amodò cernerentur. [Ibid. 43, — 51.]

Die tertio, nuptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ: ad quas invitatus Jesus, unâ cum matre ac discipulis ejus, aquam in vinum mutatam fecit signorum suorum principium. Atque in hunc modum gloriâ ejus manifestatâ, crediderunt in eum discipuli ejus. [Johann. II. 1, — 11.]

Postea descendit Capernaumum ipse & mater, & fratres (sive cognati)

4743 30

cognati) & discipuli ejus : manseruntque illic non multos dies. [Johan. II. 12.]

Ad publicum Christi ministerium jam perventum est : cujus acta, per quatuor Paschata distincta, ex quatuor Evangeliorum Harmoniâ hîc exhibemus, à viro eruditissimo & in sacrarum literarum studiis longè exercitatissimo Johanne Richardsono, S. Theologiæ Doctore & Ardachadensis in provinciâ nostrâ Armachanâ ecclesiæ Episcopo dignissimo, concinnatâ. In quâ illud singulare est, quòd Temporis ordinem solus *Matthæus* neglexisse reperiatur, à cæteris tribus (si forte parenthesis illam, *Luc. III. 19, 20.* de Johanne ab Hérode in carcerem conjecto exceperis) constanter observatum.



PRIMUM PASCHA ministerii Christi.

[Johann. II. 13.] A quo primus annus LXX^a & ultima Hebdomadis Danielis incipit ; in quo fœdus confirmatum est Multis. [Dan. IX. 27. cum Matth. XXVI. 28.]

| | JOHAN. | LUC. | MARC. | MATT. |
|--|-------------|------|-------|-------|
| A Scendit Jesus Hierosolymam ad Pascha. | II. | | | |
| Templum ingressus, vendentes ibi & ementes flagello abigit : & in autoritatis signum, Corporis sui Templum, à Judæis solvendi, & à se resuscitandi, ipsis pronunciat. | 13. | | | |
| Miracula operatur. Et multis ideo in eum credentibus, ipse se non credit ; sciens quid sit in homine. | 14, — 22 | | | |
| Nicodemum, discipulum nocturnum, in mysterio Regenerationis, Fide in mortem ipsius, & Infidelium Condemnatione, instruit. | 23, 24, 25. | | | |
| Relictis Hierosolymis, in Judææ territorium, cum discipulis proficiscitur. | III. | | | |
| Demoratur illic ; & Baptizat : [per manum scilicet Discipulorum, ab ipso, aut Johanne priùs baptizatorum.] Johanne tunc in Ænon baptizante : nondum enim conjectus fuerat in carcerem. | 1, — 21. | | | |
| Quæstio oritur inter quosdam Johannis discipulos, & Judæos, de Purificatione. | 22. | | | |
| | 22, 23, 24. | | | |
| | 25. | | | |
| D d d d Disci- | | | | |

4034

| | JOH. | LUC. | MAR. | MAT. | | |
|---|-----------------|----------------|----------------|------------------|--|--------|
| Discipulos suos de Jesu narrantes, æmulantésque; Johannes de se, sub-que officio; Et de Jesu Christi, Dei Filii, excellentiâ, instruit: insigne hoc, & ultimum ante incarcerationem, edens de eo testimonium. | 26, -36 | | | | | |
| Johannes Herodis Tetrarchæ cum fratris Philippi uxore incestum, & alia flagitia reprehendens, in carcerem ab eo conjicitur: | | | VI. 17, -20 | XIV. 3, 4, 5. | | |
| <i>Iesus audiens Iohannem incarcerationem; & Phariseos comperisse plures ab eo factos discipulos, & baptizatos, per manum scilicet discipulorum; relicta Indaâ [ubi circiter 8. menses commoratus est] in Galilæam rediit.</i> | IV. 1, 2, 3. | | | IV. 12. | | |
| <i>Oportebat autem eum transire per Samariam. Ubi mulierem Samaritanam prope urbem Sychar, & cives Sychar in sui agnitionem perducit, quatuor mensibus ante messem, [seu Pascha, circa medium mensis 9, Ab diâ.]</i> | 4, -42. | | | | | |
| <i>Biduo in civitate Sychar commoratus in Galilæam iter persequitur. [Qui secundus à Baptismo reditus ejus est à Judæa in Galilæam.]</i> | 43, 44. | | | | | |
| A Galilæis receptus, qui quæ Hierosolymis fecerat vidissent; magnâ cum famâ in Synagogis eorum prædicat. | 45. | IV. 14, 15. | I. 14, 15. | | | |
| In Cana filium regii (seu aulici) Capernaumi ægrotantem, sanat. Quod erat alterum in Galilæâ miraculum. | 46, -54 | | | | | |
| In Capernaum operatur miracula. Et postea Nazaretam venit, ubi educatus fuerat. Et in Synagogam ut consueverat intrans, & Prophetam Esaiæ de se exponens, admirantibus primò civibus, at postea excandescens, ejectus est, & præcipitare eum de monte conantibus, ille per medium eorum discedit. | | 16, -30 | | | | 474431 |
| <i>Relicta Nazaretâ, Capernaumi habitat. Ibique docet eos Sabbathis. Et percelluntur super doctrinâ ejus. Spiritum immundum in Synago-</i> | | 31, 32. | 21, 22. | 13, -17 | | |
| <i>gâ</i> | | 33, -37 | 23, -28 | | | |

gâ Capernaumî obmutescere iustum
ejicit.

*Egressus statim Synagogâ, introiit
domum Simonis & Andrea; & focrum
Simonis febricitantem sanat.*

*Circa occasum solis, allatos undique
ægrotos curat, & dæmones obmutescere iustos ejicit.*

*Manè egreditur in desertum locum;
& precatur: Simone, & aliis eum
prosequentibus: & volentibus eum
detinere turbis responder, Evangeli-
zandum sibi esse etiam aliis opidis.*

*Peragrans Galilaam totam, in
Synagogis docet; & dæmonia ejicit.*

*Cum ei ad lacum Genezaret stan-
ti, turba incumberet, intravit navigi-
um Simonis, & ex eo turbam docet.*

*Ut cessavit autem loqui, miraculosam
jubet capturam piscium: câque atto-
nitos, Simonem Petrum, & Andre-
am, Jacobum, & Johannem, sequi
iustos, piscatores hominum facit.*

*Et obivit totam Galilaam Fesus, do-
cens in Synagogis ipsorum; & sanans
quemvis morbum: famâ ejus emanante
in totam Syriam; & turbâ multâ se-
quente eum.*

*In quadam Urbe Leprosum sanat;
qui inhibitus, divulgat tamen. Et ve-
niebant ad eum undique, ut audirent
eum, & sanarentur; ita ut jam non
posset Fesus manifestè introire in civita-
tem; sed foris in desertis locis erat, &
orabat.*

*Et rursus intravit Capernaumm, ci-
vitatem suam, interjectis aliquot diebus;
& statim domi docet: Et Paralytico
cum lectulo è solario demisso, coram
Scribis, & Pharisæis, & turbâ multâ,
peccata remittit; morbûmque, cum
stupore omnium, sanat.*

*Et quum digrederetur Fesus illinc,
egressus est rursus ad mare: totâque
turba veniebat ad eum, ac docebat
eos. Et quum pratergrederetur, vi-
dit, & vocavit Levin seu Mathæ-*

JOH. LUC. MAR. MAT.

| | | | |
|----------------|------------------|-----------------|--------------------|
| | | | VIII. |
| 38, 39. | 29, 30, 31. | | 14, 15. |
| 40, 41. | 32, 33, 34. | | 16, 17. |
| 42, 43, 44. | 35, -39 | | |
| 44. | 39. | | |
| V. 1, -4. | | | |
| 4, -11. | I. 16, -20 | IV. 18, -22. | |
| | | | IV. 23, 24, 25. |
| 12, -16. | VIII. 40, -45 | | 1, -4. |
| 17, -26. | II. 1, -12. | IX. 1, -8. | |
| 27, 28. | 13, 14. | 9. | |

um ad telonium sedentem.
 Jesus, in domo Levi, se, discipulosque, unâ cum Publicanis convivantes, defendit: Et non-jejunantes, contra Pharisæos, excusat & vindicat.

Factum est ut Sabbatho altero-primo [seu secundo-primo, *δευτεροπρωτον*, id est, Sabbatho primo Novi anni, post exitum ex Ægypto instituti, & à mense Nisan, seu Abib, inchoati] transiens Jesus per sata, discipulos suos spicas vellentes à reprehensione Pharisæorum vindicat; & doctrinam de Sabbathi observatione explicat.

SECUNDUM PASCHA ministerii Christi. [Johann. V. 1. collat. cum IV. 35.] *A quo secundus annus LXX^a Hebdomadis Danielis incipit.*

Post hac erat Festum Judæorum, & ascendit Jesus Hierosolymam: & 38. annos ægrum, ad piscinam Bethesda decumbentem, sanat in Sabbatho. Et Judæis ipsum interimere studentibus, quòd ista fecisset Sabbatho; & Deum dixisset patrem suum; divinissimam opponit apologiam.

Digressus illinc, introivit rursus in Synagogam, alio Sabbatho, & docet. Et quendam ibi dexteram manum habentem aridam sanat. Unde exeuntes Pharisæi statim cum Herodianis, consultant ut eum perderent.

Jesus autem quum hoc nosset, *secessit ad mare*: sequentes sanans turbas; & ne ipsum manifestum facerent, multum interminans: edicensque discipulis ut navigiolum sibi semper adesset propter turbam, ne ipsum opprimerent.

Factum est autem illis diebus, abiit in montem ad orandum, & pernoctavit in precatione. Et quum dies ortus esset, elegit

| JOH. | LUC. | MAR. | MAT. |
|---------------|---------------|-----------------|----------------|
| | 29, -39 | 15, -22. | 10, -13. |
| | VI. 1, -5. | 23, -28 | XII. 1, -8. |
| V. 1, -47. | | | |
| | | III. 6, -11. | 9, -14. |
| | | 7, -12. | 15, -21. |
| | 12, -16 | 13, -19. | |

| | JOH. | LUC. | MAR. | MAT. |
|---|------|-------------------|----------------|-------------------|
| elegit 12. quos vocavit Apostolos, nominibus designatos. | | | | |
| <i>Descendens cum eis subsistit in loco campestri; & magnâ plebis multitudine undique adventante, sanat omnes:</i> | | 17, 18, 19. | | |
| <i>Veneruntque domum. Convenit autem rursus turba, adeo ut ne capere quidem cibum possent. Et quum hac audissent ipsius propinqui, venerunt ut preberent eum; dicebant enim eum apud se non esse.</i> | | | 19, 20, 21. | |
| <i>Quum vidisset autem turbam, ascendit in montem; & quum consedisset, adierunt eum discipuli ejus. Tunc autem Concionem habet, longam illam, & eximiam, primùm ad Apostolos; inde etiam ad universum populum.</i> | | 20,-49. | | V. VI. VII. |
| <i>Quum autem finivisset omnia verba sua audiente populo, ingressus est Capernaum. Et Centurionis servum, paralyticum ibi, & moribundum sanat.</i> | | VII. 1,-10. | | VIII. 5,-13. |
| <i>Die sequenti proficiscitur in civitatem Nain; & unigenitum Viduæ defunctum, & exportatum, resuscitat; unde fama ejus divulgatur.</i> | | 11,-17. | | |
| <i>Johannes in carcere detentus discipulorum relatione de famâ factisque Jesu commotus, duos ex eis ad eum mittit, dicens, Tunc is es qui venturus erat, an alium expectabimus? Quibus cum responso abeuntibus, amplum Jesus de Johanne edit testimonium. Civitates ingratas cum probris increpat; & in Patris occultantis se, & revelantis, solo beneplacito, lubens acquiescit,</i> | | 18,-35. | | XI. 2,-30. |
| <i>Rogavit autem eum Simon Pharisæus, ut secum ederet. Et cum discumberet, mulierem peccatricem, pedes lachrymis rigantem, capillis tergentem, deosculantem, & ungentem, contra Simonem defendit, & absolvit.</i> | | 36,-50 | | |
| <i>Et factum est deinceps, ut ipse iter faceret oppidatim predicans; & duodecim illi erant cum eo; ministrantibus ei quibusdam mulieribus.</i> | | VIII. 1, 2, 3. | | |

*Oblatus est ei Dæmoniacus cæcus & mutus; & sanavit eum. Et contra Scribas & Pharisæos, qui Hierosoly-
mis descenderant, quòd per Beelze-
bulem eijceret dæmonia blasphe-
mantes, se acriter defendit.*

*Tunc responderunt quidam è Scribis
ac Pharisæis dicentes, Præceptor, Veli-
mus ex te signum videre. Quibus, cum
multâ acrimoniâ reprehensis, signum
Jonæ solum proponit.*

*Quum autem adhuc loqueretur turba,
narratur matrem, & fratres ejus ad-
stare foris, visum, & colloquium ejus
quærentes. Respondens Jesus, Quos
pro matre, & fratre, & sorore, habeat,
ostendit.*

*Illo verò die egressus Jesus domo sedit
apud mare; & coacta est ad eum turba
multa, adeò ut navigium ingressus sede-
ret; & turbas in littore adstantes, per
parabolam Seminantis, pluresque ali-
as parabolas, multa docet.*

*Dixit autem eis die illo, quum serum
diei esset, Transeamus in ulteriorem ri-
pam. Et cum quibusdam eum sequi
volentibus responsum dedisset; Di-
missâ turbâ, acceperunt eum ut erant in
navigio: Et magnâ tempestate ortâ,
objurgat Jesus ventum, tranquillat
mare, & periclitantes servat disci-
pulos.*

*Et navigarunt ad ulteriorem ripam
in regionem Gadarenorum seu Gergele-
norum, quæ est in oppositâ ripâ Galilæa.
Ipsi egresso in terram, statim occurrerunt
duo Dæmoniaci, sævi valde (quorum
unicum memorant Marcus, & Lu-
cas.) E quibus Dæmones ejecti, Jesu
permittente, in porcos intrarunt.*

*Gadarenis, ut ab ipsis discederet,
rogantibus; & dæmoniaci suppli-
cante ut cum ipso esset, dimisso ta-
men, & in Decapoli prædicante
quanta ipsi fecisset Jesus, in navigio
ipse rursus trajecit in ulteriorem ripam,
& demum in Urbem suam [Caper-
naum.]*

Factum

JOH. LUC. MAR. MAT.

XII.

22, -30 22, -37

38, -45

VIII.

19, 20, 21. 31, -35 46, -50

VIII.

4, -18. IV. 1, -34. XIII. 1, -53.

VIII.

22, -25 35, -41 VIII. 18, -27

V.

26, -36 1, -16. 28, -33

37, 38, 39. 17, -20. 34.

Factum est autem ut quum revertisset Jefus, excepit eum turba: nam omnes expectabant eum: eratque apud mare.

Tunc advenit eum discipuli Johannis, dicentes, Quare nos & Pharifæi multum jejunamus; discipuli vero tui non jejunant? Quibus suum dat responsum.

Hac eo loquente ipsis, Ecce venit Jairus, unus ex prefectis Synagoga; & mulier precabatur eum pro filiâ unigenitâ, quasi annorum 12, agente animam. In itinere autem ad domum Jairi, mulier quæ erat in fluxione sanguinis ab annis 12, ex tactu fimbriæ pallii Jefu, illico sanatur. Filia autem Jairi jam mortua, verbo ejus in vitam revocatur: multum imperante ipso ne quis id resciret.

Quumque digrederetur illinc, sequenti sunt eum duo Cæci: Quorum oculos aperit: & graviter interminatus est eis, sed frustra, ne quis id sciret.

Ipsis autem egredientibus, ecce obtulerunt ei hominem mutum, demoniacum. Et ejecto demonio loquutus est mutus; mirante turbâ; blasphemantibus Pharifæis.

Et obibat Jefus urbes omnes ac vicos; docens, & sanans. Et venit in Patriam suam, & sequenti sunt eum discipuli ejus; & sabbatho in Synagogâ docens, à civibus, licet admirantibus, iterum contemnitur, faberque vocatur.

Et circuibat vicos in orbem, docens.

Commiseransque turbam, messemque multam, & operarios paucos, dicit discipulis, rogandum Dominum ut emittat operarios.

Tunc 12 Apostolos, binos mittit; mandatis, & potestate instructos, ad Prædicandum, & Sanandum.

Et factum est quum finem fecisset Jefus præcipiendi discipulis suis, ut digressus illinc, doceret & prædicaret in Urbibus eorum.

Exe-

JOH. LUC. MAR. MAT.

40.

21.

IX.

14, -17.

41, -56

22, -43.

18, -26.

27, -31

32, 33, 34.

VI.

1, -6.

35.

XIII.

54, -58

6.

IX.

35, -38

IX.

1, -5. 7, -11.

X.

1, -42.

XI. 1.

4035

Exeuntes autem duodecim obibant singulos vicos, Evangelizantes & Sannantes ubique.

XV. Kalend. Novembris, Sejanus casus est. [Tacit. Annal. 6. cap. 25.] Quo sublato, mox cognovit Tiberius conficta ab illo fuisse crimina, qua adversus Judæos detulerat. Proinde mandavit omnium provinciarum præsidibus, ut opidatim huic genti parcerent, exceptis reis paucis admodum: ceterum de ritis eorum nihil novarent; sed commendatos haberent, tum viros ipsos ut pacis amantissimos, tum mores eorum legesque ut conferentes ad tranquillitatem publicam. [Philo, de legat. ad Caium.]

Mortuo Severo Ægypti præside, Tiberius ex amicorum suorum cohorte successorem in sex annos illi dedit Flaccum Avillium: qui per quinque priores, quibus in vivis fuit Tiberius, cum laude provincia præfuit. [Philo, lib. in Flaccum.]

Decollatur Johannes Baptista.

Quumque hoc audissent discipuli ejus, venerunt & sustulerunt cadaver ejus, & posuerunt in monumento, & renunciarunt Jesu.

Herodis Tetrarchæ, & aliorum, de famâ ejus audientium, Opiniones de Jesu. Qui Herodes studebat eum videre.

Reversi Apostoli narraverunt Jesu quacumque fecerant.

Hæc de morte Johannis, & Apostolorum factis, quum audisset Jesus, dixit eis, Venite vos seorsim in desertum locum, & requiescite paululum. Nam præ turbâ ne cibum quidem capere ipsis vacabat. Ipse igitur, assumptis duodecim, secessit illinc navigio privatim in locum desertum urbis qua vocatur Bethsaida. Et quum hoc audisset turba, pedibus sequuta est eum ab urbibus; prævenienteque eum: Et ipse eos docebat, & sanabat.

Subiit verò in montem Jesus, & ibi sedit

JOH. LUC. MAR. MAT.

6.

13, 16.

4745 32

XIV.

17, 28, 29, 6, 11, 12.

7, 8, 9.

1, 4.

10.

30.

10, 11.

31, 34, 13, 14.

VI.

12, 17, 35, 56, 15, 36.

1, 21.

M 1819

Anno
Mundi

Imperium Romanorum Cæsarium.

577

Anno
Periodi
Juliane
Christiane

JOHAN. LUC. MARC. MATT.

sedit cum discipulis. Prope autem erat Pascha. Quum autem serum diei esset; 5 panibus hordeaceis, & 2 pisciculis, quasi 5000 pascebāt viros, absque mulieribus, & puerulis, 12 cophinis fragmentorum remanentibus. Et quum volebant eum Regem facere, statim adegit Jesus discipulos inscendere in navigium, & praire sibi in ripam alteram, Bethsaida oppositam, Capernaumum versus. Ipse verò ascendit in montem privatim ad orandum. Profecti autem quasi stadia 25. aut 30. vento contrario insurgente, quartâ noctis vigiliâ ibat ad eos Jesus, ambulans super mare, volebātque eos præterire. Et perterritis se revelat: Petrūque demergentem reprehendens, servat; obstupescens omnibus. Et quum trajecissent venerunt in terram Genesaret. Tunc ipsis egressis è navigio, statim agnito eo, quocunque introivit, attulerunt agrotos, ut vel fimbriam pallii ejus tangerent; & sanabantur.

Postero à trajectione die, turba que substiterat cis mare, ingressi sunt & ipsi in navigia, & venerunt Capernaumum, quarentes Jesum. Quibus concionatur, in Synagogâ Capernaumi, de Pane vitæ. Et murmurantibus Judæis, se Panem vitæ asserit. Unde multis discipulorum recedentibus; & Apostolis abire nolentibus, unum tamen ex eis Diabolum pronunciat.

TERTIUM PASCHA

ministerii Christi. [Johan.VI.4.]

A quo tertius annus LXX^e Hebdomadis Danielis incipit.

QUI Hierosolymis advenerant Scriba & Pharisei, adierunt Jesum; & quum vidissent quosdam ex discipulis ejus pollutis manibus, id est, illotis, edere panem, conquesti sunt, quòd non ambularent secundum

E e e Tra-

VII. XV.
I, — 23. I, — 20.

| | JOH. | LUC. | MAR. | MAT. |
|---|------|------|-----------------|----------------|
| Traditionem Seniorum. Quibus, de Traditionibus responder, quod abolerent mandatum Dei, ut Traditiones Hominum frustra servarent. Et turbam docet; quod domi discipulis exponit; Nihil quod ingreditur, sed ea quæ egrediuntur ex homine, eum polluere. | | | | |
| <i>Et illinc surgens, abit in partes seu confinia Tyri & Sidonis. Sed non potuit latere. Mulierem enim Chananæam, seu Græcam, Syrophœnissam, pro filiola malè à dæmonio impuro vexatâ, constanter intercedentem, ob fidei magnitudinem collaudans, dæmonium è filiola expellit.</i> | | | 24, -30. | 21, -28. |
| <i>Tunc regressus è sinibus Tyri & Sidonis, venit ad mare Galilæa per medios fines Decapolis. Et offerunt ei surdum, difficulter loquentem; quem sanat: interdicens, sed frustra, ne cui dicerent.</i> | | | 31, -37 | |
| <i>Et quum ascendisset in montem, sedit illic, & mirante turbâ, sanat plurimos.</i> | | | | 29, 30, 31. |
| <i>Diebus illis, quum multa omnino turba esset, jam triduum permanens apud eum in deserto, septem panibus, & pisciculis 4000 pavit viros, absque mulieribus & puerulis, septem sportis fragmentorum residuis.</i> | | | VIII. 1, -9. | 32, -38 |
| <i>Et statim ingressus in navigium cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha, seu fines Magdala.</i> | | | 10. | 39. |
| <i>Prædierunt autem Pharisei, Signum è cælo ab eo quærentes. Et ipse altè ingemiscens, hypocritis faciem cœli discernere noscentibus, Signum negat, nisi illud Jonæ. Relictisque eis, ingressus rursus navigium, abit in ulteriorem ripam.</i> | | | 11, 12, 13. | XVI. 1, -4. |
| <i>Et quum venissent discipuli ejus in ulteriorem ripam, oblitis fuerant sumere panes, & panem non nisi unum habebant secum in navigio. Tunc dixit eis Jesus, Cavete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum, & fermento Herodis. Eôsque de pane oblivioni tradito pro-</i> | | | 14, -21. | 5, -12. |

propterea disceptantes, Jesus ex antea-
tactis in Panis multiplicatione mi-
raculis acriter redarguens, de fermento,
non Panis, sed Doctrinæ, intelligentiores
reddit.

*Venit autem Bethsaidam: & obtulerunt
ei cacum.* Qui extra vicum ductus, & sputo,
& manuúmque impositione gradatim visum
recuperans; ne cuiquam dicat inhibetur.

*Egressus est autem Jesus, & discipuli
ejus, in vicos Casarea Philippi.* Et factum
est ut quum ipse seorsim oraret, & jam in
*via esset, ut interrogaret discipulos, dicens
eis, Quemnam esse me dicunt homines?* Responso
dato: Vos autem, ait, Quem me dicitis esse?
Respondentem Petrum beatum dicit: Promissiones
annectit: & discipulis interdicit, ut nemini
dicerent, se esse Jesum illum Christum. Prædicat
eis de Morte, & Resurrectione suâ. Petrumque,
ideo objurgantem, Satanam vocat. Discipulisque,
& Turbæ, de Cruce omnibus subeundâ cum
sequi volentibus, concionatur: Prædicat denique
Transfigurationem suam.

*Factum est autem post hæc verba quasi
dies 8. (6. intermediantibus) ut in monte
sublimi transfiguraretur. Et quum descenderent
de monte, mandavit eis nemini dicere quod
viderunt, usque quò Filius hominis à mortuis
resurgat. Ipsi autem siluerunt: mutuo quærentes,
Quid illud esset à mortuis resurgere. Et
interrogantes eum, Cur Scribæ dicunt, oportero
ut Elias prius veniat; Responsum accipiunt,
quo intelligunt de Johanne Baptistâ, Eliâ illo,
Jesum loquutum esse.*

*Factum est autem sequenti die, ut quum
ipsi descendissent è monte, & venisset ad
discipulos suos, vidit turbam multam circa
eos, & Scribas cum eis altercantes. Et statim
tota turba*

E e e 2 viso

| JOH. | LUC. | MAR. | MAT. |
|---------|---------|--------|---------|
| | | 22,-26 | |
| 18,-27 | 27,-38. | | 13,-28. |
| | | IX. | XVII. |
| 28,-36 | 1,-13. | | 1,-13. |
| 37,-42. | 14,-29 | | 14,-21 |

visio eo expavit: & accurrentes salutarunt eum. Et interroganti de altercatione, Respondet pater Lunatici, de filio suo habente Spiritum impurum, mutum, & surdum; & discipulis ejicere eum non valentibus. Expulso per Jesum dæmonio, sanatus filius patri redditur; mirantibus omnibus. Domique respondet discipulis, cur dæmonem ejicere non potuerint.

Et illinc egressi, unâ iter faciebant per Galilaam; nec volebat ut quisquam id sciret. Et docebat discipulos de Morte, & Resurrectione suâ. Ipsi verò ignorabant hoc dictum: & contristati vehementer timebant eum interrogare.

Quum autem venissent Capernaumum, Petrus de solvendo à Jesu didrachmate interrogatur. Et quum ingressus esset domum Jesus, præveniens Petrum, staterem in Pisce inveniendum, tributum pro se, & Petro solvendum jubet.

Capernaumi interrogat discipulos Jesus, Quid in via inter se disceptassent: Silentisque primò, dicentisque postea, Quisnam maximus est in regno cœlorum; puerulum statuendo in medio eorum, humilitatem, qualem pueruli, docet. De offendiculis etiam monet mundum: Ne manus, pes, vel oculus, faciat ut offendas, cavendum: Parvulos non contemnendos: fratrem in nos peccantem, arguendum; etiam ab Ecclesiâ ligandum, vel solvendum: & septuagies septies usque condonandum; ut in parabolâ duorum Regi debitorum ostendit.

Respondit autem ei Johannes dicens, Vidimus quendam per nomen tuum ejicientem demonia. Quem non prohibendum docet Jesus. Iterumque de parvulis non offendendis; & ne manus, pes, vel oculus faciat ut offendas, cavendum monet.

JOH.

LUC.

MAR.

MAT.

43, 44,
45.30, 31,
32.

22, 23.

24, —27

46, 47,
48.

33, —37

XVIII.
1, —35.

49, 50.

38, —50

JOH.

LUC.

MAR.

MAT.

Fanius Gallio, qui Tiberio adulari studens, ut ejus milites exactis stipendiis in subelliis equitum spectacula viderent sententiam dixerat, missus ab eo in exilium est: hoc nomine, quod militibus persuadere voluisse videbatur, ut Respublica potius quam Tiberio studerent. Et quia incusabatur facile toleraturus exilium, delectâ Lesbo insulâ nobili & amena; Romam inde retractus est, & magistratum custodia traditus. [Tacit. Annal. 6. cap. 3. Dio, lib. 58. pag. 632.]

Cassius Severus Orator 25^o. exilii sui anno mortuus est (in Seripho insulâ,) ad tantam redactus inopiam, ut pannum vix haberet quo secreta contegeret. [Hieronym. in Chronico.]

Roma ad Patres à Quintiliano tribuno plebis de libro Sibylla relatum est, quem Caninius Gallus quindecimvir recipi inter ceteros ejusdem vatis, & eâ de re Senatusconsultum postulaverat. Quo per discessionem factâ, misit litteras Tiberius: quibus modicè tribunum increpans ut ignarum antiqui moris ob juveniam, Gallo exprobrabat, quod scientia ceremoniarumque vetus, incerto authore, ante sententiam collegii, non ut assolet lecto per magistrum (Sacerdotum) aestimatoque carmine, apud infrequentem senatum egisset. Itaque notioni Quindecimvirum liber tunc subjectus est. [Tacit. Annal. 6. cap. 12.]

Verſabatur autem Jēſus poſthac in Galilæa: nolebat enim in Judæa verſari, quia ſtudebant eum Judæi interire. Propè autem erat Feſtum Judæorum, ſcenopagia, ſeu Tabernaculorum. Ad placitum autem fratrum, nondum in eum credentium, non aſcendit ad Feſtum Jeſus; ſed poſt eos, velut occultè.

Factum eſt autem, interim dum compleretur tempus quo ſurſum reciperetur, tum ipſe faciem ſuam direxit ad eundem Hieroſolyam. Miſitque nuncios ante faciem ſuam; qui proſecti ingreſſi ſunt in

E e e 3 vi-

VII.
1, - 10.

51, - 56.

4036

vicum Samaritanorum ad parandum hospitium. Quibus non recipientibus; & discipulis, ignem volentibus è cœlo in eos descendere, objurgatis, in alium vicum abierunt.

Factum est autem, ut proficiscentibus ipsis, quibusdam eum sequi volentibus, Responsum Jesus dedit singulis.

Post hac autem misit Jesus LXX discipulos ante faciem suam, binos in omnem urbem & locum, quo futurum erat ut ipse veniret; mandatis, & potestate instructos.

Turbâ quærente; & de ipso missitante; Festo jam medio Jesus in Templo docet. Admirantibus de doctrinâ, Respondet, Doctrinam, non suam esse, sed ejus qui misit eum. Convitiantibus item; eique objicientibus; Respondet multa! Ministri mittuntur quiprehendant eum. Ultimo autem die & magno illo Festi, clamante Jesu de Fide in eum, dissidium ortum est in turbâ propter eum. Ministri autem qui erant missi; & Nicodemus, coram Pharisæis obloquentibus, Personam ejus, Causamque defendunt.

Jesus autem profectus est in montem Olearum. Et diluculo rursus in Templo sedens docet. Et mulierem in adulterio deprehensam nolens [ut judex] condemnare, monet ne deinceps peccet. In gazophylacio Templi docens, Se lucem esse mundi asserit: & se de seipso testantem defendet. Multa docet, de Patre; de Se; Quò vadat; Quis sit: de Patre eorum Abrahamo: de servitute Peccati; & Diaboli: de se dæmonium non habente: de morte non gustandâ, si quis Sermonem ejus servaverit: his verbis concludens, Priusquam Abraham existeret, Ego sum. Sustulerunt ergo lapides ut jacerent in eum. Jesus autem occultavit se, & exiit è Templo, quum transivisset per medios

JOH. LUC. MAR. MAT.

57,-62.

X.
1,-16.

II,-53

VIII.
1,-59.

| | JOH. | LUC. | MAR. | MAT. | |
|---|-----------------|----------|------|------|---------|
| <i>medios ipsos; & ita prateriit.</i> | | | | | |
| <i>Pratergrediens autem vidit mendicum cacum à nativitate. Qui videns factus à Jesu; post multas examinationes, ipsius, & parentum ejus, ejectus è Synagogâ, adoravit eum.</i> | IX. 1, — 41. | | | | |
| <i>Concionatur porrò de Se, ostio Ovilis; & Pastore illo Bono; de Furibus item, & mercenariis. Et dissidium rursus ortum est inter judeos propter istos sermones.</i> | X. 1, — 21. | | | | |
| <i>Reversi sunt autem LXX, cum gaudio. Quos ultra monet Jesus, & instruit: exultans spiritu: & Beatos eorum oculos, privatim eis dicens.</i> | | 17, — 24 | | | |
| <i>Tunc ecce quidam Legis interpret querit, Quid faciendo vitam æternam possidebo? Qui à Jesu ad Legem remittitur: & quis sit Proximus, Parabolâ de homine incidente in latrones, docetur.</i> | | 25, — 37 | | | |
| <i>Factum est verò inter eundum, ut ipse ingrederetur in quendam vicum; in domo Marthæ receptus; ipsâ ministrante; & sorore Mariâ Sermonem Jesu audiente; quæ eam ob causam Marthæ prælata est.</i> | | 38, — 42 | | | |
| <i>Et factum est, ut quum ipse oraret quodam in loco, postquam cessasset, diceret ei quidam ex ejus discipulis, Domine doce nos orare, prout & Johannes docuit discipulos suos. Unde præscribit secundo eandem Orationem Dominicam: Argumenta addens, ad orandi constantiam, & Fidei in obtinendo confirmationem promovendam.</i> | XI. 1, — 13. | | | | 4746 33 |
| <i>Ejecit etiam demonium quod erat mutum; mirante turbâ: Et contra blasphemantes confirmat, se per Beelzebulem dæmonia non ejicere.</i> | | 14, — 26 | | | |
| <i>Factum est autem quum hac diceret, quòd mulier è turbâ dixit ei, Beatus venter qui te portavit. Cui responsum dat.</i> | | 27, 28, | | | |
| <i>Quum autem turba aggregaretur apud eum, cepit dicere, Gens ista Signum requirit: sed non dabitur, nisi illud Jo-</i> | | 29, — 36 | | | |
| <i>næ.</i> | | | | | |

JOH. LUC. MAR. MAT.

næ. Adjiciens Reginam Austri; & Ninevitas, gentem istam condemnatos. Et considerandum, ait, Num lumen quod in te est, tenebræ sint.

Quum autem hac loquutus esset, rogavit eum quidam Phariseus, ut pranderet apud se. Qui non-abluentem Jesum admiratus; severè ipse, unâ cum Phariseis, ob externam sanctitatem seu simulationem, internam improbitatem, avaritiam, & superbiam, reprehenditur. Et væ similiter Legis interpretibus comminatur Jesus.

Interea quum aggregata esset permulta turba, Discipulis dicit, cavendum esse à fermento Phariseorum, quod est Hypocrisis: nec timendum ab eis qui interimunt corpus.

Dixit autem ei quidam è turbâ, Dic fratri meo ut partiatur mecum hereditatem. Cui dixit, Quis me vobis iudicem fecit? Unde contra Avaritiam concionatur; in Parabolâ divitis ædificaturi horrea majora: & contra anxiam, infidam, & inutilem de hujus vitæ necessariis solitudinem: mandans, ut quærant potiùs Regnum Dei; & similes sint præstolantibus adventum Domini; ut fidum & prudentem dispensatorem decet. Ignem diffidorum ob Evangelium se in terram immissurum ait. Hoc autem præstitutum tempus, quî fit ut non explorent, eis impropert.

Adfuerunt autem eo ipso tempore quidam annunciantes ei de Galilæis quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum ipsorum sacrificiis. Indè resipiscenciam Jesus prædicat. Et Parabolam de Ficu non ferente fructum proponit.

Docebat autem in quadam synagogâ Sabbatho. Et ecce mulier adsuit habens spiritum infirmitatis ab annis 18. erâtque incurva. Quam sanat Sabbatho. Factumque contra Præfectum Synagogæ indignantem, vindicat.

De-

37,-54

XII.
1,-12.

13,-59.

XIII.
1,-9.

10,-21

| | JOH. | LUC. | MAR. | MAT. |
|---|------|----------------|------|------|
| Deinde Regnum Dei, grano sinapis ; & Fermento assimilat. | | | | |
| <i>Peragrabat singulas urbes, & vicos, docens, & iter faciens Hierosolyman.</i> [ad Encœnia scilicet.] | | 22. | | |
| <i>Dixit autem ei quidam, Num pauci sunt qui seruentur ? Respondet, Con- tendendum, intrare per angustam portam.</i> | | 23,—30 | | |
| <i>Eo ipso die accesserunt quidam Phari- sæi, dicentes, Exi, & abi hinc ; nam Herodes vult te interimere. Quibus re- sponsum reddit intrepidum.</i> | | 31,—35 | | |
| <i>Et factum est, ut quum venisset do- mum cuiusdam ex primoribus Pharisæis Sabbatho ad edendum panem, Hydropi- cus aderat coram eo. Quem sanat : Fa- ctumque in Sabbatho defendit. Di- citurque Parabolam eis qui vocati fu- erant. Et docet eum à quo fuerat vocatus.</i> | | XIV. 1,—14. | | |
| <i>Hoc autem quum audisset quidam ex eis qui simul discumbebant, dixit ei, Beatus qui edit panem in regno Dei. Cui respondens, Parabolam proponit de magnâ coenâ ; & factis singulis Vo- catorum excusationibus.</i> | | 15,—24 | | |
| <i>Ibat autem turba multa cum eo : Et conversus, concionatur eis de vitâ ipsâ relinquendâ propter Christum : Pro- ponens parabolam hominis turrim ædificaturi ; & Regis ad prælium profecturi.</i> | | 25,—35 | | |
| <i>Accedebant autem ad eum omnes Publicani, & peccatores, ut eum audirent. Et murmurantibus Pharisæis & Scribis, Loquitur ad eos Parabolas Ovis per- ditæ ; Drachmæ, & Filii prodigi.</i> | | XV. 1,—32. | | |
| <i>Dixit autem etiam discipulis suis, Pa- rabolam Dispensatoris dissipantis, ad dominum delati ; unâ cum ejusdem Applicatione : Audiebant autem hac omnia etiam Pharisæi, qui erant avari, & sannis eum excipiebant. Tunc con- tra eos concionatur : & quædam docet alia ; & Parabolam Divi- tis deliciis se, oblectantis, & La- zari</i> | | XVI. 1,—31. | | |

zaris mendici, enarrat.

Ait autem Discipulis, Væ illi per quem offendicula eveniunt. Docetque, peccanti in te fratri ignoscendum esse.

Tunc dixerunt Apostoli Domino, Adde nobis fidem. Quibus de vi Fidei respondet. Et parabolâ servi arantis, & statim ministrantis, ostendit, Quòd cum omnia fecerint, servi tamen inutiles sint; nam quod debu-erint facere fecerunt.

Et factum est inter eundem Hierosolymam, ut ipse transiret per mediam Samariam, & Galileam. Quum autem ingrederetur in quendam vicum, occurrerunt ei decem leprosi. Qui inter eundem, ex mandato Jesu, ad Sacerdotes, purificati sunt. Quorum unus, Samaritanus, ad gratias ei agendas redit.

Et interrogatus à Phariseis, Quando venturum esset Regnum Dei; Respondet, Non veniet Regnum Dei ita ut observari possit: sed intus est. Et discipulis dicit, Quòd secundum dies Noë, & Loti, erit dies quo Filius hominis detegetur: sed prius oportet illum multa pati.

Dixit autem eis etiam Parabolam, quòd oporteret ipsos semper orare; exemplo viduæ intercedentis apud iniquum judicem: cum Deus justus vindex sit.

Dixit etiam quibusdam qui sibi persuaserant se justos esse, & pro nihilo habebant reliquos, Parabolam Pharisei, & Publicani, in Templo orantium.

Facta sunt autem Encenia Hierosolymis; & hyems erat. Et ambulabat Jesus in Templo, in Porticu Solomonis. Cinxerunt igitur eum Judæi, & dixerunt ei, Quousque animam nostram suspendis? Si tu es Christus ille, dic nobis aperte. Quem asserentem; idque ex operibus: dicentemque, Ego & Pater unum sumus, sustulerunt rursum
lapi-

JOH.

LUC.

MAR.

MAT.

XVII.

1,—4.

5,—10.

11,—19.

20,—37.

XVIII.

1,—8.

9,—14.

22,—39.

| | JOH. | LUC. | MAR. | MAT. |
|--|-----------------|------|-----------|-----------------|
| <i>lapides, ut eum lapidarent : Defenden- témque se Deum esse, ex Scripturâ, & Operibus, rursus studebant eum pre- bendere : sed exiit ex eorum manu.</i> | | | | |
| <i>Abiitque rursus in trajectum Jorda- nis, in eum locum ubi primum fuerat Johannes quum baptizaret ; mansit- que illic, & multi venerunt ad eum ; &, ut consueverat, docebat eos, & sanabat : multisque illic crediderunt in eum.</i> | 40, 41, 42. | | X. 1. | XIX. 1, 2. |
| <i>Tunc adierant eum Pharisei, tentan- tes eum, & dicentes ei, Licet homini dimittere uxorem suam quavis ex cau- sa ? Negat illud Jesus ; & tam Mo- saicum discessionis libellum objicien- tibus Pharisæis, quàm discipulis di- centibus, Tum non expedire uxorem ducere, responsum dat.</i> | | | 2, — 12. | 3, — 12. |
| <i>Adferebant autem ad eum etiam In- fantes, ut manus eis imponeret, & pre- cicaretur. Et objurgatis discipulis pro- hibere volentibus, cum manus impo- suisset eis, & benedixisset, profectus est illinc.</i> | 15, 1 17. 6, | | 13, — 16. | 13, 14, 15. |
| <i>Egrediente autem ipso ut sese daret in viam, occurrit ei adolescens, unus ex primoribus, dives valde, dicens, Magi- ster bone, quid faciendo vitam aternam possidebo ? Jesus, de Titulo dicens, ablegat ad præcepta : dicentem se observasse, diligit ; vendere omnia jussum, & distribuere pauperibus, valde tristem dimittit : de divitibus seu avaris duriter pronunciat : Et Petro dicente, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, factas Apo- stolis duodecim proprias, reliquisque sequentibus insignes edit Promissio- nes. Additque, multi autem primi erunt ultimi ; & ultimi primi. Quod Simili operariorum in vineam condu- ctorum ostendit. Multi enim sunt vocati, pauci electi.</i> | 18, — 30 | | 17, — 31 | 16, — 30 |
| <i>Erat autem infirmus Lazarus à Be- thania. Miserunt ergo sorores ejus ad Jesum, nunciantes de morbo. Ut</i> | XI. 1, — 16. | | | XX. 1, — 16. |
| Ffff 2 ergo | | | | |

ergo audivit illum ægrotare; tum qui-
dem mansit duos dies in eo loco ubi erat.
Deinde postea dixit discipulis, Eamus
in Judæam rursus. Dicentibus, modò
studebant te Judæi lapidare, & rur-
sum illuc abis? Respondens Jesus,
dixit postea eis, Lazarus dormit;
de morte loquens, non somno; eamus
ad eum. Eamus, inquit Thomas, &
nos, ut moriamur cum eo.

*Venit Jesus ad limites Bethania, &
invenit Lazarum quartum jam diem in
monumento agere. Marthâ autem oc-
currente ei, de Resurrectione collo-
quuntur. Et Maria audiens, citò ve-
nit ad eum, extra vicum, ubi occur-
rerat ei Martha: & flentem videns,
flens ipse, venit ad monumentum: Et
cùm jubente Jesu lapidem sustulif-
sent, Patri gratias agens, è monumen-
to eum evocat: multis ideo tridenti-
bus: & quibusdam abeuntibus ad Pha-
riseos, narrantibusque quæ fecerat Je-
sus. Coacto igitur concilio; & Cai-
phâ de Jesu prophetante, ab illo die
consultabant unâ ut interimerent
eum: præcipientes ut si quis noscet
ubi esset, indicarent, ut prehenderent
eum. Jesus ergo non palam amplius
ambulabat inter Judæos; sed abiit illinc
in urbem Ephraim: & illic commoraba-
tur cum discipulis.*

*Erant autem in via ascendentes Hie-
rosolyma; & præibat eis Jesus, & ex-
pavescebant. Ipse autem assumptis rursus
duodecim, illis cœpit dicere quæ sibi erant
eventura. Ipsi verò nihil horum intel-
lexerunt.*

*Tunc accedunt ad eum Jacobus &
Johannes, filii Zebedæi, & mater, pe-
tentes sessionem ad dexteram & sini-
stram Jesu. Responso tandem repulsi,
& indignantes cæteri, admonentur
omnes, ut qui voluerit fieri magnus,
& primus inter eos, sit omnium mi-
nister & servus.*

*Factum est autem ut dum ipse appro-
pinquaret*

IOH.

LUC.

MAR.

MAT.

17, 54

31, 34

32, 33,
3417, 18,
19

35, 45

20, 28

37, 43

pinguaret Fericho, cæcus quidam sederet apud viam mendicans: & percontatione cognoscens Jesum Nazaræum transire, instanter, licet objurgatus, misericordiam implorat: Et adductus; visumque recipiens; sequebatur eum glorificans Deum.

Jesus autem ingressus Fericho, transibat: Zacchæum videns in sycomoro, dicit ei, Hodie domi tuæ oportet me manere.

Egredientibus autem ipsis urbe Fericho, sequuta est eum turba multa. Et duobus cæcis [quorum unus erat Bartimæus] visum restituit. Et ipsi sequuti sunt eum.

Hac autem ipsis audientibus, eo quod essent prope Hierosolymam, & quod putarent fore, ut illico Regnum Dei appareret, pergens, dixit Parabolam, de homine Nobili, in longinquam regionem profecturo; & decem servis decem minas dante, ut negotiarentur, donec reverteretur: & quum redisset, cognoscente quis quid negotiando confecisset; & pro mensurâ lucri illis retribuente.

Prope autem erat pascha. Et multi ex illâ regione ascenderunt Hierosolymam ante Pascha, ut purificarent se.

Jesus ergo sex ante Pascha diebus venit Bethaniam. Fecerunt ei cœnam: Lazaro unâ discumbente: Mariâ pedes ungente, & capillis extergente; & Jesu eam contra Judam defendente. Turba autem multa venit, non propter Jesum tantum, sed etiam ut Lazarum viderent. Consultarunt autem primarii Sacerdotes, ut Lazarum etiam interimerent: quia multi ex Judæis propter eum credebant.

Et his diebus, antegrediebatur ascendens Hierosolymam. Et factum est, quum appropinquasset Bethphage, & Bethania, ad montem qui vocatur Oleatum, [mensis Martii die 29.] misit duos de discipulis ejus pro pullo alligato,

F f f 3.

cui

JOH. LUC. MAR. MAT.

XIX.
1,—10.

46,—52. 29,—34

11,—27

53, 56,
57.XII.
1,—11.XI. XXI.
28,—35 1,—7. 1,—7.

cui nullus unquam hominum insedit.
[Afinæque etiam Matthæus memi-
nit.]

*Adduxerunt igitur Pullum ad Jesum,
& iniecerunt ei pallia sua, & insedit
ei. Et turba multa quæ venerat ad
diem Festum, prodiit ei obviam:
plurimis sternentibus vestimenta sua
in via; aliis ramos frondésque ar-
borum. Et quum jam appropinquaret
ad descensum montis Olæarum, clamabat
turba quæ præibat, & quæ sequeba-
tur, Hosanna Filio David. Et ali-
quibus Pharisæorum è turbâ dicenti-
bus ei; Objurga discipulos tuos,
Responsum dat. Pharisæi ergo dixe-
runt inter se, Viderisne nos nihil pro-
ficere: ecce mundus eum sequutus
est.*

*Et ut appropinquavit, visâ urbe fle-
vit super eâ: ruinam ejus extremam
prænunciâns.*

*Et quum introisset Hierosolyam,
commota est universa urbs, dicens, Quis
est hic?*

*Et introivit Jesus in Templum Dei;
& ejecit vendentes, & ementes in eo.
Cæcos, & claudos, in Templo sanat.
Puerosque in eo clamantes Hosanna,
contra Sacerdotes & Scribas indi-
gnantes justificat. In Templo quotidie
docet; auditoribus diligenter auscul-
tantibus: primariis verò Sacerdotum,
& primoribus plebis perdere eum
studentibus.*

*Græci autem quidam ex eis qui veni-
unt ut adorent in Festo, Jesum videre
cupiunt. Narrantibus respondet, de
Passione suâ concionando: Patrém-
que invocando, responsum accipit
per vocem è cælo; quam quidam
Tonitru; alii Angelum esse putant.
Iterumque agens de sublatione Filii
hominis è terrâ; eis qui de eâ ulte-
rius quærebant, & Quis esset iste Fi-
lius hominis, Respondet. Inde abiens,
occultavit se ab eis; horâque vespera cum
esset,*

JOH. LUC. MAR. MAT.

12,-18.

36,-40

8,9,10.

8,9.

19.

41,-44

10, 11,

45, 46,

11.

12, 13,
14, 15,
16.

47, 48.

20,-50.

17.

esset, abiit ad Bethaniam cum illis duodecim. Quum autem tot signa coram eis edidisset non credebant in eum; ut sermo Esaiæ impleretur: veruntamen etiam ex primoribus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non profitebantur. Clamans igitur concionatur de Fide in se.

Postero die cum exiissent Bethania esuriit. Et ficui folia solum habenti imprecatus est, statimque exaruit. Veniunt Hierosolymam; & ingressus Jesus in Templum, vendentes & ementes iterum ejicit; nec sinebat ut quisquam deportaret vas per Templum. Clamansque docet fidem in se. Primarii autem Sacerdotes quærebant quomodo eum perderent. Timebant enim eum, quia tota turba percellabatur super doctrinam ipsius. Quum verò vespera advenisset, egressus est Jesus extra urbem.

Et manè iter facientes prope ficum, viderunt eam exaruisse radicibus. Petroque id indicante; Jesus de vi & virtute Fidei; in precibus speciatim, concionatur eis. Tunc veniunt rursus Hierosolymam: & quum ipse ambularet in Templo, & doceret, veniunt ad eum primarii Sacerdotes, & Scriba, & Seniores, dicentes, Quam auctoritate ista facis? Respondet Jesus, Interrogando eos de auctoritate Baptismatis Johannis. Dixitque eis Parabolam duorum filiorum; Quærens ab eis, uter è duobus fecit quod voluit Pater: eamque illis applicat: Parabolam item vineæ elocatae agricolis, hæredem vineæ tandem occidentibus; unam cum ejus applicatione. Ideoque studebant eum eam ipsam horamprehendere; sed timuerunt turbam, quoniam ut Prophetam eum habebat. Rursusque proponit eis parabolam Nuptiarum Filii Regis, & invitorum quorundam recusationes seu excusationes; quorundam

JOH. LUC. MAR. MAT.

12,—19 18, 19.

20,—33. 19,—46

XX.
1,—8.XII.
9,—19. 1,—12.XXII.
1,—46.

rundam nequitas, pœnâsque ; etiâ-
que illius qui vestem nuptialem non
habuit. *Tunc profecti Pharisei consi-
lium ceperunt ut illequearent eum in
sermone. Itaque mittunt ad eum discipu-
los suos, cum Herodianis, dicentes, Licet ne
censum dare Casari, an non ? Et respon-
sum mirati, omisso eo, abierunt.*

*In illo die adierunt eum Sadducei,
Interrogantes de muliere quæ septem
fratres pro maritis habuit, Cujus ex
illis septem uxor erit in Resurrecti-
one ? Et quum responsum Resurre-
ctionem asserens, audisset turba, per-
culsa est super doctrinâ ipsius. Pha-
riseus deinde Legis interpret, tentat
eum, Interrogando, Quod est manda-
tum magnum in Lege ? Responso dato,
Interrogat Phariseos, cujus filius est
Christus ille ? Et nemo poterat re-
spondere ei quicquam : neque ausus
fuit quisquam ab illo die amplius il-
lum interrogare.*

*Tunc Jesus loquutus est turba, & di-
scipulis suis, de Scribis, & Phariseis :
Væ contra eos oñies denunciâns. Et
civitatem alloquens Jerusalem, cru-
delitatem ejus, & obstinationem ac-
cusat, & desolationem prædicit.*

*Et quum sedisset Jesus ex aduerso
gazophylacii, viduam duo minuta inji-
cientem, cæteris magis æstimat.*

*Quum autem egrederetur è Templo,
discipulis ædificia ejus, lapidésque
ostendentibus, ruinam ejus prædicit.*

*Et quum sederet in monte Olearum
ex aduerso Templi, interrogârunt eum
privatim quatuor è discipulis, Quando
hæc erunt ? & quod erit signum ad-
ventus tui, & consummationis se-
culi ? Quibus fusè respondet, de
signis utriusque. Monétque ut vigi-
lent, paratîque sint, quia nesciunt quâ
horâ Dominus venturus sit. Idémque
docet, Parabolâ decem Virginum.
Itémque Parabolâ Talentorum ser-
vis traditorum ; ut negotiarentur.*

Ulti-

JOHAN. LUC. MARC. MATT.

20,-40 13,-37

41,-44

45,46, 38, 39,
47. 40.

XXI.

1,-4. 41,-44

5,-36. 13. 1-37.

XXIII.

1,-39.

XXIV.

1,-51.

XXV.

1,-46.

Ultimúmque seculi [istiús forsan, ut Typi] describit iudiciúm, oves ad dexteram, hoédos ad sinistram statuendo, & de utrisque sententiam dicendo. *Docebat autem interdú in Templo: noctú veró exiens, pernoctabat in monte qui vocatur Olearum. Et totus populus diluculo veniebat ad eum, ut audiret eum in Templo.*

Et factum est quum finisset Iesus sermones istos, dixit discipulis; Scitis post biduum Pascha fore; & Filius hominis prodetur, ut crucifigatur. Tunc in aula Caiaphæ Pontificis maximi consultarunt ut Iesum trucidarent. At non in Festo, aiunt, ne tumultus fiat in populo.

Quum autem Iesus esset in Bethania, in domo Simonis Leprosi; mulierem, alabastrum unguenti in caput ejus accumbentis effundentem, contra indignantes discipulos defendit, funerationem suam prædicendo.

Tunc introiit satanas in Judam, qui se offert, & paciscitur ad prodendum eum.

QUARTUM PASCHA:
in quo, Pascha nostrum immolatus est Christus; [I Corinth. V. 7.] atque ita Legalibus omnibus sacrificiis, hoc unicum præsignificanti- bus, finis impositus, ineunte anno quarto siue MEDIO postremæ Septimanæ Danielis. [Dan. IX. 27.]

P*rimo autem die Azymorum, quando Pascha mactabatur, [Aprilis die 2º.] quærentibus discipulis de loco parandi ipsum, mittit Petrum & Johannem in urbem, prænuncians occurrurum eis quendam amphoram aquæ bajulantem, cujus ductu diverforium, & coenaculum paratum*

Gggg à

| JOH. | LUC. | MAR. | MAT. |
|------------------|---------|---------------|-----------------|
| | 37, 38. | | |
| | | XIV. 1, 2. | XXVI. 1, -5. |
| | | 3, -9. | 6, -13. |
| XXII. 1, -13. | | 10, 11. | 14, 15, 16. |
| | | 12, -16 | 17, 18, 19. |

à Patre-familiâs obtinebunt.

Et quum serum diei esset, venit cum duodecim. Quumque discubissent, & ederent, dixit Jesus, Desiderio desideravi hoc Pascha edere vobiscum, antequam ego patiar; & poculum iussit dividere inter ipsos; dicens se non amplius esurum ex Paschate; aut bibiturum ex fructu vitis, usque quò Regnum Dei venerit. Aitque etiam, Unus ex vobis proder me. Contristatis autem vehementer, & dicentibus singulis, Num ego sum Domine? Respondet, Qui intingit mecum manum in catino, is est. Et Judæ dicenti, Num is ego sum? ait ei, Tu dixisti.

Edentibus autem eis, in pane instituit sacramentum corporis sui; & in vino, postquam cœnasset, sanguinis sui: Ad-dens, Non bibam ab hoc tempore, ex hoc fructu vitis, usque ad diem illum quum ipsum bibam vobiscum novum in regno Patris mei. Cæterum ecce, inquit, manus eius qui me prodit, mecum est in mensa. Tunc ipsi cœperunt mutuo quærere inter se de hac re; ecquis nimirum ex ipsis esset hoc facturum.

Orta est autem etiam de hoc contentio inter eos, Quis eorum videretur esse maximus. Et cœnâ peractâ, surgit ab eâ, & deponit pallium, acceptoque linteo, præcinxit se; cœpitque lavare, & extergere pedes discipulorum: etiâque & Petri, negantis licet primò; postea tamen expetentis. Quo peracto, rursus recubuit; inquit, Exemplum præbui vobis, ut prout ego feci vobis, ita & vos faciatis, alii aliorum pedes lavantes; & qui maximus est inter vos, esto sicut qui minimus est: superaddens, Non de omnibus vobis loquor: ego scio quos elegerim. Quum hac dixisset Jesus, turbatus est spiritus, & testatus est, dixitque, Unus ex vobis proder me. Discipuli ergo aspiciebant, alii ad

JOH. LUC. MAR. MAT.

14,—18

17.

20.

18,—21. 21,—25

19,—23 22,—25 26,—29

24,—30

XIII.
2,—38.

ad alios, incerti de quo diceret. Innuente autem Pétro dilecto discipulo, ut percontaretur quis esset : respondet Jesus, Ille est cui ego intinctam offulam dederò. Eamque dedit Judæ. Dixitque ei, Quod facis, mox facito. Hoc autem nemo accumbentium intelligebat. Ille igitur acceptâ offulâ *statim exiit : erat autem nox.*

Quum ergo exivisset, dicit Jesus, Nunc glorificatus est Filius hominis, & Deus glorificatus in eo. Monetque de instante abitu suo : mutuâque eorum dilectione. Dixit etiam Dominus, Simon, Simon, ecce satanas appetit vos quos ventilaret sicut triticum : sed pro te oravi ; & tu stabili fratres. Et Petro nimium confidenter dicenti, Animam meam pro te deponam ; respondet, Non emittet vocem gallus, donec ter me abnegaveris. Dixit etiam eis, At nunc qui crumenam habet, tollat eam : & qui non habet, emat gladium. Dicentibus autem, Ecce duo gladii hîc ; respondet, Satis est.

Contra tristitiam ex morte ejus conceptam, ex usu ejus, consolatur eos. Quæstionibus Thomæ, Philippi, & Judæ, [qui & Lebbæus, cognominatus Thaddæus, filius alter Alphæi, fraterque Jacobi] sigillatim responder. Promittit Spiritum sanctum discipulis Doctorem. Pacem suam relinquit eis. Iterumque monens de morte instante, fructuque ejus lætabili ; *Surgite, inquit, abeamus hinc. Et quum hymnum cecinissent, exiverunt versus montem Olearum.*

Inter eundem, per similitudinem Vitis & Palmitum hortatur ad fructum ferendum : hortatur ad permanendum in dilectione Dei erga eos : ad mutuum inter se amorem : ad mundi odium perferendum, ut qui odio habet Christum ipsum : Et ne persecutionibus offendantur. Iterum-

Gggg 2 que

JOH. LUC. MAR. MAT.

31, -38

XIV.
1, -31.

26.

30.

XV.
1, -27.

XVI.
1, -33.

que contra tristitiam de morte sua consolatur eos, per promissionem mittendi ad eos Paracleti, Spiritus veritatis; cujus officium, erga mundum, erga ipsos, describit. Monensque, paulisper esse, & non conspiciet eum: Discipulis, quid illud esset nescientibus, id ipsum explicat: Et tristitiam eorum prædictam de morte ejus, vertendam, ait, in gaudium, exemplo mulieris puerulum parturientis; idque ex reditu ejus ad eos; ex amore Patris erga eos, ejusque promptam petitionum exauditione, quas nomine suo facturi sint. Demum expressè dicenti, Prodiit à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem; Discipuli dixerunt, Ecce nunc apertè loqueris, credimusque te à Deo prodiisse: Quibus respondet, Tempus modò venire, quum dispergentur quisque ad sua, & Christum solum relinquent. Tandemque divinissimam ad Patrem Oratione, pro mutuam gloriæ suæ, & Patris, illustratione; pro Apostolis; pro toto credentium grege, conclusionem ponit.

Hac quum dixisset Jesus, cum discipulis suis, profectus est, ex more, trans torrentem Cedron, in montem Olearum. Tunc dicit eis Jesus, Omnes offendimini in me nocte hac: sed postquam suscitatus fuero, præibo vobis in Galilæam. Petro dicenti, Etiam si omnes offendantur, at non ego; Jesus ait, Hodie, nocte ista, priusquam bis vocem gallus miserit, ter me abnegabis. Ille verò, omnesque discipuli replicant, Si oportuerit, commori tibi, te non abnegabimus.

Veniunt igitur in locum, cujus nomen est Gethsemane; ubi erat hortus, in quem introiit ipse, & discipuli ejus. Dixitque eis, Orate, ne introcatis in tentationem. Sedete hinc usque quò profectus precatus fuero illic. Et assumpto Petro,

JOH. LUC. MAR. MAT.

XVII.
1,--26.XVIII.
1.

39.

27,--31

31,--35

33,--42.

36.

40,--46

36,--46

Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit gravissimè angere: dixitque eis, Manete hîc, & vigilate. Et progressus paululum, quasi ad jactum lapidis, positus genibus, oravit, de transferendo poculo hoc. Conspectus est autem ei Angelus è cœlo, corroborans eum. Rediitque, reperiens discipulos dormientes; quos reprehendit, monetque. Secundò abit, & precatur intentiùs, constitutus in angore, sudans quasi grumos sanguinis. Et quum rediisset, reperit eos rursus dormientes præ tristitiâ; erant enim oculi eorum gravati: rursùmque moniti, non sciebant quid responderent. Tertiò abit, idemque precatur. Rediènsque dicit discipulis, Dormite quod superest, & requiescite; ecce appropinquavit hora illa, & filius hominis proditur in manus peccatorum. *Surgite, eamus: ecce qui prodit me appropinquavit.*

Adhuc autem eo loquente, ecce Judas, qui noverat locum, quia Jesus frequenter cum discipulis suis illuc convenerat, unâ cum primariis Sacerdotibus, & Pharisæis, & præfectis Templo, & Senioribus populi, & ministris eorum, & cohorte ab eis misso, venit illuc cum laternis & facibus, turbâque multâ, cum gladiis, & fustibus. Dederat autem eis Judas signum, dicens, Quem osculatus fuero is est. Et statim deosculatus est Jesum. Cui Jesus, Quorsum ades? osculo Filium illum hominis prodis? Jesus itaque sciens omnia quæ ventura essent in se, prodiens dixit eis, Quem quæritis? Responderunt ei, Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus, Ego sum. Et abierunt illi retrorsum, & ceciderunt super terram. Iterùmque rogat; respondetque eis ut priùs; addendo, Si me quæritis, finite hos abire. Et prehenderunt eum.

Videntes autem ii qui circa eum

Gggg 3 erant,

JOH. LUC. MAR. MAT.

2, 3.

47, 48.

43, 47

47, 56

4, 9.

IO, II. 49, 50, 51.

erant, quod futurum erat, dixerunt, Domine, percutiemusne gladio? Petrus autem gladio abscidit Malchi, servi Pontificis maximi, auriculam dexteram. Cui Jesus, Reconde gladium. Annon possem precibus obtinere plures quam duodecim legiones Angelorum? Annon bibam poculum quod dedit mihi Pater? Sinite hucusque. Et tactâ illius auriculâ, sanavit eum. Dixit autem Jesus eis, Sicine ut adversus latronem exiistis, cum gladiis, & fustibus? sed hæc est hora illa vestra, & potestas tenebrarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Quidam autem juvenis [ex contubernio] prehensus, derelictâ sindone, nudus ab illis effugit.

Jesum autem vinxerunt, & abduxerunt, primum ad Annam, socerum Caiaphæ; qui misit eum vinctum ad Caiapham Pontificem maximum, qui prophetarat prius, expedire ut unus homo moriatur pro populo. Ibi omnes primarii Sacerdotes, & Seniores & Scribæ coacti erant. Caiaphas ergo interrogavit Jesum de discipulis ejus, & de doctrinâ ipsius. Respondet ei Jesus, Ego palàm loquutus sum mundo, interroga eos qui audierunt. Ideoque bacillo cæsus ab uno è ministris; respondet ei, Si bene loquutus sum, cur me cædis? Totus autem confessus quærebat falsum testimonium contra eum; & non invenerunt. Postremò duo falsi testes advenerunt. Sed ne sic quidem par erat testimonium eorum. Dicente Caiaphâ, Non respondes testantibus contra te? silet Jesus. Adjurante ut dicat, num sit Christus ille, respondet, Ego sum: Et videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram potentiae Dei, & venientem cum nubi- bus coeli. Ideoque eum, ut reum mortis, ob blasphemiam judicant.

Tunc

JOH. LUC. MAR. MAT.

52, 53: 48, -52

12, -27 54, -65 53, -72 57, -75

JOH. LUC. MAR. MAT.

Tunc illudebant ei; sputis, colaphis, bacillis in eum sævierunt; & obtegentes faciem ejus, dixerunt, Vaticinare quis te percussit: & alia multa convitiantes dicebant in eum.

Sequebatur autem Jesum Petrus à longinquo, ut videret finem; aliisque discipulus, qui notus erat Pontifici, & simul cum Jesu introiit in aulam. Petrus autem stabat extra ad ostium; quem alter ille discipulus, ostiariam alloquens, introduxit. Cui interroganti, & asserenti, Petrus se calefaciens ad ignem accensum in medio aulae, quia frigus erat, negat se discipulum ejus esse, aut nōsse eum, & nescire quid ea dicat. Et paulò post exivit extra vestibulum: & gallus vocem emisit. Eredientem autem rursus vidit alia ancilla, & dixit eis qui erant illic, Et iste erat cum Jesu Nazareno. Aliisque item dixit ei, Et tu ex ipsis es. Tunc rursus negavit, cum juramento, se ex ipsis esse, aut hominem nōsse. Et interposità quasi horà unà, accesserunt qui adstabant, dicentes ei, Loquutio tua te manifestum facit: Et cognatus Malchi inter eos, dicens, Nonne ego te vidi in horto cum eo? Tunc cœpit execrari, seipsum devovere, & jurare, dicens, Non novi hominem istum quem dicitis. Et illico adhuc ipso loquente, gallus secundo vocem emisit. Tunc conversus Dominus intuitus est Petrum, qui memor prædictionis Jesu, egressus foras, flevit amarè.

Et ut ortus est dies, congregatum fuit presbyterium populi, & primarii Sacerdotes, & Scriba, & adduxerunt eum in suum confessum, dicentes, Num tu es ille Christus? Quibus ille; nequaquam credetis; aut respondebitis; aut absolvetis: asserente autem ipso, se esse Filium illum Dei, dixerunt, Quid ampliùs egemus testimoniò?

Tum

66, -71

Tum statim manè surgens universa multitudo eorum, vincitum duxit eum ad Pontium Pilatum Præsidentem, à Caiaphâ, ad Prætorium [Apr. die 3.] Et ipsi non introierunt in Prætorium, ne polluerentur, sed ut ederent Pascha: Jesus autem stetit coram Præsidente. Prodiit ergo Pilatus ad eos, & dixit, Quam accusationem adfertis adversus hominem istum? Responderunt, Nisi iste esset facinorosus, non tradidissimus eum tibi. Et cœperunt accusare, dicentes, Comperimus istum, pervertere gentem, & vetare tributa dari Cæsari, dicendo se Christum, regem esse. Et quum ipse accusaretur à primariis Sacerdotibus, & Senioribus, nihil respondit. Tum dicit ei Pilatus, Non audis quàm multa adversum te testificantur? Et non respondit ei ad ullum verbum: ita ut miraretur Præses valde. Dicit ergo eis Pilatus, Accipite eum vos, & secundum legem vestram condemnate eum. Qui dixerunt, Nobis non licet interimere quenquam. Regressus est ergo in Prætorium Pilatus, & vocavit Jesum, dixitque ei, Tunc es Rex ille Judæorum? Respondet Jesus, A teipsonè tu hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? Respondet Pilatus, Numquid ego Judæus sum? Gens tua, & primarii Sacerdotes tradiderunt te mihi; quid fecisti? Respondet Jesus, Regnum meum non est ex hoc mundo. Dixit ergo ei Pilatus, Ergo Rex es tu? Respondet Jesus, Veni in mundum, ut testimonium dem veritati. Dicit ei Pilatus, Quid est veritas? Et quum hoc dixisset, rursus prodiit ad Judæos, & dixit eis, Ego nullum invenio crimen in eo. At illi invalescebant, dicentes, Concitat populum, docens per universam Judæam, exorsus à Galilæa hucusque. Pilatus verò auditâ Galilæâ, interrogavit num homo iste Galilæus esset. Et

quum

| JOHAN. | LUC. | MARC. | MATT. |
|--------|-----------------|--------------|----------------|
| 28,—40 | XXIII. 1,—6. | XV. 1,—5. | XXVII 1,—26 |

7,—12.

quum cognovisset eum ad Herodis potestatem pertinere, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat per eos dies. Qui viso Jesu gavisus est valde. Sed frustratus miraculo, nec dignatus responsione ullâ, aut ei, aut primariis Sacerdotibus, & Scribis, licet magnâ contentione eum accusantibus, pro nihilo habitum, & illudum, veste splendidâ amictum Jesum, remisit ad Pilatum. Qui ambo Præsides eo ipso die amici inter sese facti sunt. Pilatus verò convocatis primariis Sacerdotibus, & primoribus, & populo, dixit eis, Nec ego, nec Herodes, ullam noxam invenimus in eo; nihil dignum morte. Castigatum ergo eum dimittam. Præsides autem necesse habebat, prout consueverat, singulis Festis, turbæ dimittere unum vincitum, quem volebant: Et vociferans turba cœpit petere, ut faceret prout ipsis semper fecerat. Pilatus autem congregatis respondet eis, dicens, Est vobis consuetudo, ut unum dimittam vobis in Paschâ; vultisne ergo dimittam vobis regem illum Judæorum? utrum eum, an Barabbam? noverat enim eum per invidiam traditum fuisse à primariis Sacerdotibus. Ii verò concitârunt turbam, ut potius Barabbam ipsis dimitteret. Erat autem is latro, vincitus insignis, cum seditionis sociis, qui propter seditionem quandam, & cædem factam in urbe, coniectus erat in carcerem. Sedente autem eo in Tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens, Nihil tibi rei sit cum justo illo: multa enim passa sum hodie in somnio propter eum. Rursus ergo Pilatus alloquutus est eos, volens dimittere Jesum, Utrum è duobus illis vultis, ut vobis dimittam? Clamitârunt autem rursus omnes, dicentes, Nequaquam istum, sed Barabbam. Tum Pilatus respondens, rursus dixit eis, Quid

H h h h ergo

JOHAN.

LUC.

MARC.

MATT.

13.—25

6.—15.

ergo vultis faciam isto quem dicitis Regem Judæorum? Ipsi verò rursus clamaverunt, Crucifige eum. Pilatus autem tertio dicit eis, At enim quid mali fecit? nullam noxam capitalem inveni in eo: castigatum ergo eum dimittam. Illi autem amplius clamaverunt, Crucifige eum, & instabant vocibus magnis id ipsum petentes. *Tunc assumpsit Jesum Pilatus, & flagellavit. Et milites contexerunt coronam e spinis, & imposuerunt capiti ejus, & pallio purpureo induerunt eum: dicentes, Ave Rex Judæorum. Et bacillis eum cædebant. Prodiit ergo rursus Pilatus foras, & dixit eis, Ecce adduco vobis eum foras, ut noveritis me nullum in eo crimen invenire. Prodit ergo Jesus foras, gerens coronam illam, & pallium. Et dixit eis Pilatus, Ecce homo. Intuiti eum primarii Sacerdotes, & eorum ministri, clamitârunt, dicentes, Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite; ego enim non invenio in eo crimen. Responderunt Judæi, Debet mori, quia Filium Dei se fecit. Audiens hoc Pilatus, magis metuit. Et rursus ingressus est Prætorium, & dixit Jesu, Unde es tu? Jesu non respondenti dicit Pilatus, Mihi non loqueris? nescis me potestatem habere crucifigendi te? Respondet Jesus, Non haberes, nisi tibi datum esset supernè. Ex eo studebat Pilatus eum dimittere. Judæi verò clamabant, Tum non es amicus Cæsaris. Pilatus hoc audiens, eduxit foras Jesum, conseditque in tribunali, in loco Gabbathâ. Erat autem parasceve Paschæ, hora verò quasi sexta: Tum dicit Judæis, Ecce Rex vester. Illi verò clamitârunt, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt primarii Sacerdotes, Non habemus Regem nisi Cæsarem.*

Videns

JOH. LUC. MAR. MAT.

XIX.
1,—16.

Videns autem Pilatus se nihil proficere, sed majorem tumultum fieri, accepit aquam abluere manus coram turba, dicens, Innoxius ego sum a sanguine hujus justis: vos videritis. Et respondens universus populus dixit, Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Tunc volens turbam satisfacere demisit eis Barabbam; *Jesum autem quum flagellasset; tradidit eorum voluntati, ut crucifigeretur.*

Tunc milites Præsidiis, quum abduxissent Jesum in Prætorium, coegerunt ad eum universam cohortem. Et quum exiissent eum, circumposuerunt ei chlamydem coccineam, seu purpuream; Et coronam è spinis contextam imposuerunt ejus capiti, & arundinem in dexteram ejus; & genu ante eum summissio, illudebant ei, dicentes, Ave, rex Judæorum. Et quum inspissent in eum, ceperunt arundinem illam, & verberabant caput ejus. Et postquam illulissent ei exuerunt eum chlamyde, indueruntque vestimentis suis: & abduxerunt eum ut crucifigerent.

Tunc Judas, qui eum prodiderat, quum vidisset eum damnatum esse, poenitens, retulit triginta argenteos ad primarios Sacerdotes; confitens illis peccatum suum; & projiciens argenteos in Templum; secessit, & strangulavit sese. Illi autem emerunt ex eis agrum illum figuli, ad sepulturam hospirum: ad implendum Prophetæ vaticinium.

Jesus portans crucem suam prodiit. Abducentes autem invenerunt Simonem quendam Cyrenaum, qui veniebat rure, quem prehensum angariarunt ad crucem ferendam ponere Jesum. Facinorosi autem duo latrones cum eo abducebantur, ut crucifigerentur. Sequebatur autem eum magna multitudo populi, & mulierum, quæ plangebant eum. Ad quas conversus,

H h h h 2 de-

JOH. LUC. MAR. MAT.

17, - 30

16, - 37 27, - 31.

5

26, - 38

32, - 50

JOH. LUC. MAR. MAT.

destructionem lamentabilem prædicit appropinquantem. *Quum autem venissent in eum locum qui dicitur Calvaria, Hebraicè autem Golgotha, dederunt ei bibendum myrrhatum vinum, seu acetum cum felle mistum: & quum gustasset, noluit bibere. Illic crucifixerunt eum. Erat autem hora tertia. Et cum eo duos illos facinorosos crucifixerunt, unum ad dextram, alterum ad sinistram. Jesus autem dicebat, Pater remitte ipsis, nesciunt quid faciant. Scripsit autem etiam titulum Pilatus, Hebraicè, Græcè, & Romanè; & imposuit cruci. Quem ad petitionem primariorum Sacerdotum Pilatus noluit immutare. Postquam autem crucifixerunt eum, partiti sunt ejus vestimenta in quatuor partes, unicuique militi [qui executionis officium egit] partem, sortem jacentes, itémque super tunicam insutilem, cujus futura sit: ut scriptura impleretur. Et sedentes servabant eum illic. Et stabat populus spectans. Qui verò præteribant, conviciabantur ei, moventes capita sua; & dicentes, Vah tu qui destruis Templum, & triduo ædificas, serva temetipsum: Si Filius Dei es, descendo è cruce. Similiter autem etiam primarii Sacerdotes, & primores, cum populo, illudentes, & sannis eum excipientes, cum Scribis, & Senioribus; dicebant alii ad alios, Servavit alios, seipsum non potest servare. Si Rex Israelis est, si ille Christus, electus ille Dei, descendat nunc è cruce, & credemus ei: Confidit in Deo, eruat ipsum nunc, si placet ei: dixit enim, Filius Dei sum: Illudebant autem etiam ei milites, accedentes, & acetum ei offerentes: dicentésque, Si tu es Rex ille Judæorum, serva temetipsum. Idipsum autem etiam latrones qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei. Et uno eorum in convitiis*

JOH. LUC. MAR. MAT

tiis perseverante; alter conversus in-
terim, objurgans eum; dixit Jesu,
Domine memento mei quum veneris
in regnum tuum. Cui Jesus, Hodie
mecum eris in paradiso. Stabant
autem juxta crucem Jesu, mater ejus,
& soror matris ejus, Maria Cleopæ
uxor, & Maria Magdalene. Quum vi-
disset ergo Jesus Matrem, ac discipu-
lum adstantem quem diligebat, dicit
matri suæ, Ecce filius tuus, & disci-
pulo, Ecce mater tua. *Quum autem
advenisset hora sexta, tenebræ factæ sunt
super totam terram, seu regionem, usque
ad horam nonam. Circiter verò horam
nonam exclamavit Jesus voce magnâ,
Eli, Eli, seu Eloi, Eloi, Lamma sa-
bachthani? Quidam autem adstanti-
um dicebant, Ecce, Eliam vocat. Et
quum sciret Jesus omnia jam esse per-
acta, ut consummaretur scriptura,
dixit, Sitio. Vas igitur illic erat posi-
tum aceto plenum. Illi verò imple-
verunt spongiam aceto, & hysopo
seu arundine circumdatam, admove-
runt ori ejus; dicentes etiam, cum
reliquis, Sinite, videamus an veniat
Elias ad servandum & detrahendum
eum. Jesus autem quum accepisset
acetum, dixit, Consummatum est.
Et quum rursus clamasset voce ma-
gnâ, ait, Pater in manus tuas depono
spiritum meum; & inclinato capite,
emisit spiritum. Centurio autem vi-
dens eum ita emissio clamore expi-
râsse glorificavit Deum, dicens, Verè
hic homo justus erat, verè homo
iste Filius erat Dei.*

Et ecce velum Templi fissum est
in duas partes à summo usque ad
imum, & terra mota est; & Petræ
fissæ sunt. Et monumenta aperta
sunt: & multa corpora sanctorum
qui dormierant, surrexerunt. Qui
egressi è monumentis post resurrecti-
onem ejus, introierunt in sanctam
urbem, & apparuerunt multis. Cen-
turio

H h h h 3

44, 45,
46.

38, -42

51, -56

turio etiam qui stabat ex aduerso, & qui cum eo seruebant Jesum, viso terræ motu, & iis quæ facta fuerant, timuerunt vehementer, dicentes, verè Filius Dei erat iste. Et omnis turba quæ simul ad hoc spectaculum accesserat, spectans quæ facta fuerant, cædens pectora sua, reuertebatur. Stabant autem omnes noti ejus procul, & mulieres è longinquo, quæ erant eum unâ sequutæ à Galilæâ, videntes ista; inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi parvi & Jose mater, & Salome: Quæ etiam quum esset in Galilæa, sequutæ fuerant eum; & ministraverant ei; aliæque multæ quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam. Judæi ergo ut non manerent in cruce corpora Sabbatho, quoniam erat Parasceve (erat enim magnus dies illius Sabbathi) rogaverunt Pilatum, ut confringerentur eorum crura, ac tollerentur. Venerunt ergo milites & confrugerunt crura duorum latronum: At non Jesu, utpote jam mortui. Sed quidam ex militibus lanceâ latus ejus fodit, & statim exiit sanguis & aqua. Facta autem hæc sunt ut Scripturæ implerentur. *Quum autem serum diei jam esset, quoniam erat Parasceve, hoc est ante-sabbatum, veniens Josephus Arimathæensis, homo dives, honoratus Senator, qui & ipse expectabat regnum Dei, vir bonus, & justus, qui non assensus fuerat consilio, ac facto eorum, ut qui esset discipulus Jesu, sed occultus, propter metum Judæorum, fidenti animo introiit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Pilatus autem miratus est si jam mortuus esset: & advocato Centurione interrogavit eum. Et re cognitâ, donavit corpus Josepho. Venit autem & Nicodemus, is qui venerat ad Jesum nocte primùm, ferens misturam myrrhæ, & aloes libras quasi centum.*

Acce-

JOH.

LUC.

MAR.

MAT.

47, 48,
49.

31, -37

38, -42.

50, -56

42, -47

57, -61

Acceperunt ergo corpus Jesu, & de-
tractum obvinxerunt illud linteis
cum aromatibus, sicut mos est Ju-
dæis funerare. Et involutum sindone
purâ, posuit Josephus in monumento
suo novo quod exciderat in petrâ, in
quo nondum quisquam positus fue-
rat : quodque erat in horto, in eo
loco ubi crucifixus fuerat Jesus. Ibi
ergo, propter Parasceven Judæorum,
quod monumentum illud prope es-
set, posuerunt Jesum. Et advolvit
Josephus saxum magnum valde ad
ostium monumenti. Maria Magda-
lene verò, & Maria mater Jose spe-
ctabant ubi poneretur, & sedebant
contra sepulchrum. Subsequentæ eti-
am mulieres quæ cum eo venerant ex
Galilæâ, spectârunt monumentum.
Reversæ verò paraverunt aromata
& unguenta : ac sabbatho quidem
quieverunt, secundum præceptum.

*Postero autem die [Aprilis 4.] pri-
maris Sacerdotes, & Pharisæi rogâ-
runt Pilatum ut juberet sepulchrum
muniri usque in diem tertium; rati-
onem ei attexentes. Quo concesso :
Ipsi profecti munierunt sepulchrum,
obsignato lapide, cum custodia.*

*Extremo autem Sabbatho, seu exacto
intercedente Sabbatho, [Aprilis die 5.]
quum luceſceret in primum diem hebdo-
madis, valde mane, profundo diluculo
quum adhuc tenebra essent, Maria Mag-
dalene, & Johanna, & Maria Jacobi
mater, & Salome, aromata ferentes
quæ emerant, & euntes ut spectarent
monumentum, & ungerent Jesum;
dicebant inter se, Quis avolvit nobis
saxum ab ostio monumenti? Et ex-
orto sole venientes ad monumentum,
conspiciunt saxum esse avolutum.
Nam ecce terræ motus factus est ma-
gnus. Angelus enim Domini, quum
descendisset è cœlo, accessit & avol-
vit saxum ab ostio; sedebatque su-
per illud. Et ingressæ non invenerunt*

cor-

JOH. LUC. MAR. MAT.

62, -66

| | | | |
|-----------|------------------|-----------------|-------------------|
| XX. I. | XXIV. I, -12. | XVI. I, -11. | XXVIII. I, -8. |
|-----------|------------------|-----------------|-------------------|

corpus Domini Jesu. Et factum est ut dum in ea re hæsitarent, tum ecce duo viri supervenerunt eis, induti vestibus fulgurantibus, & utriusque visus erat ut fulgur, & vestimentum album sicut nix. [Matthæus, & Marcus, unius tantum meminerunt.] Custodes autem percussi sunt præ timore, & facti sunt sicut mortui. Quum autem expavescerent mulieres inclinarent faciem in terram, dixerunt eis. Vos verò ne timete, scio enim vos Jesum crucifixum quærere. Sed quid inter mortuos quæritis eum qui vivit? Non est hîc. Resurrexit enim, prout dixit, Adeste, videte locum ubi jacebat Dominus: & mementote ut loquutus sit vobis quum adhuc in Galilæâ esset, dicens, Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertio resurgere. Et citò profectæ, dicite discipulis ejus, & Petro, cum resurrexisset à mortuis. Et ecce, præit vobis in Galilæam; illic eum videbitis. Ecce, dixi vobis. Tunc mulieres recordatæ sunt verborum Jesu: *Et egressa citò à monumento, cum timore, stupore & gaudio magno, currebant ut renunciarent discipulis ejus; neque cuiquam quicquam dicebant [in viâ:] timebant enim. Et renunciârunt illis undecim, & reliquis omnibus; sed visa sunt apud eos quasi deliramenta verba ipsarum; neque crediderunt eis. Petro verò & alteri discipulo quem amabat Jesus, dicente Mariâ Magdalene, Sustulerunt Dominum è monumento, & nescimus ubi posuerint eum; Exivit ergo Petrus, & alter ille discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul: sed alter ille discipulus præcurrit citius Petro, venitque prior ad monumentum. Et quum se incuruasset, cernit posita lintea: non tamen introivit. Venit ergo Petrus*

JOH.

LUC.

MAR.

MAT.

8.

27-18.

JOHAN. LUC. MARC. MATT.

trus sequens eum; & introivit in monumentum, & conspexit lintea posita; & sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteis positum, sed seorsum involutum in unum locum. Tunc verò introivit etiam alter ille discipulus, viditque, & credit, & Petrus abiit apud semetipsum mirans factum. Nondum enim noverant Scripturam, quòd oporteret eum ex mortuis resurgere. Redierunt ergo illi discipuli ad suos. Maria verò [Magdalene, quæ jam redierat] flens stabat ad monumentum foris. Dum ergo fleret, incurvavit se in monumentum, & conspexit duos Angelos albatos, sedentes, unum ad caput, & alterum ad pedes ubi jacuerat corpus Jesu. Qui etiam dixerunt ei, Mulier, quid fles? Dicit eis, Sustulerunt Dominum meum, nec scio ubi posuerint eum. Et quum hæc dixisset, convertit se retrorsum, conspexitque Jesum stantem, nec sciebat Jesum esse. Dicenti, Quid fles? quem quæris? illa putans hortulanum esse, respondens ait, Si tu ipsum asportasti, dic mihi ubi posueris, & ego tollam eum. Dicenti Jesu, Maria; Respondit, Rabboni. Dicit ei Jesus, Ne me tangito. Nondum enim ascendi ad Patrem meum; sed proficiscere ad fratres meos, & dic eis, Ascendo &c. Venit ergo annuncians discipulis, iis qui cum ipso fuerant, lugentibus ac flentibus; quòd vidisset Dominum, & quòd ea sibi dixisset. Illi verò quum audissent eum vivere, & conspectum fuisse ab eâ, non crediderunt. Ut autem proficiscebantur mulieres [absente forsan Mariâ Magdalene] à monumento, ut renunciarent discipulis, ecce Jesus occurrit eis, dicens, Ave. Illæ verò accesserunt, & prehenderunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Tunc ait eis Jesus, Ne timete:

9, 10.

Iiii abi-

| | JOH. | LUC. | MAR. | MAT. |
|---|---------|---------|---------|---------|
| abite, renunciate fratribus meis, ut abeant in Galilæam, illic me videbunt. | | | | |
| <p>Enntibus autem ipsis; ecce, quidam ex custodia venerunt in urbem, & renunciarunt primariis Sacerdotibus omnia quæ facta fuerant. Ipsi verò congregati cum Senioribus, consilióque capto, nummos multos dederunt militibus, ut dicerent, Discipuli ejus nocte venerunt, & cum furati sunt nobis dormientibus. Quòd si hoc auditum fuerit apud Præsidentem, nos, inquit, persuadebimus ei, & securos vos præstabimus. Ipsi verò acceptâ pecuniâ fecerunt sicut erant edocti: Et divulgatus est ille sermo apud Judæos usque ad hodiernum diem.</p> <p><i>Et ecce duo ex eis ibant eo ipso die rus in Vicum distantem stadiis sexaginta ab Hierusalem, cui nomen est Emmaus. Quibuscum in viâ Jesus unâ iter faciens, & narrantibus ipsis quæ facta sunt his diebus, de Jesu Nazaræo, crucifixo, & resuscitato, ex scripturis ostendit oportuisse pati Christum, & introire in gloriam suam; in vico autem ipso, quum sumpto pane benedixit, & fractum eis dedit, ab eis tandem, licet aliâ formâ apparens adapertis eorum oculis, agnitus est. Sed ipse ablatuſ est ex eorum conspectu. Ipsi autem surgentes, eo ipso momento, reversi sunt Hierosolymam, ad undecim, & eos qui cum ipsis erant: qui dicebant duobus hisce, Suscitat us est Dominus verè, & conspectus est Simoni. Tum ipsi exposuerunt eis, quæ gesta erant in viâ, & ut fuerat à se agnitus in fractione panis. Qui tamen ne illis quidem crediderunt. Hæc autem ipsis loquentibus, quum jam Vespera esset, die illo primo hebdomadis, & fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, stetitque</i></p> | | | | 11,--15 |
| | | 13,--35 | 12, 13. | |
| | 19,--23 | 36,--49 | 14,--18 | |

JOH. LUC. MAR. MAT.

ritque in medio ipsorum; & dixit eis, Pax vobis. Consternati verò & expavescati, putabant se Spiritum conspicerere. Ille vero exprobravit incredulitatem eorum; & cordis duritiam; eò quòd eis qui ipsum conspexerant suscitatum non credidissent. Et dixit eis, Quid turbati estis? Videte manus meas, & pedes meos: Spiritus carnem & ossa non habet: ostenditque eis manus, ac pedes, & latus. Adhuc autem ipsis non credentibus præ gaudio, & mirantibus, dixit eis, Habetis hîc esculentum aliquid? Editque partem piscis assi, & aliquid ex favo apiario. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixitque eis, Hi sunt sermones quos loquutus sum vobis quum adhuc essem vobiscum, Oportere impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis, de me. Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis, Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & resurgere ex mortuis tertio die: Et prædicari ejus nomine Remissionem peccatorum apud omnes Gentes. Vos autem estis horum testes. Et ecce emitam promissum Patris mei in vos: vos autem residete Hierosolymis usquequo induanini virtute ex alto. Dicit autem eis iterum, Pax vobis, sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Profecti in mundum universum, prædicare Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, servabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc consequentur; Per nomen meum dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; Serpentes tollent; Et si quid læthale biberint, nequaquam nocerit eis; ægrotis manus imponent, & bene habebunt. Et quum hæc dixit-

set, afflavit eos: & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum. Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt, [et sic quinquies ipso primo Resurrectionis die apparuit Jesus.]

Thomas autem, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venerat Jesus. Dicentibus ei reliquis, Vidimus Dominum; incredulitatem tamen suam fidenter profitetur. *Octo vero post diebus* [Aprilis die 12^o.] *Thomâ* cum cæteris congregato, venit Jesus, foribus clausis, stetitque in medio, dicens, Pax vobis: Thomæque incredulitati abundè satisfacit.

Undecimi autem illi discipuli profecti sunt in Galilæam, in montem ubi constituerat eis Jesus. Et quum vidissent eum, adoraverunt eum: quidam autem dubitaverunt. Et quum accessisset ad eos Jesus, dixit, Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Profecti ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos &c. Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. [Jesus præterea quingentis fratribus & ampliùs semel & simul apparuit: deinde Jacobo. [I Corinth XV. 6, 7.]

Postea sese conspiciendum præbuit rursus Jesus discipulis apud mare Tiberiadis; aut septem saltem eorum, dum piscarentur. Illos nihil nocte capientes, manè Jesus ignotus, ad litus stans, jubet ut rete conjiciant in dextram navigii partem. Capientibus autem pisces magnos 13, dicit Jesus. Venite, prandete. Nullus autem discipulorum audebat eum interrogare, Tu quis es? quum scirent Dominum esse. Quum prandissent, ter monet Petrum officii Pastoralis, prout amat Jesum. Mortis genus eidem prænunciat. Et quæstioni ejus de Johanne, responsonem dat, à fratribus

JOH. LUC. MAR. MAT.

24,—29

16,—20

XXI.

1,—24

bus non rectè perceptam.

Denique Hierosolymis Iesus appa-
rens discipulis eduxit eos foras Betha-
niam usque : et sublatis manibus suis,
benedixit eis. Et factum est, ut dum
ipse benediceret eis, disjunctus ab eis
sursum ferretur in coelum.

| JOH. | LUC. | MAR. | MAT. |
|------|---------|------|------|
| | 50, 51. | 19. | |

Hucusque Evangelica protenditur Historia ; res Christi & præcur-
soris ejus Johannis Baptistæ explicans : quorum à Fl. Josepho Judæ-
orum historico, in 18^o Antiquitatum libro, brevis, sed honorifica fa-
cta habetur mentio. Baptistæ quidem, in 7^o capitulo, hæc. *Johan-
nem, qui Baptista cognominatus est, Herodes tetrarcha necavit, virum opti-
mum, Judæos excitantem ad virtutum studia, & imprimis pietatis ac justi-
tiae, simulque ad baptismi lavacrum : quod ita dicunt Deo gratum aie-
bat fore, si non ab uno tantum alterove peccato abstineant, sed animis per
justitiam prius mundatis, addant & puritatem corporis. Cùmque magni
concursum ad eum fierent, plebe talis doctrina avida, Herodes veritus ne
tanta hominis auctoritas defectum aliquam pararet, quòd viderentur ni-
hil non facturi ex ejus consilio ; judicavit satius esse prius quàm novis ali-
quid exoriretur, illum tollere, quàm rebus turbatis seram penitentiam
agere. Itaque vincitum missum in Macharuntem, illic occidi imperavit.
De Christo Domino, in 4^o capite, ista. Eodem tempore fuit Iesus vir sa-
piens, si tamen virum eum oportet dicere. Erat enim mirabilium patrator
operum, & doctor eorum qui libenter vera suscipiunt. Plurimos quoque tam
de Judæis, quàm de gentibus sui habuit sectatores : & credebatur esse Chri-
stus. Cùmque invidiâ nostrorum principum cruci eum Pilatus addidisset ;
nihilominus qui eum primùm dilexerant, perseveraverunt. Apparuit enim
eis teritiâ die vivens ; multa & hæc & alia mirabilia, carminibus prophe-
tarum de eo vaticinantibus : & usque hodie Christianorum gens ab hoc sor-
tita vocabulum non defecit. Ita in libro de Scriptorib. Ecclesiasticis lo-
cum hunc transtulit B. Hieronymus : cujus illa lectio, *Credebatur esse
Christus ; alteri illi videtur præferenda, quæ apud Eusebium [lib. 1. Hi-
stor. Ecclesiast. cap. 1.] & Rufinum, & in nostris codicibus habetur,
o Xp̄stos eēt̄ lō, Christus hic erat. quàm ad nostram religionem nihilo
propius Josephum accessisse constet, quàm regem Agrippam, cui ille
erat addictissimus : cujus illa ad Paulum extat professio, Act. XXVI.
28. Propemodum persuades mihi ut fiam Christianus.**

Christum, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum sup-
plicio affectum fuisse, refert etiam Cornelius Tacitus. [Annal. lib. 15.
cap. 44.] De tenebris quoque tunc obortis, ipsos Gentium annales tes-
tes advocat Lucianus martyr, apud Rufinum : [in Histor. Ecclesiast.
Euseb. lib. 9. cap. 6.] *Requirite in annalibus vestris, invenietis tempo-
ribus Pilati, Christo patiente, fugato Sole interruptum tenebris diem. et ante
eum Tertullianus, in Apologetico ad Gentes. [cap. 21.] Eodem mo-
mento dies, medium orbem signante Sole, subducta est. Deliquium nique
putaverunt, qui id quoque super Christo predicatum non fecerunt. Et tamen*

cum mundi casum relatam in archivis vestris habetis. Et sanè Solis deliqui-
um hoc appellavit in 3^o Historiarum suarum Thallus, & in 13^o Chro-
nicorum libro Phlegon Trallianus: ille à Julio Africano in 3^o Chro-
nographiæ suæ hic ab ejus æquali Origene, in libro 2^o contra Celsum,
[pag. 83. & 99. edit. Græc.] & tractata 35. in Matthæum, citatus.
Phlegontis verba, ad annum Tiberii XIX. (ut notat Eustathius Anti-
ochenus in Hexaëmeron) et Olympiadis CCII. quartum (eundem
ipsum videlicet annum, in quo jam sumus) sunt hujusmodi.

Ἐγένετο ἐκλειψις ἡλίου μεγίστη πρὸς ἐγνωρισμένων χρόνων, καὶ νύξ ὡρα
ἕκτη τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστραὶ ἐν ἕραν φανέσθαι. σισυρός τε μέγας καὶ
Βιθυνίαν ἡρώδης πάλιν πολλὰ Νικαίας καταπέτατο. quæ ab Hieronymo,
in Chronico Eusebiano, ita habentur reddita. *Magna & excellens inter
omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta: dies hora sexta ita
in tenebrosam noctem versus, ut stella in celo visa sint; terraque motus
in Bithyniâ Nicæa urbis multas ades subverterit.*

Ab historiâ Evangelii, dicta & facta Christi complectente, ad acta
Apostolorum, hanc euangelista Lucas transitionem facit. *Primum
quidem librum confeci, Theophilè, de omnibus quæ cepit Jesus & facere &
docere, usque ad diem [Maii nostri 14.] quo, quum mandata dedisset Aposto-
lis, quos per Spiritum sanctum elegerat, suscipere recepit. Quibus etiam sese,
postquam passus fuit, exhibuit vivum cum multis certissimis signis per dies
quadraginta conspectus ab eis, & dicens quæ ad regnum Dei spectant.*
[Act. I. 1, 2, 3.]

Congregatis illis denunciavit Dominus ne abscederent Hierosoly-
mis, sed ut expectarent promissionem Patris, *quam, inquit, audistis ex
me, nam Johannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu
sancto istis non multum post diebus.* [Act. I. 4. 5. & XI. 16.]

Interrogantibus Dominum apostolis, num hoc tempore restitutus
esset regnum Israël, respondit ille, non esse eorum nosse tempora,
quæ Pater in suâ ipsius potestate posuit: sed recepturos esse illos Spi-
ritum sanctum, & testes ipsi futuros non Hierosolymis tantum & in
totâ Judæâ & Samariâ, sed etiam ad ultimas terras. Et quum hæc
dixisset, aspicientibus ipsis elevatus est: & nubes susceptum eum
abstulit ab oculis eorum. Qui & ita (ad iudicium) illum venturum,
quemadmodum ab eis conspectus est proficiscens in coelum, à duo-
bus Angelis, in albo vestitu illis subito apparentibus, edocti sunt. [Act.
I. 6, — 11.]

Ipsi autem, adorato eo, cum gaudio magno reversi sunt Hierosoly-
mam: [Luc. XXIV. 52.] à monte Oliveti, inde distante itinere Sab-
bathi, Act. I. 12. pro quo, Syrus paraphrastes *septem stadia* reposuit;
ut etiam ex Josepho Theophylactus hic numerat. apud quem tamen,
in nostris libris legimus, montem Oliveti ab urbe abuisse stadiis vel
quinque (ut in lib. 20. Antiquit. cap. 6.) vel *sex*. [ut in lib. 5. Belli,
cap. 7. ut Græci, sive lib. 6. cap. 3. ut Latini distinguunt codices.]

Hierosolymis in cœnaculo commorabantur undecim Apostoli, &
perdurabant concorditer in oratione cum mulieribus & Mariâ matre
Jesu, & cum ipsius fratribus. [Act. I. 13, 14.]

Per eos dies assurgens Petrus in medio discipulorum (erat autem
turba

turba capitum simul quasi centum viginti) de uno subrogando retulit in locum Judæ proditoris, qui ex desperatione sese præcipitem dederat, mediûsque creperat. Et præmissâ oratione, jactæ sortes sunt in Josephum vocatum Barsabam & Matthiam: cûmque sors super Matthiam cecidisset, in Apostolorum numerum allectus est. [Act. I. 15.—26.]

Die Pentecostes (qui in Maii 24. diem incidit) quum essent omnes (120 illi) concorditer eodem loci; extitit repente sonitus è cœlo tanquam ruentis flatus violenti, qui replevit totam domum ubi erant confidentes. Et visæ sunt eis dispersitæ linguæ instar ignis, qui etiam sedit super unumquemque eorum. Repletique sunt omnes Spiritu sancto; & cœperunt loqui aliis linguis, prout Spiritus dabat eis effari. Erant autem Hierosolymis habitantes Judæi viri religiosi, ex omni natione quæ sub cœlo est: qui audientes eos suis linguis loquentes magnifica Dei, obstupuerunt. Aliis verò miraculum hoc profanè irridentibus, Petrus gravissimâ concione habitâ, de ebrietate calumniam refellit, quòd esset hora diei tertia: deinde ex Lege & Prophetis de Christo disserens, & resurrexisse comprobans, tria auditorum millia virtute accepti Spiritus ad agnitionem veritatis convertit, & in nomine Jesu Christi ad remissionem peccatorum baptizari jussit. [Act. II. 1,—41.]

Perdurabant autem in doctrinâ Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus. Obortus verò est omnibus timor: multaque miracula & signa per Apostolos fiebant. Omnes autem qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia; & possessiones ac facultates vendebant, & dispersiebant ea omnibus, prout cuique opus erat. Et quotidie perdurantes concorditer in templo, et frangentes domatim panem, capiebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis: laudantes Deum, et habentes gratiam apud totum populum. Dominus autem addebatur quotidie Ecclesiæ qui salvi fierent. [Ibid. 42,—47.]

Petrus et Johannes simul ascendentes in templum sub horam orationis, nempe nonam, ad templi portam dictam speciosam hominem, qui à nativitate suâ per annos plures quàm 40. claudus fuerat, in nomine Christi sanaverunt. Unde concursu populi ad porticum Salomonis factò, Petrus illis salutis mysterium per Christum exposuit: ingratitude eorum accusans, et poenitentiam ab illis requirens. Cui auscultantes multi crediderunt: et factus est numerus virorum quasi quinquies mille. Supervenientes verò Sacerdotes et Præfectus templi, et Sadducæi, Petrum et Johannem posuerunt in custodia in posterum diem: quòd esset jam vespera. Postridie coacto Synedrio (cui Annas Pontifex præses, et Caiaphas, et Johannes et Alexander, et quotquot erant ex genere Pontificio, interfuerunt) de patrato miraculo in quæstionem vocati Apostoli, Christi causam egerunt intrepidè: et ne in nomine Jesu post hæc loquerentur prohibiti, Deo quàm hominibus obtemperare justius esse responderunt. Additis deinde minis dimissi, atque domum reversi, unâ cum totâ Ecclesiâ fervido animi affectu pro Evangelii propagatione preces ad Deum fuderunt: quas ille,

ille, factō terræmotu, et Spiritu suo in corda ipsorum misso, comprobavit. [Act. III. & IV.]

Multitudinis autem credentium erat cor & anima una: & erant eis omnia communia. Neque ullus inter eos egenus erat: quotquot enim erant possessores agrorum aut domorum, vendentes deponebant pretium ad pedes Apostolorum, in pauperum usum erogandum. Quâ in re exemplo aliis prævit Josephus Levita, genere Cyprius; qui ab Apostolis *Barnabas*, id est, filius consolationis, cognominatus est. [Act. IV. 32, — 37.]

Ananias & uxor ejus Sapphira, impiâ fraude partem pretii agri à se dividendi mutuo consensu intervertentes, à Petro fraudem illam detegente, & per Spiritum sanctum cui mentiebantur ulciscente, solo ejus verbo & increpatione exanimati sunt. Et obortus est timor magnus toti Ecclesiæ, & omnibus qui hæc audiebant. [Act. V. 1, — 11.]

Per manus Apostolorum edebantur miracula multa in populo: & erant concorditer omnes in porticu Salomonis. Reliquorum autem nemo audebat ipsis adhærere: sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo: efferebantque in plateas ægrotos, ut venientis Petri vel umbra inumbraret aliquem eorum. Conveniebat etiam vulgus vicinarum urbium Hierosolymam, adferentes ægrotos ac vexatos à spiritibus impuris: qui sanabantur omnes. [Ibid. 12, — 16.]

Summus Sacerdos & qui cum eo erant Sadducæi, invidiâ moti, Apostolos conjecerunt in carcerem: unde ab Angelo sequente nocte liberati, jussi sunt audacter & intrepidè populum in Templo docere. Inde ad Synedrium adducti, consilio Gamalielis Pharisei, Legis doctoris, summo in pretio à populo habiti, è morte exempti, postquam flagris fuissent cæsi, dimissi sunt. Illi verò à Synedrio profecti sunt gaudentes, quòd digni habiti essent qui pro nomine Jesu contumeliâ afficerentur: & in Templo quotidie prædicare non cessârunt. [Ibid. 17, — 42.]

4037

Crescente Hierosolymis fidelium numero, & crescentibus etiam opibus, ideòque & negotiis Ecclesiæ; exortum est, ut ferè fit in frequenti turbâ, Hellenistarum adversus Hebræos murmur, quòd eorum viduæ negligerentur in quotidianâ opum ecclesiasticarum dispensatione. Cùmque Apostoli distribuendis ditiorum in tenuiores elemosynis, administrandæque quæ ex opulentiorum distractis possessionibus congregabatur in unum pecuniæ, non possent sufficere; ex eorum consilio, communibus Ecclesiæ suffragiis œconomi bonorum ecclesiasticorum septem sunt electi, qui ministerio illi vacarent; Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaus Antiochenus profelyta. (ex quorum Græcis nominibus apparet, Hellenistarum in hæc electione rationem præcipuam esse habetam.) Et verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum Hierosolymis: multique ex familiâ Sacerdotum auscultabant fidei. [Act. VI. 1, — 7.]

Stephanus prodigia & signa magna edebat in populo: fortiterque Christi

Christi causam defendebat adversus contradicentes Judæos ex Synagogâ Libertinorum, (à dominis manumissorum) Cyrenæorum, Alexandrinorum, Cilicum quoque atque Asianorum. Qui cum inter disputandum non possent illi resistere sapientiæ & Spiritui per quem loquebatur; conversi ad calumnias correptum eum in Synedrium ad-duxerunt; subornatis falsis testibus, qui blasphema verba adversus Templum & Legem ab eo prolata fuisse confirmarent. [*Ibid.* 8.—15.]

Stephanus, longâ oratione coram summo Sacerdote (Annâ) & Concilio habitâ, ostendit, & ante Templum à Salomone conditum & ante ipsum Mosem natum ab Abrahamo & ejus posteris rectum Dei cultum fuisse observatum; à Mose testimonium Christo fuisse perhibi-tum, & externas ceremonias Patribus ab illo commendatas ad tem-pus tantum fuisse duraturas: acriterque Judæos reprehendit, quod Spiritui sancto semper restiterint, & nefariè Christum occiderint; quem venturum in mundum Prophetæ prædixerunt. Unde furore illi ac-censi, virum sanctum extra urbem raptum & pro ipsis orantem lapidi-bus obruerunt. [*Act.* VII.]

Testes autem, (juxta Legem Deuteron. XVII. 7. primos in eum la-pides jacturi) pallia sua ad pedes juvenis cujusdam Sauli deposuerunt: qui toto animo cædi martyris consentiens, ea custodiebat. [*Act.* VII. 58. VIII. 1. XXII. 20.] Hic, Hebræus ex Hebræis natus, ex Benja-minis tribu ortus, Tarsi in Ciliciâ (quam urbem rerum philosophica-rum & liberalium disciplinarum studio tum celebrem fuisse confirmat Strabo, lib. 14. pag. 673.) in lucem editus, sectâ Phariseus & Phari-sæi filius, Hierosolymis hoc tempore (in Cilicum synagogâ) rerum di-vinarum studio dans operam, Gamalielis Doctoris inter Phariseos celeberrimi scholam frequentabat; Legis Mosaicæ simul & traditio-num *παρρησιασθε τὸν λόγον* tenacissimus. [*Act.* XXI. 39. XXII. 3. XXIII. 6, 34. XXVI. 4, 5. II *Corinth.* XI. 22. *Galat.* I. 14. *Philip.* III. 5, 6.]

Stephani funus unâ curabant viri religiosi, & planctum magnum ediderunt super eum. [*Act.* VIII. 2.]

Romæ mortuus est Ælius Lamia, Syriæ aliquando præses imagi-narius: (nunquam enim eò venit:) in provinciâ verò, Syriæ verus præses, Flaccus Pomponius est defunctus. [*Tacit. Annal.* 6. cap. 27. cum *Sætonio, in Tiberio, cap. 42.*]

Herodes Agrippa ex Cypro filiam Mariammen suscepit, ante mor-tem suam decennio. [*Joseph. lib.* 18. cap. 7. & lib. 19. cap. ult.]

Cædem Stephani gravissima adversus Ecclesiam universam quæ erat Hierosolymis persecutio statim est insæcra. [*Act.* VIII. 1. & XI. 19.] In quâ supra modum sæviens Saulus, vastabat Ecclesiam Dei. A primariis enim Sacerdotibus autoritate acceptâ, non solum quum ab eis interimerentur sancti, tulit contra eos suffragium; sed etiam ipse, irrumpens in singulas domos, atque inde trahens tum viros tum mul-eres, vinciebat eos & carceribus includebat, ac per omnes synagogas frequenter cædebat: atque ita metu aliquos Christum abnegando blasphemare coëgit, alios in fide constantes ad mortem persecutus est. [*Act.* VIII. 3. IX. 13, 21. XXII. 4, 5, 19. XXVI. 9, 10, 11. *Galat.* I. 13, 23. *Philip.* III. 6. I *Tim.* I. 13.]

4747 34

Disjecit hæc persecutio ecclesiam in regiones varias; sed multo cum fructu regni Christi. Solis enim Apostolis Hierosolymæ relictis, ex reliquis, quorum aliquot fuerunt millia; (*Act.* II. 41. & IV. 4.) alii per regiones Judææ & Samariæ dispersi, Euangelium ubique prædicârunt. [*Act.* VIII. 1, 4.] Alii Damascum sunt profecti. [*Act.* IX. 19, 25.] inter quos erat Ananias; vir secundum legem religiosus, & testimonium habens ab omnibus ibi habitantibus Judæis. [*Act.* XXI. 12.] Alii ipsam quoque fortasse Romam, atque inter eos Andronicus & Junias, qui insignes fuerunt inter Apostolos; ipsius Sauli persecutoris cognati, & ante ipsum fidem Christi amplexi. [*Rom.* XVI. 7.] Alii denique usque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam perambulaverunt; solis Judæis verbum Domini annunciantes. [*Act.* XI. 19.] illis nimirum qui erant inter Gentes dispersi. [*Jacob.* I. 1. I *Pet.* I. 1.]

Ex his qui Samariam adierunt, fuit Philippus euangelista, inter Septemviros post Stephanum protomartyrem ordine secundus. [*Act.* VIII. 5. *cum* XXI. 8.] Hic in urbem Samariæ deveniens, prædicabat ibi Christum: attendente ad ea quæ dicebat turbâ concorditer, quum videret signa ab eo edita. Spiritus enim impuri ex multis exibant cum clamore magno: multique paralytici & claudi sanati sunt. Et gaudium magnum in urbe exitit: credentisque baptizabantur tum viri, tum mulieres. Simon quoque, qui à multo tempore gentem Samariæ magicis suis artibus ita dementaverat, ut attendentes ad eum omnes, à minimo usque ad maximum, dicentes esse eum *potentiam Dei magnam*, obstupescens ad signa & virtutes magnas quas à Philippo edi conspexerat, credidit & baptizatus est. [*Act.* VIII. 5, — 13.]

Quum audissent Apostoli qui erant Hierosolymis Samariam recepisse sermonem Dei, miserunt ad eos Petrum & Johannem: quibus precantibus, & manus eis imponentibus, receperunt illi Spiritum sanctum. Quod conspiciens Simon Magus, obtulit eis pecunias, ut similem conferendi Spiritus sancti potestatem ipse consequeretur. Cujus insanam impietatem acerrimè Petrus increpans, ut ab istâ malitiâ resipisceret & veniam à Deo rogaret admonuit. Qui Apostolos, ut pro ipso apud Dominum deprecarentur, oravit. Illi verò, ministerio suo peracto, Hierosolymam repetentes, multis Samaritanorum pagis, iter faciendo, euangelium prædicârunt. [*Ibid.* 14, — 25.]

Post longum sæculorum ambitum, avis Phœnix in Ægyptum venit: præbuitque materiam doctissimis indigenarum & Græcorum multa super eo miraculo differendi. [*Tacit. Annal.* 6. cap. 28.] Post biennium verò avem hanc in Ægypto apparuisse, refert Dio. [*lib.* 58. pag. 638.]

Philippus tetrarcha, vir perpetuò modestus & amator quietis ac otii, anno imperii Tiberii 20 diem obiit; quum Trachonitidi, Gaultanitidi, ac Batanææ annis 37. præfuisset. Obiit Juliade, & illatus in monumentum quod jam antè sibi construxerat, magnificè ac sumptuosè funeratus est. Et quia sine liberis decesserat, ditionem ejus Tiberius provinciæ Syriæ attribuit; ita tamen, ut tributa in eâ tetrarchiâ collecta servarentur intra ipsius regionis terminos. [*Joseph. lib.* 18. cap. 6.]

Romæ,

Romæ, vicesimo hoc Tiberiani imperii anno L. Vitellius & Fabius Priscus Consules ludos decennales celebraverunt; tanquam ei, ut Augusto usurpatum, tunc imperium prorogarent. [*Dio, lib. 58. pag. 636.*]

Hoc anno, (ut vult Dio,) vel ante triennium (ut sub finem 5ⁱ Annalis hoc referens, Tacitus subindicat) juvenis quidam, Drusum Germanici filium se esse jactans, apud Cycladas insulas, mox in continente Græciæ & Ionæ visus est: quibusdam Cæsaris libertis, velut agnitum, per dolum comitantibus. Alliciebantur ignari, famâ nominis, & promptis Græcorum animis ad nova & mira: quippe lapsum custodiâ pergere ad paternos exercitus, Ægyptum aut Syriam invasurum, fingebant simul credebantque. His auditis, Poppæus Sabinus, qui Macedonia tum intentus, Achaiam quoque curabat, Nicopolim Romanam coloniam ingressus; ibi cognovit, solertiùs interrogatum juvenem quisnam foret, dixisse, M. Silano genitum: & multis sectatorum dilapsis ascendisse navem, tanquam Italiam peteret. Neque quicquam ultrâ de rei exitu se comperisse, dicit Tacitus. Addit verò Dio, impostorem ab urbibus ultrâ acceptum, & auxilio firmatum, in Syriam haud dubiè venturum fuisse, exercitûsque occupaturum; nisi quis eum agnitum detinisset, & ad Tiberium misisset. [*Tacit. Annal. 5. cap. 10. Dio, lib. 58. pag. 637.*]

4038

Philippus evangelista, ab Angelo monitus, Gazam versùs profectus, quæ est *deserta*, (de quo videnda, quæ ad finem anni Mundi 3672 sunt dicta) eunucho occurrit, qui Candaces Æthiopum (in Meroë) reginæ gazis præerat; & Hierosolymâ, quò adoraturus venerat, reversus in curru Esaiam Prophetam legebat. Ad quem Spiritus jussu accedens Philippus, in Christi fide instructum baptizavit. Stantimque è conspectu illius à Spiritu Domini abreptus, Azoti inventus est: & peragrata regione, omnibus urbibus evangelium prædicavit, usque dum veniret Cæsaream. [*Act. VIII. 26, — 40.*]

Saulus adhuc spirans minas ac cædem adversùs discipulos Domini, à summo Sacerdote (*Anna*; ut *Act. IV. 6.*) et Synedrion (cui tum ille præerat) epistolas ad synagogas Damasci perferendas obtinuit; ut si quos isthic Christianæ religionis cultores inveniret, sive viros sive mulieres, victos abduceret Hierosolymam, ut punirentur. Quum autem appropinquaret ille Damasco, tempore meridiano repente lux è cœlo, splendorem Solis superans, circumfudit illum suo fulgore & eos qui iter cum illo faciebant. Decidentibus deinde omnibus in terram, vocem ille audivit, Hebraicâ linguâ sibi dicentem: *Saul, Saul, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulos calcitrare.* Et quum ille dixisset; *Quis es Domine?* responsum illi est: *Ego sum Jesus Nazarennus, quem tu persequeris. Sed exsurge, & sta in pedes tuos; idcirco enim apparui tibi, ut designarem te ministrum, ac testem tuum eorum que videris. tum eorum in quibus apparebo tibi. Exiens te ex hoc populo, & gentibus, ad quos nunc te mitto: ut aperias oculos eorum, & convertas eos à tenebris ad lucem, & à potestate Satanae ad Deum; ut remissionem peccatorum ac sortem inter sanctificatos recipiant per fidem que est in me.* Cùmque Saulus tremens & pavens ulterius quæreret; *Domine, quid me vis facere?* dixit ad eum Dominus. *Surge, ac proficiscere Damascum: & illic tibi dicetur*

4748 35

de omnibus qua constitutum est tibi ut facias. Viri autem illi qui cum Saulo iter faciebant, ita attoniti steterunt ut vocem perderent: lucem quidem conspicientes, & sonum verborum audientes; sed neque Christum qui loquebatur videntes, neque quicquam eorum quæ dixerat intelligentes. [Act. IX. 1—7. XXII. 5,—14. XXVI. 12,—18.]

Surrexit Saulus è terrâ, & gloriâ conspectæ lucis occæcatus, manu ductus ab iis qui secum erat, venit Damascum. [Act. IX. 8. XXII. 11.] Fuitque tribus diebus, non videns, & non comedens neque bibens. Erat autem quidam discipulus Damasci, nominis Ananias: ad quem dixit per visionem Dominus. *Surge, & proficiscere in vicum qui vocatur Rectus, & quare in domo Juda Saulum Tarsensem; ecce enim precatur* (& vidit tum Saulus per visionem Ananiam introeuntem, & imponentem sibi manum ut visum reciperet.) Respondit autem Ananias: *Domine, audi vi ex multis de viro isto, quot malis affecerit sanctos tuos Hierosolymis. Quinetiam hoc loco potestatem habet à primoribus Sacerdotum vincendi omnes qui invocant nomen tuum.* Dixit autem ad eum Dominus. *Proficiscere: nam vas electum est mihi ille, ut portet nomen meum in conspectu Gentium, & regum & filiorum Israël. Ego enim ostendam ei quàm multa oporteat ipsum pro nomine meo pati.* Abitigitur Ananias, & introivit domum illam, & impositis ipsi manibus, dixit: *Saule frater, Dominus Jesus, qui visus est tibi in via quâ veniebas, misit me, ut visum recipias, & implearis Spiritu sancto.* Et statim deciderunt ab oculis ejus quasi squamæ; & visum recepit illico. [Act. IX. 9,—18.]

Et dixit Ananias. *Deus patrum nostrorum designavit te qui cognosceres ipsius voluntatem, & videres fustum illum, & audires vocem ex ore ipsius. Nam eris ei testis apud omnes homines eorum qua vidisti & audisti. Et nunc quid cunctaris? surgens baptizator, & ablutor à peccatis tuis, invocato nomine Domini.* [Act. XXII. 14, 15, 16.] Et surgens Saulus, baptizatus est: & quum cepisset cibum, corroboratus est. [Act. IX. 18, 19.]

Quid autem Damasci Saulo à Domino fuerit revelatum, ut faceret; in Actis Lucas non aperit. Sed ex iis quæ, in epistolâ ad Galatas, immediatè post conversionem se fecisse ipse narrat, apparet, inter alia mandatum illi à Deo fuisse; ut *non conferret cum carne & sanguine, neque rediret Hierosolymam: ad eos qui ante ipsum fuerunt Apostoli, sed in Arabiam, sive loca Damasco proxima, aliquantisper secederet. ubi Evangelii scientiam esset accepturus; non ab homine edoctus, sed ex revelatione Jesu Christi.* [Gal. I. 12, 16, 17,]

Tum Damascum inde denuò reversus Saulus, [Gal. I. 17.] cum discipulis qui ibi erant per aliquot dies fuit. Et statim in synagogis prædicavit, Christum Dei esse filium. Obstupescabant autem qui audiebant, & dicebant. *Nonne hic est qui perdidit Hierosolymis eos qui invocabant nomen istud; & huc idcirco venit ut vincetos eos adduceret ad primarios Sacerdotes?* Saulus verò magis invalescebat, & confundebat Judæos qui habitabant Damasci, docens Jesum esse Christum. [Act. IX. 19,—22.] Judæis enim Damascenis, omnium primis, prædicatum ab eo Evangelium est. [Act. XXVI. 20.]

Tiberium, de rebus Christi ex Palæstinâ à Pilato certiolem factum; de

de eo in Deorum numerum ad Senatum retulisse, eoque repugnante, ipsum *in sententiâ manentem periculum accusatoribus Christianorum esse comminatum*, refert Tertullianus in Apologetico [cap. 9. & 21.] eumque secuti, tum alii, tum Eusebius [*in Chronico, & Histor. Ecclesiastic. lib. 2. cap. 2.*] et, in epistolâ de excidio Britanniae, Gildas noster. Quo posito, primam illam Christianorum post cædem Stephani persecutionem in Judæâ ortam, partim Sauli, qui eam maximè promoverat, conversione, partim Tiberii metu, finem accepisse dicendum est.

L. Vitellius, qui superiore anno Romæ Consulatum gessit, à Tiberio Proconsul in Syriam missus, venit Hierosolymam in ipsâ festivitàte Paschali: ubi ab Hierosolymitis honorificentissimo hospitio receptus, quò gratiam eis referret, remisit civibus totum vectigal fructuum venalium; & stolam cum ornatu Pontificio permisit in Templo asservari à Sacerdotibus; quæ prius à Romano turris Antoniae præfecto custodiebatur. Atque ita gratificatus genti, & in locum Josephi Caiaphæ Pontificis subrogato Jonathâ Anani (sive Annæ) Pontificis filio, iter fecit versùs Antiochiam. [*Joseph. lib. 15. cap. ult. & lib. 18. cap. 6.*]

Artabanus Parthiæ rex, defuncto Armeniæ rege Artaxiâ, Arsacem liberorum suorum veterrimum, Armeniis imposuit. Idque quum à Tiberio impune tulisset, Cappadociam attentavit: missisque qui gazam à Vonone relictam in Syriâ Ciliciâque reposcerent, simul veteres Persarum ac Macedonum terminos; seque invasurum possessa Cyro, & post Alexandro, per vaniloquentiam & minas jaciebat. Quum verò populares quoque suos superbiùs & sæviùs tractaret; Sinnaces, insigni familiâ ac perinde opibus, & proximus huic Abdus eunuchus, adscitis & aliis Parthorum primoribus, quia neminem gentis Arsacidarum summæ rei imponere poterant, (interfectis ab Artabano plerisque, aut nondum adultis) secretis ad Tiberium nuntiis missis, Phraatem regis Phraatis III. filium, qui Romæ inter obsides detinebatur, regem sibi poposcerunt. [*Tacit. Annal. 6. cap. 31. Dio, lib. 58. pag. 37.*]

Tiberius ornatum Phraatem ad paternum misit imperium: destinata retinens, consiliis & astu res externas moliri, arma procul habere. Interea cognitis insidiis, Artabanus Abdum specie amicitiae vocatum ad epulas veneno illigavit; Sinnacem dissimulatione ac donis, simul per negotia, moratus est. Et Phraates apud Syriam, dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat, instituta Parthorum resumit, patrius moribus impar morbo absumptus est. [*Tacit. ibid. cap. 32.*]

Phraate mortuo, Tiberius Tiridatem, sanguinis ejusdem, æmulum Artabano misit: cui ut expeditiùs regnum adire liceret, Mithridati Ibero scripsit, Armeniam invaderet; ut Artabanus, dum filio opitularetur, à suâ dititione discederet. Atque eum in finem Mithridatem conciliavit fratri Pharasmani, qui patri Mithridati in regno Iberiæ successerat: simulque & Pharasmanem ipsum & Alanorum regem magnis præmiis sollicitavit, ad inferendum bellum quamprimùm Artabano. Cunctis verò quæ apud Orientem parabantur L. Vitellium præfecit.

[*Id. ibid. cum Josepho, lib. 18. cap. 6. & Dione, lib. 58. pag. 637, 638.*]

Mithridates fratrem Pharasmanem conatus suos dolo & vi juvare perpulit. Artabani filius Arsaces, ministris multo auro ad scelus conductis, sublatuſ est: simulque Iberi magnis copiis Armeniam irruptentes, urbem Artaxatâ potiti sunt. Quæ postquam Artabano cognita, filium Orodem ultorem parat; Parthorum ei dans copias, mitensque qui auxilia mercede facerent. Contrâ, Pharasmanes, Albanos sibi adjunxit, & accessit Sarmatas; quorum Sceptruchi, utrimque donis acceptis, more gentis, ad diversas partes transierunt. Sed Iberi locorum potentes, patefactis portis Caspiis, Sarmatas in Armeniam effuderunt: & qui Parthis adventabant, facillè arcebuntur, unico incessu illis relicto, inter extremos Albanorum montes & Caspii maris littus, quem æstas tum impediēbat, flatibus Etesiarum vada implentibus. [*Tacit. Annal. 6. cap. 33. Joseph. ut supr.*]

Orodem sociorum inopem, auctus auxilio Pharasmanes ad pugnam compulit: in quâ cum eo concurrens, vulnus per galeam adegit, nec iterare potuit, prælatus equo, & fortissimis satellitum protegentibus faucium. Fama tamen occisi falsò credita, exterruit Parthos; victoriâque concessere. [*Tacit. ibid. cap. 34. & 35.*] Atque ita Armenia à Parthis denuò est amissa. [*Joseph. lib. 18. cap. 6.*] et Mithridati Ibero data. [*Dio, lib. 58. pag. 638.*]

4039

Mox tamen Artabanus totâ mole regni ultum iit. Peritiâ verò locorum ab Iberis meliùs pugnatum est. Neque idè ille abscedebat, ni contractis legionibus Vitellius, & subdito rumore tanquam Mesopotamiam inasurus, metum Romani belli fecisset. Tum omiſsa Armenia, versæque Artabani res: illicientem Vitellio, desererent regem sævum in pace, & adversis præliorum exitiosum. Hinc Sinnaces patrem Abdagesem aliòsque occultos consulit, & tunc continuis cladibus promptiores ad defectionem trahit: adfluentibus paulatim, qui metu magis quàm benevolentiam subjecti, repertis authoribus sustulerant animum. Vitellius etiam, pecuniâ corruptis aliquot amicis & cognatis regis, ipsum Artabanum conabatur occidere. Ille intellectâ fraude, nec inveniēns remedium, quòd ab optimatibus immineret periculum, habensque suspectos & eos qui in fide manebant; in satrapias superiores & contermina Scythiæ loca fugam maturavit, ab Hyrcanis Carmanisque, quibus per adfinitatem innexus erat, auxilium expectans. [*Tacit. ibid. cap. 36. Joseph. lib. 18. cap. 6.*]

Agrippa, Aristobuli filius, quum apud Ptolemaidem in extremâ egestate ageret, Marsyæ liberti sui operâ usus, à Proto matris suæ Bernices defunctæ quondam liberto, pecuniam foeneratus est. Is à Marsyâ syngrapham 20 millium drachmarum Atticarum extorsit, detractis sibi de eâ summâ 2500. eo faciliùs, quòd non poterat Agrippa aliter facere. Receptâ igitur pecuniâ profectus Anthedonem, & ibi navem nactus, parabat se itineri in Italiam. Id ubi comperit Herennius Capito procurator Jamniæ, misit eò milites exacturos argenti 300 millia, quorum debitor Cæsaris fisco Agrippa factus est dum Romæ ageret: atque ita imposita est illi manendi necessitas. Et tunc quidem facturum se iussa simulavit; sed quamprimum nox terris incubuit præ-

4749 36

præcis navis retinaculis navigavit Alexandriam. Ibi ab Alexandro Alabarchâ poposcit mutuò 200 argenti millia. Ille non ipsi se mutuaturum professus est, sed uxori ejus Cypro, conjugalem amorem in eâ demiratus & virtutes cæteras. Quum illa igitur fidejussisset, mox Alexander quinque talentis repræsentatis Alexandriæ, reliquam summam exhibiturum se promisit Puteolis; profusionem Agrippæ veritus. [*Joseph. lib. 18. cap. 7. & 8.*]

Hujus adventus Agrippæ ad urbem Alexandrinam, in libro adversus Flaccum (Ægypti hoc tempore præsidem) meminit Philo Judæus: quem Alexandri hujus Alabarchæ fratrem Josephus, [*lib. 18. cap. 10.*] et de genere Sacerdosum fuisse, in Ecclesiasticorum scriptorum Catalogo refert Hieronymus. Unde & Alexandrum hunc haud alium fuisse putavit Baronius (*ad ann. Christi 34. num. 265.*) ab Alexandro illo, qui in Act. IV. 6. de genere Sacerdotali fuisse memoratur. Fuit verò hic Alexander Lysimachus, qui Alabarchiæ magistratum (de quo in Satyrâ 1. Juvenalis) gessit Alexandriæ, quondam Antoniaë matris Claudii Imp. procurator, & Tiberii Alexandri Judææ præsidis pater; omnium Judæorum Alexandrinorum ditissimus. [*Joseph. lib. 19. Antiquit. cap. 4. & lib. 20. cap. 3.*] ipse (non, uti in loco citato scripsit Baronius, pater ejus) qui & Hierosolymitani templi portis argentum atque aurum infudit. [*Id. lib. 6. Belli, cap. 6. vers. 18.*]

Cyros, expeditâ mariti navigatione in Italiam, cum liberis in Judæam itinere pedestri reversa est. Agrippa verò postquam Puteolos appulit, scripsit ad Tiberium Cæsarem degentem Capreis, venisse se officii causâ significans, & potestatem accedendi eam insulam postulans. Tiberius nil cunctatus humanissimè rescripsit, gratulatus ei redditum ad Capreas incolumem: nec minore alacritate præsentem excepit & amplexu & hospitio. [*Joseph. lib. 18. cap. 8.*]

Postridie Cæsar receptis litteris ab Herennio de 300 argenti millibus, mandavit cubiculariis, non priùs admitti Agrippam quàm per soluto debito. Ille nequaquam irâ Cæsaris attonitus, ab Antonia Germanici & Claudii (postea Imperatoris) matre 300 illa millia mutuò petiit, ne periclitaretur de amicitia Cæsaris. Quæ memor familiaritatis quæ sibi cum Bernice matre Agrippæ intercesserat, simulque educatam fuisse ipsum cum suo Claudio, pecuniam illam ei præbuit. Itaque reddito debito, nemine prohibente, fruebatur amicitia principis: adeoque conciliatus est Cæsari, ut is nepotem suum (Tiberium Gemellum) Drusi filium commendaret Agrippæ, mandarétque ut progredientem semper comitaretur officii gratiâ. Hoc beneficio devinctus & deditus Antoniaë, cœpit Caium (Caligulam) nepotem ejus colere, gratiosum apud omnes & honoratum ob patris Germanici memoriam. Erat ibi fortè Allus Samarita: à quo decies centena millia mutuatus Agrippa, debitum Antoniaë reddidit; reliquum materiam habuit demerendi Caium officiosius. [*Id. ibid.*]

Tigranes, Alexandri (à patre Herode occisi) & Glaphyræ (filiaë Archelai Cappadocum regis) filius, qui ab institutis patriis ad religionem Græcorum desciverat & Armeniæ regno quondam potitus fuerat, Romæ accusatus & supplicio affectus sine liberis decessit.

cessit. [*Tacit. Annal. 6. cap. 40. Joseph. lib. 18. cap. 7.*]

Clitarum natio (in Ciliciâ Tracheâ) Cappadoci Archelao subjecta, quia Romano more census deferre & pati tributa adigebatur, in juga Tauri montis abcessit: locorumque ingenio sese contra imbelles regis copias tutabatur; donec M. Trebellius legatus à Vitellio præfide Syriæ cum quatuor millibus legionariorum & delectis auxiliis missus, duos colles quos barbari infederant (minori Cadra, alteri Tavera nomen erat) operibus circumdedit, & erumpere ausos ferro, cæteros siti ad deditonem coëgit. [*Tacit. Annal. 6. cap. 41.*]

Artabano Parthorum rege profugo & flexis ad novum regem popularium animis, Vitellius hortatus Tiridatem parata capeffere, robur legionum sociorumque ripam ad Euphratis duxit. Sacrificantibus, quum hic more Romano suovetaurilia daret, ille equum placando amni adornasset; nuntiaverunt accolæ Euphratem, nullâ imbrum vi, sponte & immensum attolli; simul abentibus spumis in modum diadematis sinuare orbem; auspiciam prosperi transgressus. Quidam verò callidiùs interpretabantur, initia conatus secunda; neque diuturna: quia eorum quæ terrâ coelove portenderentur certior fides; fluminum instabilis natura, simul ostenderet omina raperetque. Sed ponte navibus effecto, transmissioque exercitu, primus Orosades multis equitum millibus in castra venit: exul quondam & Tiberio, cum Dalmaticum bellum conficeret, haud inglorius auxiliator, eoque civitate Romanâ donatus; mox repetitâ amicitia Regis, multo apud eum honore, præfectus Mesopotamiæ. Neque multo post, Sinnaces auxit copias: & columen partium Abdageses, gazam & paratus regio adjecit. Vitellius, ostentasse Romana arma satis ratus, monuit Tiridatem, ut Phraatis avi & altoris Cæsaris meminerit; primoresque, ut obsequium in regem, reverentiam in Romanos, decus quisque suum & fidem retinerent: deinde cum legionibus in Syriam remeavit.

[*Id. ibid. cap. 37.*]

Tiridates volentibus Parthis Nicephorium & Anthemusiada, cæterasque urbes Macedonicas Græcâ linguâ utentes, Halumque & Artemitam Parthica opida recepit: certantibus gaudio, qui Artabanum Scythas inter educatum ob sævitiam execrati, come Tiridatis ingenium Romanas per artes sperabant. Plurimum adulationis Seleucienfes induere: civitas potens, sepra muris, neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. Hi adventantem Tiridatem extollentes, probra in Artabanum fundebant, ut maternâ origine Arsacidem, cætera degenerem. Cùmque nuper Artabanus 300 optimatum dominationi tradidisset; Tiridates rem Seleuciensem populo permisit. [*Ibid. cap. 41. & 42.*]

Mox consultans Tiridates, quonam diè solennia regni capefferet, litteras Phraatis & Hieronis, qui validissimas præfecturas obtinebant, accepit; brevem moram precantium. Placitumque opperiri viros præpollentes: atque interim Ctesiphon sedes imperii petita est. Sed ubi diem ex diè prolatabant, multis coram & approbantibus, Surena patrio more Tiridatem insigni regio evinxit. Ac si statim interiora, cæterasque nationes petivisset; oppressâ cunctantium dubitatio fuisset.

set, & omnes in unum cecissent: sed obsidendo castellum, in quod pecuniam & pellices Artabanus contulerat, dedit spatium exuendi pacta. Nam Phraates, & Hiero, & si qui ali delectum capiendo diademati diem haud concelebraverant, pars meru, quidam invidiâ in Abdagesem, qui tum aulâ & novo rege potiebatur, ad Artabanum vertere. [*Ibid. ca. 42. & 43.*]

Artabanus in Hyrcanis repertus est, illuvie obfusus, & alimenta arcu expediens. Ac primò tanquam dolus pararetur territus, ubi data fides reddendæ dominationi venisse; non ultra moratus quàm dum *Scytharum* auxilia conciret, (ex *Dahis ac Sacis* contractum ab eo magnum fuisse exercitum, refert *Josephus, lib. 18. cap. 6.*) perrexit properus: neque exiit pædorem, ut vulgum miseratione adverteret. Non fraus, non preces, nihil ommissum, quo ambiguos illiceret, prompti firmarentur. [*Ibid. cap. 43. & 44.*]

Jam propinqua Seleuciæ cum magnâ manu ille adventabat, quum Tiridates simul famâ atque ipso Artabano perculsus, distrahi consiliis cœpit, iret contrâ, an bellum cunctatione tractaret. Verùm Abdageses regredendum in Mesopotamiam censebat: ut amne objecto, Armeniis interim Elymâisque, & cæteris à tergo excitis, aucti copiis socialibus, & quas dux Romanus misisset, fortunam tentarent. Ea sententia valuit; quia plurima autoritas penes Abdagesem; & Tiridates ignavus ad pericula erat. Sed fugæ specie discessum est: ac principio à gente Arabum factò, cæteri domos abierunt, vel in castra Artabani; donec Tiridates cum paucis in Syriam revectus, pædore prodicionis omnes exsolvit. [*Ibid. cap. 44.*]

Interim Artabanus, non magno labore debellatis inimicis, in imperium restitutus est. [*Joseph. lib. 18. ca. 6. Dio, lib. 58. pag. 637.*] Qui scriptis ad Tiberium litteris, parricidia & cædes & ignaviam & luxuriam illi objecit: monuitque ut voluntariâ morte, maximo justissimoque civium odio quamprimùm satisfaceret. [*Sueton. in Tiberio, ca. 66.*] Armeniam etiam impunè aggressus, Syriam quoque invadere instituit. [*Dio, lib. 59. pag. 661.*]

Agrippa in intimam familiaritatem receptus à Caio Caligulâ, quodam die quum unâ cum eo in curru vectaretur, ut quamprimùm Tiberius principatus locum Caio digniori cederet precatus est. Has voces excepit Eutyclus, libertus Agrippæ & auriga: at tum quidem siluit. Insimulatus deinde à patrono quasi vestem ei furto subduxisset, sicut reverâ subduxerat, & ex fugâ retractus, cum perductus esset ad Pisonem Urbis præfectum, rogatus fugæ causam, ait se habere secreta quædam quæ cuperet indicare Cæsari, ad salutem ipsius pertinentia: quapropter vincetus missus est Capreas. ubi diu in vinculis est detentus, priusquam Cæsari aures ei præbere esset collibitum. [*Joseph. lib. 18. ca. 8.*]

Samantanis impostor quidam persuasit, ut convenirent in montem Garizim apud eam gentem sanctissimum: asseverans se illic eis ostensurum sacra vasa refossa, quæ ibi Moses deposuerit. Illi creduli sumptis armis Tirathabam vicum insederunt, expectantes ibi confluentes cæteros, ut magno agmine montem ascenderent. Sed Pilatus prior

clivum montis occupavit equitibus suis & peditibus : qui prælio congressi cum Samaritis apud vicum collectis, alios fuderunt, alios in fugam compulerunt; multos etiam vivos captos abduxerunt, quorum præcipuos & potentiores Pilatus capite multavit. [*Id. ibid. cap. 5.*]

4040

Tum primates Vitellium Syriæ præsidem adeuntes, Pilatum cædis accusarunt, negantes defectionem fuisse à Romanis illum concursum in Tirathaba, sed refugium contra Pilati violentiam. Vitellius autem Marcello amico ad procurationem Judææ misso, Pilatum jussit Romam proficisci, responsurum apud Cæsarem ad objecta per Judæos crimina : postquam decem jam annos in provinciâ ille exegisset. [*Id. ibid.*] Quibus quatuor aut quinque mensium appendicula addenda fuerit; si non ille, vel procellarum metu (præterito jam, ut *Actor. XXVII. 9.* septimi mensis Jejunio) navigationem distulerit, vel adversis ventis detentus, aut aliâ aliquâ morâ interveniente, iter prolongaverit. Nam prius quàm Romam Pilatus perveniret, vitâ excessisse Tiberium, Josephus indicat.

Quum à Capreis venisset Tiberius Tusculanum, stadiis ferè centum ab Urbe distitum; ab Agrippinâ Germanici matre, licet multum reluctans, tandem persuasus est ut Eutychem audiret, cognoscereturque cujus accusaret is patronum criminis. Qui, re examinâtâ, comperiens, neglecto mandato de colendo nepote ipsius Tiberio Drusi filio, totum eum in Caium fuisse propensum; Macroni (qui Sejano in prætorianorum militum præfecturâ successerat) imperavit, ut Agrippæ vincula injiceret. Agrippa verò ad preces versus, per memoriam filii, cujus consuetudine simul educatus familiarissimè usus fuerat, & per collata in adolescentem Tiberium officia rogabat veniam : sed frustrâ, prætorianis ita ut erat purpuratum in vincula trahentibus. Cùmque æstus esset vehemens, & præ inopiâ vini sitis eum ureret, conspicatus quendam è Caii servis nomine Thaumastum gerentem hydriam, poposcit potum : & cùm libenter oblatum hausisset, inquit. *Certè tuo bono puer exhibuisti mihi hoc ministerium : quamprimum enim hanc necessitatem evasero, impetrabo tibi libertatem à Caio.* Quod & postea præstitit. [*Joseph. lib. 18. ca. 8.*]

Agrippa vinctus ante regiam stabat inter alios quosdam æquè vinctos, incumbens præ mœrote in quandam arborem cui bubo insidebat. Unus è vinctis natione Germanus alitem conspicatus, sciscitatus est è milite quisnam esset ille purpuratus : & cognito Agrippam esse Judæorum nobilissimum; ad eum adductus, adhibito interprete, hoc auspicio significari illi dixit repentinam præsentis fortunæ mutationem. Ad amplissimam enim dignitatem simul atque potentiam eum perventurum, felicem habiturum vitæ exitum : (in quo falsum illum fuisse vatem, docuit exitus hominis infelicissimus :) sed quando hanc alitem iterum esset visurus, quintum ex eo diem fatalem ipsi futurum. [*Id. ibid.*]

Antonia graviter ferens calamitatem juvenis, Tiberium quidem pro eo deprecari putabat inutile : apud Macronem tamen obtinuit ut in custodiâ servaretur à militibus commodis moribus præditis, victoremque

viſtorémque haberet centurionem ei curæ præpoſitum ; & quotidiana uteretur lavacris, & pateret ad eum libertis atque amicis aditus, quorum ſublevaretur officiis. admittebanturque ad eum Silas amicus, & è libertis Marſyas atque Stichus, inferentes ei cibos quibus delectabatur : & ſtragula quaſi vœnalia circumferentes, noctu ſubſternebant permiſſu militum jam antè præmonitorum Macronis imperio. Atque in hunc modum ſex menſes in cuſtodiâ exegit, uſque in Tiberii obitum. [*Ibid.*]

De Gamalitici agri finibus contentio orta eſt inter Herodem Tetrarcham & Areram Arabiæ Petrææ regem, injuriæ filiæ ſuæ factæ non immemorem ; quam matrimonio ſibi junctam Herodes ſpreverat, ductâ in ejus locum fratris ſui uxore Herodiade. Contractis utrinque copiis bellum per legatos geſtum eſt : commiſſoque prælio Herodis exercitus interneſione periit, proditus à quibuſdam exulibus qui pulſi è tetrarchiâ Philippi tunc merebant Herodis ſtipendia. Hæc Herodes per litteras ſignificavit Tiberio : qui indignè ferens Areræ audaciam, ſcripſit Vitellio ut ei bellum inferret, & aut vivum captum abduceret, aut occiſi caput ad ſe mitteret. Apud Judæos autem fuit opinio, juſtâ ultione numinis deletum Herodis exercitum, propter Johannis Baptiſtæ cædem. [*Joſeph. lib. 18. cap. 7.*]

Cn. Acerronio Proculo & C. Pontio Nigrino Conſulib. mortem Tiberius obiit, XVII. Kalend. Apriles, ut eſt apud Suetonium [*in Tiberio, ca. 13.*] et Tacitum, [*Annal. 6. ca. 50.*] vel VII. potiùs, ſive XXVI. Martii die, quum poſt Auguſti exceſſum imperaviſſet *annos 22. menſes 7. & dies 7.* ut in fine libri 58. refert Dio. *non menſes 5. dies 3.* ut in libro 18. Antiquit. [*ca. 8.*] neque *menſes 6. dies 3.* ut in libro 2º Belli, [*ca. 8. uq. 16.*] Joſephus numerat.

Marſyas, Tiberii morte cognitâ, currens ad patronum ſuum Agrippam, cum offendiſſet petentem balneum, admoto capite, ſermone Hebraico dixit, *Mortuus eſt leo.* Quod ex iis reſciſcens centurio qui cuſtodia præerat, Agrippæ vinculis ſoluto cœnam lautam appoſuit. Sed dum epulis ſimul indulgerent & poculis, ſuperveniens quidam attulit incolumem eſſe Tiberium, & brevè in urbem reverſurum. Quibus verbis graviter territus centurio, Agrippam de lectulo proturbatum vinciri, & accuratiùs in poſterum cuſtodiri juſſit. Verùm poſterâ die binæ à Caio allatæ ſunt litteræ, alteræ, quibus ſenatui ſignificabat in deſuncti Tiberii ſe ſucceſſiſſe imperium ; alteræ ad Piſonem Urbi præfectum, idem indicantes, mandantésque ut Agrippam è caſtris dimiſſum reſtitueret in id quod antè habitaverat domicilium. in quo licet adhuc cuſtodiretur, tamen ſuo viſitabat arbitrio. [*Joſeph. lib. 18. cap. 8.*]

Caius Romam reverſus, Tiberii ſimul corpus referens, more ſolenni funus celebravit ſumptuoſiſſimum : & quum vellet Agrippam eâdem die ſolutum dimittere, monitu Antoniæ ſuperſedit. non quòd ea malè vellet homini, ſed negabat decoram hanc feſtinationem, ne videretur hoc odio Tiberii facere, ſi confeſtim ſolveret quem ille vincerat. Elapſis tamen non multis diebus, accerſitum ad ſe domum tonderi, veſtémque mutare præcepit. Impoſito deinde in ejus caput dia-

demate, Tetrarchiæ quæ Philippi fuerat regem constituit, adjectâ Lysaniæ quoque tetrarchiâ: & pro ferreâ catenâ dedit auream pari pondere. In Judæam autem Marullum misit præsidem. [*Id. ibid.*]

Agrippam Herodis nepotem vinculis, quæ ei à Tiberio fuerant indita, C. Caligulam liberavisse, & avi principatum ei reddidisse; memorat Dio [*lib. 59. pag. 645.*] prætoris ornamentis à Romano Senatu honoratum, regno & tertiâ avitæ ditionis parte quam Philippus patruus possederat à Caio donatum, Philo. [*in Flaccum.*] Regnum verò adeptus Agrippa, Thaumastum qui potum ipsi victo ministraverat, à Caio impetratum, manumisit, & bonorum suorum dispensatorem constituit. Quin & moriens hunc Agrippæ filio Bernicæque filiæ reliquit eadem ministerii conditione: apud quos in pretio usque ad extremum diem habitus consenuit. [*Joseph. lib. 18. cap. 8.*]

Antiocho Antiochi filio Caligula Commagenem, paternum regnum, dedit; adjectis Ciliciæ maritimis. [*Dio, lib. 59. pag. 645.*]

Præses Syriæ Vitellius, bellum Aretæ illaturus, assumptis duabus legionibus, & levis armaturæ atque equitum auxiliis missis à sociis regibus, properans versus Petram pervenit Ptolemaidem. Quumque vellet per Judæam exercitum ducere, occurrerunt ejus regionis principes, deprecantes transitum. Neque enim patrios ritus permittere, ut inferantur ullæ imagines, quales Romana signa habebant pleraque. Quorum precibus flexus mutavit sententiam de itinere proposito: missoque per magnum campum exercitu, ipse cum Herode Tetrarchâ & amicis ascendit Hierosolyma, sacrificaturus Deo in festivitate quæ instabat publicâ. Quò postquam ventum est, honore summo exceptus à populo, hæsit ibi triduo, & interim à Jonathâ in fratrem ejus Theophilum pontificatum transtulit. [*Joseph. lib. 18. cap. 7.*]

Quartâ die litteris acceptis de morte Tiberii, populum Vitellius sacramento adegit in fidem Caii novi principis. [*Id. ibid.*] Unde rex Agrippa, in litteris ad Caium: apud Philonem, in legatione. *Hierosolymis primum audita est, Imperator, exoptata tua successio; & sanctâ civitate diffusa est ejus fama ad finitimas provincias. Et quoniam prima Orientalium hac civitas Imperatorem te consalutavit; æquum est ut à te tractetur liberalius.* et Judæorum Senatus, in oratione ad Petronium: apud eundem. *Caio imperium adepto, primi ex totâ Syriâ gratulati sumus Vitellio, cujus successor es, tunc in urbe nostrâ degente, qui super hanc re litteras acceperat; & à nobis ad ceteras civitates fama latum nuncium pertulit: primum nostrum Templum excepit pro imperio Caii victimas.*

Revocavit Vitellius ex itinere copias, omisso bello propter delatum in alium Imperium. Et quidem Aretam ferunt, accepto expeditionis Vitellii nuncio, collegisse ex auguriis, impossibile esse ad Petram pervenire illum exercitum. Unum enim è ducibus prius moriturum: vel qui bellum paret, vel cujus jussu pararetur, vel eum contra quem esset movendum. [*Joseph. lib. 18. ca. 7.*]

Vitellium deinde, exercitu in hyberna dimisso, (quod in ætatis initio ab eo factum, non est admodum verisimile) Antiochiam repetisse,

isse, scribit Josephus: quum unâ cum copiis ad Euphratem eum perrexisset dicendum potius fuisset, ut cum Parthorum rege foedus iniret. Id enim non, ut putavit Josephus, sub Tiberio, sed sub Caio factum fuisse, ex Suetonio & Dione apparet. Namque Artabanus, odium semper contemptumque Tiberii præ se ferens, Caii amicitiam ultrò petiit: summisque eum artibus Vitellius non modò ad colloquium suum, sed etiam ad veneranda legionum signa pellexit. Euphratem enim ille transgressus, aquilas Romanas adoravit, statuisque Augusti & Caii sacrificavit. Pacis quoque conditiones, quæ ex usu Romanis essent, liberòsque obsides dedit. [Sueton. in C. Caligulâ, ca. 14. & A. Vitellio ca. 2. Dio, lib. 59. pag. 661.]

In medio pontis Rex & Vitellius sibi occurrerunt, cum suo quisque satellitio: & postquam de foedere convenit, Herodes tetrarcha utrumque excepit convivio, tabernaculo magno sumptu erecto in medio flumine. Deinde Vitellius Antiochiam rediit, Artabanus in Babyloniâ. Herodes verò volens primus nunciare Cæsari de impetratis obsidibus, omnibus diligenter perscriptis misit ad eum tabellarios; nihil amplius relinquens significandum per Consularem legatum. Quare supervenientibus Vitellii litteris, Cæsar rescripsit, omnia sibi jam antè esse cognita ex Herodis nuntiis. Quo ille graviter offensus est. [Joseph. lib. 18. ca. 6.]

Nec multo post misit Artabanus filium Darium obsidem, cum multis muneribus: inter quæ etiam virum staturâ cubitorum quinque genere Judæum, nomine Eleazarum; qui propter vastitatem Gigas cognominatus est. [Id. ibid.]

Judæi Alexandrini, postquam honores omnes, quos per leges suas decernere licuit, Caio exhibuissent; Flacco Abillio præsidi decretum suum obtulerunt; orantes ut, quoniam non fuit permissum legationem mittere, ipse id per suos nuncios transmitteret. Legit ille, & annuens ad pleraque capita, subridensque dixit. *Placet mihi per omnia pietas vestra: mittam hæc ut petitis, & legati fungar munere, ut sentiat Caius vestram gratitudinem; eroque testis probè notæ mihi vestra popularis modestiæ atque obedientiæ.* Decretum tamen illud apud se retinuit: ut soli omnium illi pro Caii contemptoribus haberentur. [Philo, in Flaccum.]

Anno primo imperii C. Caligulæ Mattathiæ sacerdoti natus est filius Josephus, historiæ Judaicæ scriptor: ut ipse in libro de Vitâ suâ indicat.

4041

Quum longo jam tempore Saulus Damasci Evangelium prædicavisset, inierunt Judæi illum interimendi consilium. Hi ab Aretæ regis Arabiæ Petrææ (qui Herodis Tetrarchæ exercitum nuper fuderat) præfecto, præsidio urbem Damascenorum tenente adjuti observabant portas die ac nocte, ut eum prehensum interimerent. Verùm à discipulis è fenestrâ per murum tunc in sportâ nocte demissus, ex eorum insidiis evasit. [Act. IX. 23, 24, 25. II Corinth. 32, 33.]

Primo igitur Apostolatus sui triennio apud Damascenos exacto, rediit Saulus Hierosolymam, ut viseret Petrum: & permansit apud eum dies quindecim. [Gal. I. 18.]

Ibi quum tentaret se propiùs adungere discipulis, timebant omnes, non credentes eum esse discipulum. Sed Barnabas acceptum eum duxit ad Apostolos (Petrum videlicet, & Jacobum fratrem Domini: neminem enim ex Apostolis alium tum ille vidit. Gal. I. 19.) & exposuit eis, quomodo in viâ vidisset Dominum, & quòd locutus esset ei; & quomodo Damasci liberè locutus esset in nomine Jesu. [Act. IX. 26, 27.]

Saulus Hierosolymis liberè in nomine Domini Jesu loquebatur, & disceptabat cum Hellenistis: (sive Judæis qui Græcâ linguâ urebantur; ut Syrus rectè hîc est interpretatus:) illi verò conabantur eum interimere. [Act. IX. 29.]

Orans in Templo Saulus, extra se raptus est, & vidit Dominum dicentem sibi. *Festina, & exi cito Hierosolymis; quoniam non excipient testimonium tuum de me.* Cui ille. *Domine, ipsi sciunt me pertraxisse in carcerem & verberibus affecisse per singulas synagogas eos qui credebant in te. Et quum effunderetur sanguis Stephani martyris tui, ego quoque adstabam & custodiebam pallia eorum qui interficiebant eum.* Et dixit ei Dominus. *Proficiscere: nam ego te procul ad gentes emittam.* [Act. XXII. 17, 21.]

Fratres verò Hierosolymitani deduxerunt eum Cæsaream, & miserunt in patriam suam Tarsum. [Act. IX. 30.] Venitque in regiones Syriæ & Ciliciæ: hætenus ignotus faciè Ecclesiis Judææ; quæ audientes solum, eum nunc euangelizare fidem quam olim vastabat, Deum de illo glorificabant. [Gal. I. 21, 22, 23.]

Ecclesiæ autem per totam Judæam & Galilæam & Samariam habentes pacem ædificabantur: & pergentes in timore Domini & consolatione sancti Spiritus, multiplicabantur. [Act. IX. 31.]

Herodi Agrippæ regi ex Cypro nata est filia Drusilla (nupta postea Felici; Act. XXIV. 24.) quæ moriente patre sexennis erat. [Joseph. lib. 18. ca. 7. & lib. 19. ca. ult.] 4751 38

Caligula Macronem, cui Ægyptus mandata fuerat, (sexennio, quod Flacci Abillii præfecturæ à Tiberio præstitutum fuerat, jam exacto) & uxorem ejus Enniam, quorum operâ ipse imperium consecutus fuerat, ad mortem voluntariam adegit. [Philo, de legat. ad Caium; & lib. in Flaccum. Sueton. in C. Calig. ca. 26. Dio, lib. 59. pag. 647.]

Flaccus, qui Ægypto tum præerat, interfecto Macrone cui maximè fidebat, à Caligulâ imperatore malè sibi metuit. Quâ occasione arreptâ, Dionysius, Lampo & Isidorus illi persuaserunt ut populum Alexandrinum, ab Augusto & ejus familiâ in honore habitum, beneficio aliquo sibi conciliaret; nihil verò gratius illis se posse facere, quàm si eos sinat in Judæos sævire. Quorum & ille sententiam est secutus. [Philo, in Flaccum.]

Caligula Soæmo Arabum Ituræorum regnum, Cotyi Armeniam minorem ac deinde nonnullas Arabiæ partes, Rhymetalci Cotyis ditionem, Polemonis filio paternum (Ponti) imperium ex Senatusconsulto tribuit. [Dio, lib. 59. pag. 649.]

Anno imperii C. Caligulæ secundo, veniam ab eo Herodes Agrippa impetravit domum redeundi, regni ordinandi gratiâ; eo peracto, rever-

reversurum se pollicitus. [*Joseph. lib. 18. ca. 8.*] Suasit verò illi Imperator, ut navigatione compendiariâ usus, expectatis etesiiis ventis, rectâ peteret Alexandriam; pedestri itinere inde minore cum difficultate in patriam rediturus. Cui ille obtemperans, quum descendisset Puteolos, & naves Alexandrinas in portu paratas ad solvendum invenisset, post paucos dies Alexandriam appulit. [*Philo, in Flaccum.*]

Alexandrini, ob inveteratam cum Judæis similitudinem ægrè ferentes regem ipsorum quempiam extitisse, Agrippam in gymnasio sermonibus scurrilibus & mimographorum ludicris carminibus traducebant. Propulsum quoque ad gymnasium quendam insanum nomine *Carabam*, qui interdum noctûque nudus oberrabat per compita, in superiore loco statuerunt, ut spectari posset ab omnibus. Mox capiti diadema imponunt papyraceum, pro paludamento corpori storem induunt: pro sceptro frustum arundinis humi sublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regis insignis, & in regem transformatum more histrionico, adolescentes perticas in humeris gestantes stipabant pro satellitio: tum alii salutatum accedebant, alii sibi reddi jura petebant, alii consulebant eum de republicâ. Post hæc acclamatum est à circumstantibus, magnâ voce *Marim* appellantis: quod nomen Syrorum linguâ *Dominum* significat. [*Philo, ibid.*] Atque ita Judæorum rex eodem modo ab aliis est irrisus, quo regis dignitati veri sui Domini Jesu Christi ipsi Judæi ante quinquennium illuserant.

Judæi Alexandrini Agrippam de insidiis per Flaccum præsidem in ipsorum perniciem paratis edocuerunt: scriptumque quod Flacco dederant, Caio in principatus sui exordio transmittendum, Regi traderunt. Hoc ad Caium se missurum ille est pollicitus, simulque significaturum, ab initio illud Judæos mittere voluisse; sed impeditos Præsidis malevolentiam fuisse, quo minus tempestivè id facerent. [*Philo, ibid. & in legat. ad Caium.*]

Petrus apostolus, Ecclesias Judææ, Galilææ & Samariæ visitans, devenit ad sanctos qui habitabant Lyddæ: ibique Æneam, ab annis jam octo decumbentem in grabato, à paralyti, quâ tenebatur, sanavit. Quo viso miraculo, omnes qui Lyddam & agrum Saronitanum (de quo, *I Chronic. V. 16. & XXVII. 29.*) incolebant conversi sunt ad Dominum. [*Act. IX. 31, — 35.*]

Discipula quædam, Syriaco nomine *Tabitha* Græco *Dorcas* (id est *Caprea*) dicta, bonis operibus & elemosynarum largitione celebris, Joppæ ex morbo decessit. Quum autem Lydda esset prope Joppen, discipuli, audito Petrum illic esse, duos viros miserunt ad eum, rogantes ne cunctaretur usque ad ipsos progredi. Qui adveniens, quum in genua procumbens esset precatus, mortuam vitæ restituit. Id autem innotuit per totam Joppen: & multi crediderunt in Dominum. Mansitque ibi Petrus *multos dies* in domo Simonis cujusdam coriarii. [*Ibid. 36, — 43.*]

Alexandrinorum vulgus, summo mane in theatrum confluens, redempto jam Flacci præsidis favore, in proseuchis Judæorum dedicandas esse Cæsaris statuas unanimiter conclamavit. Quod præses, licet

licet sciret non minùs quàm decies centena millia Judæorum incolere Alexandriam totàmque regionem quanta patet à Catabathmo Libyæ usque ad terminos Æthiopiæ, nullo respectu securitatis publicæ habito, fieri permisit. [*Philo, in Flaccum.*] Illi verò conglobati in cohortes numerosissimas, proscuchas, quæ multæ in singulis urbis regionibus erant, aut arbutis succis vastârunt, aut diruerunt funditus: quasdam etiam incenderunt injectis ignibus tantâ rabie atque infaniâ, ut in proxima quoque ædificia transiliret incendium. In proscuchis autem omnibus quas diruere incenderêve non poterant, quòd accolerentur magnâ Judæorum frequentiâ, effigies Caii statuerunt: in maximâ verò ac celeberrimâ sublimem quadrigis aheneis; idque tam præpopero studio, ut, cum carerent novis quadrigis, veteres æruginosas, auribus, caudis pedibusque mutilatas, è gymnasio raperent, olim dedicatas (ut ferebatur) Cleopatrar, quæ fuerat ultimæ hujus nominis reginæ proavia. Hæc verò existimabat Caius ex vehementi Alexandrinorum in ipsum studio profecta: quæ partim ex quotidianis actis cognoscebat transmissis sibi ab Alexandria, (ea enim libentius lectitabat quàm ullum poëma vel historiam) partim ex nonnullis servis domesticis (quorum plerique erant Ægyptii) eadem cum ipso laudare aut irridere solitis. [*Id. in legat. ad Caium.*]

C. Caligula, sorore Drusillâ defunctâ, justitium indixit: in quo risisse, lavisse, convivio quemquam accepisse, capitale fuit. [*Sueton. in C. Calig. cap. 24. Dio, lib. 59. pag. 648.*]

Ægypti præses Flaccus edictum proposuit, in quo Judæos qui cives erant Alexandrini peregrinos appellabat & exteros: ne causæ quidem dicendæ potestatem faciens, sed injudicatos condemnans. Quinque erant urbis illius regiones, à primoribus earum literis denominatæ: quarum duæ dicebantur Judaicæ, quòd in his plurimi Judæi habitarent; quamvis & in aliis non pauci sparsim habuerint domicilia. Alexandrinorum igitur vulgus, licentiam grassandi in Judæos à Flacco natum, è quatuor literis eos expulsos contrusit in unius partem angustam. Qui, quòd plures essent quàm ut is locus eos caperet, egrediebantur in littora & monumenta & sterquilinia, exuti rebus suis omnibus. Inimici verò facto in desertas domos impetu, prædas tanquam jure belli partas dividebant: effractisque Judæorum officinis, quæ tum propter luctum mortis Drusillæ clausæ fuerant, hinc quoque plurima egresserunt, quæ per medium forum translata verterunt in usus proprios. Sed minùs nocebant domorum plusquam 400 direptiones, quàm abrupta negotiatio: quum creditores amisissent pignora, nec sineretur ullus agricola, nauta, negotiator, opifex, exercere artes consuetas. [*Philo, in Flaccum.*]

Tot myriadas virorum, mulierum, puerorumque in urbis angulum angustissimum, ceu pecora, compulsas, sperabant adversarii se intra paucos dies visuros acervatim jacere: aut fame necatos per ciborum inopiam, aut in loco æstuoso compressos, vitiato etiam per erebras respiraciones circumvicino aëre. Ne quis autem clanculum inde se proriperet, diligenter cavebant: et quotquot interceptissent, excruciatos priùs mox enecabant, nullam ab eis abstinendo sævitiam. Alia

manus

manus circa porrus fluminis insidiabatur Judæis appellentibus, & eorum mercimoniis: quibus in conspectu dominorum direptis, ipsos protrusos exurebant, constructo rogo è gubernaculis, contis, & navium tabulis. Alii mediâ in urbe concremabantur miserrimo supplicii genere. Nam præ lignorum inopiâ sarmenta comportabantur, quibus accensis injiciebant miseros: qui semiustulati fumo magis quàm igni necabantur. Multi etiam vivi loris laqueisque circa talos adlitis per medium forum raptabantur, insultante vulgo & ne mortuis quidem parcente corporibus. Dissecta enim membratim frustatimque conculcabant tantâ crudelitate, ut ne reliquias quidem ad sepulturam superesse sinerent. [*Id. in legat. ad Caium.*] Qui verò dolebant suorum vicem cognati amicique, confestim pœnas dabant suæ misericordiæ; arreptique flagris cædebantur, & post omnia tormenta quæ poterant excipere corporibus, tandem in crucem agebantur. [*Id. in Flaccum.*]

Ex Senatu, quem Augustus constituerat publicum Judæorum Concilium, Flaccus præses 38 comprehensos in suis privatis ædibus confestim vinciri jussit: traductosque per medium forum senes reductis in tergum manibus, ligatos partim loris partim catenis ferreis, induxit in theatrum, statutosque coram inimicis eorum sedentibus, jussit nudatos concidi verberibus; atque ex his Euodium, Tryphonem, & Andron, in conspectu illorum qui bonis eos prius spoliaverant. Et licet mos esset in neminem damnatum animadvertere donec solemnnes celebritates natalitiæque Augustorum festa præteriissent; ille tamen per eos ipsos dies (Caii natali in postremum Augusti mensis diem tum incidente) affligebat homines innoxios, ad hunc modum distributis spectaculis. Manè usque horam tertiam quartamve Judæi flagellabantur, suspendebantur, rotis alligabantur, damnabantur, per mediam orchestram ducebantur ad supplicium: Deinde inducebantur saltatores, mimi, tibicines, aliæque ludicra scenaeorum cœraminum. Ipsæ quoque mulieres non solum in foro, sed etiam in medio theatro tanquam captivæ corripiebantur, & ob quamvis calumniam in scenam trahebantur non sine gravissimis contumeliis: deinde cognito eas esse alterius generis, dimittebantur; multas enim quasi Judæas comprehendebant priusquam rem diligentius dispicerent. Postquam autem Judaicæ comperiebantur, ex spectatoribus facti tyranni, jubebant eis suillas carnes offerri. quas quocumque metu tormentorum gustabant, sine aliâ majore vexatione dimittebantur: quæ verò sibi temperabant, tortoribus tradebantur ad cruciatus maximos. [*Ibid.*]

Accitus à præside Castus centurionum fidissimus, jubetur assumpto è suâ cohorte audacissimo quoque in domos Judæorum irrupere, scrutarique nunquid armorum ibi lateat. Quo properè mandata exequente, Judæi intima quæque aperientes scrutatoribus ostendebant: ubi mulierculæ inclusæ, nunquam è conclavi egredi solitæ, & virgines præ pudore declinantes aspectum etiam familiarium, tunc non solum ignotis verumeriam militari ferociæ spectabantur pavidæ. Nihilominus accuratâ factâ scrutatione, non inveniebantur ista quæ quærebantur arma. Ægyptiis quidem paulo antè arina dempta fuerant

rant per Bassum à Flacco jussum id curare. Sed tum videre licebat magnum navium numerum appulisse ad portas fluminis, plenarum omni armorum genere: quæ hominibus seditiosis, qui antea quoque sæpius defectiones tentarant, adimi par erat. Sed longè alia Judæorum erat ratio: qui defectionis nunquam suspecti, studia quotidiana quæstusque exercebant, ad concordiam & tranquillitatem civitatis facientia. [*Ibid.*]

4042

Dum festi Tabernaculorum solennitas per autumnum æquinoctium à Judæis Alexandrinis tantopere afflictis intermitteretur, Flaccum præsidem à Stephanione liberto Tiberii Cæsaris convivio exceptum ex improvise Bassus centurio comprehendit; ad id faciendum, cum cohorte militum ex Italiâ à Caio missus. Cùmque orâ solvisset hyemis initio, marinis tempestatibus jectatus, post plurimos labores ægrè in Italiam delatus est: ubi confestim à duobus infensissimis accusatoribus, Lamponè & Isidoro (qui ipsum in Judæos incitaverant) exceptus est. Qui damnatus, omni patrimonio & bonis domesticis (quæ selectissima habuerat) exutus, in exilium actus est. Et quidem in insulam omnium sterilissimam Gyarum in Ægeo sitam deportatus fuisset; nisi deprecante Lepido pro Gyaro Andrum propinquam ei permissum esset incolere: ubi postea Caii jussu (ut & alii omnes honorati exules) occisus perit. [*Ibid.*]

4752 39

Agrippam regiâ dignitate præfulgentem videns Herodias foror ipsius, Herodis Tetrarchæ uxor, invidiâ percita, non prius destitit quàm viro persuasit ut Romam contenderent, eandem regiam dignitatem à Cæsare petaturi. Agrippa, cognitâ eorum mente & apparatu, quamprimum eos è portu solvisse didicit, etiam ipse libertum suum Fortunatum Romam ad Imperatorem misit cum muneribus & litteris contra Herodem patruum scriptis. Ille Herodi ad Cæsarem, apud Baias Campaniæ opidum amoenissimum tum agentem, admisso superveniens, Agrippæ litteras reddidit; accusantes Herodem, quòd prius cum Sejano conspirasset in Tiberium, & p̄nc iterum Artabano Partho faveret contra Caii novum imperium, tanto ad hoc composito armorum apparatu, quantus instruendis virorum 70 milibus sufficeret. Quo commotus Caius, percontatus est Herodem, verane essent quæ nunciarentur de armorum numero. Quo annuente, (neque enim vera negare poterat) satis approbatam Caius putans defectionem, ademit illi Galilææ & Perææ tetrarchiam, quam postea ad Agrippæ regnum adjecit, pecuniâ quoque ejus illi donatâ. Herodem verò, perpetuo damnatum exilio, Lugdunum in Galliâ relegavit. Cognito deinde sororem Agrippæ esse Herodiadem, pecuniam ei propriam concessit: & ratus non libenter fore marito calamitatis sociam, in Agrippæ gratiam se illi parsurum promisit. Illa Caio pro hac indulgentiâ gratias egit; verum eâ se in præsentia uti non posse professâ est: quòd nefas existimaret, maritum in hac calamitate deserere, cujus fortunæ, dum floureret, ipsa fuisset particeps. Quod ille indignè ferens, ipsam quoque cum marito in exilium ire jussit, & bona ejus Agrippæ largitus est. [*Joseph. lib. 18. cap. 9.*] Ira incesti sui connubi pœnas illi luerunt: post obtruncatum ab hoc Herode Johannem Baptistam annis 8.

nis 8. post Christum Servatorem ludibrio ab eodem habitum (*Lac. XXIII. 11.*) annis 6.

Pontius Pilatus quoque, tantis irrogante Caio angoribus coarctatus est, ut propriâ se manu interfecerit: quemadmodum ex Romanis Historicis Hieronymus in Chronico, & ex Græcis Olympiadum scriptoribus refert in Ecclesiasticâ suâ historiâ [*lib. 2. cap. 7.*] Eusebius, cum Orosio, lib. 7. cap. 5. & Cassiodoro in Chronico.

Caius Baiani sinus medium intervallum Puteolanas ad moles 3600 ferè passuum ponte conjunxit; in quo currum ejus tum alia multa spoliolum instar subsequebantur, tum etiam ex Parthorum obsidibus Darius puer (Artabani regis filius:) Dario & Xerxe non nisi ludibrii causâ memorato, quia longè plus maris ipse ponte instravisset. [*Joseph. lib. 19. cap. 1. Sueton. in C. Calig. cap. 19. Dio, lib. 59. pag. 653.*]

Idem, obventu Germanici belli, ultra transitum à se Rhenum parumper progressus, inde statim rediit, quasi in Britanniam iturus. [*Dio, ibid. pag. 656.*]

Lucius Vitellius ex Syriâ accersitus est à Caio, ut interficeretur. [*Id. ibid. pag. 661.*] Crimini enim ipsi dabatur, quòd Tiridatem, Parthis à Tiberio regem missum, expelli ab illis siverit. [*Id. in Excerptis, ab Henr. Valesio edit. pag. 670.*]

Vitellio successorem in Syriam Caius misit Petronium. [*Joseph. lib. 18. cap. 11.*] Publium videlicet Petronium: (ut ex Philone, in legatione ad Caium, & Josepho lib. 19. cap. 6. constat,) qui filius fortasse illius fuerit, de quo ad annum Mundi 3983 ex Strabone dictum est; minimè verò omnium Lucius ille Petronius, (longè ante hoc tempus mortuus) quem *admodum humili loco natum ad equestrem ordinem pervenisse* memoravit Valerius Maximus. [*lib. 4. cap. 7.*] uti opinatus est Baronius. [*ann. Chr. 41. num. 4.*]

Vitellius ad Caium veniens, hoc modo neci se eripuit. Composuerat se longè quàm gloria ejus ferret humiliori habitu, Caiusque pedibus advolutus, effusus lachrymis, atque illum simul & Deum appellans sæpiùs & adorans, tandèmq; vovens si incolumis evassisset se ei sacrificaturum; ita hominem emollivit ac sibi placavit, ut non modò superstes maneret, sed etiam inter præcipuos posthac amicos haberetur. [*Dio, lib. 59. pag. 661.*] Atque ita ille, miri in adulando ingenii, primus Caium adorari ut Deum instituit: quum reversus ex Syriâ non aliter eum adire ausus esset quàm capite velato, circumvertensque se, ac deinde procumbens. [*Sueton. in A. Vitellio, cap. 2.*] Et quum postea Caius rem sibi esse cum Lunâ dixisset, percunctatusque esset Vitellium, vidissetne se cum deâ congregi; ille quasi attonitus, oculis in terram demissis, tremens, exili voce respondit. *Solis, Domine, vobis diis licet invicem videre.* [*Dio, ut supr.*] Eòque facto initio Vitellius, qui in regendis provinciis præcâ virtute egerat, omnes reliquos adulando superavit. [*Dio, ibid. Tacit. Annal. 6. cap. 32.*]

Ipse deinde Caius sibi sacerdos fuit, equumque suum collegam sacerdotii adscivit. [*Dio, ut supr. pag. 662.*] Miletum verò in Asiâ templum sibi exstrui jussit: hanc urbem præ cæteris eligens, specie quidem quòd Ephesum à Dianâ, Pergamum ac Smyrnam a b Augusto

Tiberioque occupatas esse diceret, sed reverâ quia amplissimum ac pulcherrimum, quod Milesii Apollini ædificabant, suo nomini vindicare cupiebat. [*Id. in Excerptis Valesii, pag. 670. & 673.*] Mileti quoque Didymæum peragere destinaverat. [*Sueton. in C. Caligula, c. 21.*]

4043

In Jamniam, urbem Judææ frequentem cum primis populo, subreperant è finitimis regionibus inquilini; qui semper moliebantur aliquid adversus ritus Judaicos. Hi cum audirent ab advenis quantopere Caius pro Deo coli cuperet, & quàm infensus universæ Judæorum genti esset; ex tempore aram excitârunt è luto formato in lateres, tantum ut molesti essent civibus. Hanc quum illi indignati è medio sustulissent; adversarii rem ad Capitonem quæstorem detulerunt, qui in Judæâ exigendis tributis præerat. Ad Caium ille scripsit; exaggerando rem & amplificando. Caius verò pro altari lateritio subverso in Jamniâ, colossum inauratum poni jussit in ipso Templo Hierosolymitano: consultoribus usus, Helicone Ægyptio & Apelle tragædo Ascalonitâ. Litteris igitur de statuâ dedicandâ ad Petronium Syriæ præsidem accuratissimè scriptis, mandavit illi Caius, ut exercitus, contra irruptiones Orientalium regum nationumque oppositi, dimidium ab Euphrate adversus Judæos duceret, ut prosequeretur statuam: non quo augustior dedicatio fieret, sed ut confestim periret siquis obsisteret. Sed neque statua transmissa fuit ex Italiâ, neque jussus est Petronius è totâ Syriâ lectissimam sumere: alioqui præpoperè violatis Judæorum legibus, exortus fuisset repentinus tumultus. Itaque Petronius in propinquo jussit parari statuam, & accitis è Phœnicîâ peritissimis artificibus præbuit materiam; officinâ Sidone institutâ. [*Philo, in legat. ad Caium.*]

Interim contractis quantum poterat auxiliis, cum duabus Romanis legionibus hybernavit apud Ptolemaidem, primo vere bellum illaturus: quod & Caio significavit per litteras. Qui collaudatâ ejus industriâ, hortatus est eum ad agendum gnaviter, & frangendam bello gentis contumaciam. Ita Josephus. [*lib. 18. cap. 11.*]

Inter Judæos & Græcos Alexandriam inhabitantes exortâ seditione, terni ab utrâque parte legati delecti ad Caium missi sunt. Judæorum legationis princeps erat Philo, vir per omnia clarissimus; Græcorum Apion. [*Id. ibid. cap. 10.*] qui Oasi in Ægypto natus, Alexandrinus dici maluit, quòd ejus civitatis jure gauderet. [*Id. lib. 2. contr. Apion.*] *Phæspixku*, quasi *sape victorem*, cognominatum, inter alios refert Plinius, libro 37. historię naturalis cap. 5. in totius quoque Operis ad Titum Vespasianum Cæsarem Præfatione ista de eodem adjiciens. *Apion Grammaticus, hic quem Tiberius Cæsar cymbalum mundi vocabat, quam sympannum potius videri posset, immortalitate donari à se scripsit, ad quas aliqua componebat.* Qui & mendacissimum adversus Judæos commentarium edidit; cui in 2º contra eundem libro respondet Josephus: nam prior liber aliis Judaicæ gentis obrectatoribus ab eo est oppositus.

Legati igitur Judæorum (quos quatuor numero fuisse, sub finem libri de hac legatione à se scripti confirmat ipse Philo; non tres, ut Josephus. voluit) ad deprecandum injurias quas quotidie patiebantur, medio

4753 40

medio hyemis ad Caium navigârunt. Placuitque offerri ei libellum continentem summam calamitatum, & earum deprecationem; ex prolixiore supplicatione, quam per Agrippam regem Judæi ad eum antè miserant, desumptam. Adversari verò Heliconem Ægyptium, Imperatoris cubiculo præfectum, sibi conciliârunt, non tantum pecuniâ, sed & spe honorum, quos ei pollicebantur se collaturos quamprimùm Caius veniret Alexandriam. Quem cum Judæorum legati placare & mollire desiderarent; nullum ad eum aditum invenire poterunt. [*Philo, in legatione ad Caium.*]

Ipsè Caius primùm, dissimulato in Judæos odio, legatos eorum exceptos in campo Martio, cum è maternis hortis exiret, hilari vultu resalutavit, & dextrâ innuit se propitium: missoque ad eos Homulo, qui legationibus admittendis præerat, pollicitus est se cogniturum eorum causam per otium. Postea verò, cum hortos Mæcenatis & Lamiaë; qui & inter se & urbi propinqui erunt, inviseret, & introducti legati eum reverenter adoravissent, atque Augusti Imperatoris appellatione eum salutavissent; ringendo rogavit. *Vosne estis illi diis invisus, qui me omnium confessione Deum declaratum soli aspernamini, marvultisque vestrum inxominatum colere?* simulque sublati ad cælum manibus erupit in vocem, quam ne audire quidem fas est, nedum proloqui verbis totidem. Ac mox exorta est adversæ partis ingens lætitia; quæ deorum omnium illi acclamabat cognomina. His appellationibus gaudentem conspicatus Isidorus sycophanta amarulentus: *Magis, inquit, detestareris Domine istos eorumque tribules, si scires eorum erga te impietatem atque malevolentiam. Omnibus enim pro salute tuâ votivas cadentibus victimas, isti soli non sustinuerunt sacra facere. Cum dico, isti, de cunctis Judæis loquor. Tunc exclamaverunt unanimiter legati. Domine Cai, calumniis petimur. Immolavimus hecatombas: libatoque ad aram sanguine, carnes domum non retulimus ad epulas, ut quorundam est mos; sed integras victimas exurendas sacro igni tradidimus; idque ter. primùm, quando successisti in imperium; iterùm, quando gravem illum morbum evasisti, cui totus orbis condoluit: tertio votum pro victoriâ Germanicâ. Esto, inquit Caius. Sacra fecistis, sed alteri: mihi certè non sacrificastis.* Ibi legatos horror pervasit, hâc novâ voce attonitos: ille interim villas obibat, inspectans aulas & conclavia, in imis ædibus & in coenaculis. ubi legatos eum sequentes carptim interrogans, cur abstinerent à porcina, & quodnam jus Alexandria civitates prætenderent; positâ tandem ferociâ, *Homines isti, inquit, non tam mihi videntur malignam miseri, qui sibi persuaderi non sinunt, me esse naturæ divinæ participem.* Simulque abiit & legatos jussit abscedere. [*Ibid.*]

Agrippæ è regno suo reverso Caius tetrarchiam patruï sui Herodis (Lugdunum in exilium missi) donavit. Cum enim in Philippi tetrarchiâ per triennium regnâset; quarto jam anno accessit illi Herodis tetrarchia. [*Joseph. lib. 19. cap. ult.*] Quod beneficium, in litteris ad Caium paulo post scriptis, ita ipse agnoscit. *Donasti mihi regnum; quâ sorte nulla inter mortales felicior: id quum prius unam regionem non excederet, adjunxisti mihi mox majorem alteram, Trachonitum & Galileam.* [*Philo, in legat.*]

Petronius honoratiores Judæorum sacerdotes & magistratus evocavit, indicaturus eis Caii mandata de dedicandâ in Templo statuâ; simulque suasurus ut patienter ferrent jussa Domini, & caverent mala imminentia: paratum enim esse robur exercitus Syriaci ad edendas per totam eorum regionem strages maximas. Qui percussi ad primam ejus rei mentionem, tanquam in præsentî calamitate obmutuere; quasi è fonte profundendo lachrymas, & capillos barbâsque vellendo. Qui verò Hierosolymis cæterâque regione famam hujus conatus audierant, velut de communi sententiâ coorti, tesseram dante dolore publico, profecti sunt uno agmine, desertis opidis, castellis & ædibus; continuoque itinere contenderunt in Phœniciam, ubi tunc agebat Petronius. Ac primùm tantus clamor cum fletu planctûque sublatus est, ut hebetaret aures præsentium. Secutæ sunt compellationes, & preces quales dicere solent calamitosa tempora. Erant autem distributi in sex ordines, seniorum, juniorum, puerorum; rursus aliâ parte, anuum, mulierum, virginum. Ubi verò Petronius in loco superiore conspectus est, universi ordines velut ad unum edictum humi procubuerunt supplices cum ululatu quodam flebili. jussique surgere & accedere propius, vix tandem surrexerunt, & conspersi multo pulvere diffluentisque lachrymis, accedebant reductis more damnatorum ambabus manibus. Quorum miserabili supplicatione Petronius simul cum assessoribus commotus, consultatione habitâ, litteras ad Caium mittendas curavit: quibus dedicatio statuæ dilata fuisse significabatur partim propter opifices, certum temporis spatium ad colossum perficiendum necessariò requirentes; partim propter convectionem frumenti, ad iter quod cum copiis suis in Ægyptum Caius instituere ferebatur necessariam. Maturas enim tum segetes fuisse: timendumque, ne deploratâ religione Judæi vitam quoque contemnerent, & vastatis agris suasmet fruges latè per campos collésque incenderent.

[*Ibid.*]

Acceptis litteris, Caius ad tempus iram adversus Petronium tegebat implacabilem. Vehementer enim timebat præsidem, quòd illis promptum esset res novas moliri, præsertim in magnis provinciis apud magnos exercitus; qualis erat ad Euphratem tractus Syriæ. Delinito igitur per litteras homine, laudabat in speciem ejus providentiam & in prospiciendis futuris solertiam: mandato tamen addito, ne missis jam coniectis ullam curam præverteret dedicationis negotio.

[*Ibid.*]

Ad Judæorum Alexandrinorum legatos pervenit tum hujus rei nuncius: jussisse Caium poni sibi colossum in adytis Templi intimis, ascito in titulo novi Jovis cognomento. Quo illi attoniti, omnes simul conclave ingressi & inclusi deplorabant fortunam privatam atque publicam: Deum tamen servatorem non defore sperantes, qui sæpè gentem hanc eripuerit exitio. [*Ibid.*]

Agrippam regem, qui horum omnium ignarus ad Caium salutantum more suo venerat, ille torvè intuitus, *Boni, inquit, honestique cives tui. qui soli ex omni hominum genere dedignantur Caium habere pro Deo, videntur jam mortem sibi per contumaciam querere: dum me jubente*

bente in ipsorum templo consecrari Foris simulachrum, populariter ex urbe agrisque occurrunt specie supplicam, sed reverà mandatum meum proculcatur. Quibus auditis, rex horrore est correptus; & tremore membra quatiente solutisque nervis collapsus fuisset, ni cum sustentassent proximi: qui iussi domum illum retulerunt nil sentientem, & subitanè vi mali sopitum ac stupidum. At Caius magis etiam exasperabatur in gentis odium. Si Agrippa, inquit, familiaris & amicissimus plurimisque devinctus beneficiis, tantum tribuit patriis ritibus, ut ne verbo quidem eos violari ferat, sed deliquit penè exanimatus sit: quid expectandum est ab aliis, qui nihil habent quod se in diversum retrahat? [Philo, de legat.]

Agrippa ad se reversus, prolixas pro gente suâ ad Caium scripsit litteras, (à Philone libro de legatione suâ insertas:) quas hoc ille terminavit epilogo. *Quid de me loquentur vel tribules, vel universi homines? Alierutrum enim sequetur, aut ut appeller meorum proditor, aut inter tuos amicos posthac non habear: quo utrolibet quid potest esse infelicius? Nam si adhuc in amicus numeror, prodissionis insimulabor; si nec patriam indemnem, nec templum inviolatum præstitero. nam vos prapotentis solentis amicorum ad imperatoriam operam confugientium rebus consulere. Quod siquâ in re animo tuo molestus sum, noli me vincire, ut Tiberius, sed ne toties vincula timeam, jube mox interire. quid enim mihi vitâ opus est, cui spes unica salutis fuit in tuâ benevolentia?* [Ibid.]

His litteris Caius mitigatus, ut videbatur, respondit clementiùs; & Agrippæ donavit ceu maximam gratiam ne fieret dedicatio. simulque scribi iussit Publio Petronio Syriæ præsidi, ne quid in Judæorum templo novaret. Ne tamen solida esset ea gratia, terrorem admiscuit sic scribens. *Quod si extra unam metropolim in finitimis urbibus quicumque volentes aitaria templave aut statuas imaginésve mihi meisque ponere veriti fuerim; quisquis obstiterit plectatur continuo, aut ad me mittatur.* Verùm divinâ providentiâ factum est, ut nemo finitimorum quicquam moveret. [Ibid.]

Peste apud Babylonem grassante, Judæorum multitudo inde Seleuciam migravit: quò & alia eorum multitudo, relicta Ncerdâ, (quæ urbs Babylonæ, fluentis Euphratis cincta, Judæorum Academia erat, indeque Syriacè *ΝΥΤΤΩ* quasi *flumen scientia* denominata) ante quinquennium se contulerat. Seleuciæ verò semper Græcis malè cum Syris conveniebat, Græcorum tamen factione præponderante. Quò postquam à Judæis migratum est, eorum favore conditio Syrorum coepit esse potior, aucta viris bellicosus & periculorum contemptoribus. Quare Græci succumbentes, & videntes se non posse recuperare dignitatem pristinam manente Judæorum & Syrorum consensu, suos quisque familiares Syros appellaverunt de pace & amicitia: id quod facilè impetratum est. Nam quum utrinque primatibus commissum esset negotium, secuta est reconciliatio: quam ira demum ratam fore placuit, si utrique Judæos communibus prosequerentur odiis. Itaque eos improvisò aggressi occiderunt supra quinquaginta virorum millia: neque ullus evasit, nisi quem amici aut vicini servavit misericordia. Hi deinde secesserunt Ctesiphontem urbem Græcanicam
vici-

vicinam Seleuciæ; ubi quotannis rex hybernare est solitus, habens ibi majorem supellectilis partem repositam: ibique sedes fixerunt, tutos se rati regię majestatis reverentiã. Cæterum Babyloniorum ac Seleuciensium terror omnes ejus tractus Judæos pervagatus est: quando quicquid erat Syrorum in illis regionibus cum Seleuciensibus conspiravit in eorum perniciem. Quo factum est ut plerique Neerdam & Nisibim se receperint, securitatem suam reponentes in earum munitionibus; quæ alioquin etiam habitabantur à viris bellicosissimis. [*Jos:ph. lib. 18. cap. ult. fin.*]

Romam Caius natali suo (qui postremus mensis Augusti dies fuit) ovans ingressus est. [*Sueton. in C. Calig. cap. 43.*]

4044

Alexandrinis legatis coram Caio comparentibus, Apion multa in Judæos jactavit crimina; interque cætera, quòd Cæsarem non prosequerentur debitis honoribus. nam cum quàm latè patet orbis Romanus Caio extruerentur templa & altaria, & pari honore coleretur cum cæteris numinibus; solos istos turpe putare dedicare illi statuas, aut jurare per nomen Cæsaris. His & multis aliis, quæ ad exasperandum Caium facerent, ab eo prolatis, quum respondere pararet Philo; repulsus est à Cæsare jubente illum abire, & per iracundiam vix temperante ab injuriã. Ita verò cum contumeliã ejectus Philo, Judæos qui illum comitabantur bono jussit esse animo: Caium, tametsi verbo quidem illis succensebat, re tamen ipsã perfecisse, ut Deus ipsi contra ejus conata præstò esset ad opitulandum. [*Jos:ph. lib. 18. cap. 10. Euseb. lib. 2. Histor. eccles. cap. 5.*]

Caius, gratiæ Judæis concessæ jam poenitens, jussit Romæ fieri aliud colossum æreum inauratum, omisso illo Sidonio, ne quem motum excitaret in populo: utque navibus transportatum per silentium, repente clam priusquam sentiretur in Templo Hierosolymitano poneret. Id autem facturus erat obiter, in Ægyptum navigans. Tenebatur enim miro visendæ Alexandriae desiderio, magnã curã profectionem instituens, ut ibi diu degeret: ratus deificationem suam, quam somniabat, in hãc unã civitate posse succedere, atque inde hujus religionis exemplum manaturum ad minores cæteras. Ita Philo, qui hæc optimè scivit, in legatione suã ad Caium: ex quo reformandum illud Taciti, de Judæis. *Fussit à Cæsare effigiem ejus in templo locare, arma positivis sumpsere: quem motum Cæsaris mors diremit.* [*Histor. lib. 5. cap. 9.*]

Apelles Ascalonita, qui Caium in Judæos incitaverat, ab eodem propter alia crimina ferreis compedibus vinctus, & in rotã ex intervallo sæpius tortus est. [*Philo, de legat.*]

A fortibus Antiatinis monitus Caius, ut à Cassio caveret, C. Cassium Longinum Asiæ tum proconsulem in suspicione habens, qui genus à Cassio Julii Cæsaris interfessore ducebat, vinctum ad se adduci jussit, & occidendum delegavit: immemor Chæream, à quo paulo post occisus est, Cassium etiam nominari. [*Sueton. in C. Calig. ca. 57. Dio, lib. 59. pag. 662.*]

Apollonius Ægyptius, qui domi dixerat quid Caio esset eventurum, Romam ad eum adductus est ipsã die cædis (quem IX. Kalend. Februar.

475441

Februar. fuisse, in cap. 58. Suetonius significat) & evocatus ad ludendum paulo post supplicium, salvus evasit. [*Dio, ibid. pag. 663.*]

Imperavit C. Caligula triennio, 10 mensibus, & diebus 8. ut est apud Suetonium, [*cap. 59.*] & Clementem Alexandrinum, in 1^o libro Stromatum: vel mensibus potius 9. & diebus 28. ut in libri 59. fine habet Dio. Cujus loco patruus ejus, Claudius Cæsar Drusi filius, à Prætorianis militibus Imperator declaratus est.

Rex Agrippa, ubi cognovit ad imperium raptum esse à militibus Claudium, ægrè dimotâ turbâ ad eum pervasit, & nactus eum turbatum pronumque ad cedendam potestatem Senatui confirmavit, hortatus ut magno animo in retinendo principatu pergeret. Jamque unus erat è fautoribus Claudii, cum accersitus à Senatu ignarum se omnium simulans, & unguentis delibutus tanquam à computatione veniens, ex senatoribus quæsitit quid de Claudio factum sit. Quibus id quod verum erat respondentibus, & insuper ipsius sententiam de præsentis statu postulantibus; se quidem aiebat pro Senatus dignitate nullum recusare periculum, existimare tamen mittendos esse aliquos ad Claudium qui ei principatum deponere suaderent: & ad eam legationem semetipsum obtulit. Cum aliis verò aliquot ille missus, Claudio seorsum trepidationem Senatus indicavit: authorque fuit, ut responderet sicut decebat ad summam potestatem evectum principem. sicut & postea idem Claudio author fuit, ut erga Senatores ad ipsum conversos mitius sese gereret. [*Joseph. lib. 19. ca. 3.*]

In imperio confirmatus Claudius, Mithridatem Iberum, quem Caius evocatum in vincula condiderat, domum ad recipiendum regnum remisit: & alii cuidam Mithridati, qui genus à magno illo Mithridate deducebat, Bosphorum largitus est; pro eo parte Ciliciæ Polemoni datâ [*Dio, lib. 60. pag. 670.*]

Agrippæ Palæstino, qui cum in potiundo principatu adjuverat Romæ tunc præsens, regnum auxit, & honores consulares tribuit. Fratri quoque ejus Herodi prætoriam dignitatem, & principatum quendam (Chalcidis sc.) concessit: in senatumque ingredi eos, ac patribus Græcè gratias agere permisit. [*Id. ibid.*]

Et. editum quidem à Claudio est propositum, quo Agrippam in regno per Caium antè concessio confirmabat, collaudans simul ejus operam & industriam: additâ insuper Judæâ & Samariâ, quòd olim ad ejus avi Herodis regnum pertinuissent. Has igitur velut familiæ debitas restituit: Abilam autem & finitimam ejus ditionem in Libano, quæ Lysaniæ fuerat, adjunxit de suo. Fœdus deinde regis cum Romano populo in æs incisum est in urbis foro medio. [*Joseph. lib. 19. cap. 4.*]

Dimisit Claudius Alexandrum Lyfimachum Abibarcham veterem amicum, & olim procuratorem suæ matris Antoniæ; quem Caius iratus vinxerat: cujus filio Marco desponsa fuit Bernice Agrippæ filia. (de quâ, Act. XXV. 13, 23.) quo defuncto ante nuptias, rex virginem Herodi suo fratri eam collocavit; impetratò illi regno Chalcidis à Claudio. [*Id. ibid.*]

Antiochum, suo regno à Caiq. privatam, Commagenâ donavit

& parte quâdam Ciliciæ. [*Id. ibid. Dio, lib. 60. pag. 670.*]

Helicon Ægyptius, qui Caii cubiculo præfectus fuerat & ipsum contra Judæos incitaverat, propter alias culpas à Claudio interfectus est: ut notat Philo, in libro de legatione ad Caium. Quem librum, *De virtutibus* ironicè à se inscriptum (cùm summam Caii improbitatem suis coloribus in eo depingat) Claudio imperante coram universo Senatu Romano recitavisse illum memoriæ proditum est: in-
deque non illud opus solum, sed etiam alia ab eo edita, tantopere admiratos fuisse Romanos, ut digna existimarent quæ in Bibliothecis tanquam monumenta quædam reponerentur. [*Enseb. lib. 2. Histor. Ecclesiast. cap. 17. xxi. in.*] inter quæ, & quinque libri fuerunt, de miseris quas sub Caii imperio Judæi perpeffi fuerant, ab eo conscripti. [*Id. ibid. cap. 5.*] quorum tres perierunt: ad Flaccum uno, & de legatione illo altero, adhuc relicto superstite.

Occiso verò Caio Judæi qui sub eo vehementer ab Alexandrinis oppressi fuerant, cœperunt animos resumere: moxque ad arma ventum est. Tum Claudius per epistolam mandavit Ægypti præfidi, ut seditionem illam compesceret: atque ad preces Agrippæ Judææ & Herodis Chalcidis regis pro Judæis edictum Alexandriam misit, scriptum in hanc sententiam. *Volo inconcussa esse jura eorum à Caii insania: eisque jus esse perseverandi in patriis ritibus. Fubeoque utramque partem, quoad potest, dare operam ne quid turbarum commoveatur: idque proposito hoc edicto ita statuo.* [*Joseph. lib. 19. cap. 4.*]

Eorundem quoque Regum rogatu, Claudius II. Consul designatus (primo hoc imperii sui anno) Judæis non solum Alexandriæ, sed etiam per totum imperium suum sparsim habitantibus, permisit ut suo jure & majorum moribus uterentur: simul etiam monens, ut hâc gratiâ contenti modestiùs se gererent, neque conspuerent religiones externarum gentium; suis autem suo arbitrato viverent legibus. [*Ibid.*] Romæ verò, quum Judæi adeò iterùm frequentes fierent, ut difficulter sine tumultu propter multitudinem urbe possent exigi; non ejecit quidem eos, patriis tamen legibus vitam agentes, convenire vetuit. Reducta quoque à Caio collegia dissolvit: & cauponum tabernas, in quibus coeuntes potabant, sustulit. [*Dio, lib. 60. pag. 669.*]

Claudius Agrippam regem, præfidibus provinciarum & procuratoribus omnibus per litteras commendatum, ad curam sui regni misit. Qui magnâ celeritate usus, Hierosolymam pervenit: ibique votiva sacrificia persolvit, nihil eorum omittens quæ lege præscripta sunt. Unde & multos Naziræos tonderi mandavit: & catenam auream donatam à Caio, monumentum suarum calamitatum & divinæ liberationis, in sacrario supra gazophylacium suspendit. Ritè verò votis Deo redditis, Theophilum Anani filium submovit à summo sacerdotio; & Simonem cognomento Cantharam, Boëthi (Herodis Magni foceri) filium, in ejus locum substituit. Hierosolymitis deinde amoris ipsorum & benevolentiae gratiam retulit, remisso eis tributo quod soliti erant in singulas ædes pendere. Magistrum autem præfecit toti suæ militiæ Silam, quem multorum & diffi-

cilium

cilium laborum individuum socium habuerat. [*Joseph. lib. 19. cap. 5.*]

Paulo post Doritæ quidam juvenes temerarii religionis specie posuerunt in synagogâ statuam Cæsari. Quo factò vehementer rex Agrippa commotus ad iracundiam, sine morâ ad Petronium Syriæ præsidem profectus, questus est de eorum audaciâ. Qui & ipse non minùs ægrè ferens hoc facinus, ut impium & Imperatoris mandatis contrarium, Doritarum magistratibus asperius scripsit: eos qui contra edictum Augusti ausi sunt talia, per centurionem Vitellium Proculum ad se adduci jubens; & ne quis in posterum tale quippiam auderet imperans. [*Id. ibid. cap. 5. & 6.*]

Cæsareæ Cornelius Romanus centurio cohortis ad legionem Italicam spectantis, Judaicæ religionis studiosus sed incircumciscus, (cujusmodi *Proselytos portæ & Pios nationum* Hebræi appellare solent) quasi horâ diei nonâ ab Angelo sibi apparente jussus est Simonem Petrum accersere; qui per longum jam tempus Joppæ moratus fuerat apud Simonem coriarium. Qui mandato illius obtemperans, duos ex famulis suis ad eum misit & militem pium ex iis qui cum ipso erant assidui. [*Act. X. 1. — 8. cum IX. 43.*]

Postridie illis iter facientibus, & appropinquantibus urbi, ascendit Petrus in tectum domus ut precaretur, circa horam sextam. ubi dum esurienti paratur cibus, in mentis excessu posito conspectum est lineum magnum è cœlo demissum, omni animalium genere refertum. De quibus cum promiscuè comedere jussus, Gentes pro immundis habendas non esse didicisset; Spiritu monente, postridie cum missis à Cornelio, sex Joppensibus quibusdam fratribus comitantibus, Cæsaream perrexit: ubi Cornelium cum totâ familiâ & amicis quamplurimis in ejus domo congregatis, concione ad eos habitâ, ad fidem Christi convertit; atque Spiritu sancto cœliùs in eos ultrò, nullâ præcedente Petri manuum impositione delapso, Christi baptismo tinxit. [*Act. X. 9. — 48. & XI. 5. — 17.*]

Audierunt autem Apostoli & fratres qui erant in Judæâ, Gentes etiam recepisse sermonem Dei. Quum igitur ascendisset Petrus Hierosolymam, litem ei moverunt qui ex Judaismo ad Christum erant conversi, quòd cum viris incircumciscis conversatus fuisset & cibum sumpisset. Qui cum rem totam ordine eis exposuisset, & sex fratrum qui adfuerant testimonio comprobâisset; quieverunt illi, & glorificaverunt Deum, quòd etiam Gentibus dedisset poenitentiam ad vitam. [*Act. XI. 1. — 18.*]

Rex Agrippa Simonem Cantharam Pontificatu privavit: quem cum vellet Jonathæ Anani filio tradere, renuente isto per modestiam, quòd jam antea eo honore esset semel defunctus, contulit eum in fratrem ejus Matthiam, ab ipso ut longè digniorem ei commendatum. [*Joseph. lib. 19. cap. 6.*]

Petronio Vibius Marfus in administratione provinciæ Syriæ successit. [*Id. ibid.*]

Silas magister militiae regis Agrippæ, quia per omnem fortunam ei fidus nullius unquam periculi socius esse detrectaverat; fretus

amicitiâ postulabat etiam parâ honoris esse particeps: & in familiaribus colloquiis molestus erat interdum extollens se immodicè, & sæpè prioris fortunæ adversitates in memoriam revocans. Quæ cum sine modo repeteret, in tantum regem exasperavit, ut non tantum præfecturam illi ademerit, sed etiam vincum in ipsius patriam adservandum miserit. Elapso deinde aliquanto tempore lenitâ jam irâ, quum natalem suam celebraret, accersivit Silam ut regio interesset convivio. Qui cum protervum responsum regi remisisset, eum reliquit in custodiâ. [*Id. lib. 19. cap. 7.*]

Ad Hierosolymorum curam rex Agrippa conversus, muros novæ quæ vocatur civitatis permuniit sumptu publico, latioresque & altiores quàm antè fuerant reddidit: et fecisset adversus omnem humanam vim inexpugnabiles, ni Marcus Syriæ præses Claudio significasset eam rem per litteras. Qui suspicatus Judæos molituros aliquid novi, diligenter scripsit Agrippæ, ut à muniendâ urbe desisteret: atque ille mox paruit. [*Id. ibid.*]

Patrefacto jam Gentibus fidei ostio, Cyprii & Cyrenenses qui dispersi fuerant post martyrium Stephani Antiochiæ in Syriâ Græcis (*Εὐλαως* hîc habet codex antiquissimus Alexandrinus, non, ut vulgati, *Εὐλλου* *στῆς*) Christum prædicaverunt: multusque numerus credidit, & conversus est ad Dominum. Hoc cum pervenisset ad aures ecclesiæ Hierosolymitanæ, misit ea illuc Barnabam: qui adhortatus est omnes firmiter adherere Domino. Et adjuncta est multa turba Domino. [*Act. XI. 20, — 24.*]

Romæ fame ingente exortâ, Claudius non modò ad præsens tempus copiarum alimentorum, verùm in perpetuum etiam prospexit. Cum enim frumentum, quo Roma utitur, omne propemodum aliunde advehatur; & Tiberis ostia portus opportunos non haberent: Portum Ostiæ extruxit. [*Dio, lib. 60. pag. 671, 672.*] post undecim annos opere ægrè absoluto; quamvis continuis 30 hominum millibus sine intermissione operantibus. [*Sueton. in Claudio, cap. 20.*]

Fames ista, quæ 2^o Claudii contigit, particularis fuit; sicut & altera, 11^o anno illius facta, cujus Tacitus, [*lib. 12. ca. 43.*] Suetonius, [*in Claudio, cap. 18.*] & Orosius [*lib. 7. cap. 6.*] meminerunt: non universalis illa ab Agabo prædicta; quam 4^o ejusdem anno cœpisse, non solum ex Chronico Eusebii & Orosio, [*lib. 7. cap. 6.*] sed etiam ex tempore mortis Herodis Agrippæ, cum eadem fame conjuncta, [*Act. XII. 23, 25.*] manifestum est.

Barnabas Tarsum abiit, ut quæreret Saulum: & eum inventum duxit Antiochiam. Factumque est ut annum totum convenirent in Ecclesiâ, docerentque turbam multam; & discipuli nominarentur primum Antiochiæ *Christiani*. [*Act. XI. 25, 26.*] Quod nomen, Latinâ non Græcâ formâ à *Christo* deflexum, à Romanis Antiochiæ tum agentibus impositum illis fuisse videatur.

Per id tempus descenderunt Hierosolymis Prophetæ Antiochiam: quorum unus Agabus, significavit per Spiritum, famem magnam futuram in toto terrarum orbe. [*Act. XI. 27, 28.*]

Lycios, ad eadem usque Romanorum quorundam tumultuando prof-

progressos, Claudius in servitutem redegit, & præfecturæ Pamphylæ adjecit. De quâ re quum in Curiâ cognosceret, legatum quendam Lycium quidem origine, Romanum tamen natum, Latinè interrogavit; ac non intelligenti, quid quævisset, civitatis jus ademit: dicens, Romanum eum esse non debere, qui sermonem eum nesciret. [*Dio, lib. 60. pag. 676.*]

Rex Agrippa, Beryti magnis sumptibus extructo pulcherrimo theatro & amphitheatro & balneis ac porticibus, dedicationem eorum splendidissimè celebravit: exhibitis in theatro spectaculis, & musicorum omne genus certaminibus, aliâque voluptatum varietate; in amphitheatrum verò inductis plurimis gladiatorum paribus. Volens deinde spectatores oblectare etiam catervatim commissis pugnantibus, ex maleficis in hoc destinatis duas cohortes fecit, 700 quamque hominum; ut illis per imaginem belli decertantibus, poena noxiolorum in pacis voluptatem verteretur: atque ita omnes mutuis ab sumpti sunt vulneribus. [*Joseph. lib. 19. cap. ult.*]

Tiberiadem deinde ad eum venerunt reges, Antiochus Commagenæ, Emesænorum Sampsigeranus, minoris Armeniæ Corys, Polemon Ponti, & præter hos Herodes frater rex Chalcidis. Quibus adhuc apud eum morantibus Marsus Syriæ præses supervenit. Servans igitur Agrippa debitam Romanis reverentiam, usque ad septimum lapidem obviam illi processit. Et quum eodem cum hospitibus curru veheretur; Marsus, suspectam habens tantam regum concordiam, per nuncios mandavit singulis, ut sine morâ discederent. Quâ re vehementer Agrippa offensus, Marsum exosum habuit. [*Id. ibid.*] sæpiusque per litteras Claudium est precatus, ut eum ab administratione rerum Syriæ amoveret. [*Id. lib. 20. cap. 1.*]

Matthiæ Anani filio ademptum Pontificatum Elionæo Cithæi filio Agrippa dedit. [*Id. lib. 19. cap. ult.*]

Ingruente fame, quæ ab Agabo prædicta fuerat, Christiani Antiocheni subsidium conferentes fratribus habitantibus in Judæâ, ad seniores illud miserunt per manum Barnabæ & Sauli; postquam illi simul per annum jam integrum populo Antiocheno verbum Domini prædicavissent. [*Act. XI. 26, 29, 30.*]

Per id tempus rex Herodes Agrippa (ut Syrus paraphrastes rectè eum hîc nominat) injectis manibus infestavit nonnullos ex Ecclesiâ. [*Act. XII. 1.*] ut institutis & ritibus patriis adversantes: quorum illum religiosissimum fuisse observatorem, Josephus indicat. [*lib. 19. cap. ult.*]

Interemit autem Jacobum (filium Zebedæi) fratrem Johannis gladio. [*Act. XII. 2.*] Addit verò ex traditione majorum Clemens Alexandrinus, libro 7^o Hypotyposeôn, [*apud Euseb. lib. 2. Histor. Ecclesiast. cap. 8. n. 6.*] eum ipsum qui Jacobum in judicium adduxerat, quum testimonium Christo illum tam liberè perhibentem cerne- ret, se etiam Christianum ingenuè confessum esse. Ambobus igitur unâ ad supplicium adductis, hunc inter eundem à Jacobo postulasse veniam sibi concedi: Jacobum autem paululum rem animo complexum dixisse, *Pax tibi*, illumque osculatum esse; & sic

tandem utrumque securi percussum vitam deseruisse.

Rex videns Jacobi cædem placere Judæis; Petrum etiam diebus Azymorum conjecit in carcerem, traditum quatuor militum quaternionibus ut eum servarent: volens eum post Pascha producere populo. Quum autem preces pro ipso assidue ad Deum fierent ab Ecclesiâ, noctu ab Angelo per miraculum liberatus, venit domum Mariæ matris Johannis Marci, ubi multi congregati precabantur: iisque monitis ut Jacobo (filio Alphæi, fratri Domini) & reliquis modum liberationis suæ annuntiarent, profectus est in alium locum. [Act. XII. 3.—17.]

Herodes spe suâ frustratus, innoxios custodes jussit ad supplicium rapi: ipsèque Cæsaream descendens, ibi commoratus est. Erat autem infenso erga Tyrios & Sidonios animo. Quorum agri quum ipsis alendis (hoc famis præsertim tempore) non sufficerent; sed ex vicinâ Galilæâ & aliis regionibus Herodi subditis victum sibi comparare necesse haberent: concorditer venerunt ad eum, & Blaſto regio cubiculario sibi conciliato pacem petierunt. Statuto autem die, Herodes indutus veste regiâ, & confidens pro tribunali, concionabatur ad eos: populo acclamante, *Vox Dei & non hominis*. Illico verò percussit eum Angelus Domini, eo quòd non tribuisset gloriam Deo; & crosus à vermibus, animam efflavit. [Act. XII. 18.—23.]

Eandem verò historiam ita Josephus amplificat; bubonis etiam apparitione adjectâ, ne Germanici sui harioli divinatio frustranea esse videretur. *Tertium Judæa totius regni annum exegerat, [ineunte jam quarto,] cum pervenit in urbem Cæsaream, qua prius Stratonis turris dicta est; ubi solennes ludos celebravit pro salute Cæsaris: ad quam festivitatem magna multitudo nobilium ac procerum convenerat ex totâ provinciâ. Ejus celebritatis die secundâ, processit manè in theatrum, amictus veste totâ ex argento mirabili opere contextâ, qua radiis orientis solis percussa, & divinum quendam fulgorem emittens, venerationem cum honore incutiebat spectantibus. Moxque adulatores perniciosi aliunde acclamantes, Deum consalutabant, rogantes ut saveret propitius; hæcenus enim ut hominem reveritos, nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortali naturâ excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigavit, nec repulit: pauloque post suspiciens vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem; moxque, ut sensit hunc esse calamitatis nuncium qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit. Secuta sunt ventris tormina, statim à principio vehementia. Conversis igitur in amicos oculis: En, inquit, ego vestrâ appellatione Deus, vitam relinquere jubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium; & quem immortalem salutastis, ad mortem raptor. Sed ferenda est voluntas cœlestis numinis. neque enim malè viximus, inò tantâ felicitate, ut omnes me beatum prædicent. Hac locutus, crescente dolore discruciabatur. Properè igitur relato in regiam rumor sparsus est brevè esse moriturum: quamobrem confestim totus populus unâ cum uxoribus atque liberis sacco indutus more patrio supplicabat Deo pro salute regis, omnia miscens lamentis & ejulibus. Rex autem in celsiore decumbens cubiculo, & in faciem stratos humi prospiciens, non temperabat sibi à lachrymis. Cruciatu deinde per*

con-

continuos quinque dies nihil item remittente confectus, vitam finiit. [Joseph. lib. 19. cap. ult.]

Septem regni annos illi tribuit Josephus; quatuor sub Caio (demptis videlicet tribus vel quatuor mensibus: neque enim quatuor integros annos in imperio exegit ipse Caius) & tres sub Claudio (tribus itidem aut quatuor mensibus additis:) atque ex annuis redditibus 1200 myriadas percepisse eum addit; neque eas tamen, propter summam ipsius munificentiam, sumptibus ejus suffecisse, sed mutuum præterea pecunias accepisse. [*Ibid.*]

Priusquam evulgaretur regis obitus, Herodes dynasta Chalcidis & Chelcias magister regie militie conspirantes simul Aristonem miserunt, qui Silam communem amborum inimicum interficeret: quasi hoc à rege mandatum acciperet. [*Ibid.*]

Agrippæ superstites fuerunt, filius quidem unus Agrippa, annum agens 17. qui Romæ eo tempore educabatur apud Claudium: filiae verò tres. Ex quibus Bernice nupta erat Herodi patruo, nata annos 16. reliquæ duæ tum erant virgines. Mariamme decennis, desponsata à patre Julio Archelao Chelcie filio: & Drusilla sexennis, ab eodem desponsata Epiphani filio Commagenorum regis Antiochi. [*Ibid.*]

Postquam cognitum est excessisse Agrippam, Cæsareæ & Sebastes (urbium ab avo ipsius conditarum) cives convitia infanda jactabant in defunctum: militum quoque vulgus protractas è palatio filiarum statuas unanimiter detulerunt in lupanaria, illisque illudebant modis quos turpe sit eloqui; instructisque per loca publica epulis convivia celebrabant coronis redimiti & unguentis delibuti, libantes interim Charonti, & sibi invicem propinantes præ gaudio quod ex obitu regis conceperant. [*Ibid.*]

Verbi Domini sementis crescebat & multiplicabatur. Barnabas autem & Saulus reversi sunt Hierosolymis, expleto ministerio; simul inde secum Johanne Marco assumpto. [*Act. XII. 24, 25.*]

Rhodos, quòd Romanos in crucem sustulissent, Claudius libertate privavit. [*Dio, lib. 60. pag. 681.*]

Cùm vellet Claudius Agrippam juniorem successorem paterni regni mittere; liberti & amici qui multum apud eum poterant dissuasurunt: negantes tutum, admodum adolescentem & vixdum pueritiã egresso tantum regnum committere; cui administrando esset impar, quòdque etiam viriles gravare posset humeros. In quo æquum illi visi sunt dicere. [*Joseph. lib. 19. cap. ult.*] licet ipsi reverã inhiarent præfecturis illarum regionum, ex quibus possent ditescere. Quò referendum illud Taciti. [*lib. 5. Histor. cap. 9.*] *Claudius, defunctis regibus aut ad modicum redactis, Judæam provinciam equisibus Romanis aut libertis permisit.*

Judææ igitur & totius regni Agrippæ (quod primi Herodis, avi sui, regno majus erat) præsidem Claudius Cuspium Fadum misit: defuncto hoc honoris tribuens, ne Marsum inimicum in regnum ejus induceret. Et ante omnia Fado injunxit, ut Cæsarienses & Sebastes acriter castigaret, propter inflictam regi mortuo injuriam, contumeliisque illatas filiabus ejus adhuc viventibus: alam verò Cæsariensium

riensium & Sebastenorum cum quinque illis cohortibus ablegaret in Pontum, illic militaturas; militæque è Romanis legionibus Syriam tumentibus delectos in illorum locum substitueret. Missâ tamen postea legatione flexerunt Claudium milites, ut manere eos in Judæâ permitteret: qui sequentibus temporibus maximarum calamitatum Judæis fuerunt initium, & seminarium belli exorti Floro præside. [*Joseph. lib. 19. fin.*]

Amoto etiam Marso in gratiam defuncti amici Agrippæ regis, à Claudio in Syriæ præfecturâ datum esse successorem Cassium Longinum, in libri 20. initio scribit Josephus: licet anno abhinc tertio Marsum in Syriâ adhuc præsidem Tacitus retineat.

4048

Judæi trans Jordanem fluvium habitantes cum Philadelphensibus contenderunt de Niæ vici finibus referti viris bellicosissimis. Transamnenfes autem illi, sine consensu primatum & magistratum, arma capientes Philadelphensium multos interfecerunt. Quo cognito, Cuspius Fadus vehementer iratus est; quod non expectâssent suum judicium, si putabant sibi factam à Philadelphensibus injuriam, sed ita temerè ad arma concurrissent. Comprehensis igitur tribus præcipuis seditionis authoribus, vinciri eos mandavit. Horum unum Annibam nomine affecit supplicio: reliquos duos Amaramum & Eleazarum exilio puniit. Nec ita multo post capitis damnavit Tholomæum latronum principem victum ad se perductum, qui plurima damna intulerat Idumæis & Arabibus: deditque operam, ut tota Judæa purgaretur à latrociniiis. [*Joseph. lib. 20. cap. 1.*]

Cassius Longinus (vel, juxta Taciti mentem, Vibius Marfus) Syriæ præses, Hierosolyma cum copiis veniens, & Cuspius Fadus Judææ procurator, accitis pontificibus & Hierosolymitanorum primatibus, mandatum Cæsaris eis exposuerunt; ut stolam & reliqua ornamenta summi Pontificis in arcem Antoniam deponerent, à Romanis ibi custodienda, quemadmodum ante Vitellii tempora fieri erat solitum. Illi non audentes contradicere, rogabant primùm, ut legatos sibi ad Cæsarem liceat mittere, qui ab eo petant sacræ stolæ servandæ jus: deinde, ut expectetur super eâ postulatione rescriptum illius. Responsum est permissuros, ut legati mittantur, si prius darentur obsides. Quùmque promptè liberos suos dedissent; legati profecti sunt. [*Joseph. lib. 15. cap. ult. & lib. 20. cap. 1.*]

475845

In Ecclesiâ Antiochenâ Prophetæ & doctores erant, Barnabas, & Simeon Niger, & Lucius Cyrenæus, & Manahem qui fuerat unâ cum Herode tetrarchâ educatus, & Saulus. Quibus ministrantibus Domino, & jejnantibus; jussit Spiritus sanctus, Barnabam & Saulum separari à reliquis ad ministerium prædicandi Evangelii. Hi jejuniis, precibus & manuum impositione ab Ecclesiâ Deo commendati, assumpto secum ministro Johanne Marco, Seleuciam venerunt; indeque in Cyprum (Barnabæ patriam) navigaverunt: ubi apud Salaminios primò coeperunt prædicare verbum Dei in synagogis Judæorum. [*Act. XIII. 1, — 4.*]

Peragratâ deinde insulâ Paphum usque, invenerunt ibi pseudo-prophetam Judæum Barjesu, Elymam sive Magum cognominatum: qui

qui *Sergium Paulum* regionis Proconsulem, verbum Dei à Barnabâ & Saulo audire desiderantem, avertere à fide conabatur. Quem cum Saulus acerrimè increpatum cæcitate subitò percussisset; Proconsul, hoc miraculo & doctrinâ Domini percussus, ad fidem est conversus. Atque ab eo tempore *Saulus* novo *Pauli* nomine semper invenitur appellatus. Ipse verò & qui cum eo erant provec̃ti Papho, venerunt Pergam Pamphylia: ubi Johannes Marcus abscedens ab eis, reversus est Hierosolymam. [*Ibid.*]

Legati Hierosolymitani, intercedente Agrippâ juniore qui tum apud Claudium educabatur, custodiæ stolæ Pontificalis à Vitellio priùs concessæ, confirmationem obtinuerunt: impetrato hâc de re Claudii, Tribunitiæ potestatis V. annum agentis, ad Hierosolymitanorum magistratus Rescripto, dato IV. Kalendas Julias Rufo & Pompeio Sylvano (suffectis) Consulibus. in quo gratificari se hîc etiam voluisse scripsit Herodi regi (Chalcidis) & juniori Aristobulo sibi devotissimis. [*Joseph. lib. 15. cap. ult. & lib. 20. cap. 1.*]

Eodem etiam tempore Herodes rex Chalcidis potestatem in Templum & sacrum ærarium, jusque eligendorum summorum Pontificum, à Claudio impetravit. [*Id. lib. 20. cap. 1.*]

Claudius, quia natali suo defectus Solis futurus erat, veritus ne quis inde tumultus existeret, quum alia quoque prodigia quædam accidissent; antequam fieret, scripto publicè proposito significavit, non modò futurum id deliquium; & tempus & quantitatem ejus, sed etiam causas ob quas necessariò eventurum esset. [*Dio, lib. 60. pag. 682.*] Natalis verò Claudii in Kalendas Augusti incidit. [*Id. ibid. pag. 667.*] quo die, duabus ferè horis ante meridiem Sol quartâ diametri parte defecit.

Herodes rex Chalcidis, amoto Simone Cantharâ, Josepho Canei (sive Camydis) filio summum Pontificatum contulit. [*Joseph. lib. 20. cap. 1.*]

Theudas quidam præstigiator, prophetam se jactans, magnæ vulgi multitudini persuasit, ut assumptis suis facultatibus ipsum ad Jordanem sequerentur: scissurum se verbo fluvium & facilem præbiturum transitum promittens. In hos Judææ procurator Cuspius Fadus turmas immisit equitum: qui ex improvîso irruentes multos interemerunt, multos vivos ceperunt, & in his ipsum Theudam, cujus caput abscissam reportârunt Hierosolyma. [*Joseph. lib. 20. cap. 2. fin.*]

Paulus & Barnabas digressi Pergâ, venerunt Antiochiam Pisidia: & ingressi in Synagogam die Sabbati, post lectionem Legis & Prophetarum à Synagogæ præfectis ad loquendum sunt invitati. Ubi egregiâ à Paulo concione habitâ, egressos ex Judæorum synagogâ gentes rogaverunt ut eadem sequente Sabbato ipsis exponerent. Solutoque conventu, secuti sunt multi ex Judæis & religiosis profelytis Paulum ac Barnabam: qui alloquentes eos, persuaserunt eis ut permanerent in gratiâ Dei. [*Act. XIII. 14, — 43.*]

Sequente verò Sabbato urbs propè tota convenit ad audiendum sermonem Dei. Visâ autem turbâ, Judæi repleti invidiâ, contradicebant iis quæ à Paulo dicebantur. Quorum blasphemii Paulus &

Barnabas commoti, Judæis relictis, solis Gentibus Christum prædicaverunt. Quibus cum lætitiâ Evangelium amplectentibus, crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam. Perferebatur autem verbum Domini per totam illam regionem. Unde irritati Judæi, per mulieres religiosas (*profelytas porta* Hebræis dictas) & honoratas, ac primos urbis, persecutione in Paulum & Barnabam excitatâ, eiecerunt eos è finibus suis: qui, excusso pulvere pedum suorum in eos, venerunt Iconium. Discipuli verò replebantur gaudio & Spiritu sancto. [*ibid.* 44, — 52.]

Iconii Paulus & Barnabas introeuntes synagogam Judæorum, ita loquebantur, ut crederet Judæorum simul & Græcorum magna multitudo. Qui verò increduli fuerunt Judæi, incitârunt & malè affectos reddiderunt animos Gentium adversus fratres. Multum verò tempus ibi commorati sunt, liberè loquentes, freti Domino; qui testimonium dabat sermoni gratiæ suæ, dabatque ut signa & miracula ederentur per manus eorum. [*Act.* XIV. 1, 2, 3.] Quo tempore ad Christi fidem conversa putatur Thecla Iconiensis virgo nobilissima: cujus tamen Acta inter apocrypha meritò referuntur à LXX. episcoporum Synodo sub Gelasio habitâ.

Scissâ urbis Iconiensis multitudine, alii à Judæis erant, alii ab Apostolis. Quum autem factus esset impetus Gentium ac Judæorum unâ cum suis primoribus ad eos injuriis afficiendos & lapidandos; perfrugerunt in civitates Lycaoniæ Lystram & Derben, & circumjacentem regionem: ibique evangelium prædicaverunt. [*Act.* XIV. 4, — 7.]

Lystræ claudo ab utero matris homine à Paulo sanato, quum plebs Paulo ut Mercurio, & Barnabæ ut Jovi sacrificare vellet: illi lacertis vestibus honorem illum averfantes, ægrè eos cohibuerunt ne sibi sacrificarent. Mox verò quum Iconio & Antiochiâ eò venissent increduli Judæi, excitato tumultu furiosa plebs Paulum lapidatum extra urbem traxit quasi mortuum. Quum autem circumstetissent eum discipuli, surrexit, & ingressus est urbem. [*ibid.* 8, — 20.]

Hoc anno, & hoc etiam fortasse tempore, raptus Paulus in tertium coelum, verba audiit ineffabilia; ante 14 annos quàm ab eo conscriberetur posterior ad Corinthios epistola. [*II Corinth.* XII. 2, 3, 4.] Quò spectare putatur Triephonis illud, apud Lucianum sive antiquiorem illo authorem dialogi qui *Ihilopatrís* inscribitur. *Quando me Galileus (sive Christianus) ille convenit recalvaster, naso justo præditus, qui in tertium usque cælum per aërem ingressus, qua optima atque pulcherrima sunt inde didicit; per aquam nos renovavit, in beatorum vestigia insistere fecit; & ex impiorum regionibus nos redemit.* Ita Triephon: *Deum aliè regnantem, magnum, ætherium, atque æternum, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria, ibidem etiam, Christianorum more, prædicans.*

Paulus cum Barnabâ, profectus Lystrâ, Derben venit: ubi prædicato Evangelio, multos Christo lucrifecerunt. [*Act.* XIV. 20, 21.]

Inter alios qui Christo nomen hoc tempore dederunt, fuit Timotheus, cum piâ matre suâ Eunice & aviâ Loïde; quæ ipsum ab infantia in sacrarum literarum scientiâ instituendum curaverant. Hic in locis

4759 46

locis illis tum degens, licet adhuc penè puer, persecutionum quas spiritalis ipsius pater B. Paulus Antiochiæ (in Pisidiâ) Iconii & Lystræ (in Lycaoniâ) sustinuit, oculatus testis fuit. [*Act. XVI. 1, 2. II Tim. I. 2, 5. & III. 11, 15.*]

Paulus & Barnabas ultra Derben non progressi, Lystram & Iconium & Antiochiam redierunt: confirmantes animos discipulorum, & ad afflictiones fidei causâ constanter tolerandas adhortantes. Et quum constituissent illis per singulas Ecclesias præsbyteros, precatique essent cum jeuniis; commendârunt eos Domino in quem crederant. Deinde peragrata Pisidiâ, venerunt in Pamphyliam: ac Pergæ locuti verbum Domini, descenderunt Attaliam. Et illinc navigaverunt Antiochiam, unde primò profecti fuerant ad opus illud quod impleverant: ubi congregatæ Ecclesiæ retulerunt quanta Deus per ipsos effecisset, & quomodo Gentibus ostium fidei aperuisset. [*Act. XIV. 21, — 27.*]

Cuspio Fido in Judææ procuratione successor datus est Tiberius Alexander, Alexandri Alabarch Alexandrini (veteris amici Claudii) filius; qui patriam religionem Judaicam deseruerat. [*Joseph. lib. 20. cap. 3.*]

Sub eo, fame adhuc grassante in Judæâ, Helena Adiabenorum (in Assyriæ & Mesopotamiæ confiniis) regina, à Judæo quodam ad veri Dei cultum conversa, Hierosolymam ad visendum Templum venit; ut ibi Deum adoraret, votivâsque victimas redderet: copioso viatico instructe, & dierum aliquot itinere eam deducente filio Izate rege; qui & ipse ab Ananiâ Judæo mercatore ad eandem religionem fuerat traductus. Cùmque multos civium illa videret perire alimentorum inopiâ, ex suis alios misit Alexandriam comparaturos vim magnam tritici, alios in Cyprum qui copiam ficuum passarum inde adveherent: quibus omnibus brevè reversis, cibos egenis distribuit. Filius quoque ejus Izates, comperto quantâ fame populus laboraret, pecuniam misit Hierosolymitanorum primatibus. [*Id. ibid. cap. 2. & 3.*]

Izates rex quinque adolescentes filios Hierosolymam misit, ut linguam & disciplinas Judaicas diligenter discerent. Mater quoque ejus Helena tres extruxit pyramides, tribus ab urbe Hierosolymitanâ distans stadiis: in quibus & ipsius & filii Izatis ossa postea sunt condita. [*Ibid. cap. 2.*] quæ Helenæ monumenta non solum Josephi, sed etiam Eusebii & Hieronymi tempore adhuc extabant. [*Joseph. lib. 5. Belli, 11. & 15. in Græco; vel, lib. 6. cap. 6. & 7. in Latino. Euseb. lib. 2. histor. Ecclesiast. cap. 11. 11. & Hieronym. epist. 27.*]

4050

Paulus & Barnabas Antiochiæ cum discipulis non parvum tempus commorati sunt. [*Act. XIV. 28.*] Post quod, Paulus Christi evangelium usque ad Illyricum propagavisse, videtur; iis qui de Christo nihil adhuc audiverant illud prædicando. [*Rom. XV. 19, 20.*] eaque perpeffus fuisse, quæ in posteriore ad Corinthios epistolâ [*c. XI. 24, 25.*] ipse commemorat. nempè, ut Philippis postea semel, ita priùs bis à Gentibus alibi, cæsus virgis fuisse; à Judæis quinquies plagas quadragenas unâ minùs accepisse: ter naufragium fecisse, noctem ac

diem in profundo egisse. Cùm enim inter Pauli & Barnabæ ad Ecclesiam Antiochenam reditum & eorundem ex eâ ad Concilium Hierosolymitanum institutam profectioem, juxta nostras quidem rationes, integrum interpositum reperiatur quinquennium: nusquam alibi commodius reponere ista possumus, quàm in hoc tanti spatii sacre Historiæ silentio.

Valerio Asiatico Consule iterùm, Therasia insula, spectantibus nautis, in Ægeo mari enata est. [*Seneca, Natural. quest. lib. 2. cap. 26. & lib. 6. cap. 21.*] nocte quâ defectus Lunæ acciderat. [*Aurel. Victor, in Claudio.*] Conspicua autem fuit Eclipsis Lunæ nocte interjectâ inter ultimum Decembris diem, terminantem annum illum quo secundum Consulatum gessit Valerius Asiaticus, & Kalendas Januarias inchoantes Consulatum Claudii Aug. IV. & L. Vitellii III. sub quo, parvam insulam, antè non visam, apud Theram insulam enatam esse, retulit Dio. [*lib. 60. pag. 685.*]

Jacobus & Simon filii Judæ Galilæi (qui, Quirinio censum agente, Judæos ad defectionem sollicitabat) à Tiberio Alexandro Judææ procuratore crucis supplicio affecti sunt. [*Joseph. lib. 20. cap. 3.*]

Herodes rex Chalcidis, amoto Josepho Camydæ filio, Ananiam Nebedæi filium Pontificem constituit. [*Id. ibid.*]

Artabano Parthorum regi, conjugique ac filio, Gotarzes necem præparavit. [*Tacit. lib. 11. cap. 8.*] Moriens verò Artabanus, regnum Bardani filio suo reliquit. [*Joseph. lib. 20. cap. 2.*] Ambo enim hi fratres, Gotarzes & Bardanes, Artabani potiùs filii habendi sunt, cum Josepho; quàm fratres, cum Tacito.

Bardanes à Parthis, Gotarziis sævitiam metuentibus, ad capeffendum regnum accitus, ut erat magnis ausis promptus, biduo tria millia stadiorum invadit, ignarùmque & exterritum Gotarzem prorubat: neque cunctatur, quin proximas præfecturas corripiat, solis Seleucensibus dominationem ejus abnuentibus. In quos, ut patris quoque sui defectores, irâ magis quàm ex usu præfenti accensus, implicatur obsidione urbis validæ, & munimentis objecti amnis muroque & comitatibus firmatæ. Interim Gotarzes Daharum Hyrcanorùmque opibus auctus, bellum renovat: coactùsque Bardanes ommittere Seleuciam, Bactrianos apud campos castra contulit. [*Tacit. lib. 11. cap. 8.*]

Nuntiatâ Parthorum discordiâ summâque imperii ambiguâ, Mithridates majoris Armeniæ rex, monente Claudio Cæsare, in regnum remeavit, fratris sui Pharasmanis Iberorum regis filius opibus. Et quidem distractis eo modo Orientis viribus, & quonam inclinarent incertis, Armeniam ille occupavit: Romano milite castellorum ardua subigente, simùlque Ibero exercitu campos persultante. Neque enim resistere Armenii, fuso qui prælium ausus erat Demonaeste præfecto. Paululum cunctationis attulit rex minoris Armeniæ Cotys, versis illic quibusdam procerum: sed eo litteris Cæsaris coërcito, cuncta in Mithridatem fluxere; atrociorè quàm novo regno conduceret. [*Ibid. cap. 8. & 9.*]

Quum Gotarzes & Bardanes pugnam pararent, Gotarze populari-

um

4760 47

um infidias fratri patefaciente, complexi dextas, apud altaria pepigere, fraudem inimicorum ulcisci, atque ipsi inter se concedere. Cúmque potior Bardanes regno retinendo fuisset visus: Gotarzes, ne quid æmulationis existeret, penitus in Hyrcaniam abiit. [*Ibid. cap. 9.*]

Regresso Bardani dedita est Seleucia, septimo post defectionem anno. Exin validissimas præfecturas ille invasit: & recuperare Armeniam in animo habebat, ni Vibio Marso (vel, juxta Josephum, Cæsio Longino potius) Syriæ legato bellum minitante cohibitus foret. [*Ibid.*]

Tiberio Alexandro in Judææ administratione Ventidius Cumanus successit, & vitâ decessit Herodes rex Chalcidis Agrippæ magni frater, anno imperii Claudii octavo; relictis tribus filiis superstitibus. quorum Aristobulus ex priorè uxore (Mariamne) natus est: è Bernice verò fratris filiâ Bernicianus & Hyrcanus. [*Joseph. lib. 20. cap. 3.*]

Instante Paschatis festo, concurrentibus undique ad solemnitatem turbis plurimis, Cumanus (præcedentium præsidum exemplo) jussit cohortem unam armatam stare supra Templi porticus; cohibituram tumultum, si quis fortè existeret. Ejus festi die quartâ quidam miles nudatas obscœnas corporis partes populo ostendit. Quâ contumeliâ furentes Judæi vociferabantur non se affectos, sed ipsum Deum quem honoraret ea celebritas: & quidam audaciores in Cumanum jactabant convitiis, dicentes ab illo submissum petulantem illum militem. His auditis Cumanus & ipse non mediocriter turbatus est: rogabat tamen ut desinerent movere seditionem festo tempore. Cúmque impeterent eum convitiis, jussit totum exercitum armis convenire in Antoniam, castellum templo imminens. Vulgaris autem multitudo viso adventu militum territa, coepit magno impetu fugere: & cùm essent angusti viarum exitus, rati à tergo hostem insequi, comprimebant se inter fugiendum & conculcabant in angustiis: ita ut 20 millia extintorum illo tumultu numerata fuerint, quemadmodum in lib. 20. Antiquit. cap. 4. habet Josephus. In libro verò 2^o. Belli Judaici, [*cap. 11. καφ. κ.*] ὑπὲρ τῶν μυρίων, *supra 10 millia*, perussisse legimus: ubi, ὑπὲρ τριημιμυρίων, *supra 30 millia*, Rufinus legit; eundem quoque numerum Eusebio, tum in Chronico tum in Ecclesiasticæ historiae libro 2^o. [*cap. 18. καφ. 19.*] & Orosio, [*lib. 7. cap. 6.*] retinentibus.

Quidam qui ex illâ turbâ fugientes evaserant, in publicâ viâ, juxta Bethoron, centesimo ab urbe stadio Stephanum Cæsaris servum iter facientem aggressi sunt latrocinio, omnesque ejus diripuerunt sarcinas. Quo audito Cumanus confestim eò misit milites, jussos ut vicis loco propinquos diriperent. In hac populatione miles quidam libros Mosaicos in quodam vico inventos protulit, eosque laceravit in conspectu omnium; multis debacchatus & in legem & in totam gentem convitiis. Hoc ubi ad Judæos perlatum est, facto concursu agmine magno petunt Cæsaream, in quâ tum Cumanus agebat, supplicantes ut non suam, sed læsi numinis ulcisceretur injuriam. Tum præses veritus defectionem populi, de amicorum consilio militem illum violatorem legis securi ferit; atque hoc modo tumultum jam repullulantem sedavit. [*Joseph. ut supr.*]

Apollonius Tyaneus, ad Indos itinere instituto, urbem Babyloniam intravit mense secundo anni tertii regni Bardanis: ibique cum Rege congressus est. [*Philostat. in vitâ Apollon. lib. I. cap. 19. & 20. collat. cum Eusebio, in Hieroclem.*]

Gotarzes poenitentiam concessi regni, & revocante nobilitate, cui in pace durius servitium est, contraxit copias. Huic contra itum est ad amnem Erindem: in cujus transgressu multum cernati, pervicit Bardanes; prosperisque præliis medias nationes subegit, ad flumen Ginden, quod Dahas Ariôsque determinat. Ibi modus rebus secundis positus: nam Parthi quanquam victores, longinquam militiam aspernabantur. Igitur exstructis monumentis, quibus opes suas testabatur, nec cuiquam antè Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, Bardanes regreditur: ingens gloria, atque eò ferocior, & subjectis intolerantior. [*Tacit. lib. II. cap. 10.*]

Bardanes ad Izatem Adiabenorum regem profectus, ut vellet sibi belli adversus Romanos gerendi esse socius, ei suavit. Quem à proposito deducere conabatur Izates, continenter denarrans ei Romanorum gesta & potentiam. Bardanes autem his offensus, continuò bellum indixit Izatæ: quod tamen, morte præventus, exequi non potuit. [*Joseph. lib. 20. cap. 2.*] Parthi enim postquam mentem ejus cognoverunt, & quòd Romanis bellum inferre statueret, dolo antè composito, incautum venationique intentum interfecerunt primam intra juventam; sed claritudine paucos inter senum regum, si perinde amorem inter populares, quam metum apud hostes quævisisset. [*Id. ibid. Tacit. lib. II. cap. 10.*]

Nece Bardanis turbatæ Parthorum res, inter ambiguos quis in regnum acciperetur. Multi ad Gotarzen inclinabant; quidam ad Meherdatem (Vononis I. filii Phraatis III. filium) qui obsec Romanis fuerat datus. Deinde prævaluit Gotarzes: potitusque regiam, per sævitiam ac luxum adegit. Parthos mittere ad Claudium Romam occultas preces, quibus mitti Meherdatem patrium ad regnum orabant. [*Tacit. ibid.*] Gotarzis dominationem nobilitati plebique, juxta intolerandam, apud eum conquesti. Jam enim fratres, jam propinquos, jam longius sitos, cædibus exhaustos; adjici conjuges gravidas, liberos parvos: dum focors domi, bellis infaultus, ignaviam sævitiam tegat. [*Id. lib. 12. ca. 10.*]

Quum dux Romanus Didius è regno Bosphorano Mithridatem expulisset, & fratrem ejus Coryn juventam rudem in eo collocasset, robur exercitus inde abduxit; paucis tantum cohortibus, cum Julio Aquilâ equite Romano, novo regi ibi relictis. Mithridates amissis opibus vagus, concivit nationes, illexit perfugas, postremoque exercitu coacto, regem Dandaridarum exturbavit, imperioque ejus potitus est. [*Tacit. lib. 12. ca. 15.*]

Parthorum legatis auditis, Claudius Meherdatem eis regem dedit; monitum, ut non dominationem & servos, sed rectorem & cives cogitaret, clementiamque ac justitiam capefferet. Datumque est C. Cassio, qui Syriæ præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis. [*Id. ibid. ca. 11.*]

Eâ tempestate Cassius cæteros præminebat peritiâ legum, militarium artium ignarus. Quantum tamen sine bello dabatur, revocabat priscum morem, legiones eâ curâ exercitando ac si hostis ingrueret; ita dignum majoribus suis, & familiâ Cassiâ ratus, per illas quoque gentes celebratâ. Excitis igitur quorum de sententiâ petitus rex, positisque castris apud Zeugma, unde maximè pervius amnis, postquam illustres Parthi, réxque Arabum Acbarus (sive Abgarus) advenerat, monuit Meherdatem, barbarorum impetus acres cunctatione languescere, aut in perfidiam mutari: itaque urgeret cœpta. Quod spre- tum fraude Acbari, qui juvenem ignarum & summam fortunam in luxu ratum, multos per dies attinuit apud opidum Edeffam. [*Ibid. cap. 12.*]

Quum Mithridates, Dandaridarum imperio potitus, jam jamque Bosphorum invasurus crederetur; diffisi propriis viribus Aquila & Cotys, quia Zorfines Siracorum (ad Caucaum) rex Mithridati se adjunxerat, externas & ipsi gratias quæsiwere, missis legatis ad Eunonem qui Aorsorum (inter Scythas) genti præcellerat. Nec fuit in arduo societas, potentiam Romanam adversus rebellem Mithridatem ostendantibus. Igitur pepigere, equestribus præliis Eunones certaret, obsidia urbium Romani capefferent. [*Ibid. ca. 15.*]

Tum composito agmine incedunt: cujus frontem & terga Aorfi, media Romanæ cohortes & Bosphorani tutabantur: sic pulsus hostis, ventumque Soza opidum Dandaricæ; quod desertum à Mithridate, ob ambiguos popularium animos obtineri relicto ibi præsidio visum. Ad Siracos deinde pergunt: & transgressi amnem Pandam, circumveniunt urbem Uspem, editam loco, & mœnibus ac fossis munitam, nisi quod mœnia non saxo sed cratibus junctis & mediâ humo adversum irrumpentes invalida erant; eductæque altiùs turres, facibus atque hastis turbabant obsessos. Ac ni prælium nox diremisset, cœpta paratâque expugnatio eundem intra diem foret. [*Ibid. ca. 16.*]

Postero die misere legatos, veniam liberis corporibus orantes. Servitii decem millia offerebantur. Quod aspernati sunt victores, quia trucidare deditos sævum, tantam multitudinem custodiâ cingere arduum: ut belli potiùs jure caderent. Datùmque militibus, qui scalis evaserant, signum cædis. Excidio Uspensium cæteris metus injectus, nihil tutum ratis, cum armâ, munimenta, impediti vel eminentes loci, amnesque & urbes juxtâ perumperentur. Itaque Zorfines diu pensitato Mithridatisne rebus extremis an patrio regno consuleret; postquam prævaluit gentilis utilitas, datis obsidibus, apud effigiem Cæsaris procubuit: magnâ gloriâ exercitus Romani, quem incruentum & victorem, tridui itinere abfuisse ab amne Tanai constitit. Sed in regressu dispar fortuna fuit: quia navium quædam, quæ mari remeabant, in littora Taurorum delatas circumvenêre barbari, præfecto cohortis & plerisque aliis interfectis. [*Ibid. ca. 17.*]

Interea Mithridates, nullo in armis subsidio relicto, consultat cujus misericordiam experiretur. Frater Cotys proditor olim, deinde hostis metuebatur. Romanorum nemo id autoritatis aderat, ut promissa ejus magni penderentur. Ad Eunonem igitur confugiens, regiam

regiam ingreditur, genibusque ejus provolutus, *Mithridates*, inquit, *terrâ marique à Romanis per tot annos quaesitus, sponte adsum. Utire ut voles prole magni Achamenis: quod mihi solum hostes non abstulerant.* Eunones claritudine viri, mutatione rerum, & prece haud degenerere permotus, legatos litterasque ad Cæsarem mittit; quibus pro Mithridate non potentiam neque regnum precabatur, sed ne triumpharetur, néve poenas capite expenderet. Claudius verò ambigens, veniâ an poenâ illum afficeret, tandem ad mitiorem sententiam est perductus. [*Ibid. ca. 18, 19, 20.*]

4053

Quum Carrhenes Meherdatem ad rem gerendam vocaret, promptasque res ostentaret si citi advenirent; ille malo ductus consilio, non cominûs Mesopotamiam, sed flexu Armeniam petiit, id temporis importunam, quia hyems occipiebat. Exin nivibus & montibus fessi, postquam campis propinquabant, copiis Carrhenis sunt adjuncti. Transmissoque amne Tigri, permeârunt Adiabenos; quorum rex Izates societatem Meherdatis palâm induerat, sed in Gotarzen per occulta & magis fida inclinabat. In transitu tamen capta est urbs Ninos vetustissima sedes Assyriæ. [*Ibid. ca. 12. & 13.*]

Mithridates Bosphoranus, per Junium Cilonem procuratorem Ponti Romam perductus, ferocius quàm pro fortunâ diservisse apud Claudium ferebatur: elataque vox ejus in vulgum hîsce verbis. *Non sum remissus ad te, sed reversus: vel si non credis, dimitte & quare.* Vultu quoque interrito permansit, quum juxta rostra custodibus circumdatus visui populo præberetur. Consularia insignia Ciloni, Aquilæ prætorica sunt decreta. [*Ibid. ca. 21.*]

Quum Bithyni Junium hunc Cilonem præfectum suum, jus dicente Claudio, munerum haud mediocriter captorum multis clamoribus postea accusarent, Claudiusque præ turbâ non intelligens quid vellet, assistentes interrogaret quidnam dicerent Bithyni; Narcissum, in Cilonis gratiam mentitum, respondisse ferunt, agere eos gratias Junio: idque credentem Claudium subdidisse, *Præsit ergo adhuc eis alterum biennium.* [*Dio, lib. 60. pag. 687.*] Hoc verò tempore Cadius Rufus, iisdem Bithynis accusantibus, lege repetundarum damnatus est. [*Tacit. Annal. 12. ca. 22. & Histor. lib. 1. ca. 77.*]

Ituræi & Judæi, defunctis regibus Sohemo atque Agrippâ, provinciæ Syriæ additi sunt. [*Tacit. lib. 12. ca. 23.*] Agrippæ quidem junioris regnantis annos hinc deduci, & ex Josepho apparet, principium belli Judaici (quod mense Maio anni vulgatæ nostræ æræ Christianæ LXVI coeptum est) in XVII regni Agrippæ annum conjiciente; [*lib. 2. Belli, ca. 13. fin. κεφ. κε. init.*] et ex nummo Græco, suo loco exhibendo, in quo Judæa capta (circa mensem Septembrem anni ejusdem æræ LXX) Agrippæ anno XXI fuisse significatur. Verùm huic non *Judæa* regnum quod Agrippa pater, sed *Chalcidis* quod Herodes patruus habuerat, Claudius donavit; simul cum potestate in Templum Hierosolymitanum & sacrum ærarium, atque jure eligendi summos Pontifices, quæ idem patruo ipsius prius concefferat. Paternum verò regnum ita provinciæ Syriæ est additum, ut proprios tamen procuratores à Cæsare acciperet: Ventidio Cumano Judææ & Galilææ

Galilææ administrationem hoc tempore, ut antea, retinente, in interiectam autem inter utramque Samariam misso procuratore Felice, Claudii & matris ejus Antoniæ liberto; qui ab hâc *Antonii*, ab illo *Claudii* prænomen acceperat. Is frater alterius liberti Pallantis fuit: quem apud patronum Claudium *flagrantissimâ gratiâ* tum fuisse, à Tacito est notatum. [*lib. 11. ca. 29.*]

Gotarzes apud montem Sambulon vota diis loci suscepit, præcipuâ religione Herculis. Nondum verò satis aucto exercitu, flumine Cormâ pro munimento est usus. Et quanquam per insectationes & nuncios ad prælium vocaretur, necessebat moras, locos mutabat, & missis corruptoribus exuendam ad fidem hostes emercabatur. Ex quibus Izates Adiabenus, & rex Acbarus Arabum (Edessenorum) cum exercitu abscefferunt; levitate gentili, & quia experimentis cognitum est, Barbaros malle Româ petere Reges quàm habere. At Meherdates validis auxiliis nudatus, cæterorum proditione suspectâ, quod unum reliquum, rem in casum dare, prælioque experiri statuit. Nec detrectavit pugnam Gotarzes, diminutis hostibus ferox. Concursumque magnâ cædè, & ambiguo euentu: donec Carrhenem profligatis obversis, longiùs euectum integer à tergo globus circumveniret. Tum omni spe perditâ, Meherdates promissâ Parthacis paterni clientis secutus, dolo ejus vincitur, traditurque victori. Atque ille non propinquum neque Arfacis de gente, sed alienigenam & Romanum increpans, auribus decisus vivere jubet, ostentui clementiæ suæ & in Romanos dehonestamento. [*Tacit. lib. 12. ca. 14.*]

Josephus Matthiæ filius, quartum decimum ætatis annum agens, ex literarum studiis eam laudem est consecutus, ut etiam à pontificibus & urbis Hierosolymitanæ primatibus de penitiori legum sensu consuleretur: quemadmodum in libro de Vitâ suâ ipse de se narrat.

Gotarze morbo obeunte, in regnum Parthicum accitus Vonones, Medis tum præsidens, brevi & inglorio imperio perfunctus est: resque Parthorum in filium ejus Vologesen sunt translatae; qui, maternâ origine ex pellice Græcâ, concessu fratrum regnum est adeptus. Ita Tacitus. [*lib. 12. cap. 14. & 44.*] Gotarzi verò, sublato per insidias, Vologesem fratrem successisse, scribit Josephus. [*lib. 20. cap. 2.*] duobus eum germanis eodem secum patre genitis regna distribuisse addens; Pacoro grandiori Mediam, Tiridati minori Armeniam.

Bellum inter Armenios Iberosque exortum est: quod Parthis quoque ac Romanis gravissimorum inter se motuum causa fuit. Iberos Pharasmanes vetustâ possessione, Armenios frater ejus Mithridates ope Romanorum obtinebat. Erat Pharasmani filius Rhadamistus, decorâ proceritate, vi corporis insignis, clarâque inter accolæ famâ. Quum is paternum regnum affectaret, Pharasmanes vergentibus jam annis sibi metuens, aliam ad spem juvenem trahere cœpit, & Armeniam ostentare, pulsus Parthis datam Mithridati à semet memorando: sed vim differendam, & potiolem esse dolum adjiciens, quò incautum opprimerent. Ita Rhadamistus simulatâ adversus patrem discordiâ, tanquam novercæ odiis impar, perrexit ad patrum: multâque ab eo

4763 50

4764 51

comitate cultus, primores Armeniorum ad res novas illexit. [*Tac. lib. 12. cap. 44.*]

Rhadamistus, reconciliationis specie assumptâ, regressus ad patrem, quæ fraude confici potuerint prompta nuntiavit, cætera armis exsequenda. Interim Pharasmanes belli causas confingit: prælianti sibi adversus regem Albanorum, & Romanos auxilio vocanti fratrem adversatum; eamque injuriam excidio ipsius ultum iturum. Simul magnas copias filio tradidit. Ille eruptione subitâ territum exutumque campis Mithridatem compulit in castellum Gorneas, tutum loco ac præsidio militum, quibus Cœlius Pollio præfectus, centurio Casperius præerat. Rhadamistus frustra vel cum damno tentatis munitionibus, avaritiam præfecti emercur; obtestante Casperio, ne socius rex, ne Armenia donum populi Romani, scelere & pecuniâ venderentur. Postremò quia multitudinem hostium Pollio, jussa patris Rhadamistus, obtendebant, pactus inducias, abscedit: ut nisi Pharasmenem bello absterruisset, T. Numidium Quadratum præsidem Syriæ doceret quo in statu Armeniæ forent. [*Ibid. cap. 45.*]

Periodus Calippica sexta incipit.

Digressu Casperii centurionis velut custode exsolutus Pollio præfectus, Mithridatem ad foedus cum Pharasmane, seniore fratre, sancendum hortatur, cætera quoque necessitudinum nomina referens, quòd filiam ejus in matrimonio haberet, quòd ipse Rhadamisto socer esset. Cunctante Mithridate, & suspectis præfecti consiliis quòd pellicem polluerat, inque omnem libidinem vœnalis habebatur; Casperius interim à Pharasmane, ut Iberi obsidio abscedant, exostulat Ille propalàm incerta, & sapiens molliora respondens, secretis nuntiis monet Rhadamistum, oppugnationem quoquo modo accelerare. Augetur flagitii merces, & Pollio occultâ corruptione impellit milites, ut pacem flagitarent, seque præsidio abituros minitarentur. Quâ necessitate, Mithridates diem locumque foederi accepit, castelloque egreditur. Ac primò Rhadamistus in amplexus ejus effusus, simulavit obsequium, socerum ac parentem appellans Adjecit & jusjurandum, non ferro, non veneno vim allaturum: simul in locum propinquum traxit, provisu suo illic sacrificium paratum dicitans, ut eis testibus pax firmaretur. Ibi verò prostrato Mithridati injiciuntur catenæ: tandemque jussis Pharasmanis acceptis, Rhadamistus quasi jurisjurandi memor patrum & socerum suum, ejusque conjugem sororem suam, projectos in humum & veste multâ gravique operis necavit. Filii quoque ejus, quòd cædibus parentum ulachrymaverant, trucidati sunt. [*Tacit. lib. 12. cap. 46. & 47.*]

Quadratus cognoscens proditum Mithridatem, & regnum ab interfectores obtineri, vocat concilium, docet acta. & an ulcisceretur consul at. Paucis decus publicum curæ: plures abstinendum ab ultione censent. Ne tamen annuisse facinori viderentur, & diversa Cæsar præciperet; missi ad Pharasmanem nuntii sunt, ut abiceret à finibus Armeniæ, filiumque abstraheret. [*Ibid. cap. 48.*]

4055

Erat Cappadociæ procurator Julius Pelignus, ignaviâ animi & deridiculo corporis juxta despiciendus; sed Claudio perquam familiaris,

liaris, cum privatus olim iners otium oblectaret. Is Pelignus auxiliis provincialium contractis, tanquam recuperaturus Armeniam, dum socios magis quam hostes prædatur, abscessu suorum, & incurfantibus Barbaris, præsidii egens, ad Rhadamistum venit: donisque ejus evictus, ultrò regium insigne sumere cohortatur; sumentique adest author & satelles. Quod ubi turpi famâ divulgatum; ne cæteri quoque ex Peligno conjectarentur, Helvidius Priscus legatus cum legione mittitur, rebus turbidis pro tempore ut consuleret. Itaque propter montem Taurum transgressus, moderatione plura quam vi composuerat: cum redire in Syriam jubetur, ne initium belli adversus Parthos existeret. Nam Vologeses casum invadendæ Armeniæ obvenisse ratus, quam à majoribus suis possessam, externus rex flagitio obtineret, contraxit copias, fratremque Tiridatem deducere in regnum paravit; ne qua pars domus sine imperio ageret. Incessu Parthorum, sine acie pulsi Iberi: urbisque Armeniorum Artaxata & Tigranocerta jugum acceperunt. Dein atrox hyems; seu parùm provisi commearus, & orta ex utroque tabes, perpellunt Vologesen ommittere præsentia. [*Ibid. cap. 49. & 50.*]

Vacuum rursus Armeniam Rhadamistus invasit, truculentior quam antea, tanquam adversus defectores, & in tempore rebellaturos. Atqui illi, quamvis servitio sucti, patientiam abrumpunt, armisque regiam circumveniunt. Nec aliud Rhadamisto subsidium fuit, quam pernicitas equorum quibus seque & Zenobiam conjugem abstulit. Sed conjux gravida, primam utcumque fugam ob metum hostilem & mariti charitatem toleravit. Post festinatione continuâ, ubi quati uterus, & viscera vibrantur, oravit ut morte honestâ contumeliis captivitatis eximeretur. Ille primò amplecti, allevare, adhortari, modò virtutem admirans, modò timore æger, ne quis relicta potiretur. Postremò violentiâ amoris, & facinorum non rudis dstringit acinacem, vulneratamque ad ripam Araxis trahit, flumini tradit, ne corpus etiam auferretur. Ipse præceps Iberos ad patrium regnum pervadit. Interim Zenobiam placidâ illuvie spirantem, ac vitæ manifestam, advertere pastores: & dignitate formæ haud degenerem reputantes, obligant vulnus, agrestia medicamenta adhibent; cognitoque nomine & casu, in urbem Artaxata ferunt. Unde publicâ curâ deducta ad Tiridatem, comiterque excepta, cultu regio habita est. [*Ibid. cap. 50. & 51.*]

Quidam Christiani nominis professores, è sectâ Phariseorum, Antiochiam è Judæâ descendentes, Christianos ex Gentibus circumcidi oportere dicebant & legem Moysi observare, si salvi esse vellent; multorum in Syriâ & Ciliciâ fratrum animas perversâ suâ doctrinâ perturbantes. Quibus Paulus & Barnabas acriter se opposuerunt. [*Act. XV. 1, 2, 5, 23, 24.*] Eos παραοικίους Ἰουδαίων, irreptitios falsos fratres, appellat Paulus, Galat. II. 4. eorumque antesignanum Cerinthum hæresiarcham fuisse, docet Philastrius, de hæres. cap. 87. & Epiphanius, hæres. 28.

Paulus, annis quatuordecim post profectionem Hierosolymitanam triennio à conversione suâ exacto susceptam, ascendit Hierosolymam unâ cum Barnabâ. [*Galat. II. 1.*] utroque cum aliis nonnullis ab Ec-

4765 52

Clesiâ Antiochenâ eò misso, ut Apostolorum & Presbyterorum Hierosolymitanorum (quorum nomine ad dogma suum tutandum turbones isti sunt abusi) de obortâ controversiâ sententiam exquirent. [*Act. XV. 2, 3, 24.*]

Ascendit autem Paulus ex revelatione, assumpto simul & Tito Græco: quem ad circumcisionem cogi noluit, ne falsis illis fratribus ad momentum cedere videretur. [*Gal. II. 1, — 5.*]

Paulus & Barnabas in itinere per Phœniciam & Samariam narrantes conversionem Gentium, fratres omnes magno affecerunt gaudio. Et quum pervenissent Hierosolymam, excepti sunt ab Ecclesiâ. & ab Apostolis ac Presbyteris; & retulerunt quanta Deus per ipsos effecerat. [*Act. XV. 3, 4.*]

Paulus privatim primariis inter Apostolos, Jacobo, Petro & Johanni, (qui existimabantur esse columnæ) exposuit Evangelium quod prædicabat inter Gentes. Qui cum vidissent ipsi concreditum fuisse Evangelium inter Gentes sicut Petro inter Judæos, & cognovissent gratiam ipsi datam, dextras societatis dederunt ei ac Barnabæ; ut illi apud Gentes, ipsi verò apud Judæos Apostolatu fungerentur: momentes tantùm, ut pauperum qui Hierosolymis erat sublevandorum curam susciperent. [*Gal. II. 2, 7, 9, 10.*]

Concilio Apostolorum & Presbyterorum Hierosolymis habito, quum post multam disceptationem Petrus sententiam suam dixisset, Barnabas & Paulus exposuerunt quanta per ipsos miracula Deus inter Gentes edidisset. Concludente deinde Jacobo, communi Apostolorum & Presbyterorum & totius Ecclesiæ decreto nihil aliud credentibus Gentibus imponi placuit, quàm ut ab idolothytis, scortatione, suffocato, & sanguine abstinerent. In quam sententiam Synodica ab eis ad Antiochenos & reliquos in Syriâ & Ciliciâ fratres scripta est epistola: quam primi nominis in ecclesiâ viris, Judæ cognomento Barsabæ & Silæ, cum Paulo & Barnabâ, Antiochiam perferendam tradiderunt. Qui cum Antiochiam venissent, reddidit & lectâ Epistolâ, magno fratres gaudio perfuderunt: Judâ quoque & Silâ, qui & ipsi Prophetæ erant, multo eos sermone confirmantibus. [*Act. XV. 6, — 32.*]

Aliquanto post, Judâ ad Apostolos reverso, Silæ visum est Antiochiæ manere: ubi Paulus quoque & Barnabas cum aliis multis, verbum Domini prædicaverunt. [*Ibid. 33, 34, 35.*]

Josephus Matthiæ filius, anno ætatis 16. cuinam Judæorum sectæ sese addiceret deliberans, omnium trium (Pharisæorum sc. Sadducæorum & Essenorum) duro & magno labore cepit experientiam. [*Joseph. de Vita sua*]

Pallanti Claudii liberto prætoria insignia, & centies quinquagies sestertiùm decreta sunt. [*Tacit. lib. 13. cap. 53.*]

Quum Galilæis, ad festum Hierosolymam proficiscentibus, per Samariam necessariò esset transeundum; (*Johann. IV. 3, 4.*) ad vicum Samaritarum Naïn (al. Geman) in Magno campo situm, Galilæo quodam interfecto, indeque pugná inter viatores & vicanos orrâ, multi Galilæorum desiderati sunt. Id indignè ferentes eorum primates, ad

arma

arma Judæos conciverunt, hortantes ut se in libertatem assererent. Servitutem enim etiam per se molestam, tum verò fieri intolerabilem, si cum subditorum injuriis conjuncta sit. Hierosolymis igitur, relicta diei solennitate, armatum vulgus in Samariam impetum fecit; nec cuiquam principum suorum retinenti acquiescere voluit. Asciti quoque in auxilium latronum duces, Eleazarus Dinæi filius & Alexander, in Acrabatenzæ regioni conterminos Samaritas irruentes, promiscuam ediderunt cædem; & à nullius ætatis exitio temperantes, vicos etiam inflammaverunt. At Cumanus, cognitis quæ gesta fuerant, assumpsit secum unam equitum Sebastenorum alam, & quatuor cohortes peditum: armatisque etiam Samaritanis, contra Judæos profectus eosque assecutus, multos eorum qui Eleazarum erant secuti interfecit, plures verò captos abduxit. Tum verò Hierosolymitanorum primores, ut viderunt ad quantam calamitatem ventum esset, induti saccos & capita sparsi cinere, reliquam multitudinem quæ ad vastandos Samaritanorum fines irruerat, precabantur ut ab incepto desinerent; præ oculis ponentes diruendam patriam, Templum incendendum, liberòsque cum uxoribus captivos abducendos: rogabantque ut depositis armis suas quisque domos repeteret. Quibus Judæi tandem acquiescentes, recesserunt; latrones verò ad loca munita reversi sunt denuò. Atque ex eo tempore universa Judæa repleta est latronum receptaculis. [*Joseph. lib. 2. Belli, cap. 11. usq. n. a. & lib. 20. Antiquit. cap. 5.*]

Samaritanorum primates Numidium Quadratum Syriæ præfidem tunc Tyri degentem convenerunt; vindictam de Judæis, qui vicos eorum diripuerant & incenderant, postulantes. Præstò autem fuerunt etiam Judæorum nobiles, & Jonathas filius Anani summus Pontifex: qui objecta diluentes, initium tumultus à Samaritanis profectum dicebant, qui primi homicidium perpetrassent; causam tamen calamitatum postea securarum fuisse Cumanum, qui illorum muneribus corruptus eam cædem ulcisci noluerit. His auditis, Quadratus judicium distulit; dicens se prolaturum sententiam, postquam præsens apud Judæam rei veritatem exactius cognoverit. Ita tum infecto negotio discessum est. [*Id. ibid.*]

Interim Felix intempestivis remediis delicta accendebat, æmulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars provinciæ habebatur: ita divisus, ut huic Galilæorum natio, Felici Samaritæ parerent; discordes olim, & tum contemptu regentium minus coercitis odiis. Igitur raptare inter se, immittere latronum globos, componere insidias, & aliquando præliis congregari, spoliisque & prædas ad procuratores referre. Hicque primò lætari: moxque gliscente pernicie, cum arma militum interjecissent, cæsi milites sunt. Arsissetque bello provincia, ni Quadratus Syriæ rector subvenisset. [*Tacit. lib. 12. cap. 54.*]

Nec diu adversus Judæos qui in necem militum proruperant, dubitatum, quin capere poenas luerent: Cumanus & Felix cunctationem afferebant, quia Claudius causis rebellionis auditis, jus statuendi etiam de procuratoribus illi dederat. Sed Quadratus Felicem (utpote Pallantem, qui Romæ omnia tum poterat, fratrem) inter iudices osten-

tavit, receptum in tribunal; quò studia accusantium deterrentur: & flagitiorum quæ duo deliquerant, unus Cumanus damnatus; & quies provinciæ reddita est. [*Id. ibid.*]

Agrestium Cilicum nationes, quibus *Clitarum* cognomentum, Trofobore (sive Atofoboro) ducè, montes asperos castris cepere: atque inde decursu in littora aut urbes, vim cultoribus ac opidanis, ac plerumque in mercatores ac navicularios audebant. Obsessaque civitas Anemuriensis, & missi è Syriâ in subsidium equites cum præfecto Curtio Severo turbantur: quòd duri circum loci, peditibusque ad pugnam idonei, equestre prælium haud patiebantur. Dein rex ejus oræ Antiochus, blandimentis adversus plebem, fraude in ducem, quum Barbarorum copias dissociasset; Trofobore paucisque primoribus interfectis, cæteros clementiâ composuit. [*Id. ibid. cap. 55.*]

Petrus Apostolus Antiochiam veniens, cum Gentilibus fidelibus edebat & familiariter conversabatur. Verum quum Hierosolymis eò venissent à Jacobo fratres Judæi nonnulli, eorum offensionem metuens, à Gentilibus subduxit se. Cujus exemplum secuti sunt & reliqui Ecclesiæ Antiochenæ Judæi: adeò ut Barnabas quoque simul abriperetur eorum simulatione. Eam præposteram simulationem, libertati Evangelicæ contrariam, non ferens Paulus, Petro in os restitit, ejusque timiditatem coram omnibus acriter coarguit. [*Galat. II. 11, — 14.*]

4056

Quadratus in Samariam veniens, cum jussisset reos causam suam dicere, comperit Samaritanorum culpâ tumultum primùm excitatum fuisse. Cæsaream verò procedens, cognito quòd Judæorum quidam res novas moliti essent, in crucem egit quos Cumanus vivos cepit & vinctos ibi reliquerat. Inde profectus in vicum Lyddam instar urbis amplum, sedens pro tribunali, iterùm Samaritanorum causam audiens, didicit è quodam Samaritâ, Dortum Judæorum primatem cum aliis quatuor sociis Judæos ad defectionem sollicitasse: quos ille affecit supplicio. Et Judæorum 18 viros, quos cognovit pugnae fuisse participes, securi percussit. [*Joseph. lib. 2. Belli, cap. 11. κρ. κ. α. & lib. 20. Antiqu. cap. 5.*]

4766 53

Duos principes sacerdotum, Jonatham & Ananiam, ejusque filium Ananum, & nonnullos alios Judæos nobiles, Quadratus ad Cæsarem misit: similiterque Samaritanorum nobilissimos quosque. Præcepit etiam Cumano procuratori, & Celeri tribuno, Romam navigare reddituros Claudio rationem eorum quæ in regione gesserant. [*Id. ibid.*]

His ita compositis, Quadratus veritus ne novum aliquid Judæi molirentur, Lyddâ ascendit Hierosolyma: ubi pacata invenit omnia, populùmque occupatum patrio azymorum festo, & operantem sacrificiis. Credens igitur nihil novaturos, reliquit agentes festa, & Antiochiam repetiit. [*Id. ibid.*]

Cumanus & Samaritæ Romam missi statutâ die causam suam jussi sunt dicere. Comparaverant autem sibi favorem libertorum & amicorum Cæsaris: quorum operâ vicissent adversarios Judæos, nisi Agrippa junior tum Romæ degens, & Judæorum primores premi fa-
vore

vore potentum videns, multis precibus obtinisset ab Agrippinâ uxore Claudii, ut marito persuaderet legitimè causam cognoscere, & in deprehensos tumultus authores justam proferre sententiam. Claudius igitur his precibus præmollitus, auditis partibus ut comperit à Samaritanis factam tumultus principium, eos qui tum ad iudicium venerant supplicio tradidit. Cumanum multavit exilio. Celerem verò tribunum vinetum Hierosolymam mittens, Judæis ad supplicium tradidit, ut per urbem tractus capite caderetur. [*Id. ibid.*]

Procuratorem deinde in Judæam destinavit Claudium Felicem, fratrem Pallantis: qui eam provinciam, unâ cum Samariâ & Galilæâ administraret. [*Id. ibid.*] quod precibus suis Jonathas summus Pontifex à Cæsare obtinuit. [*Id. lib. 20. Antiqu. cap. 6.*] Claudium ex libertis suis Felicem cohortibus & aliis, provinciamque Judæam præposuisse, trium reginarum maritum; scribit Suetonius. [*in Claudio, cap. 28.*] quem & Judææ imp. situm, cuncta malefacta sibi impunita futura, tantâ potentia subnixo, in Annali 12°. [*cap. 54.*] scribit Tacitus: in 5° etiam Historiarum suarum libro [*cap. 9.*] de tyrannico illius in Judæâ regimine ampliùs addens. Antonius Felix per omnem servitiam ac libidinem jus regium servili ingenio exercuit, Drusillâ Cleopatra & Antonii nepte in matrimonium acceptâ: ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset.

Quum rex Agrippa junior per quadriennium præfuisset Chalcidi, Claudius post exactum imperii annum 13. eâ illi ablata, in majus eum regnum transtulit. Philippi tetrarchiâ ei donatâ, Batanæâ videlicet & Gaulanitide, simul cum Trachonitide; adjunctâ etiam Abilâ Lysaniæ tetrarchiâ, quam Varus rexerat. [*Joseph, lib. 20. Antiqu. cap. 5. cum lib. 2. Belli, cap. 11. cap. 22.*]

His donationibus à Cæsare ornatus juvenis collocavit Azizum Emessenorum regi circumcisso sororem Drusillam. Epiphanes enim Antiochi Commagenorum regis filius recusavit ejus nuptias, quòd mutatâ sententiâ Judæorum religionem amplecti noller, ut erat pollicitus puellæ parentibus: Mariammeh quoque matrimonio conjunxit Julio Archelao Chelciæ filio, cui ab Agrippâ patre jam antè desponsata fuerat. [*Id. ut supr. lib. 20. cap. 5.*]

Josephus Martiæ filius Bani cujusdam institutum imitari cœpit; qui in solitudine vivens, amictum sibi parabat ex arboribus, & sponte provenientibus alimentis utebatur, crebrisque ob continentiam nocte ac die lavacris frigidis: atque in ejus contubernio tres annos exegit. [*Id. in lib. de Vita sua.*]

Nero, causâ Iliensium susceptâ, Romanum Trojâ demissum, & Julix stirpis authorem Æneam, aliâque hæud procul fabulis vetera facundè exsecutus, impetravit ut Ilienses omni publico onere solverentur. [*Tacit. lib. 12. cap. 58.*] Claudiusque illis, quasi Romanæ gentis authoribus, tributa in perpetuum remisit: recitatâ vetere epistolâ Græcâ Senatus populique Romani, Seleuco regi amicitiam & societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset. [*Sueton. in Claudio, cap. 25.*]

Rhodiis quoque, ob poenitentiam veterum delictorum, libertatem Clau-

Clau-

Claudius reddidit; ademptam sæpe aut firmatam, prout bellis exter-
nis meruerant, aut domi seditione deliquerant. [*Sueton. & Tacit. ut
supr.*] Pro Rhodiis verò atque Iliensibus Neronem Græcè apud pa-
trem *consulem*, Claudium videlicet ante biennium postremum suum
Consulatum gerentem, verba fecisse, scribit Suetonius. [*in Nerone,
cap. 7.*]

Tributum Apamiensibus terræmotu convulsis in quinquennium à
Claudio est remissum. [*Tacit. lib. 12. cap. 58.*]

Retulit dein Claudius de immunitate Cois tribuendâ. Multi que
super antiquitate eorum memoravit. Argivos vel cum Latonæ pa-
rente (Cæo, à quo insulæ nomen datum) vetustissimos insulæ cultores:
mox adventu Æsculapii artem medendi illatam, maximè que in-
ter posteros celebrem fuisse; nomina singulorum referens, & quibus
quisque ætatibus viguissent. Quin etiam dixit Xenophontem (Coom
medicum) cujus scientiâ ipse uteretur, eadem familiâ ortum: preci-
búsque ejus dandum, ut omni tributo vacui in posterum Coi, sa-
cræ & tantum Dei ministræ insulam cõlerent. [*Id. ibid. cap. 61.*]

Quum Barnabam sollicitaret Paulus, ut Ecclesias simul inviserent
in quibus Evangelium annuciavissent, consulebat Barnabas ut Jo-
hannem Marcum secum assumerent. Contrà verò censebat Paulus,
non esse assumendum eum, qui ab ipsis abscessisset ex Pamphylia,
(*Act. XIII. 13.*) nec eorum comes in illo opere fuisset. Unde ægrè
ferente Barnabâ, confobrino suo (*Coloss. IV. 10.*) eam infamiæ notam
inurendam, tanta inter eos orta est contentio, ut alter ab altero dis-
cederet. Et Barnabas quidem, assumpto Marco, navigavit in Cy-
prum, patriam suam. Paulus verò allècto Silâ, commendatus gra-
tiæ Dei à fratribus, peragravit Syriam ac Ciliciam, confirmans Ec-
clesias. [*Act. XV. 36-41.*]

Veniens Paulus Derben & Lystram, inter discipulos offendit ibi
Timotheum, natum patre quidem Græco five Gentili, matre verò
Judæâ fideli (Eunice:) cui omnes qui Lystris erant & Iconii fratres
bonum perhibebant testimonium. Eum secum assumpturus Paulus,
quò Judæos magis lucrifaceret, prius circumcidendum curavit. [*Act.
XVI. 1, 2, 3.*]

Paulus & Silas, prout pertransibant urbes, tradebant eis observanda
illa quæ decreta fuerant ab Apostolis & Presbyteris qui erant Hiero-
solymsis. Et ecclesiæ confirmabantur fide, & numero augebantur
quotidie. [*Ibid. 4, 5.*]

Phrygiâ deinde peragrata & Galaticâ regione; prohibiti à Spi-
ritu sancto prædicare verbum Dei in Asia, quum venissent in Mysiam,
tentabant ire in Bithyniam: sed non permittente eos ire Spiritu, à
Mysia descenderunt Troadem. Ibi in somnis Paulo adstare visus est vir
quidam Macedo, dicens, *Transiens in Macedoniam succurre nobis.* [*Act.
XVI. 6, -9*]

Ut visum hoc ille vidit, *statim studuimus abire in Macedoniam: certi
facti quòd vocasset nos Dominus ad evangelizandum eis:* inquit Lucas,
[*Act. XVI. 10.*] qui hinc & deinceps de Paulo & ejus comitibus in
primâ personâ loquens, cum hætenus de eis in terciâ locutus fuisset,
ab

ab hoc tempore comitem se Paulo in prædicatione Euangelii adjunctum fuisse, satis indicat.

4057

Paulus & Silas, cum Lucâ & Timotheo, provecti Troade, recto cursu Samothracen venerunt, & sequente die Neapolim, atque illinc Philippos; quæ primaria ejus tractus Macedoniæ urbs erat, & juris Italici colonia: commoratique sunt in eâ urbe aliquot dies. [Act. XVI. 11, 12.]

Die sabbathi egressi ex urbe ad flumen, ubi erat profuecha, allocuti sunt mulieres quæ illuc convenerant. Inter quas una Lydia Deum colens, quæ purpuram vendebat in urbe Thyatirorum, attendens iis quæ à Paulo dicebantur, cor ejus Domino adaperiente, in Christum credidit. Quæ cum totâ suâ domo baptizata, Paulum cum comitibus suis hospitio excepit. [Ibid. 13, 14, 15.]

Proficiscentibus postea illis ad profuecham, immundus spiritus ex ancillâ pythonissâ eos per multos dies subsecuta clamabat: *Isti homines servi sunt Dei altissimi, qui annunciant vobis viam salutis.* Quod molestè ferens Paulus, spiritui illi mandavit per nomen Jesu, ut ex illâ exiret. Quo factò, videntes ancillulæ domini abiisse spem quæstus sui, Paulum & Silam in forum pertrahentes, tantum clamoribus suis apud prætores effecerunt, ut virgis uterque publicè cæderetur & in carcerem conjiceretur. Ubi mediâ nocte illis orantibus & hymnos Deo canentibus, magno terræ motu factò, foribus carceris omnibus apertis & inclusorum omnium vinculis laxatis, quum ad desperationem redactus custos stricto gladio seipsum erat interempturus, à Paulo & Silâ ad Christi fidem est conversus, & cum universâ familiâ eâ ipsâ nocte baptizatus. Die autem exorto. mittentibus prætoribus ut liberi dimitterentur, de contumeliâ & injuriâ acceptâ cum his expostulantes illi, quòd cives Romanos indicâ causâ publicè cæsos in carcerem conjecissent: ab ipsis advenientibus non sine honore liberantur, atque ut urbe excederent rogantur. Qui introeuntes ad Lydiam, quum accedentes fratres fuissent consolati, ex urbe egressi sunt. [Ibid. 16, —40.]

Itinere deinde factò per Amphipolim & Apolloniam, venerunt Thessalonicam (totius Macedoniæ metropolim) ubi erat synagoga quædam Judæorum. [Act. XVII. 1.] Illic, tantis contumeliis prius Philippis affectus, Euangelium Dei cum multo certamine annunciasse se scribit Paulus apostolus. [I Thessal. II. 2.] Nam secundum consuetudinem suam in Judæorum synagogam ingressus per tria Sabbatha cum eis ex Scripturâ de Christo disseruit. Quorum nonnullis credentibus, consociata est Paulo & Silæ religiosorum Græcorum multitudo magna, & ex mulieribus primariis non paucæ. [Act. XVII. 2, 3, 4.]

Thessalonicenses non de fide tantum Christianâ, sed etiam de futurâ apostasiâ & Antichristi revelatione Paulus edocuit. [II Thessal. II. 5.]

Quum Paulus diutiùs Thessalonicæ hæreret, semel atque iterum à Philippensibus necessaria vitæ subsidia accepit. [Philip. IV. 16.] Sed increduli Judæi, assumptis quibusdam viris circumforaneis improbis,

& tumultu in civitate excitato, Jasonem (in cujus domo Paulus cum comitibus hospitabatur) & quosdam fratres ad magistratus traxerunt, & magnis clamoribus accusarunt. Quibus cum ab illis fuisset satisfactum; fratres statim per noctem Paulum simul & Silam emiserunt Berœam. [Act. XVII. 5.—10.]

Hic quoque quum in synagogam Judæorum introeuntes ex scripturis diligenter prædicarent Christum, & auditores prædicata cum scripturis conferentes, ea per omnia congruere cum illis invenirent; multi crediderunt ex eis, & Græcarum mulierum honoratarum & virorum non pauci. Cumque Judæi Thessalonicenses illuc venientes turbam contra Paulum concitarent: fratres eum statim emiserunt, velut iturum ad mare, sed Athenas usque deduxerunt; accepto ad Silam & Timotheum Berœæ relictos mandato, ut ad ipsum venirent quam citissimè. [Ibid. 10.—15.]

Judæos impulsore Chresto assiduè tumultuantes Claudius Româ expulit. [Sueton. in Claudio, cap. 25.] Hujus Chresti solus, ni fallor, meminit Suetonius: nam *Christum* D.N. (à quo *Christiani*, alibi ab eodem memorati, denominationem acceperunt) hic ab illo fuisse intellectum, adhuc mihi persuadere non possum.

Paulus, dum Silam & Timotheum Athenis expectat, diserebat in synagogâ cum Judæis & religiosis, & in foro quotidie cum quibusvis obviis; cum Epicureis quoque & Stoicis philosophis de Christo & resurrectione disputans. Deinde, ut peregrinorum Deorum annunciator, causam dicturus in medium Areopagum raptus, doctissimâ oratione ibi habitâ, tum ex arâ ipsorum *Ignoto Deo* dicatâ, tum ex Arati poëtæ testimonio *Dei progeniem nos esse confirmante*, eundem quem ipsi ignorantes colebant Deum à se annunciari ostendit. [Act. XVII. 16.—31.] Judæorum verò *Deus Ignoti* apud Gentes appellationem obtinebat: eodem sensu *incertus Deus* Lucano in libro 2. *Pharsal. incertum numen* Trebellio Pollioni in vitâ Claudii, & *innominatus Deus C.* Caligulæ apud Philonem in lib. de legatione ad eundem, nominatus. Cui ut Carmeli montis incolæ (apud Tacitum, in Histor. lib. 2. cap. 78.) neque simulacrum tribuebant, neque templum, sed aram tantum & reverentiam: ita Athenienses quoque *Aram misericordie* in mediâ suâ urbe sine ullo simulachro similiter posuerunt. in 12^o libro Thebaidos ita referente Statio:

Paulus, *Nulla autem effigies, nulli commissæ metallo
Forma Dei; mentes habitare & pectora gaudet.*

Inter Athenienses à Paulo ad Christi fidem hoc tempore conversos, fuit Dionysius Areopagita, & mulier (vel uxor ejus, ut visum Ambrosio, Chrysostomo & Augustino) nomine Damaris, & alii cum eis. [Act. XVII. 34.]

Felix Judææ procurator, visâ Drusillâ Agrippæ regis sorore, fœminarum omnium pulcherrimâ, amore ejus captus, Simonem amicum suum, Judæum genere Cyprium, pro mago se gerentem, ad eam misit, qui mulierem sollicitaret ut relicto marito Azizo Emesænorum rege ipsi nuberet; beatam fore pollicens, si non fastidiret

476754

diret hominem. Illa malè consulta volens evadere molestationes sororis Bernices, invidentis sibi formæ præcellentiam, consensit calcata religione patriâ Felici nubere. Ipsa verò Bernice, patru sui Herodis regis Chalcididis vidua, quum spargeretur rumor cum fratre (Agrippâ rege) eam congregari, suavitè Polemoni regi Ciliciæ, ut circumcisus prius se duceret; rata sic se coarguturam mendacium. Nec recusavit Polemon, inductus maximè mulieris divitiis: id tamen conjugium diuturnum non fuit, propter intemperantiam (ut fertur) discedente ab eo Bernice. Qui mox desertus ab uxore, & ipse Judaicæ religionis desertor factus est. [*Joseph. lib. 20. cap. 5.*]

Eodem tempore etiam Mariamme (tertia regis Agrippæ soror) Julium Archelaum Chelciæ filium dedignata, migravit in thalamum Demetrii, primi inter Alexandrinos Judæos tam opibus quàm genere, & tum Alabarchiæ magistratum gerentis. [*Id. ibid.*]

Paulus Silam & Timotheum, qui Beroeâ ad ipsum venerant, iterum in Macedoniam remittens, solus Athenis remansit. Et ipse quidem semel atque iterum in animo habuerat Thessalonicam proficisci; nec potuerat tamen id exequi, à Satanâ præpeditus: ideoque Timotheum eò misit, qui Thessalonicenses in fide confirmaret & consolaretur. [*Act. XVIII. 5. I Thessal. II. 17, 18. & III. 1, 2.*]

Interim, relicta Athenis, venit Corinthum: ubi Judæum Aquilam invenit, & Priscillam uxorem ejus; qui nuper ex Italiâ venerant, quòd edixisset Claudius ut omnes Judæi Româ excederent. Et quia idem cum illis conficiendi tabernacula artificium exercebat, mansit apud eos Paulus & operabatur. Disserebat tamen in synagogâ omnibus Sabbatis, & in suam sententiam adducebat tum Judæos tum Græcos. [*Act. XVIII. 1, — 4*]

Hic verò Paulus suâ manu Stephanæ familiam baptizavit. [*I Corinth. I. 16.*] quæ primitiæ fuerunt Achaicæ, & sese in ministerium sanctis addixerunt. [*Ibid. XVI. 15.*]

Ut advenerunt è Macedoniâ Silas & Timotheus, quum Paulo magno cum zelo Christum prædicanti Judæi obsisterent ac blasphemarent; vestibus suis in illos excussis, diverit ille ad Gentes: migrans in domum cujusdam nomine Justi, colentis Deum, quæ erat confinis Synagogæ. [*Act. XVIII. 5, 6, 7.*]

Crispus archisynagogus credidit Domino cum totâ domo suâ: multique Corinthiorum audientes credebant & baptizabantur. [*Ibid. 8.*] Ex quibus Crispum & Gaium suâ manu Paulus baptizavit. [*I Corinth. I. 14.*]

Dixit Dominus nocte per visionem Paulo: *Ne metue, sed loquere, & ne tacearis. Nam ego sum tecum, & nemo te invadet ut malè te accipiat: quoniam populus est mihi multus in hac urbe.* Commoratus est itaque illic annus & sex menses, docens apud eos verbum Dei. [*Act. XVIII. 9, 10, 11.*] unâ cum Silvano (sive Silâ) & Timotheo. [*II Corinth. I. 19.*]

Post reditum Timothei ex Macedoniâ, Paulus (cum eodem Timotheo & Silvano sive Silâ) priorem ad Thessalonicenses scripsit epistolam. [*I Thessal. III. 6.*] in quâ, quum de die judicii, quasi jam instante,

paulo obscuriùs fuisset locutus, [cap. I. 1, 5.] datâ paulo post alterâ ad eos epistolâ, clariùs illud explicavit; [II *Thessal.* II. 2, 3.] scriptâ utique, quum Silvanum & Timotheum in ministerio Evangelii conjunctos sibi haberet, [cap. I. 1.] et postquam ipse apud Thessalonicenses, Christi fidem amplexos, jam præsens adfuisset. [cap. II. 5.] Ut toto hîc cœlo Grotius erraverit, sub C. Caligulâ eam exaratam fuisse epistolam existimans.

Prorumpentes Parthi rapuerunt Armeniam, pulso Rhadamisto, qui sæpe regni ejus potitus, dein profugus, nunc quoque bellum deseruit. [Tacit. lib. 13. cap. 6.] Quum verò exortus esset Vologeso Parthorum regi æmulus filius Vardanes; abscesserunt Armeniâ Parthi, tanquam differrent bellum. [Id. *ibid.* cap. 7.]

4058

Afinio Marcello & Afinio Aviolâ Consulib. III Idus Octobr. Claudius extinctus est. [Seneca, in *ludi de morte Claudii initio. Sueton. in Claudio, cap. 45. & Dio, lib. 60. pag. 688.*] quum imperâset annos 13. menses 8. & dies 20. [Dio, *ibid. cum Josepho, lib. 20. cap. 5.*] Et in medio ejusdem diei, foribus palatii repenti diductis Nero, gener & adoptivus filius ejus, Imperator declaratus est. [Tacit. lib. 12. cap. ult.]

Initio novi hujus principatus Junius Silanus Proconsul Asiæ, nobilis & è Cæsarum posteris, ignaro Nerone, vixdum pueritiam egresso, per dolum matris ejus Agrippinæ infans sublatu est. Ministri sceleris P. Celer eques Romanus, & Ælius libertus, rei familiari Principis in Asiâ impositi: à quibus Proconsuli venenum inter epulas datum est. [Tacit. lib. 13. cap. 1.]

Legatis Armeniorum causam gentis apud Neronem orantibus, ascendere eos in suggestum Imperatoris ille volebat & præsidere simul; nisi cæteris pavore defixis, Seneca admonuisset, venienti mari occurreret. Ita specie pietatis obviam itum est dedecori. [*ibid.* cap. 5.]

Rumore de occupatâ à Parthis Armeniâ Romam perlato, Nero & juventutem proximas per provincias quæsitam supplendis Orientis legionibus admovere, legionésque ipsas propius Armeniam collocari jussit: duosque veteres reges Agrippam (Judæum) & Iocchum (vel Antiochum potiùs Commagenum) expedire copias, quibus Parthorum fines ultrò intrarent, simul pontes per amnem Euphratem jungi. Et minorem Armeniam Aristobulo, regionem Sophenem Sohemio cum insignibus regiis mandavit. Domitium verò Corbulonem retinendæ Armeniæ præposuit: copiis Orientis ita divisis, ut pars auxiliarium cum duabus legionibus apud provinciam Syriam & legatum ejus Quadratum remaneret; par civium sociorumque numerus Corbuloni esset, additis cohortibus aliisque quæ apud Cappadociam hibernabant. & sociis regibus, prout bello conducere, parere jussis. [*ibid.* cap. 6, 7, 8.]

Primo imperii Neronis anno, regi Eimesorum Azizo defuncto frater in principatu successit: minoris autem Armeniæ (ut ex Tacito jam dictum est) principatum Aristobulus Herodis regis Chalcidis filius à Nerone accepit. Regno autem Agrippæ quatuor urbes idem addidit, cum agris ad singulas pertinentibus: in Galilæâ, Tiberiadem

476855

&

& Tarichæam; in Ituræâ trans Jordanem, Abelam & Juliadem cum agro ejus habitato vicis 14. [*Joseph. lib. 20. Antiquit. cap. 5. & lib. 2. Belli, cap. 12. 209. 26.*]

Domitius Corbulo, itinere properè confecto, apud Ægæas civitatem Ciliciæ obvium Quadratum habuit; illuc progressum, ne si ad accipiendas copias Syriam intravisset Corbulo, omnium ora in se verteret. Uterque Vologesem Parthorum regem nuntiis monebant, pacem quàm bellum mallet; datisque obsidibus, solitam prioribus reverentiam in populum Romanum continuaret. Et Vologeses quidem, vel ut bellum ex æquo pararet, vel ut æmulationis suspectos per nomen obsidum amoveret, tradidit nobilissimos ex familiâ Arsacidarum: accepitque eos centurio Hostorius (al. Histius) à Quadrato eâ de causâ ad Regem missus. Quod postquam Corbuloni cognitum est; ire præfectum cohortis Arrium Varum, & recipere obsides jussit. Hinc ortum inter præfectum & centurionem jurgium, ne diutiùs externis spectaculo esset, arbitrium rei obsidibus legatisque qui eos ducebant permissum est. Atque illi ob recentem gloriam, & inclinatione quâdam etiam hostium, Corbulonem prætulerunt. Unde discordia inter duces: querente Quadrato præcepta quæ suis consiliis patravisset; testante contra Corbulone, non prius conversum Regem ad offerendos obsides, quàm ipse dux bello delectus spes ejus ad metum mutaret. Nero, quò componeret diversos, sic evulgari jussit: ob res à Quadrato & Corbulone prosperè gestas, fascibus suis Imperatoriis laurum addi. [*Tacit. lib. 13. cap. 8. & 9.*]

Initio imperii Neronis Judæa tota referta erat latronum receptaculis, & magicis præstigiatoribus imperitique vulgi seductoribus: quos quotidie comprehensos Felix è medio sustulit. Eleazarum verò Dinæ filium, non mediocrem latronum globum circa se habentem, Felix ut ad se veniret persuasit, datâ ei fide quòd nihil mali esset passurus: moxque vincitum Romam transmisit. [*Joseph. lib. 20. cap. 6.*]

Quum Felix Jonatham summum Pontificem, de rebus Judaicis meliùs administrandis crebriùs eum & liberiùs admonentem ferre non posset; Doram Hierosolymitam summum Jonathæ amicum promissâ pecuniâ induxit, ut per sicarios interimendum eum curaret. Quidam igitur quasi religionis ergò in urbem ascendentes sicis clam succincti sub vestibus, & Jonathæ famulatio permixti, peremerunt hominem. Cujus facinoris quia nemo ultor extitit, invitati hâc licentiâ sicarii per singula festa ventitantes & ferrum celantes pari modo immixti turbis, alios propter privatas inimicitias, alios conducti pecuniâ, non modò in reliquis urbis partibus sed etiam in ipso Templo, impunè confodiebant. [*Id. ibid.*]

Et urbs quidem talibus incestabatur latrociniiis. Impostores autem & magi turbas illectas post se trahebant in solitudines, pollicentes se divinitus ostensuros clarissima signa & prodigia: persuasæque multitudo mox poenas luit dementiæ, à Felice retracta & neci data. [*Id. ibid.*]

Per idem tempus Ægyptius quidam magus, in provinciam advenit: & Prophetæ opinionem sibi arrogans, 30 ferme (vel 4 potiùs, ex

A& XXI. 38.) millia hominum congregavit. Et circumducens eos de solitudine in montem Oliveti: illic visuros eos affirmabat suo jussu cadere Hierosolymorum moenia, ita ut per eorum ruinas aditus in civitatem pateret. Quo cognito, Felix cum multis equitibus & peditibus Romanis, quos etiam reliqua Judæorum multitudo juvabat, erumpens turbam seductam invasit: quorum quadringentis occisis, ducentos vivos cepit & vinculis tradidit; reliquâ multitudine in regiones proprias dispersâ. Ægyptius verò ipse, cum paucis pugnâ elapsus, disparuit. [*Id. ibid. & lib. 2. Belli, cap. 12. usq. xy.*] Unde de eo Lysias tribunus ad B. Paulum, A& XXI. 38. *Nonne tu es Ægyptius ille qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia sicariorum?*

Quum Gallio esset Proconsul Achaïæ, Judæi Corinthii Paulum ad illius tribunal adduxerunt. Illo verò de ejusmodi rebus judicare recusante, & à tribunali eos abigente, Græci prehensum Sosthenem archisynagogum cædebant; nihil eorum Gallione curante. [*A& XVIII. 12, — 17.*]

L. Annæi Senecæ (qui sub discipulo suo Nerone adolescente Romæ omnia, unâ cum Burrho, tum administrabat) frater hic Gallio fuit: qui Claudii, veneno sublato, *ἄπο δειψίου* deridens, unco eum in cœlum raptum fuisse dixit; ut in fine libri 60. Dio narrat. M. Annæi Senecæ patris *ad Novatum, Senecam, & Melam filios*, liber Controversiarum extat. Horum medius L. Seneca, in Consolatione ad matrem Helviam, fratrum *alterum honores industriâ consecutum fuisse, alterum sapienter contempsisse*, docet: per priorem, *Novatum* intelligens; qui à Junio Gallione (quem à Tiberio in exilium fuisse missum, ad finem anni Mundi 4035. ex Tacito declaravimus) adoptatus, *Gallionis* nomen obtinuit. Quem etiam, ut fratrem natu grandiozem, *Dominum* ab eodem fuisse appellatum, ad locum illum epistolæ 104. notavit Lipsius. *Illud mihi in ore erat domini mei Gallionis: qui, cum in Achaïâ febrem habere cœpisset, protinus navem ascendit; clamitans non corporis esse, sed loci morbum.*

4059

Quum post tumultum ad Gallionis tribunal factum mansisset adhuc Corinthi Paulus dies multos, valedicens fratribus, è portu Cenchreenfi solvit. Et in Syriam inde navigaturus, primò devenit Ephesum; ubi ingressus Synagogam, disseruit cum Judæis. Rogantibus autem ut diutiùs apud ipsos maneret, non annuit; oportere omnino se dicens instantem diem festum agere Hierosolymis: reversurum tamen se iterùm ad eos, Deo volente, pollicitus. Valedicens igitur eis & Aquilâ atque Priscillâ ibi relictis, cum reliquis comitibus Cæsaream inde navigavit. [*A& XVIII. 18, — 22.*]

4769 56

Cæsareâ [*Stratonis*] ascendens Paulus ad salutandam Ecclesiam [*Hierosolymitanam,*] inde descendit Antiochiam [*Syriæ.*] Et quum egisset illic aliquamdiu, abiit, pertransiens ordine Galaticam regionem atque Phrygiam, & confirmans omnes discipulos. [*Ibid. 22, 23.*] Ubi à Galatis ita exceptus, ac si esset Angelus Dei, aut ipse Christus Jesus; [*Galat. IV. 14.*] inter alia, ut Collectæ pro pauperibus die quoque Dominico seponerentur, instituit. [*I Corinth. XVI. 1, 2.*]

Jose-

Josephus Matthiæ filius, exacto cum Bano in solitudine triennio Hierosolymam rediit: jamque 19. annos natus, civilem vitam aggressus est; addictus Phariseorum placitis, proximè ad Stoicam apud Græcos sectam accedentibus. [*Josepb. in lib. de Vita sua.*]

Judæus quidam Apollos, Alexandrinus genere, vir eloquens & potens in Scripturis, pervenit Ephesum. Hic initiatus viâ Domini, & fervens spiritu, loquebatur & docebat diligenter ea quæ sunt Domini; sciens tantum baptisma Johannis: coepitque liberè loqui in synagogâ. Quem auditum Aquila & Priscilla assumpserunt, & penitius ei exposuerunt viam Dei. Quum autem vellet transire in Achaiam, fratres eum adhortati, scripserunt discipulis ut exciperent eum. Qui cum advenisset, multum contulit iis qui crediderunt. Magnâ enim contentione Judæos magis ac magis redargebat publicè, ostendens per Scripturas Jesum esse Christum. [*Act. XVIII. 24, — 28.*]

4060

Cum Apollos esset Corinthi, Paulus peragratis jam superioribus partibus (Galatiâ videlicet & Phrygiâ) venit Ephesum: ubi duodecim invenit discipulos, qui Johannis baptismum tantum noverant, necdum Spiritum sanctum per manuum impositionem acceperant. Quibus ulterius in Christi doctrinâ à se institutis quum manus ille imposuisset, delapso in eos Spiritu sancto, loquebantur linguis & prophetabant. Deinde ingressus Synagogam, liberè loquebatur, ad tres menses differens & suadens quæ ad regnum Dei pertinent. [*Act. XIX. 1, — 8.*]

Quum Judæorum quidam indurati non assentirentur, sed malè loquerentur de viâ Dei; Paulus in conspectu multitudinis, abscedens ab illis, separavit discipulos; quotidie differens in scholâ Tyranni cujusdam. Hoc autem factum est per biennium: ita ut omnes qui habitabant in Asiâ, tum Judæi tum Græci, audierint sermonem Domini Jesu. Virtutesque non modicas edebat Deus per manus Pauli: ita ut etiam ad infirmos deferrentur à corpore ejus sudaria & semicinctia, & discederent ab eis morbi, & spiritus mali ab eis exirent. [*Ibid. 9, — 12.*]

4770 57

P. Celerem, accusante Asiâ, quia absolvere nequibat Cæsar, traxit senectâ donec mortem obiret. nam Celer interfecto Silano Asiæ proconsule, magnitudine sceleris cætera flagitia obtegebat. [*Tacit. lib. 13. cap. 33.*]

Cossutianum Capitonem Cilices detulerant maculosum foedumque, & idem jus audaciæ in provinciâ ratum, quod in Urbe exercerat. Sed pervicaci accusatione confictatus, postremò defensionem omisit, ac lege repetundarum damnatus est. [*Id. ibid.*] quò (ex Lipsio) referendum Juvenalis illud, in Satyrâ 8.

—————quàm fulmine jasto

Et Capito & Tutor ruerint damnante Senatu,

Pirata Cilicam.

et Quintiliani, lib. 6. cap. 1. Egregiè nobis adolescentibus dixisse accusator
Cossu-

Cossutiani Capitonis videbatur, Græcè quidem, sed in hunc sensum. Erubescit Cæsarem timere.

Pro Eprio Marcello, à quo Lycii res repetebant, eo usque ambitus prævaluit, ut quidam accusatorum ejus exilio multarentur, tanquam infanti periculum fecissent. [*Tacit. lib. 13. cap. 33.*]

4061

Mollibus adhuc initiis prolatatum inter Parthos Romanosque de obtinendâ Armeniâ, bellum, acriter erupit: quia nec Vologeses sinebat fratrem Tiridatem dati à se regni expertem esse, aut alienæ id potentiae donum habere; & Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur, parta olim à Lucullo Pompeioque recipere. Ad bellum id Corbulo militem priscâ severitate & disciplinâ formavit, Armeniâque ingressus castella aliquot excidit, & urbem Artaxata succendit, Tiridate prælium inire non auso. [*Tacit. lib. 13. à cap. 34. ad 41.*]

4771 58

Ex Judæis exorcistæ septem, filii Scevæ primarii Sacerdotis, nomen Jesu super eos qui spiritus malos habebant invocantes, adjurabant eos per Jesum quem Paulus prædicabat. In quos infiliens Endergumenus, vulneratos ex domo nudos fugere coëgit. Quod cum innotuisset omnibus tum Judæis tum Græcis qui habitabant Ephesi; metus in eos omnes incidit, & magnificabatur nomen Domini Jesu. Et multi eorum qui crediderant, veniebant confitentes & indicantes acta sua. Multi quoque ex iis qui curiosa exercuerant, comportatos libros exusserunt in omnium conspectu: quorum suppuratis pretiis, inventa sunt denariorum 50. millia. Ita fortiter crescebat verbum Domini, & invalescebat. [*Act. XIX. 13, — 20.*]

Galatæ, citò post Pauli ab eis discessum, (*Act. XVIII. 23.*) à falsis fratribus seducti, per opera Legis justificandos se putabant: quos, vehementiore hæc de re scriptâ ad eos epistolâ, ille ab errore revocat. [*Gal. I. 6, 7.*]

4062

Induxit in animum Paulus peragrata Macedoniâ & Achaiâ proficisci Hierosolymam; Romam etiam inde dicens videre se oportere. [*Act. XIX. 21.*] Et quidem primò Corinthum venire proposuit, inde in Macedoniam proficisci, ex Macedoniâ rursus Corinthum, atque inde Judæam petere. [*II Corinth. I. 15, 16.*] ubi quum Collectas ex Macedoniâ & Achaiâ mittendas pauperibus Sanctis Hierosolymæ consignavisset, Romam illinc proficisci instituit, atque inde iter facere in Hispaniam. [*Rom. XV. 24, — 28.*]

4772 59

Hæc animo Paulus agitans, missis in Macedoniam Timotheo & Erasto, ipse substitit ad tempus in Asiâ. [*Act. XIX. 22.*] Lydiacâ sc. in quâ per urbes Epheso vicinas Evangelium prædicavisse videtur, novem adhuc mensium spatio: qui biennio quo in scholâ Tyranni, & tribus mensibus quibus prius in Synagogâ Ephesi ille docuerat, additi triennium conficiant, quo in Asiâ se laboravisse ipse indicat, [*Act. XX. 18, 31.*] ostio illi aperto magno, licet multis oppositis adversariis, [*I Corinth. XVI. 9.*]

Solis defectum Vipsanio & Fonteio Consulibus, pridie Kalendas Maias, Campania horâ diei inter septimam & octavam sensit: Corbulo dux in Armeniâ inter horam diei decimam & undecimam prodidit visum.

visum. [*Plin. lib. 2. cap. 70.*] Romæ, ita ut stellæ viderentur, eclipsis hæc conspecta est in medijs sacrificiis, quæ Agrippinæ causâ (à filio Nerone interemptæ) decreto Senatus fiebant. [*Xiphilin. ex Dione: cum Tacito, lib. 14. cap. 12.*]

4063

Orto in Ecclesiâ Corinthiâ schismate (quod Paulo ab iis qui erant è domo Chloës est indicatum) Pauli quibusdam se esse dicentibus, quibusdam Apollo, quibusdam Cephæ, quibusdam Christi; [*I Corinth. I. 11, 12. & III. 3, 4.*] Apollos cum alijs fratribus Corinthiis ad Paulum in Asiam profectus est. [*Ibid. XVI. 12.*] per quos ad Apostolum scribentes Corinthii, de causâ conjugii & coelibatus illum consuluerunt. [*Ibid. VII. 1.*]

Paulus, cum Sosthene archisynagogo illo Corinthio ad fidem Christi converso, (absente tum Timotheo; *I Cor. XVI. 10. cum Act. XIX. 22.*) ex Asiâ (Lydiâ, ubi tum erat) priorem ad Corinthios epistolam per Stephanam, Fortunatum & Achaicum (ab ipsis ad visendum Apostolum missis) scripsit; Apollo cum eis tam citò redire renuente. [*I Cor. I. 1. XVI. 12, 17, 19.*]

In eâ epistolâ, incestuosum Corinthium, qui patris uxorem duxerat, Satanæ tradi jubet. [*cap. V.*] Et errores qui in ipsorum Ecclesiam irreperant corrigit; tum practicos, tum summum illum dogmaticum (ex Sadducæorum lacunis haustum) futuram Resurrectionem negantem [*cap. XV.*] ipse se ad eos venturum significans, & quæ supererant ordinaturum; [*cap. IV. 18, 19. & XI. 34.*] quum pertransiret Macedoniam; sed priùs Ephesi, usque ad Pentecosten, [*XVI. 5, 6, 7.*] permansurum. [*cap. XVI. 5, — 8.*] Quod tamen illius consilium inopinatus quidam casus statim interrupt.

Demetrius enim argentarius, qui fabricabat templa Dianæ argentea, metuens suo quæstui, istiusmodi rerum opificibus Ephesi congregatis, tumultum in Paulum excitavit; ut qui non Ephesis solum sed etiam totius penè Asiæ turbæ persuaderet, deos illos non esse qui manibus fiant. Qui correpto Gaio & Aristarcho Macedonibus, socijs peregrinationis Pauli, irruerunt in theatrum: sed ipsum Paulum contendere eò volentem discipuli, & quidam ex Asiarchis (spectaculorum in teatro exhibendorum curatoribus) amici ejus, ad populum eum prodire non siverunt. Alexandro verò Judæo defensione apud populum uti parante, vox una facta est omnium quasi ad horas duas clamantium: *Magna Diana Ephesiorum.* Tandem tumultu scribæ civitatis prudentiâ sedato, Paulus convocatis discipulis valedicens, abiit profecturus in Macedoniam. [*Act. XIX. 24, — 41. & XX. 1.*]

Epheso quoque Aquila & Priscilla profecti, Romam sunt reversi: postquam pro Pauli salute suam ipsorum cervicem supposuissent. [*Rom. XVI. 3, 4. cum I Corinth. XVI. 19.*] Judæis, Claudii de eorum expulsionem edicto post mortem illius exolescente, passim Romam redeuntibus. [*Act. XXVIII. 17, 21.*]

Epheso in Troadem veniente Paulo, etiamsi ostium apertum illi esset per Dominum ad prædicandum Euangelium Christi, turbatus tamen quòd ibi non invenisset Titum (quem cum alio fratre ad Corinthios ille miserat) navigavit inde in Macedoniam. [*II Corinth. II.*]

12, 13. cum XII. 18.] quam perambulans, multo sermone fratres est exhortatus. [Aët. XX. 2.]

Et quum ibi afflictio ejus se non remitteret, sed foris essent pugnæ, intus terrores; consolationem ei attulit adventus Titi, atque lætus quem de Corinthiorum statu ille attulit nuntius. [II Corinth. VII. 5, -16.] Quorum exemplo Macedonas etiam provocavit ad expediendas Collectas Hierosolymam mittendas; ab anno superiore paratam Achaiam fuisse dicens. [Ibid. IX. 2.] eoque exemplo illi commoti, in multâ probatione afflictionis etiam supra vires suas liberales se præstiterunt. [Ibid. VIII. 1, -5.]

Apostolus, per Titum de successu prioris epistolæ edoctus, posteriorem ad Corinthios, simul cum Timotheo, scripsit epistolam: in quâ, summâ illâ, quam in Asiâ (Demetrio procurante) nuper pertulerat, afflictione commemoratâ, se idcirco ad eos, sicuti proposuerat, non venisse protestatur, ut eis parceret. [cap. I. 8, 9, 17, 23.] incestuoso illi resipiscenti veniam dari obsecrat. [cap. VI. 5, -11.] misso ad eos iterum Tito, unâ cum alio fratre cujus laus erat in euangelio per omnes ecclesias, (qui Lucas fuisse existimatur) ut Collectæ Hierosolymam mittendæ in promptu essent, quum ipse eò veniret. [cap. VIII. 16, -19. & IX. 3, 4, 5.]

Ex Macedoniâ in Græciam profectus Paulus, tres menses ibi peregit. [Aët. XX. 2, 3.] Intra quos Corinthum ille veniens, elemosynas ad sublevandos fideles Hierosolymitanos in Achaiâ collectas recepit. [I Corinth. XVI. 3, 4, 5. cum II Corinth. IX. 4.]

Corintho scriptam fuisse insignem illam ad Romanos epistolam, in Præfatione ad illius explicationem pluribus confirmat Origenes: dictatam quidem à Paulo, scriptam manu Tertii, missam per Phæben diaconissam Ecclesiæ Cenchreensis, juxta Corinthum; [Rom. XVI. 1, 2, 22.] quo tempore cum Collectis Macedoniae & Achaiæ profecturus erat Apostolus Hierosolymam. [Rom. XV. 25, 26.]

Quum verò Apostolus rectâ inde in Syriam solvere, ut Collectas illas Hierosolymam deferret, in animo haberet; à Judæis illi navigaturo factæ sunt insidiæ. Unde, quâ venerat viâ, in Macedoniam redeundum esse censuit; indeque in Asiâ (proprie dictam) transeundum. [Aët. XX. 3, 4.]

Philippis in Macedoniâ præmisit ille in Asiâ itineris comites, Sopatrem sive Sosipatrem (Rom. XVI. 11.) Bercoensem, Aristarchum & Secundum Thessalonicenses, Gaium Derbensem & Timotheum, cum Asianis Tychico & Trophimo: qui expectârunt illum Troade. Ipse verò, cum Lucâ & reliquis, post dies Azymorum Philippis solvens, venit ad eos Troadem intra dies quinque: ibique commoratus est dies septem. [Ibid. 4, 5, 6.]

Die octavo, qui hebdomadis fuit primus, congregatis discipulis ad frangendum panem, Paulus diserebat cum eis abituras postridie, produxitque sermonem usque in mediam noctem. ubi Eutychem adolescentem ex tertiâ contignatione, in coenaculo ubi erant congregati, deorsum decidentem vitæ restituit. [Ibid. 7, -12.]

Hinc iter pedibus confecit Paulus Assum usque: ubi Lucas & reliqui

4773 60

liqui focii, navigio eò pervenientes, cum receptum Mitylenen deduxerunt. Et quum illinc enavigassent, sequenti die pervenerunt è regione Chii, postridie verò appulerunt Samum : & quum diversati essent apud Trogyllium, sequenti die venerunt Miletum. [*Ibid.* 13, 14, 15.]

Festinatat verò Paulus ut, si fieri posset, die Pentecostes esset Hierosolymis. Ephesum igitur præternavigare volens, ne tempus tereret in Asiâ, missis Mileto nunciis Ephesum, Presbyteros Ecclesiæ eò accersivit : quos gravissimâ oratione de officio admonuit, & ad illud gnaviter faciendum hortatus est serio. Tum positis genibus suis, oravit cum illis : flentibus omnibus & maximè dolentibus, quòd dixisset, (ita enim futurum ille tum putabat) ipsos non esse amplius faciem ejus conspecturos. [*Ibid.* 16, — 38.]

Troade provecti recto cursu venerunt Coum, & sequenti die Rhodum, & illinc Patara. Tum conscensâ navi quæ trajiciebat in Phœniciam, præterlegentes Cyprum, cæque ad lævam relicta, venerunt Tyrum. [*Act.* XXI. 1, 2, 3.]

Ibi permanerunt dies septem, inventis discipulis : qui Paulo dicebant per Spiritum, ne ascenderet Hierosolymam. Ille verò, positus genibus in littore orans cum eis, conscensâ navi, Tyro delatus est Ptolemaidem : & salutatis ibi fratribus, postridie venit Cæsaream (Stratonis.) Ubi quum complures dies mansisset cum Philippo evangelistâ, qui unus erat ex illis septem, [*Act.* VI. 5.] et filias habuit quatuor virgines prophetantes ; adveniens ex Judæâ propheta Agabus, & Pauli zonâ manus ac pedes sibi vinciens, vincula quæ illum manebant Hierosolymis prædixit. Qui cum à fratribus persuaderi sibi non pateretur, ne in tam præsens discrimen se conjiceret, Hierosolymam perrexit : comitantibus cum ex Cæsareâ discipulis, & adducentibus apud quem diversaretur, Mnasonem Cyprium, antiquum discipulum. [*Ibid.* 4, — 16.]

Hic ab Ecclesiâ libentissimè exceptus, Jacobi & omnium Hierosolymitanorum Presbyterorum consilio, ad eluendam quæ de eo sparsa erat calumniam, (cum nempe docere atque hortari Judæos in Christum credentes, quorum aliquot tum erant myriades, ut ab observatione Legis Mosaicæ recederent) quatuor viris qui ex fidelibus Judæis votum Nazareatus fecerant se adjunxit ; cum iis secundum Legis præscriptum se purificans. Neque tamen eo promovit quidquam. Quum enim cum in Templo vidissent nonnulli ex incredulis & rebellibus Judæis Asiaticis (qui Hierosolymam ad festum ascenderant) magnis clamoribus & vociferatione turbas concitaverunt ; confecto crimine, quòd introducto in Templum Trophimo Gentili Ephesio, illud poluisset. Cùmque prope esset ut ab iis per tumultum trucidaretur, superveniente Tribuno (Claudio Lysia) cum cohorte, ereptus est ex eorum manibus & ductus in castra. Ubi, permittente Tribuno, concionem ad tumultuantem populum linguâ Hebræâ habuit. [*Ibid.* 17, — 40.]

Pauli oratione Judæis exacerbatis & vehementius adversus eum exclamantibus, tribunus Lysias virgis examinari jubet : à quo supplicio,

Romanum se civem esse declarans, liberatus est. Cùmque vellet Tribunus certò scire cujus criminis accusaretur ille à Judæis; postèrà die primarios Sacerdotes totùmque ipsorum Synedrium venire iussit, ac Paulum vinculis solutum coram eis statuit. [Act. XXII.]

Paulum coram Synedrio causam dicere incipientem Ananias Pontifex (Nebedæi filius: qui licet summo Sacerdotio privatus, Synedrii ramentum Præses fuisse videtur; ut ante eum Annas sive Ananus, Caiphæ socer) in os cædi jubet: à Paulo idcirco, *parietis de albatii* nomine acriter oburgatus. Phariseum deinde se esse Paulo proclamante, & de spe resurrectionis mortuorum in iudicium vocari; dissensio inter Sadducæos qui accusabant, & Phariseos qui eum excusabant, orta est. Metuens verò Tribunus ne ab illis inter contendendum discerperetur, Paulum è medio ipsorum per milites in castra ducendum curavit. Cui sequente nocte apparens Dominus, subtristem consolatur & animat ad majora; prædicens & Romæ eum de ipso esse attestaturum. [Act. XXIII. 1, — 11.]

Orto autem die, ex Judæis zelotis plures quàm 40 seipfos devoverunt, neque efuros neque bibituros, usquequo interemissent Paulum. Quorum insidias à sororis Pauli filio resciscens tribunus Lyfias, tertiâ horâ noctis Paulum militum satellitio septum ad Felicem provinciæ Præsidem misit: à quibus eâ nocte Antipatrida, & postero die Cæsaream est deductus; ubi iussus est à Felice in prætorio Herodis custodiri. [Ibid. 12, — 35.] Quæ omnia intra unius hebdomadæ spatium peracta fuisse, ex Act. XXIV. versiculis 1. & 11. inter se collatis, intelligitur.

Post quinque dies ab Ananiâ Pontifice & Senioribus per Tertullum oratorem Cæsareæ apud Præsidem accusatus Paulus, à falsis eorum criminationibus se purgavit; 12 post vim ipsi in Templo illatam diebus, quum jam à multis annis Felix Judæis præfuisset. (utpote qui decimum gubernationis illius annum tum ageret.) Ille verò, his auditis, iudicium in aliud tempus distulit: edicens Centurioni ut servaretur Paulus, ac laxaretur, & ne quis prohiberetur ex ipsius familiaribus ei ministrare aut eum adire. [Act. XXIV. 1, — 23.]

Aliquot post diebus quum advenisset Felix cum Drusillâ uxore suâ, quæ erat Judæa, (soror Agrippæ regis; alia à Drusillâ Felicis uxore alterâ, Jubbæ Mauritanæ regis filiâ, Antonii & Cleopatrz nepte) accersivit Paulum: & tum de fide Christi, tum de justitiâ & continentia & iudicio futuro differentem tremens audiit. Simul etiam sperans, Paulum pecuniâ sese redempturum, crebrius colloquebatur cum eo. toto biennio in vinculis eum detinens. [Ibid. 24, — 27.]

Corbulo Tigranocerta in deditionem accepit, & totam Armeniam subjugavit. [Tacit. lib. 14. à cap. 23. ad 26.]

Tigranes Alexandri (filii Alexandri illius qui à patre Herode Magno necatus est) & Glaphyræ (filiz Archelai regis Cappadocum) filius, qui diu Romæ obses usque ad fervilem patientiam detentus fuerat, in Armeniam ut regnum capefferet à Nerone missus est. Ibi omnium consensu ille non est acceptus: durante apud quosdam favore Arfacidarum. At plerique superbiam Parthorum perosi, datum à Romanis

manis regem malebant. Additum & præsidium, mille legionarii, tres sociorum cohortes, duæque equitum alæ; quo facilius novum regnum tueretur. Pars Armeniæ ut cuique finitima, pars Nipoli (Thraſcy-poli,) Aristobulo atque Antiocho parere iustæ sunt. [*Id. ibid. cap. 26. cum Josepho, lib. 18. cap. 7. fin.*]

Corbulo in Syriam absecessit, morte Vinidii (Numidii) Quadrati legati vacuum, ac sibi permissam. [*Tacit. lib. 14. cap. 26.*]

Eodem anno ex illustribus Asiæ urbibus, Laodicea tremore terræ prolapsa, propriis opibus revaluit. [*Id. ibid. cap. 27.*]

4064

Tarquitius Priscus repetundarum damnatus est, Bithynis interro-gantibus, magno patrum gaudio, qui accusatum ab eo Statilium Tau-rum proconsulem ipsius meminerant. [*Id. ibid. cap. 46. cum lib. 12. cap. 59.*]

4774 61

Apud Cæsaream Stratonis inter Judæos & Syros habitatores de pari jure civitatis contentione exortâ, Judæi freti divitiis per contumeli-am Syros laceſcebant convitio. Qui tamen inferiores quod ad facultates attinet, ferocientes tamen eo quòd plurimi Romanis per ea loca militantium Cæsarienses essent & Sebasteni patriâ, aliquantisper & ipsi regerebant in Judæos convitia. Deinde ad lapides ventum est, ita ut multi utrinque sauciati caderent: penes Judæos tamen fuit victoria. Quos cum Felix proſiliens rogaret ut desinerent, nec illi parerent, im-missis armatis militibus multos eorum interemit, plures captivos fe-cit: & multas eorum domos divitiis refertas in prædam concessit militibus. Judæorum verò honoratiorum ac modestiorum sibi ipsis ti-mentes rogaverunt Felicem ut militibus receptui caneret, parceretque jam, & respiscendi facultatem concederet: id quod Præses indulſit eorum precibus. [*Joseph. lib. 20. cap. 6.*]

Per idem tempus Agrippa rex summum sacerdotium Ismaëli con-tulit Phabei filio. Ipsi verò summi pontifices dissidere cœperunt à sacerdotibus & primatibus Hierosolymitanorum civium, singulique incedebant stipati manu audacissimorum & seditiosorum hominum; conflitantesque inter se mutuis certabant convitiis & lapidationibus: nec erat qui compesceret, quasi vacante urbe magistratibus. In tan-tum autem exarsit summorum pontificum impudentia, ut auderent servos suos in areas mittere, qui auferrent debitas sacerdotibus deci-mas; aliquòtque pauperiores è sacerdotum ordine alimentorum in-opiâ fame deficerent. Tanto plus tum pollebat violentia seditiosor-um quàm justitia. [*Id. ibid.*]

4065

Marcus evangelista, qui primus Alexandriæ Christum annunciavit, 8º Neronis anno mortuus est, & Alexandriæ sepultus. [*Hieronymi. in Scriptor. Ecclesiastic. Catalogo.*] Post quem, Alexandriæ presbyteri unum ex se electum, in celsiori gradu collocatum Episcopum nominârunt: quo modo si exercitus Imperatorem faciat; aut diaconi eligunt de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent. [*Id. in epist. 85. ad Enagrium.*] Elegerunt ut autem Anianum, virum tum Deo propter pietatem charum, tum in omnibus rebus admirabilem: qui post Marcum primus Ecclesiæ Alexandrinæ per annos 22. Episcopus præfuit; ab 8º Neronis anno, usque ad Domitiani 4º. [*Id. in Catalogo:*

cum Eusebio, in Chronico, & Ecclesiast. histor. lib. 2. cap. 23. κεφ. κδ. & lib. 3. cap. 12. κεφ. ιγ.]

Vologeses Parthorum rex Tiridatem fratrem Armeniâ pulsum restituere conatus, alium exercitum in Armeniam, alium in Syriam ducit; Corbulo partem sui exercitus Tigrani Armeniæ regi mittit; ipse arcet Parthos à Syriâ, & minis efficit ut Parthus omisso bello legatos de pace mitteret: qui re infectâ à Nerone dimittuntur, & Cæsennius Pærus tuendæ Armeniæ præponitur. [*Tacit. lib. 15. à cap. 1. ad 7.]*

Felix, seditionem inter Judæos & Syros Cæsarienses adhuc manere videns, nobiles utriusque partis electos, legatos misit ad Neronem, de jure suo disceptaturos. [*Joseph. lib. 2. Belli, cap. 12. κεφ. κγ.]* Idemque sacerdotes quosdam, viros honestos & bonos, ob levem quandam culpam vincetos Romam misit, acturos causam suam apud Cæsarem. [*Id. in lib. de Vita sua.]* Idemque Paulum apostolum, toto biennio Cæsareæ in vinculis detentum, ut gratiam iniret à Judæis, vincum ibi reliquit, quum à Nerone successorem in provinciâ accepisset Porcium Festum. [*Act. XXIV. 27.]*

Festus ingressus provinciam, triduo post ascendit Cæsareâ Hierosolymam. Apud quem cum Pontifex & primarii ex Judæis Paulum accusarent, rogantes ut Cæsareâ Hierosolymam adduceretur, animo eum ex insidiis in itinere interficiendi; renuens Festus, iussit Pauli accusatores venire Cæsaream. Commoratus autem Hierosolymæ dies non amplius quam decem, descendit Cæsaream: & postero die sedens pro Tribunali audivit Judæos Paulum accusantes, & Paulum ab eorum accusatione se purgantem. Qui Judæis gratificari volens, interrogavit Paulum num vellet Hierosolymæ coram se eâ de re de qua postulabatur judicari. Paulus qui intelligebat quo animo & consilio Festus id rogaret, & metuens sibi à Judæorum insidiis, eò proficisci renuit, & Cæsarem appellavit: eamque appellationem Festus, cum concilio collocutus, admisit. [*Act. XXV. 1, — 12.]*

Diebus aliquot transactis, Agrippa rex & Bernice (soror ejus) novi Præsidis salutandi causâ Cæsaream venerunt. Et quum dies complures illic essent commorati, Festus incertus quid de Paulo ad Cæsarem scriberet, Agrippam eâ de re consuluit. Qui cum libenter se hominem audire velle dixisset: postero die, Agrippâ & Bernice cum multâ pompâ in auditorium ingressis, unâ cum Tribunis & eminentibus ejus urbis civibus, Paulus catenâ vincetus coram eis, jubente Festo, productus est. [*Ibid. 13. — 27.]* Qui luculentâ oratione coram eis habitâ innocentiam suam ita probavit, ut licet Præsidi hujusmodi rerum penitus ignaro insanire videretur, Regi tamen in Scripturis exercitato propè persuaserit ut fieret Christianus; totiûsque confessus iudicio existimaretur nihil morte aut vinculis dignum ipsum fecisse, ac propterea solvi potuisse nisi Cæsarem appellasset. [*Act. XXVI.]*

Primores Judæorum Cæsaream incolentium Romam profecti sunt, Felicem accusaturi: dedissetque omnino pœnas injuriarum quibus Judæos affecerat, nisi Nero eum donasset Pallantis fratris precibus, qui tum in pretio erat apud Principem. [*Joseph. lib. 20. cap. 7.]* quamquam ipse postea Pallas, quod immensam pecuniam longâ senectâ detine-

4775 62

ret,

ret, eodem hoc anno veneno à Nerone interfectus fuisse credatur. [*Tacit. lib. 14. cap. ult.*]

Cæsariensium Syrorum duo præcipui Beryllum, qui pædagogus Neronis fuerat, tunc verò Græcis epistolis scribendis præerat, magnâ pecuniâ corruerunt ut impetraret ab Imperatore litteras, quibus abrogaretur Judæis ejus civitatis jus, hæcenus commune ex æquo cum Syris cohabitatoribus: id quod ille faciliè obtinuit. Quod ubi Judæi Cæsarienses cognoverunt, in seditionibus usque ad initium belli Judaici (hinc præcipuè constati) perstiterunt. [*Joseph. lib. 20. cap. 7.*]

Veniens in Judæam Festus, offendit toram afflictam à larronibus vicos passim populantibus: quorum ferocissimi, qui ad maximum numerum tunc excreverant, Sicarii appellabantur, à sicis, id est, gladiolis instar acinacis Persici incurvis; quibus, immixti turbæ (ut dictum est) festis diebus Hierosolymam religionis gratiâ confluenti, nullo negotio quotquot collibuisse tollebant de medio. Qui etiam aliquando armati invadebant inimicorum vicos, direptosque tradebant incendio. [*Id. ibid.*] Eos sollicitè persecutus Festus, latronum plurimos comprehendit, ac non paucos interfecit. [*Id. lib. 2. Belli, cap. 12. fin. xap. xδ. init.*]

Quum decretum esset ut Romam ad Cæsarem Paulus mitteretur, traditus est cum quibusdam aliis vinctis Julio centurioni cohortis Augustæ: qui cum navî Adramyttænæ Asiam petenti imposuit; comitante eum, præter Timotheum & Lucam, etiam Aristarcho Macedonè Thessalonicensi. Sequenti autem die decessi sunt Sidonem: ubi Julius humaniter tractato Paulo, permisit ut ad amicos profectus ab illis curaretur. Illinc provecti sublegerunt Cyprum, quòd venti essent adversi. Et pelagus quod est secundum Ciliciam & Pamphyliam emensi, devenerunt Myra urbem Lyciæ: ubi cum invenisset Centurio navem Alexandrinam, cujus insigne fuit Castor & Pollux, petentem Italiam, imposuit illi captivos. Quumque multis diebus tardè navigantes vix pervenissent secundum Cnidum, sublegerunt Cretam secundum Salmonem: & illum vix præterlegentes, pervenerunt ad Pulchros portus in Cretâ insulâ. [*Act. XXVII. 1, — 8.*]

4066 Quum Jejunium (solenne Expiationis illud, mensis 7. die 10. à Judæis quotannis celebrari solitum) jam præterisset, & periculosa navigatio esse inciperet; futura damna Paulus prævidens, ut isthic hymarent consuluit. Sed quum portus ille ad hyemandum parum commodus videretur, in alio potiùs Cretæ portu, Phœnicie dicto, hymare decreverunt. Cùmque illuc tenderent, aspirante primùm Noto, sed mox orto vento turbulento qui Euroclydon vocatur, ad Claudam parvam insulam sunt delati. Inde abrepti, & vehemente tempestate jactati, jacturam fecerunt; ac tertio die ipsi suis manibus armamenta navis abjecerunt: per complures dies neque Sole neque sideribus apparentibus. Ablatâ verò in posterum spe omni salutis, ab Angelo per noctem revelatum est Paulo, fisci oportere eum Cæsari, & donavisse ei Deum omnes qui navigabant cum ipso. Noctè igitur quadragesimâ, quum jactarentur in Adriâ, suspicabantur nauæ appropinquare sibi aliquam regionem: quam postea compererunt esse Melitam

tam insulam. Eò appellere illis conantibus, navis vi procellarum dissoluta periit: homines verò partim enatantes, partim tabulis & fragmentis navis subvecti, salvi in terram omnes evaserunt. [*Ibid.* 9, —44.]

• Naufragi à Melitæ incolis humanissimè excepti sunt: qui accensâ pyrâ ad eorum vestes siccandas, cum Paulus juxta focum stans vipersam manu excussisset in ignem sine damno, rapti in admirationem eum Deum esse dicebant. Hic per tres dies apud Publium insulæ primum diversati sunt: cujus pater febrî cum dysenteria laborans à Paulo sanatus est, cæteri que quotquot in insulâ fuerunt ægri morbo levati sunt. [*Act.* XXVIII. 1, —9.]

Cesennius Pætus, necdum satis firmatis hibernaculis, nullo rei frumentariæ provisu, rapiens exercitum trans montem Taurum, castella quædam & prædæ nonnihil cepit. Longinquis verò itineribus percursando quæ obtineri nequibant corrupto qui captus erat comætu, & instante jam hyeme, reduxit exercitum. composuitque ad Cæsarem litteras, quasi confecto bello, verbis magnificis, rerum vacuas. [*Tacit. lib.* 15. *cap.* 8.]

Interim Corbulo nunquam neglectam Euphratis ripam crebrioribus insidiis infedit; & Vologesem ab invadendâ Syriâ absterruit. Vologeses autem in Pætum versus, ita eum pressit, ut ad turpe foedus eum coegerit: cujus Monobazus Adiabenus testis est adhibitus. Dirutaque quæ ultra Euphratem communierat Corbulo, & Armenii suo arbitrio relictæ sunt. At Romæ trophæa de Parthis, arcusque medio Capitolini montis sistebantur: decreta à Senatu integro adhuc bello; neque tum ommissa, dum aspectui consulitur, spectâ conscientia. [*Id. ibid.* à *cap.* 9. *ad* 18.]

Paulus & comites, multis honoribus à Melitenis affecti & iis quæ usui erant necessaria instructi, tribus postquam ad eos advenerant mensibus conscensâ navi Alexandrinâ quæ in insulâ hyemaverat, cui erat insigne Castor & Pollux, Syracuse sunt devecti: ubi manserunt triduum. Unde circumlegentes devenerunt Rhegium: et post unum diem superveniente Austro, secundo die venerunt Puteolos. Ubi reperitis fratribus, rogati sunt ut permanerent apud eos diebus septem: & ita contenderunt Romam. [*Act.* XXVIII. 10, —14.] anno imperii Neronis 9º.

Româ fratres in occursum Paulo prodierunt usque ad Appii forum & tres Tabernas. Quum Romam verò est perventum, centurio tradidit vincos Præfecto Prætorii: permissumque est Paulo, ut habitaret seorsim, cum milite qui ipsum custodiret. Tertio post die Judæorum primos qui Romæ erant convocans, exposuit eis causam cur Romam vincus missus esset, Cæsaremque appellare coactus fuisset: cumque illi negarent se litteras ullas de eo ex Judæâ accepisse, sed hæresi isti ubique contradici dicerent; die constitutâ venientibus ad eum in hospitium eorum compluribus Christum ex Lege & Prophetis annunciavit à mane usque ad vesperam. Et quidam assentiebantur iis quæ dicebantur, reliqui verò increduli permanserunt: quibus postquam ex Esaiâ suum recitasset iudicium, istis relictis ad Gentes se convertit.

477663

vertit. Mansitque *biennium* totum in proprio conducto : et excipiebat omnes qui ad ipsum ingrediebantur ; prædicans regnum Dei, ac docens quæ sunt de Domino Jesu Christo cum omni dicendi libertate, nemine prohibente. [*Act. XXVIII. 14, — 31.*]

Onesiphorus Ephesius Paulum Romæ studiosissimè quæsitum invenit & recreavit. [*II Timoth. I. 16, 17.*]

Principio veris legati Parthorum mandata regis Vologesis litterasque Romam attulerunt, Armeniam (quam jam eripuerant) sibi dari, & pacem confirmari petentes. Sed utroque illis negato, Syriæ executio Cintio (ut Præsidi) copiæ militares Corbuloni, permixtæ sunt ; & quintadecima legio, ducente Mario Celso, è Pannoniâ adjecta est. Jussi quoque sunt tetrarchæ ac reges, præfectique & procuratores, & qui prætorum finitimas provincias regebant, Corbuloni obsequi : in tantum ferme modum auctâ potestate, quem populus Romanus Cn. Pompeio bellum Piraticum gesturo dederat. Regressum verò Pætum, cum graviora metueret, facilius insectari satis habuit Nero : ignoscere se statim dicens, ne tam promptus in pavorem longiore solitudine ægresceret. [*Tacit. lib. 15. cap. 24. & 25.*]

Corbulo, lustrato exercitu, in Armeniam profectus est : cui legati Vologesis obviam venerunt, pacem petitori. Tiridates verò in castra Romana venire coactus, detractum diadema Neronis imagini subjecit, atque ut idem ab eo resumeret ipse ad eum Romam proficisci patens est : hæc tamen conditione, ut prius suos fratres & familiam conveniret. Obsidem interea filiam tradidit, litterasque supplicatorias ad Neronem : & digressus Pacorum apud Medos, Vologesem Ecbatanis reperit. [*Id. ibid. à cap. 26. ad 31.*]

In Judæâ Festus equestres & pedestres copias misit contra quendam impostorem magum, qui homines post se trahebat in solitudinem, deceptos vanis promissis ; quasi ope ejus incolumes evasuri essent à malis omnibus. Hi universi unâ cum seductore ab immisis militibus oppressi sunt. [*Joseph. lib. 20. cap. 7.*]

Eodem tempore Agrippa rex extruxit insigni amplitudine domum prope porticum in regiâ Hierosolymitanâ quæ Hasmonæorum fuerat, sitam in edito loco, unde amoenissimus prospectus patebat contemplari urbem volentibus. Hierosolymitani verò proceres, indignissimè ferentes sacrificia & alia quæ in Templo agerentur è privatâ domo spectari, altum parietem excitaverunt, quo non solum arcebatur prospectus ille domus regiæ, sed & occidentalis extra templum sitæ porticus, in quâ Romani milites festis diebus stationes habebant ad templi custodiam. Quo facto tam Rex offensus est, quàm Festus præses provinciæ. Eo verò jubente parietem dirui, Hierosolymitani, licentiâ ab illo impetratâ, legatos hæc de re miserunt ad Neronem decem cives eximios ; unâ cum Ismaële summo Pontifice, & Chelciâ custode sacri ærarii. Legatione auditâ, Nero non modò Hierosolymitanis ignovit, sed permisit etiam sic manere parietem ; gratificatus in hoc uxori suæ Poppææ, quæ Judaicæ religioni favens pro Judæis deprecatrix fuerat : quæque decem illos viros redire permisit,

Chelciâ & Ismaële tanquam obsidibus apud se detentis. Id postquam Agrippa rescivit, Pontificatum Ismaëli ademptum Josepho cognomine Cabi, Simonis summi quondam Pontificis filio, detulit. [*Id. ibid.*]

Josephus Matthiæ filius, audiens familiares sibi Sacerdotes victos à Felice Romam missos ne in calamitate quidem constitutos curam pietatis abjecisse, & sicubus eos atque nucibus vitam sustentare, ut aliquo pacto liberaret, Romam ætatis anno 26^o exacto profectus est, multis in mari exhaustis periculis. Mensâ enim nave in medio mari Adriatico, ex 600 circiter qui per totam noctem nataverant, 80 fermè, feliciore usi natatu, in navem Cyrenaicam recepti & servati sunt. Inter quos Josephus, terræ redditus, Dicæarchiam sive Puteolos (ut Itali vocare malunt) veniens, familiaritatem contraxit cum Aliturio mimorum actore, qui Judæus genere Neroni charus erat. Per hunc ubi Poppææ Augustæ innotuit, absolutionem illis Sacerdotibus per eam confestim impetravit. [*Id. in lib. de Vita sua.*]

Festo in provinciâ mortuo Nero successorem in Judæam misit Albinum. Rex verò Agrippa summum Sacerdotium Josepho ademptum Anano dedit Annæ sive Anani illius filio, qui ipse prius summo Pontificatu ad satietatem potitus, filios habuit quinque eâdem dignitate perfunctos: quod ad eam ætatem nulli antè summorum Pontificum contigerat. [*Id. lib. 20. cap. 8.*]

Ananus novus Pontifex, ex sectâ Sadducæorum, audax & ferox ingenio, tempus opportunum se nactum ratus, mortuo Festo & Albino adhuc agente in itinere, Concilium judicum advocavit: statutumque coram eo Jacobum fratrem Jesu, & unâ quosdam alios, impietatis accusatos, lapidandos tradidit. [*Joseph. lib. 20. cap. 8.*] Jacobum hunc fratrem Domini tempore Paschatis è pinnâ Templi dejectum Judæos lapidibus obrivisse, atque unum eorum qui fullo erat, veste quo vestes premere solebat in caput ejus impacto, vitam illi eripuisse; ex libro 5^o Historiæ Hegesippi refert Eusebius. [*lib. 2. Histor. Ecclesiast. cap. 22. n. 27.*]

Cædes Jacobi omnibus in civitate Hierosolymitanâ bonis & legum studiosis vehementer displicuit: missisque ad Agrippam regem clam nunciis rogaverunt ut mandaret Anano, ne quid tale posthac ageret. Quidam etiam Albino occurrentes venienti ab Alexandria docuerunt eum non licuisse Anano sine ipsius consensu advocare Concilium. Horum verbis ille persuasus iracundè scripsit Pontifici, daturum sibi pœnas minitans: & Agrippa rex eam ob causam post tertium mensem ablatum ab eo pontificatum Jesu Damnei filio concessit. [*Joseph. lib. 20. cap. 8.*] Apud Christianos verò, post Jacobum fratrem Domini, Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopus Symeon Cleophæ filius est constitutus. [*Euseb. lib. 3. Histor. Eccles. cap. 26. n. 26.*]

Albinus, ut venit Hierosolymam, omnem curam & diligentiam adhibuit, ut pacaret provinciam, interfectis multis sicariis. Ananias autem pontifex (Nebedæi filius) indies apud populum celebrior fiebat & charior, honorabaturque ob liberalitatem ab omnibus: quotidieque Albinum donis venerabatur & summum Pontificem. Sed habebat servos pessimos, qui adjuncto sibi audacissimo quoque obeuntes

areas,

areas, vi auferebant sacerdotum decimas; pulsantes eos, qui cunctarentur reddere. Alii quoque pontifices faciebant similia, nemine valente compescere: multique sacerdotum, quibus antè ex decimis alimenta fuerant, tunc absumebantur inediâ. [*Joseph. lib. 20. cap. 8.*]

Sicarii die festo qui tum supervenerat (Pentecostes) noctu Hierosolymam ingressi, vivum ceperunt scribam ducis Eleazari, filii Ananiæ pontificis. Hunc vincum abduxerunt, ac deinde miserunt ad Ananiam qui eorum nomine promitteret scribam dimittendum, si ille Albino persuaderet, ut ex eorum numero decem captivos solveret: quod Albinus, urgente necessitate, ab Albino impetravit. Id majorum calamitatum fuit initium. Latrones enim semper aliquam artem comminiscabantur, quâ ex Ananiæ cognatis quempiam interciperent; nec prius dimittebant, quàm è suis aliquot reciperent: auctique denuò magno numero, & receptâ audaciâ, totam eam regionem vastabant. [*Ibid.*]

Hoc tempore Agrippa rex prolatis pomœriis Cæsareæ Philippi, mutato nomine Neroniada eam vocavit: & theatrum apud Berytios impendiis magnis exâdificatum ornavit spectaculis annuis, assignatâ in eum usum ingenti vi pecuniæ. Frumentum enim donavit ei populo, & oleum viritim distribuit; totâmq; eam urbem ornavit staturis passim dispositis atque expressis ad antiqua clarorum artificum archetypa imaginibus: & omnia penè regni sui ornamenta in eam civitatem transtulit. Unde magnam sibi apud subditos paravit invidiam; quòd suos spolians externam urbem excoleret. [*Id. ibid.*]

4067

Quadriennio ante bellum Judaicum (à Vespasiano administrari cœptum) quum civitas Hierosolymitana summâ pace atque opulentia frueretur, Jesus quidam Anani filius, plebeius & rusticus, ad festum Tabernaculorum veniens repente exclamare cœpit. *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis: vox in Hierosolymam & Templum, vox in maritos novos novâsque nuptas, vox in omnem hunc populum.* Atque hæc interdum noctuque clamitans omnes civitatis vicus circuibat. Nonnulli autem virorum insignium, adversum omen indignè ferentes, correptum hominem multis verberibus affecerunt. Ille autem neque pro se, neque ad eos qui ipsum multabant, secretò quicquam locutus, eadem quæ prius vociferabar. Magistratus autem rati magis divinum esse hominis motum, duxerunt eum ad Romanorum præfectum: ubi plagis usque ad ossa laceratus, neque supplex cuiquam fuit, neque lachrymavit: sed ut poterat inclinans maximè flebiliter vocem ad singulos ictus respondebat; *Va, va Hierosolymis.* Albino autem interroganti quis esset, vel unde ortus, aut cur ista diceret, nihil retulit: à luctu verò civitatis non destitit, donec eum Albinus furere iudicatum dimisit. Maximè autem diebus festis vociferabatur: idque per annos *septem* (vel *sex* potius; ut in Photii Bibliothecâ, *cod. 47.* legitur) & quinque menses continuos faciens neque voce raucior fuit, neque delassatus est; donec obsidionis tempore lapis tormento missus eum peremit. [*Id. lib. 7. Belli, cap. 12. κεφ. λα.*]

Agrippâ rege iubente, Jesus Gamalielis filius in summo Pontificatu successit Jesu Damnei filio non libenter sibi cedenti: unde natum est inter utrumque dissidium. Ascitis enim globis audacium juvenum, sæpè à convitiis prorumpabant ad lapides. Sed inter alios eminebat Ananias ex amplis facultatibus largitione plurimos sibi concilians. Costobarus quoque & Saulus suam quisque circa se manum habebat sceleratorum hominum; orti genere regio, & propter Agrippæ cognitionem favorabiles, alioqui violenti & ad spoliandos infirmiores promptissimi. [*Id. lib. 20. Antiquit. cap. 8.*]

Ex hoc maximè tempore labare cœpit respublica Judaica & indies in deterius ruere. [*Id. ibid.*] et multiplice existenti tunc dominatione, futuri excidii semina spargebantur. [*Id. lib. 2. Belli, cap. 13. uap. 2d.*]

Albinus verò præses non solum causis civilibus furabatur & diripiebat bona singulorum, neque solum tributorum additamentis in commune gentem gravabat; sed etiam quos ob latrocinia decuriones civitatum comprehenderunt, vel qui à prioribus iudicibus in custodiis erant relictis, acceptâ à cognatis eorum pecuniâ, liberavit: & is solum qui non dedisset, in carceribus quasi nocentissimus remanebat. [*Id. ibid.*]

Per idem tempus, eorum quoque qui res novas cupiebant in urbe Hierosolymitanâ crescebat audacia. Ex quibus, qui erant opulenti Albinum largitione redimebant, ut eis tumultum moventibus non indignaretur: pars autem popularis quæ non satis gaudebat quiete Albini participibus jungebatur. Unusquisque ergo improborum cohorte propriâ circumdatus, ipse quidem inter cæteros quasi princeps latronum & tyrannus eminebat: stipatoribus verò suis ad direptionem mediocrium abutebatur. Ita fiebat, ut hi quidem quorum vastabantur domus, tacerent; illi autem qui extra incommodum stetissent, metu ne similia paterentur, etiam officii ambirent eos quos constabat dignos esse suppliciiis. [*Ibid.*]

Nero, Româ incensâ, è turri Mœcenatianâ incendium prospectans, lætusque *flamma* (ut aiebat) *pulchritudine*, excidium Ilii in scenico suo habitu decantavit; præsentia mala vetustis cladibus assimulans. [*Tacit. lib. 15. Cap. 38, 39, 40. Sueton. in Nerone, cap. 38. Xiphilin. ex Diene.*] Fuere qui annotarent, XIV. Kalend. Sextiles principium incendii hujus ortum, quò & Senones captam urbem inflammaverant. Alii eoque curâ progressi sunt, ut totidem annos mensésque & dies inter utraque incendia numerarent. [*Tacit. ibid. cap. 41.*] ac si annos 448. menses 3376. dies 167632. inter ea intercessisse dixissent.

Abolendo rumori Nero subdidit reos, & quaesitissimis poenis affectit, quos vulgus Christianos appellabat. Igitur primò correpti qui [Christianos se] fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud periandè in crimine incendii, quàm odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contacti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, & Circense ludicrum edebat, habitu au-
rigæ

rigæ permixtus plebi, vel circulo insistens. Unde miseratio oriebatur, tanquam non utilitate publicâ, sed in sævitiam unius absumerentur. [*Tacit. lib. 15. cap. 44.*] Pro quibus illustrandis, adducuntur verba veteris Scholiastæ, ad illud Juvenalis, in Satyrâ 1^a,

Pone Tigellinum: tādâ lucebis in illâ,

Quâ stantes ardent qui fixo guttore fumant.

Tigellinum si leseris, vivius ardebis, quemadmodum in munere Neronis, de quibus ille jusserat cereos fieri, ut lucerent spectatoribus, cum fixa essent guttura ne se curvarent. Nero maleficos tādâ, papyro & cerâ supervestebat, & sic ad ignem admoventi jubebat.

Hæc fuit prima à Romanis Imperatoribus in Christianos excitata persecutio: de quâ Suetonius, ut homo ethnicus, in *Nerone*, cap. 16. *Afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis nova ac malefica.* Tertullianus verò, ut Christianus, in Apologetico cap. 5. *Consulte commentarios: illic reperietis primum Neronem in hanc sectam tum maximè Romæ orientem Casariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur: qui enim scit illum, intelligere potest non nisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.*

4068

Cestius Gallus præses in Syriam, Gessius Florus procurator in Judæam à Nerone missus est. Erat verò Florus Clazomenius genere: adduxitque secum Cleopatram conjugem improbam; per quam, ut Poppææ Augustæ amicam, Judææ administrationem impetraverat. [*Joseph. lib. 20. cap. 9.*]

Albinus, audito Gesium Florum sibi successurum venire, videri volens gratificatus Hierosolymitanis civibus, productis vinctis, quotquot erant in manifestè capitali culpâ jussit interiri; reliquos, qui levioribus de causis coniecti erant in vincula; reductos in carcerem pecuniis multatos dimittebat alium post alium. Atque in hunc modum vacuato vinctis carcere Judæa repleta est latronibus. [*Id. ibid. cap. 8.*]

Interea Leviticæ tribus homines quorum erat sacros hymnos in Templo canere, adito rege Agrippâ induxerunt cum precibus, ut advocato concilio decerneret eis usum stolæ linæ, quæ tum solis erat concessa Sacerdotibus: hanc enim novationem pertinere ad perpetuam ipsius regni memoriam. Rex igitur de concilii sententiâ permisit hymnorum cautoribus, ut deposito priore habitu, lineum ut voluerunt sumerent. Aliam etiam ejusdem tribus partem addictam Templi ministeriis, ipsorum precibus permotus, permisit sacros hymnos canendos ediscere: quæ omnia fiebant contra instituta legis patriæ, nunquam violatæ absque piaculo. [*Ibid.*]

Philippenses Epaphroditum cum pecuniis Romam miserunt, ut Paulum in vinculis visiteret, & necessaria vitæ subsidia ei subministraret. Qui Paulo adiutorem & commilitonem se adjungens, propter opus Christi, non habitâ vitæ suæ ratione, mortis periculo se objecit; in morbum incidens gravissimum. [*Philip. II. 25, — 30. cum IV. 10, 14, 18.*]

Onesimum servum, Colossis à Philemone domino suo Romam fugientem, Paulus senex in vinculis Christo lucrificavit. [*Philem. 9, 10, 15. cum Coloss. IV. 9.*]

Timotheus, Romæ captivus cum Paulo detentus, libertati restitutus est. [*Hebr.* XIII. 23.]

Per Epaphroditum, sanitatem jam adeptum, epistolam ad Philipenses Paulus scripsit: sperans etiam Timotheum brevi se ad eos missurum, simulatque videret rerum suarum statum; & seipsum etiam citò ad eos venturum confidens. [*c.* II. 19, — 29.] Quo tempore Pauli ob Christum vincula celebria facta sunt in toto Prætorio; nonnullis ex ipsius Cæsaris quoque palatio ad fidem Christi conversis. [*c.* I. 12, 13. & IV. 22.] A Cæsare enim missus in carcerem, notior familiæ ejus factus, persecutoris domum Christi fecit ecclesiam. [*Hieronym.* *commentar. in epist. ad Philem.*]

Colossos ad Philemonem per servum ipsius Onesimum scribit Paulus epistolam, quâ eum hero conciliat & commendat: liberationem è vinculis sperare se illi significans, & ut hospitium ei paret rogans. Per eundem quoque Onesimum & Tychicum aliam eodem tempore ad Colossenses ab ipso quidem nunquam visos sed ab Epaphrâ in Christi doctrinâ institutos, è vinculis Paulus scripsit epistolam. [*Coloss.* I. 7, 8. II. 1. IV. 7, 8, 9, 18.] Quo tempore, præter Timotheum, (cujus nomen in inscriptione utraque hæc præfert epistola) Paulo præsentibus Romæ adfuerunt, & in prædicando ibi Euangelio adjuverunt, ex circumcissione quidem, ipsius in captivitate socius Aristarchus (Thessalonicensis, *Act.* XX. 4.) Marcus Barnabæ consobrinus, (de quo excipiendo, si ad eos veniret, mandata Colossenses acceperant) & Jesus qui vocatur Justus: ex aliis verò, Lucas dilectus ille medicus, Demas, & Epaphras; cujus summum affectum laudat Apostolus, non in Colossenses tantum suos (apud quos, eo absente, ministerium Archippus obibat) sed etiam in eos qui erant Laodiceæ & Hierapoli. [*Coloss.* IV. 10. — 14, 17. *Philem.* 23, 24.]

Eundem Tychicum, ex Asiâ peregrinationis suæ socium, (*Act.* XX. 4.) in Asiam quoque Paulus tum misit; ut ex eo res ipsius fratres cognoscerent; scriptâ per eum ad *Ephesios* epistolâ. [*Ephes.* VI. 21, 22.] quam epistolæ ad *Laodicensis* nomine à Marcione hæretico fuisse venditam, Tertullianus libro 5. contra Marcion. cap. 11. & 17. cum Epiphano in hæres. 42. indicat. Quod quidem ex fide Ecclesiæ Laodicensis ab eo fuisse factum; credibile esse Grotius existimat; cur in eâ re mentiretur, nihil fuisse causæ asserens. Indèque eodem planè tenore scriptam fuisse ad Ephesios simul & Laodicensis epistolam ille colligit. Ubi notandum, in antiquis nonnullis codicibus (ut ex Basilii libro 2^o adversus Eunomium, & Hieronymi in hunc Apostoli locum commentario, apparet) generatim inscriptam fuisse hanc epistolam τοῖς ἁγίοις, τοῖς ἑσθ, & τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, vel (ut in litterarum encyclicarum descriptione fieri solebat) *sanctis qui sunt & fidelibus in Christo Jesu.* ac si Ephesum primò, ut præcipuam Asiæ metropolim, missa ea fuisset, transmittenda inde ad reliquas (interfertis singularum nominibus) ejusdem provinciæ ecclesias: ad quarum aliquas, quas Paulus ipse nunquam viderat, illa ipsius verba potissimum spectaverint. *Audita eâ qua in vobis est fide in Domino Jesu, & charitate in omnes sanctos;* cap. I. 15. & *si quidem audistis dispensationem gratiæ Dei*

Dei

Dei quæ data est mihi erga vos, &c. cap. III. 2, 4. quæ Marcion fortasse *Laodicensibus*, magis convenire censebat, qui Apostolum corpore præsentem non viderant; [*Coloss. II. 1.*] quàm *Ephesius*, cum quibus ille tam diu est conversatus. [*Act. XIX. 8, 10. & XX. 31.*]

Circa idem tempus epistolam ad Hebræos Paulus scripsit, Timotheo jam soluto, sed aliò ad tempus ab eo digresso: cum quo, si mox veniret, visurum se eos promittit; salute illis interim à fratribus Italis dictâ. [*Hebr. XIII. 23, 24.*]

Absoluto jam templi Hierosolymitani ædificio, quum videret populus esse in otio circiter octodecim opificum millia, solitorum hætenus in templo ex operarum mercedibus victum quærere; nolensque sacram pecuniam repositam habere, nequando præda Romanis fieret, simulque opificibus inde provisum cupiens: (quòd vel unâ horâ operato statim merces repræsentaretur:) Agrippæ regi suasit, ut Orientalem instauraret porticum. Ea profundæ valli & angustæ imminens, muro 400 cubitos alto erat subnixæ, saxi constructo quadratis valde candidis; eratque cujusque saxi longitudo cubitorum viginti, sex verò altitudo: opus Salomonis regis, qui primus integrum templum condidit. Rex autem, cujus curæ Clandius Cæsar fabricam templi commiserat, reputans, quodcunque opus demoliri facilè, reparari difficilè, maximè talem porticum egentem & tempore longo & pecuniis plurimis; non annuit populi precibus: sed urbem candido saxo constertere si liberet non vequit. [*Joseph. lib. 20. cap. 8.*]

Paulus, expleto biennio quo in liberâ custodiâ detentus Romæ evangelium docuit, (*Act. XXVIII. 30.*) in Asiam inde navigasse, & Colossis hospitio à Philemone exceptus fuisse videtur. [*Philem. 22.*]

Die festo azymorum, hoc anno in Xanthici sive Aprilis diem 8. incidente, horâ nonâ nocturnâ circa aram itémque templum tantum lumen effulsit, ut clarissimus dies putaretur: & hoc usque ad mediam permansit horam. Eodémque festo die etiam bos cum ad hostiam duceretur, agnum in medio fani peperit. Orientalis autem porta interioris templi, cum esset ænea atque gravissima, & sub vesperam vix à viginti viris clauderetur, ferisque ferro vinctis obseraretur, pessulósque altos haberet in saxum limen demissos uno perpetuo lapide fabricatum, visa est noctis horâ sextâ sponte patescere. His autem curriculo per custodes templi magistratui nunciatis, ascendit ille, vixque eam potuit claudere. [*Joseph. lib. 7. Belli, cap. 12. κεφ. 22.*]

Die 21^o mensis Artemisii sive Maii, ante Solis occasum visi sunt per inane ferri currus totis regionibus; & armatæ acies tranantes nubiæ, & civitati circumfusæ. Festo autem Pentecostes, nocte sacerdotes intimum templum more suo ad divinas res celebrandas ingressi, primùm quidem motum quendamque strepitum senserunt, postea verò subitam vocem audire, quæ diceret; *Migremus hinc.* [*Id. ibid.*]

In Cretâ insulâ prædicavit Paulus evangelium: relicto ibi Tito, ut quæ reliqua erant corrigeret, & presbyteros ibi per singulas urbes ordinaret. [*Tit. I. 5.*]

Rex

4778 65.

Rex Agrippa pontificatum Jesu Gamalielis filio abrogatum Matthiæ Theophili filio concessit : quo pontifice Judaicum bellum habuit initium. [*Joseph. lib. 20. cap. 8.*]

Josephus, magnis à Poppæâ Augustâ donatus muneribus, in patriam rediens, ibi deprehendit novarum rerum studia gliscere, multosque ad defectionem spectare : quos à tam infelici proposito frustra ille detertere conatus est. [*Id. in lib. de Vita sua.*]

Adeò enim violenter potestate suâ Gessius Florus est abusus, ut Albinum Judæi desiderarent quasi beneficum. Nam ille quantum poterat clam erat malus & nocens : Florus contra quasi ad ostentandam missus malitiam, publicè traducebat gentis injurias, nihil sibi ad summam in rapinis & suppliciis iniquitatem reliquum faciens. Erat enim inflexibilis ad misericordiam, nullis unquam lucris satiabilis, undecunque parva æquè captans ac magna ; ut etiam latronum esset particeps. Multi enim illam quæstum exercebant decisis prædarum partibus : adeoque nullus erat injuriarum vel modus vel finis, ut miseri Judæi non ferentes rapacem latronum insolentiam cogerentur laribus relictis & patriis ceremoniis ad externos fugere ; judicantes ubivis etiam apud Barbaros se vivere posse commodius. [*Id. lib. 20. Antiqu. cap. 9. & lib. 2. Belli, cap. 13. nep. x. d.*]

Neronem, post finem quinquennalis sui ludicri secundo lustro celebrati (anno enim æræ Christianæ LX: primus agon Neronæ institutus fuerat) & ab aurigatione serò reversum, Poppæa uxor gravida & ægra convitiis incessabat : quam iratus ille ictu calcis occidit. [*Sueton. in Nerone, cap. 35. Tacit. lib. 16. cap. 2. & 6.*]

Ephesi aliquamdiu moratus Paulus, Timotheum ibi, quum inde in Macedoniam proficisceretur, reliquit ; ut eam Ecclesiam, se absente administraret. [*I Timoth. I. 3. III. 14, 15.*] In Macedoniâ verò apud Philipenses permanfit : sicut eis ipse antea promiserat. [*Philipp. I. 25, 26. & II. 24.*]

4069

Paulus priorem ad Timotheum scripsit epistolam : in quâ Hymenæum & Alexandrum, naufragium fidei facientes, Satanæ à se traditos narrat, ut castigati discerent non blasphemare. [*I Timoth. I. 20.*] Hymenæus verò, cum Phileto, futuram resurrectionem negabat ; eam jam factam fuisse dicens. [*II Timoth. II. 17, 18.*] Alexander autem, faber ærarius ille est, qui tanta mala Paulo exhibuit, & sermonibus ejus tam vehementer restitit. [*II Timoth. IV. 14, 15.*]

Ad Titum quoque in Cretam aliam Paulus misit epistolam : rogans, ut quum ad eum Arteman miserit vel Tychicum, veniat ad eum Nicopolim (illam victoriâ Aëtiacâ celebrem) ubi hybernare constituerat ; simulque Zenam legis peritum & Apollo studiosè deducendum curet, nequid illis desit. [*Tit. III. 12, 13.*]

Exactâ hyeme, Paulus Ephesum ad Timotheum rediit : & Troadem profectus, penulam ibi suam reliquit. Erastus mansit Corinthi : (cujus erat procurator, *Rom. XVI. 23.*) Trophimum reliquit Paulus Mileti ægrotantem. [*I Timoth. III. 14. II Timoth. IV. 13, 20.*]

Cestius Gallus Syriæ præfes Antiochiâ Hierosolymam veniens, virisque civitatis ac florem Neroni significare cupiens, contemnti nationem ;

4779 66

tionem; à pontificibus petiit, ut si quo modo possent multitudinem numerarent. Illi autem, quum dies Pascharis adesset, quando à nonâ horâ usque ad undecimam hostias cædebant, hostias 255800. ad quas comedendas decem & aliquando viceni homines per singula contubernia conveniebant. [*Joseph. lib. 7. Belli, cap. 17. edit. Latin. vel. lib. 6. xap. µε. edit. Græc.*]

Cestium circumstans non minor quàm 300 myriadam (3000000.) supplicabat, & ut gentis suæ calamitatibus subveniret; & pestem illam provinciæ Florum ut eiceret clamitabat. Qui tamen cum sub populi ore esset, & Gallo assisteret, non solum nihil movebatur, sed voces illas etiam deridebat. Cestius verò compescens impetum populi, & edicens quòd deinceps placatiorem eis Florum redderet, regressus est Antiochiam. Deduxit autem eum usque ad Cæsaream Florus, illudens mendaciis, & Judæorum genti bellum sedulo comminiscens; quo scilicet solo iniquitates suas occultari posse credebat. Pace siquidem permanente, habiturum se apud Cæsarem accusatores Judæos: verum si defectionem negotiatus fuisset, majore utique malo abducendam à se esse invidiam peccatorum minorum. Indèque ut gens ab Romano abrumperetur imperio, sedulo indies augebat calamitates. [*Id. lib. 2. Belli, cap. 13. xap. κδ.*]

Paulus secundo Romam veniens, à Nerone auditus & absolutus est. De quo ita ipse, in II Timoth. IV. 16, 17. *In primâ meâ defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt: utinam ne illis imputetur. Sed Dominus mihi adfuit & corroboravit me; ut per me impleretur prædicationis, & omnes gentes audirent: & creptus fui ex ore leonis.* Ut enim antea per biennium, ita deinceps per integrum annum omnibus gentibus Romam, tanquam ad communem patriam, undique confluentibus euangelium prædicavit.

Demas Paulum reliquit, amplexus præsens sæculum, & profectus est Thessalonicam: Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas solus cum Paulo Romæ mansit. [*II Timoth. IV. 10, 11.*]

Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio: esse in fatis ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano quantum eventu postea patuit prædictum, Judæi ad se trahentes rebellârunt: inquit Suetonius. [*in Vespasiano, cap. 4.*] *Duravit Judæis patientia,* (inquit Tacitus, lib. 5. Histor. cap. 10.) *usque ad Gessium Florum procuratorem. Sub eo bellum ortum.* mense videlicet Artemisio sive Maio, anno imperii Neronis 12º regni Agrippæ 17º præfecturæ Gessii Flori 2º. [*Joseph. lib. 2. Belli, cap. 13. xap. κε. & lib. 20. Antiquit. cap. ult.*] Ejus belli historiam in posteriore secundi libri parte, & quinque libris sequentibus à Josepho plenissimè habemus descriptam: cujus Breviarium, ex Ludovici Cappelli V. Cl. Judaicæ Historiæ Compendio desumptum, huc transtulimus.

Nero in Græciam transiens, ad hyemem ingruentem ibi mansit. [*Xiphilin. ex Dione.*]

Rex Agrippa Judæos longâ oratione à bello dehortatus est: sed frustra. nam paulo postquàm Hierosolymis ille discessisset, seditiosorum nonnulli Massadam castellum munitissimum fraude occupant, &

Romanos, qui isthic erant, omnes interficiunt. Hierosolymis autem Eleazarus Ananiæ Pontificis filius, Templi tum *εραμπος*, juvenis audax & factiosus, persuasit Sacerdotibus, ut nullius nisi Judæorum hostias admitterent, ne illas quidem quæ pro Cæsare & Romanis offerri solebant: quod temerarium factum cum Principes civitatis, quietis amantes, intolerabile judicarent, & argumentum apertæ defectionis esse viderent, nec possent tamen seditiosos à sententiâ dimovere; legatos ad Florum Cæsaream, & ad Agrippam regem mittunt, rogantes ut properè, missis copiis, seditionem incipientem opprimerent. Florus, qui Judæorum defectionem volebat, id neglexit. Agrippa autem misit mille equites, qui superiorem Civitatem cum Optimatibus & Pontificibus, cæteraque multitudine, quæ optabat quietem, occuparunt & tenuerunt adversus seditiosos, qui Templum & inferiorem civitatem tenebant: per septem continuos dies invicem confligentes. Sed die festo *ευλοφειας* Sicarii multi in Templum recepti cum cæteris, vim regis militibus faciunt, & civitate superiore pelentes compellunt eos in Herodis Regiam superiorem, intenso Archivo, Hasmonæorum palatio, (quæ tum erat Agrippæ regia) & Ananiæ Pontificis domo. Postridie, Augusti 15. die, Antoniam obsessam per biduum capiunt, militésque Romanos omnes interficiunt, & arcem incendunt. Regiam paulo post impetunt atque invadunt, duce Manahemo Judæ Galilæi filio (qui capto Massada castello, & Herodis armamentario isthic direpto, Sicarios suos armatos Hierosolymam adduxerat) eaque expugnata & incensâ tyrannidem occupat Manahemus, sed mox ab Eleazaro Templi Præfesto, in ipso Templo adorans interficitur, ejusque stipatores disjiciuntur, & Massadam reperunt duce Eleazaro Jairi filio, qui genere Manahemo propinquus erat. Romanos, qui regiâ expugnata receperant se in turres Hippicon, Phasaëlum & Mariammen, obsessos, tandemque se dedentes, seditiosi Hierosolymitani, ipso die Sabbathi, contra fidem datam omnes inermes interficiunt.

Eâdem die Cæsareæ Judæi omnes, illic habitantes, ab Ethnicis Cæsariensibus instigante Floro interfecti sunt, numero 20. millia. Hinc exacerbati per universam regionem Judæi Syrorum vicos, & civitates finitimas, depopulati sunt, Philadelphiam, Gerasam, Pella, Scythopolim, Gedaram, Hipponem, Gaulanidem, Ptolemaidem, Sebasten, Ascalona, Anthedona, & Gazam. Inde per universam Syriam Judæorum in civitatibus commorantium à Syris cædes promiscuæ, partim ex veteri in Judæos, & eorum religionem, odio, partim rapinarum amore, partim vindictæ cupiditate. Soli Antiocheni, Apameni & Sidonii Judæis incolis suis pepercerunt. Alexandria autem Ægypti metropoli excitata seditione 50. millia Judæorum uno die interfecta sunt, inmissis in eos duabus legionibus Romanis.

Cestius Gallus Syriæ Præses, his motibus excitatus, Antiochiâ cum legione 12. & auxiliis regis Agrippæ, aliisque copiis, venit in Judæam, & Ptolemaidem invadit Joppen atque incendit, Cæsennium Gallum intrat in Galilæam, quam Sepphori receptus pacat, & Cæsaream venit.

Petrus

Petrus & Paulus de appropinquante vitæ exitu per revelationem à Domino sunt admoniti. [II Petr. I. 14. II Timoth. IV. 6, 7.]

Petrus ad Hebræos, per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam dispersos, secundam scripsit epistolam. [II Petr. III. 1. cum I Petr. I. 1.]

Paulus Ephesum, ubi familia Onesiphori erat, per Tychicum secundam ad Timotheum misit epistolam: postquam Aquila & Priscilla, relicta, Romam eò denuo sunt reversi. [II Timoth. IV. 12, 19.] In eam Timotheum rogat, ut ante hyemem ad ipsum veniat; secumque Marcum adducat, ut ipsi perutilem ad ministerium. [Ibid. 9, 11, 21.] Salutemque illi dicit ab Ebulos, Pudente, Lino, & Claudiâ. [Ibid. 21.]

4070

Cestius Gallus festo Tabernaculorum incensam Lyddam, Hierosolymam tendit, cui ad 60. stadium occurrunt Hierosolymitani, & dubiam pugnam decertatum est prope Bethoron: sed mox majoribus copiis eos aggressus Cestius compulit in Urbem, in quam & ipse irrupit 4. Octobr. inferentemque tenuit (ut & Bezetham & Cæropolim) per aliquot dies civitatem, indeque Templum & superiorem oppugnavit civitatem, facileque cepisset, si fortius in oppugnatione perseverasset, populo Romanis tum favente, solis seditiosis repugnantibus.

Verum Cestius mox cum propè esset ut Templum caperet, sine ulla justâ causâ obsidionem solvit, atque Antipatrida se recepit, multis Romanorum & auxiliarium in itinere amissis, & cæsis à Judæis qui eos insecuti sunt, cum impedimentorum maiore parte, adeoque & machinarum, ballistarum, & armorum (quæ fugientes Romani abiecerant) magnâ copiâ, quibus postea in Hierosolymorum adversus Titi obsidionem propugnatione usi sunt Judæi. Idque factum 8. Novemb. anno Neronis 12^o. (absoluto sc. siquidem 13. Neronis annus à 13. die præcedentis Octobris inceperat.)

Hanc victoriâ elati Judæi Hierosolymam reversi, urbis Præfectos creant Josephum Gorionis filium, & Ananum Pontificem, bellique Duces varios & multos in singulas provincias, sive Toparchias, dimittunt, atque inter eos Josephum (belli hujus Judaici Scriptorem) in Galilæam amandant: in quâ multis opidis communitis & muro cinctis, rebûsque omnibus ad sustinendum bellum ordinatis, Romanorum impetum expectabat.

Interim multi adversus eum motus, multæ & frequentes urbium rebelliones excitantur arte & fraude Johannis cujusdam Levitæ filii, & invidiam nonnullorum ex Principibus Hierosolymitanis, qui Galilææ Præfecturam ei ereptam volebant. Sed eorum omnes conatus, artes & consilia fregit, atque eludit prudentiâ & patientiâ suâ Josephus: qui Johannem illum coegit Hierosolymam cum suis ex Giscalâ Galilææ opido quod munierat, confugere. Hierosolymis autem Ananus urbis Præfectus omnia ad sustinendum bellum necessaria parat, moenia instaurat, bellica instrumenta, tela & arma curat fabricari per totam urbem. Zelotas conatur ad sanam mentem revocare; sed frustra. Simonem Gioræ filium atrocitâ exercentem, & tyrannidem affectantem, misso milite, conatur comprehendere: at is cum suis ad latrones, qui Massadam tenebant, effugit, unde illi

totam Judæam & Idumæam latrociniis infestabant.

Porrò Cestius missis ad Neronem (qui tum in Achaiâ erat) legatis statum Judææ turbatum renuntiat. Nerò conturbatus Vespasianum eò mandat; Vespasianus autem, hoc accepto mandato, Titum filium Alexandriam mittit, ut inde quintam, & decimam legiones in Judæam adduceret: ipse pedestri itinere ex Achaiâ in Asiam transmittit, atque inde in Syriam & Antiochiam venit.

Petrus & Paulus Romæ prædixerunt futurum, ut post breve tempus immitteret Deus Regem qui expugnaret Judæos, & civitates eorum solo æquaret, ipsos autem fame sitique confectos obsideret. Tum fore, ut corporibus suorum vescerentur, & consumerent se invicem; postremò capti venirent in manus hostium, & in conspectu suo acerbissimè conjuges suas vexari cernerent, violari & prostitui virgines, diripi pueros, allidi parvulos, omnia denique ferro ignique vastari, captivos in perpetuum terris suis exterminari: eo quòd exultaverant super amantissimum & probatissimum Filium Dei. [*Lactantius, lib. 4. cap. 21.*]

Vespasianus Antiochiæ Romanas copias & Regum auxilia cogit, inde venit Ptolemaïda, Sepphorimque Romanis faventem recepit.

Alexandriâ Tirus cum duabus legionibus Ptolemaïdem ad patrem pervenit, citius quàm per hyemem sperabatur. Copiæ omnes cum Regum auxiliis eò conveniunt, numero 60. millia, tam peditum quàm equitum; præter calones & impedimenta.

Vespasianus Galilæam invadens, Gadarensum urbem primo impetu captam incendit & vastavit. Inde Jotapatam die 21^o Maii veniens, eam oppugnavit.

Junii die 29^o (qui mensis illius dies postremus in Neronis occurrit imperio) Paulus Romæ gladio cæsus est: ut tam Orientalis quàm Occidentalis Ecclesiæ tabulæ confirmant. Unde diem mortis illius notiozem quàm ipsius Alexandri esse, asserere non dubitat Chrysostomus. [*in II Corinth. homil. 26.*] Eodem quoque cum eo tempore Petrum subisse martyrium, affirmat in epistolâ ad Romanos Dionysius Corinthiorum episcopus. [*apud Euseb. lib. 2. Histor. Ecclesiast. cap. 24. n. 26.*] Quem & Romæ, capite (ut expetierat) deorsum statuto, crucifixum fuisse; tomo 3^o Commentariorum in Genesim refert Origenes. [*apud eund. lib. 3. Histor. cap. 1.*] impletâ Christi prædictione ad eum factâ: [*Johann. XXI, 18, 19.*] *Quum senueris, extends manus tuas, & alius te cinget & transferet quòd noles.*

Vespasianus Jotapatam, fortiter à Josepho, qui isthic erat cum imperio, defensam, tandem post 40. dierum obsidionem, vi capit, evertit & incendit, Kalendis Julius anno Neronis XIII. Josephum in specu latitantem capit, & vitâ donat, sed captivum tenet.

Jotapatâ excisâ Vespasianus exercitum Cæsaream reducit, atque isthic duas legiones collocat, ut se ab obsidionis labore reficerent, tertiam eodem consilio & fine mittit Scythopolim: ipse autem Cæsaream Philippi proficiscitur, ubi ab Agrippâ rege cum exercitu per viginti dies convivio exceptus est. Tum ad Tiberiadis & Tarichææ obsidionem se parat. Et Tiberienses quidem statim se dediderunt, ac preci-

478067

precibus Agrippæ regis data est civitas, ne excinderetur. Tarichæa autem cum passa esset se obsideri, vi capta excisa est.

His urbibus receptis, vel excisis, tota Galilæa fermè ad Romanos inclinabat, præter Gamalam in Gaulanitide, & Giscalam atque Itaburium montem in Galilæa.

4071

Gamala obsessa per mensem unum, capta est 23. die Octobr. atque excisa, & paulo antè mons Itaburius fuerat etiam à Romanis captus. Mox Titus Giscalam aggreditur, quæ à Johanne cum suis seditionis tenebatur. A Tito oblatas pacis condiciones Johannes simulat se accipere, sed nocte sequente cum suis clam urbe effugit, & Hierosolymam se recepit: Titus urbi parci imposito ei præsidio. Inde Cæsaream venit. Vespasianus autem Cæsaream Jamniam & Azotum profectus, utramque subegit, Cæsareamque rediit.

Interim per totam Judæam dissensio oritur: aliis bellum cupientibus, aliis verò in Romanorum fide manere volentibus. Inde latronum globi & cunei per universam Judæam excitantur, qui prædas ex iis agebant qui pacis studio tenebantur, deinde prædis onusti Hierosolymis recipiuntur; atque isthic omnia cædibus, dissensionibus, discordiis, & rapinis complent. Ac primò quidem Antipam, & non paucos alios nobilissimos & potentissimos civitatis viros, in vincula conjiciunt, moxque indictâ causâ necant; calumniantes voluisse eos urbem Romanis prodere. Cùmque populus in eos esset insurrecturus, illi Templum occupant, eoque tanquam arce adversus populum utuntur: atque isthic forte summum creant Pontificem *Phanniam* quendam (aliàs *Phanazum*) hominem rudem planè & imperitum, neque Sacerdotalis ordinis.

Adversus hos Zelotas (sic enim ipsi se vocabant) Ananus & nobiliores Pontifices populum excitant atque armant, & in Templo ipso oppugnant, adeoque & in interiorem Templi ambitum compellunt. Sed isti litteris ad Idumæorum Duces clam missis, quibus Ananum prodicionis insimulabant, se verò pro libertate patriæ pugnantes in Templo obsideri conquerebantur, advocant in suum auxilium Idumæos. Hi statim cum 20. millibus hominum advolant: quibus clam per noctem in Urbem & Templum admissis à Zelotis, magna sit Hierosolymitanorum ab utrisque cædes, rapinæ, & incendia. Nam 8. millia ea nocte cæsa sunt, & sequentibus diebus Ananum aliisque ad 12. millia ex nobilioribus interfecerunt, præter infinitam promiscuam plebeculam. Sed paulo post Idumæos facti sui poenitentia subiit, cum Zelotarum scelera viderent, nec prodicionis (cujus Optimates accusabantur) indicium ullum deprehendissent. Itaque solutis, ad 2. millia, iis qui vincti tenebantur in custodiâ, domum Hierosolymâ relicta redeunt. His abeuntibus Zelotæ rursus in cives nobiliores sævire incipiunt crudeliùs quàm antea, & nobilissimos quosque ac fortissimos necatos ne sepeliri quidem patiebantur, maximè verò eos quos ad Romanos transfugere velle suspicabantur. Nam obsessis viis transfugere volentes diligenter observabant, necatosque insepultos projiciebant.

Interim inter ipsos Zelotas oritur dissensio, Johanne illo qui ex Giscalis Hierosolymam profugerat, tyrannidem inter eos affectante, aliis

verò, qui cum antea parem habuerant, superiorem ferre recusantibus. Verùm illi sic inter se dissentientes, adversus plebem, ad eam diripendam, concordēs erant. Quin & tota Judæa Metropoleos suæ, Hierosolymorum nempe, exemplum veluti secuta, tota ubique latrocinii repletur, miserèque vexatur.

His discordiis, quibus se invicem conficiebant Judæi, & transfugarum vocibus excitatus Vespasianus, quibus eum ad servandam & seditione illâ levandam patriam hortabantur, accingit se ad Hierosolymorum obsidionem, & ne quid hostile post se (dum in obsidione occuparetur) relinqueret, ad reliquias belli & tumultus in transamnanâ regione extinguendas Gadaram cum exercitu venit, eò accitus à moderatioribus civibus, qui pacem bello præferebant: atque inde diffugiētib; seditiosis urbem capit, missòque Placido cum equitatu ad persequendos fugientes, obruncat omnes, totamque transamnanam regionem, ad lacum usque Asphaltitem (præter Machærunta castellum) occupat, constitutòque per vicos & præsidia in hybernis milite, Cæsaream venit, isthïcque hyemem agit.

Vespasianus Cæsareæ nuncio accepto de motibus in Galliâ à Vindice excitatis, qui adversus Romanos Gallos armaverat, ad conficiendum properè bellum Judaicum accenditur. Itaque instante vere milite Cæsareâ educto Judæam pervadit totam atque Idumæam, eaque vastatâ, copias reducit, ac per Samariam Jerichunta ducit, unde incolæ in oppositam Hierosolymis montanam regionem diffugiunt: sed eos persecutus, iis que disjectis, Jerichunte atque alibi castris constitutis Judæos undique cingit.

Sponponderunt quidam destituto Neroni dominationem Orientis, nonnulli nominatim regnum Hierosolymorum, plures omnis pristinæ fortunæ restitutionem. [Sueton. in Nerone, cap. 40.] Postquam verò Galbam & Hispanias descivisse cognovit, actum de se Nero pronuntiavit. [Id. ibid. cap. 42.] Tandemque 9^o die Junii mortem ipse sibi conscivit; quum imperâisset annos 13. & menses 8.

Kalendis Januarii in Germaniâ projectis Galbæ imaginibus, die tertio Vitellius ab exercitu Imperator salutatus est: & die ejusdem mensis 15^o. Galba interemptus est, exactis à Neronis morte septem mensibus. [Tacit. Hist. lib. 1.]

Sublato Galbâ, Imperator à militibus creatus est Orho, suscepti à Vitellio imperii nescius: quem die imperii 90. interfectum Dio, 95. funeratum fuisse scribit Suetonius.

Tiberius Alexander præfectus Ægypti primus in verba Vespasiani legiones adegit Kalendis Julii: qui principatus dies in posterum observatus est. Judaicus deinde exercitus V. Idus Julii apud ipsum juravit. [Sueton. in Vespasiano, cap. 6. cum Tacito, lib. 2. Hist. cap. 79.] Inter mortem verò Neronis & initium Vespasiani annum 1. & dies 22. intercessisse notat Dio.

Quum Vespasianus Cæsaream reversus pararet cum toto exercitu ad Hierosolymam obsidendam proficisci, nunciatur illi Neronis mors, quo nuntio accepto bellum in Judæos distulit, Titumque filium ad Galbam, qui Neroni successerat, mittit, ut ab eo mandata de bello

Judai-

4781 68

4782 69

Judaico acciperet. Ticus in Achaïam navi delatus audit isthic Galbam interfectum, itaque statim ad patrem redit Cæsaream. Suspensi ergo, quasi nutante Imperio Romano, Judaicum bellum differebant, patriæque metuentes alienigenas aggredi non existimabant opportunum.

Interim Simon Gioræ filius (de quo jam aliquid supra dictum est) juvenis audax viribusque præstans, Massadâ, quò ad Sicarios confugerat, profectus in Judææ loca montana, servis ad libertatem vocatis, liberisque præmium pollicitus, brevi comparatâ latronum manu, paulatimque auctis copiis, non vicos modò populabatur, sed & urbes aggrediebatur, eoque brevi potentiae proVectus est, ut totam Idumæam sibi subjiceret, Judæamque vastaret, moxque Hierosolymam ostenderet, atque isthic prope urbem castris positus, terrori esset tum Hierosolymitanis, tum ipsis Zelotis. Atque sic utrimque premebantur cives Hierosolymitani, intrus nempe à Zelotis quibus Johannes præerat, foris verò à Simone homine sævissimo. Interim Idumæi qui à partibus Johannis stabant, & inter copias ejus erant, ab eo dissidentes & cum eo congressi multos Zelotarum perimunt, & Johannis aulâ captâ & incensâ eum cum suis in Templum compellunt. Veriti autem unâ cum civibus, ne noctu in civitatem excurreret, eamque vastaret, ut se ab eo tuerentur, consilio capto, Simonem accersunt, atque intra urbem admittunt: quo recepto Templum oppugnant, sed fortiter pugnantibus Zelotis, frustra expugnare tentant.

Vespasianus relicta Cæsareâ, Berytum venit & Antiochiam, unde Mutianum in Italiam cum copiis mittit, ipse verò Alexandriam profiscitur.

4073

In Moesiâ autem Antonius Primus Vespasiani partes secutus legionem tertiam in Italiam adversus Vitellium duxit; commissioque ad Cremonam adversus Vitellianos prælio eos fugat & cædit: tum Romanam veniens & Mutiano junctus in mediâ urbe Vitellii exercitum fundit, & Vitellium ipsum per medium forum tractum jugulat. Mutianus Domitianum Vespasiani filium, interim dum pater ex Syriâ advenit, Principem constituit.

Vespasianus his Alexandriae auditis, Titum filium in Judæam cum copiis mittit, ad conficiendas belli Judaici reliquias, ipse autem in Italiam navigat.

478370

Porro interim dum Titus Alexandriae adhuc hæret, Hierosolymitana factio trifariam dividitur. Nam Simon quem Hierosolymitani adversus Johannem accersiverant & admiserant, superiorem tenebat civitatem, & inferioris partem aliquam; Johannes autem cum Zelotis Templum & inferioris civitatis partem aliam occupabat. Hujus autem factio in duas rursus scinditur. Nam Eleazarus, qui primus fuerat Zelotarum in initio Dux atque rector, ægrè ferens Johannem audaciâ & artibus suis imperium ad se traxisse, omniâque jam pro arbitrio agere atque administrare, ab eo, adfonsis secum nonnullis aliis, secedit, & cum suis interioris Templi septum occupat, atque inde adversus Johannem depugnat, numero quidem sequacium longè illi inferior, sed loci situ & qualitate superior. Ita Johanni, qui Templi exteriorum ambitum partibusque tenebat, duplex incumbere bellum: alterum

alterum adversus Eleazarum, alterum verò adversus Simonem. Et sic quidem alii adversus alios pugnantes pleraque quæ circa Templum erant incenderunt; frumentum, aliæque ad victum necessaria corrupterunt, quæ illis in multum tempus sufficere potuissent; quibus corruptis & absumptis, fame postea, cum à Romanis obsiderentur, oppressi sunt.

Titus autem Alexandria Cæsaream profectus, atque isthic coactis copiis, quatuor nempe legionibus, cum auxiliaribus Regum vicinorum, Hierosolymam contendit, contraque eam sexto, septimoque stadio castra ponit paulo ante Azymorum diem festum; eoque infinitam hominum multitudinem, quæ ad festum de more ascenderat, in civitate concludit, à quâ alimenta, & victui necessaria brevi consumpta sunt omnia. Unde statim fames sævissima civitatem oppressit: cujus exemplum horrendum & memorandum, matris filiolum devorantis, per id tempus isthic contigit. Ipso autem die festo Azymorum, 14. Aprilis, cum Eleazarus, qui Templum interius occupaverat, populo sacrificare volenti portas Templi aperuisset, Johannes temporis opportunitate usus submittit cum populo de suis non paucos, qui sub veste gladius occultè armati, & cum promiscuâ multitudine admissi Eleazarum cum suis invadunt, interiisque Templi septem cum multa Zelotarum cæde occupant. Atque sic factio, quæ prius tripertita fuerat, ad duas rediit: Johannis nimirum unam, qui numero fuerunt 8400. Simonis verò alteram, quo cum erant 10. millia hominum, & præterea Idumæorum 5. millia.

Titus autem propius ad moenia accedens, juxta turrem Psephinam castra ponit, & aggere prope jacto, victe murum quatit, vique dejicit, & in urbem perrupto priore muro, cedentibus intrò Judæis, irrumpit 5. Non. Maias, atque totam Septentrionalem urbis regionem, usque ad Antoniam arcem & vallem Cedron, occupat. Quinto post die turri quâdam secundi muri à plagâ Septentrionali ariete concussâ atque dejectâ, urbe novâ inferiore potitur; à quâ statim repulsus à Judæis, quarto tamen post die eam rursus occupat, seque ad tertium muri oppugnationem accingit. Atque 12. die Maii quatuor aggeres jaci jussit, duos ad Antoniam, quâ Templum, totidem ad Johannis Pontificis monumentum, quâ superiorem civitatem capere se posse sperabat. Et ad Antoniam quidem Johannes, ad Johannis autem monumentum Simon Romanis resistebat. Aggeribus illis 19. die Maii perfectis per 17. dies, & murum jam quater incipientibus Romanis, Johannes acto ex Antonia cuniculo, alterum dejicit, & succendit: Simon autem biduo post, irruptione ex urbe factâ, duos aggeres sibi oppositos incendit, cum arietibus & machinis multis; adeoque & in ipsis castris Romanos Judæi aggrediuntur, sed à Tito ab Antonia adveniente in urbem compelluntur.

Aggeribus sic corruptis & incensis, visum est Tito novos erigere, quibus oppugnaret civitatem, & muro urbem circumdare, nequis ex eâ effugere posset, néve quid in eam inferri. Itaque tridui spatio urbem muro circumvallavit, ambitu 39. stadiorum additis per circuitum 13. castellis ambitum 10. stadiorum complectentibus. Unde fames in urbe invaluit.

invaluit, sævisimèque grassata est, ita ut eâ non plebs duntaxat & populus passim occumberent, sed ipsi etiam seditiosi premerentur: tantusque fuit fame & lue pereuntium in urbe numerus, ut à 14. die Aprilis (quo cœpta est obsidio) ad Kalendas Julii, per unam portam (referente quodam Mannæo transfugâ, qui isti rei præerat) elata sint pauperum 115800. cadavera, quæ sumptu publico mercede numeratâ humabantur; præter eos qui à propinquis & familiaribus efferebantur. Paulo post ab aliis transfugis cognitum est, 600. millia funerum portis esse elata: denique cum efferendis pauperibus sufficere amplius non possent, collatis & congestis in ingentes cumulos, (in vacuis domibus) cadaveribus, ædes claudebant. Sepultura autem eorum qui efferebantur alia non erat, nisi quòd de muris in subjectas valles ea projiciebant, quibus valles sic compleverunt.

Interim Simon intus cædibus & rapinis non abstinebat. nam Matthiam Pontificem, cujus operâ in urbem admissus fuerat, proditionis insinulatum, quasi ad Romanos vellet transfugere, cum tribus filiis, aliisque sexdecim ex nobilioribus populi indemnatos necavit: tantâque sævitiâ grassatus est; ut Judas quidam unus ex ipsius Præfectis, crudelitatem ejus pertæsus agitaverit de tradendâ Romanis turri quâdam, cujus custodiæ præpositus erat; sed à Simone occupatus cum decem ejusdem consilii sociis interfectus est. Johannes autem in Templo necessitate adactus res sacras, vasa aurea, argentea, Templique sacram pecuniam, in proprium & profanum usum convertit: quin & sacrum oleum & vinum, sacrificiorum libaminibus dicata, militibus suis coactus est distribuere.

Titus autem conquestâ undique materiâ, & excisis ad 90. usque stadium lucis & arboribus omnibus, aggeres novos magno labore intra dies 21. exstrui curavit: et circa Antoniam quidem quatuor, singulos à singulis Antoniæ arcis lateribus crexit; quos cum Johannes timide, perturbatè & frustra aggressus esset, à Romanis repulsus, Kalendis Julii arietem admoveere cœperunt muro Antoniæ Romani, eò que concusso mox 5. die Julii in Antoniam, frustra repugnantibus Judæis, irrumpunt, indèque in Templum refugientes Judæos insequuntur. Sed aliquandiu repulsi Romani tandem post multam pugnam, 17. die Julii (quâ die in Templo jure sacrificium, *ὁ δὲ ελεγχισμός*, viro- rum qui illud curarent penuriâ, defecerat) frustra seditiosos per Josephum Titus adhortatus ad deditionem faciendam, septimo post die admotis aggeribus, quorum materiâ à centesimo stadio comportabatur, & eversis Antoniæ fundamentis, ad Templum usque facilem efficiens ascensum, & per Antoniam irrumpens, Porticus Septentrionalem & Occidentalem exterioris Septi Templi occupat: quarum pars, quæ Antoniæ jungebatur, à Judæis immisso igne incensa fuerat & diruta, pars altera biduo post à Romanis incenditur 24. die Julii, Judæis incendium non restinguentibus sed serpere sinentibus, ut sic porticus ab Antoniam omnino dirimerentur.

XXVII. autem die Judæi rursus Occidentalem Porticum ad pontem usque qui in Xystum ducebat, exurunt, unaque Romanos plurimos qui in eam (refugientibus ultrò Judæis) ascenderant. Posterâ

U u u u

verò

verò die Romani Septentrionalem totam ad Orientalem usque incendunt.

Octavo autem die Augusti, cum nec arietibus pulsando interioris Septi murum quicquam promoveret Titus, neque portarum fundamenta suffodiendo, propter lapidum magnitudinem & validam juncturam, neque scalis in Porticus ascendere potuissent Romani, Judæis desuper fortiter repugnantibus; quod distulerat loci reverentiâ motus, tandem necessitate coactus interioris Septi Templi portis ignem ad moveri jussit: quibus incensis simul junctæ illis Porticus inflammantur, spectantibus & stupentibus Judæis, nec incendium præ stupore prohibentibus, aut restinguere conantibus; totâque illâ die, & sequenti nocte, arserunt Porticus. Cùmque cum Ducibus decrevisset Titus Templum ab incendio servare, obtinere tamen id non potuit. Die enim 10. Augusti, cum Romani, qui in exteriori Templi Septo excubabant, à Judæis laceffiti impetum in eos fecissent qui ignem interioris Septi exstinguebant, còsque in ipsum Templum compulissent; Romanus miles, rapto ex incendio titione, à socio sublati in humerum per fenestram auream ignem in domos seu Cellas circa Templum constructas à Septentrionali parte rejicit, quas corripens statim ignis Templum ipsum illis junctum, (frustrâ Tito incendium restinguere militibus jubente) simul inflammat anno Vespasiani secundo, eodem mense, eodémque mensis die, quo priùs à Nebuchadnefarc fuerat incensum.

Titus expilato & incenso Templo, signisque in Orientali Templi portâ constitutis, peractòque isthic sacrificio, Imperator ab exercitu proclamatur; mòxque sediciosos qui in superiorem civitatem confugerant, de ponte, quo Templum Civitati jungitur super Xystum, per Interpretem ad deditionem cohortatus, cum recusarent se illius fidei committere, licet vitam illis indulgeret, postularéntque ut sibi cum liberis & uxoribus urbe in desertum exire liceret, indignatus Titus extremum illis denuntiat interitum, totâque inferiorem urbem & Acram, quam occupaverat, jussit incendi. Superiorem autem civitatem in prærupto undique loco sitam oppugnare cœpit, aggeribus 20. die Augusti jaci cœptis, perfectisque 7. die Septemb. machinas mœnibus admovet, perruptoque muro, & diffugientibus præ metu & consternatione Tyrannis cum suis satellitibus, Romani 8. die Septemb. irrumpunt, omniâque ferro & flammâ vastant.

Die Saturni, quem Judæi præcipuâ religione colunt, Hierosolyma concidisse, notavit Dio: sive ad diem captæ urbis respiciens (nam & octavus Septembris dies in Sabbatum hoc anno incidit) sive excisæ potius. Urbem enim totam & Templum funditè everti & complanari jussit Titus, (eique de more induci aratrum:) exceptâ occidentali duntaxat muri parte, turribusque tribus, Hippico, Phasaclo & Mariamme; quas, ob elegantiam & fortitudinem insignem, voluit posteris relinqui documentum magnificentiæ urbis illius.

Quum ita Titus captis Hierosolyms omnia circum loca cadaveribus complevisset; finitimæ gentes ob victoriam coronatæ cum voluerunt. Ille verò tali honore indignum se esse respondit: non enim se fuisse

fuisse talium operum authorem, sed Deo iracundiam contra Judæos demonstranti suas manus præbuisse. [*Philostrat. in Vita Apollonii, lib. 6. cap. 14.*] Habentur tamen Titi numismata, trophæo & quadrigâ triumphali, insignita: ut & Vespasiani, cum mulieris effigie mœstæ sedentis sub palmâ, & inscriptione. JVDÆA CAPTA. S. C. ut & nummus, sub finem anni 21. Agrippæ regis cusus; cum Græcâ hâc inscriptione. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕΣΠΑΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. ΙΟΥΔΑΙΑC. ΕΑΛΩΚΥΙΑC. ΕΤΕΙ. ΚΑ. ΑΓΡΙΠΠ.

4074

Titus, omnibus belli partibus administratis, militibus præmia distribuit; Hierosolymæ custodiam decimæ legioni credidit: duodecimam verò, quæ infeliciter sub Cestio pugnaverat, totâ Syriâ expulit, & ad Euphratem in Armeniæ & Cappadociæ confinio ablegavit. Ipse cum quintâ et decimaquintâ legione Cæsaream maritimam venit: quòd omnem prædam et manubias, captivósque coëgit; quòd ad Italiam navigare tempus hyemis prohiberet.

Capti sunt in cloacis Hierosolymæ latitantes Tyranni duo, Johannes et Simon: quorum ille perpetuis vinculis damnatus, hic triumpho servatus est. In iisdem cloacis inventa sunt duo millia hominum, qui vel fame contabuerant, vel mutuis vulneribus occubuerant, ne se Romanis dederent.

Cæsareæ Titus moratus, natalem fratris sui (Domitiani; qui in 30. Decembris diem incurrit) clarissimè celebravit: ubi numerus Judæorum qui cum bestiis depugnârunt, quique ignibus cremati sunt, & inter se digladiatores periére, 2500. excessit.

Postea Titus Berytum in Phœniciâ venit: ubi diutiùs demoratus, patris diem natalem (Imperii sc. quem Kalendis Juliis observari solitum, ex Suetonio & Tacito docuimus) majore magnificentiâ celebravit: ubi captivorum etiam multitudo eodem quo antea modo periit.

478471

Antiochiam deinde & alias Syriæ urbes invisens Titus, inde per Judæam & Hierosolymam, quintâ & decimaquintâ legione comitatus, in Ægyptum Alexandriam contendit; atque inde Romam navigavit. Ubi omnium votis exceptus, unâ cum patre de Judæâ subactâ triumphavit.

In eo triumpho ducti sunt Johannes & Simon Gioræ seditiosorum duces, cum 700 Judæis robore & formâ præstantibus: ex quibus solus Simon (Barpores à Dione cognominatus) capitis supplicium pertulit. In eo quoque portabatur Lex Judæorum, novissima spoliolum: quæ unâ cum penetralium velis purpureis in Palatio est reposita.

Ab hâc victoriâ uterque, & pater & filius, *Imperatoris* nomen obtinuit: neuter tamen *Judaicus* cognominatus est; licet alia multa, atque inprimis arcus triumphales, eis decreti sint. [*Xiphilin. ex Dione*] Extâtque adhuc Romæ ad radices montis Palatini arcus triumphalis marimorceus, in honorem Titi erectus: ex quo instrumentorum Templi, in eo triumpho traductorum, ectypon à Villalpando habetur expressum, tomo 2º explanat. in Ezechiel. lib. 5. cap. 7. pag. 587.

In Judæam legatus missus Lucilius Bassus, suscepto à Cereali Vitteliano exercitu, castellum Herodion cum præsidio deditione accé-

Uuuu 2

pit:

pit: móxque Machæruntem fortissimum castellum ultra Jordanem oppugnans, illud tandem cepit.

Ut in XII. (al. XV.) diebus utrumque sidus quæreretur, & nostro ævo accidit; Imperatoribus Vespasianis, patre III. (fortè IV.) filio iterùm Consulibus: inquit Plinius. [lib. 2. cap. 13.] quod prædictum quidam fuisse existimant à Servatore nostro, Matth. XXIV. 29.

Cæsar ad Liberium Maximum Judææ procuratorem scripsit, ut totam Judæorum terram venderet. Stipendium verò Judæis ubicunq̃ degerent indixit: & didrachmum singulis annis deferre in Capitolium jussit, ut ante hæc Hierosolymorum templo deferre solebant.

Anno 4^o Vespasiani, Cæsennius Pærus Syriæ præses Antiochum regem Commagenes regno expulit: qui ipse in Ciliciam, filius verò ad Parthos fugit. Reconciliatus verò uterque postea Vespasiano, regno restitutus est. [*Joseph.*]

Asani in Mediam irrumpunt eamque longè latèque vastant, fugiente Pacoro rege. Postea transeunt in Armeniam: quibus Tiridates rex occurrens, penè in ipso prælio captus est. [*Id.*]

4076

Apud Judæos mortuo Basso successit in administratione Judææ Publius Silva. Ille inexpugnabilem arcem Massadam, ab Eleazaro Judæ Galilæi nepote sicariorum duce occupatam, tandem vi expugnat April. 15. die: omnibus qui in eâ erant arce sicariis, numero 960. cum uxoribus & liberis, Eleazari hortatu sese mutuis vulneribus ad unum conficiantibus, incensâ priùs cum omni suppellectile arce, ne in Romanorum potestatem venirent. Atque ita omnes belli Judaici reliquiæ sublatae sunt, totaque Judæa est pacata.

Sicariorum multi è Judæâ dilapsi, & in Ægyptum profugi Alexandriam veniunt, ubi Judæos ad defectionem sollicitant. Sed plebs à Primariis persuasa in sicarios illos irruit, 600. eorum capit, quos Romanis tradit supplicio afficiendos: reliqui per Ægyptum & Thebas dilapsi capiuntur etiam. Quâ de re monitus Cæsar, jubet Lupo, Alexandriæ tum Rectori, ut Templum Judæorum (quod in Ægypto olim ab Oniâ, summi Pontificis fratre, exstructum fuerat) dirueret. Sed Lupus ablatis tantùm quibusdam donariis Templum claudere contentus fuit. At Paulinus, ejus in administratione successor, ablatis omnibus donariis, foribus occlusis ita inaccessum fecit, ut ne vestigium quidem religionis isthic remaneret.

Elapsus ad Cyrenem Judæus quidam textor, Jonathas nomine, tumultu ibi excitato, Judæorum duo millia in solitudines perduxit: quos Catullus (sive Catulus) Pentapolitanæ Libyæ rector, equitibus ac peditibus missis, facilè oppressit. Ad eum adductus Jonathas, locupletissimos Judæorum auctores sibi hujus consilii fuisse falsò affirmabat. Cujus criminationibus libenter auscultans Catullus, tria simul eorum millia trucidavit: idque eo securiùs, quòd eorum patrimonia redivitis Cæsaris adjungeret. Vincens verò Jonathas cum comprehensorum aliis Romam ad Vespasianum ab eo missus est, ut probatissimos Judæorum, apud Alexandriam Romamque degentium, novarum rerum accusaret. Qui inter alios Josephum quoque, Judaicæ scriptorem historiæ, arma sibi & pecunias subministrasse affirmabat.

Sed

4785 72

4786 73

Sed Vespasianus, cognito non jure hominibus accusationem illatam, illos quidem Titi studio criminibus solvit, meritò verò pœnam in Jonatham statuit: priùs enim verberatus, vivus exustus est. Catullo autem tunc quidem ob lenitatem Principum obtigit, nequid ampliùs castigationis experiretur: non multo autem pòst, multiplici morbo & insanabili correptus, & animi terroribus (eorum quos peremerat umbras crebrò sibi obversari existimans) tanquam tormentis sibi & & flammis adhibitis excruciatu, extis demùm defluentibus ac intestinis exhaustis, mortuus est. [*Joseph. lib.7. Belli, cap.ult. & in lib. de Vita sua.*]

Hic Judaici excidiù historiam terminat Josephus: qui in hoc bello captus, & à Flavio Vespasiano Imperatore libertate donatus, à patrone suo *Flavii* prænomen accepit.

Sexcenta millia Judæorum eo bello interfecta, Cornelius & Suetonius referunt. Josephus verò Judæus, qui ei tunc bello præfuit, & apud Vespasianum propter prædictum Imperium veniam gratiãque meruerat, scribit undecies centena millia gladio & fame perisse: reliquias verò Judæorum diversis aetãs conditionibus toto orbe dispersas; quarum numerus ad nonaginta millia hominum fuisse narratur. Ita Orosius. [*lib.7. cap.9.*] Verùm in Suetonio numerum illum interfectorum 600000 nusquam invenio. Apud Josephum [*libro 6. Belli, cap.17. vel λόγ. 5. κεφ. με.*] captivorum numerus est 97000. alter verò ille 1100000 numerus eorum tantum est qui in ipso tempestri obsidionis Hierosolymitanæ perierunt. At eorum qui extra illam per totum septennium interierunt hunc ex Josepho Indicem, in lib. 2. de Constantiã cap. 21. exhibuit Justus Lipsius.

Hierosolymis primùm interfecti, jussu Flori. — *sexcenti triginta.*
Cæsareæ ab incolis, odio gentis & religionis, uno tempore *viginti millia.*

Scythopoli (Coelæ Syriæ urbs est) — *tredecim millia.*

Ascalone in Palæstina, item ab incolis, — *duo millia, quingenti.*

Ptolemaïde pariter — *duo millia.*

Alexandriæ in Ægypto, sub Tib. Alexandro Præside *quinquaginta millia.*

Damasci — — — *decem millia.*

Joppe captâ à Gessio Floro cæsi — *octo millia & CCCC.*

In monte quodam Cabulone — — — *duo millia.*

In pugnâ ad Ascalonem — — — *decem millia.*

Per insidias iterùm — — — *octo millia.*

Aphacæ, cùm capta esset; — — — *quindecim millia.*

In monte Garizim cæsi — — — *undecim millia & DC.*

Jorapæ, in quâ ipse Josephus, circiter — *triginta millia.*

Joppe iterùm captâ submersi — — — *quatuor millia CC.*

In Tarichæis cæsi — — — *sex millia & D.*

Gamalæ, tam interfecti, quàm sponte præcipitati, *novem millia.*
nec quisquam homo natus ex eâ urbe salvus, præter duas mulieres, sorores.

Giscalâ desertâ, in fugâ trucidati — — — *bis mille.*

INDEX locupletissimus nominum, & rerum; in quo numeri, non ut illi in priori Volumine, annum periodi Julianæ, sed paginam denotant.

A

A Chiabus idem Herodis (infanticidæ) seipsum occisurum prævenit 533
Achillas nuncios ad se missos interfici jubet. 340. interficitur ab Arginoe 343
Acme Liviz ancilla confictam epistolam ad Herodem mittit. 533. occiditur à Cæsare 534
Addo vel Adduus vulnerat Caium. 547
Egyptius magus 4 millia hominum circumducit 670
Ælius Gallus Ægypti præfectus mittitur in Arabiam. 503. improbitate Syllæi magnas patitur difficultates. 504. ejus exercitus ex aquis & herbis contrahit morbos. ibid. opida diruit in Arabia felice. 505. ab Arabica expeditione redit 507
Ælius Sejanus Drusum Tiberii filium veneno tollit, uxore ejus Liviam adulterio corruptam. 564. Judæos falsè accusat ad Tiberium. ibid. interficitur. 576
Æmilius macer Veronensis Poeta in Asiâ moritur 515
L. Æmilius Paulus Perseum vincit. p. 24. Græciam circumit, ludicrumque Amphipoli instituit 37
Æneas rex Arabum Nabazarorum. 524. Legatos frustra mittit ad Cæsarem 525
Agabus S Pauli vincula prædicat 675
Agrippa (qui & Herodes) postea ab angelo percussus, nascitur 520 vide Herod.
Agrippa junior nascitur 567
Agrippa Aristobuli filius pecunias soteratur. 622. navigat Alexandriam. 623. non prius admittitur à Tiberio quam persolvisset debitum, ib. in vincula conjicitur, 626. mortuo Tiberio liberatur, 627. cum Caium audisset indignantem quod Deus non agnosceretur, horrore corripitur, 639 ejus litteræ ad Caium, ibid. Claudium hortatur principatum ut retineat, 641. regnum auctum & honores à Claudio accipit, ib. fœdus ejus cum Romano populo in æs inciditur, ibid. Simonem Cantanarum, quem Theophilo substituerat, Sacerdotio summo privat, 643. muros novæ, quæ vocabatur, civitatis extructurus, cohibetur à Claudio, 644. Be-

A

ryti magnis sumptibus amphitheatrum extruit, 645. Jacobum filium Zebedæi gladio percussit, ib. percussus ab angelo animam effiat, 646. ex obitu ejus magnum gaudium cives Cæsareæ, & milites concipiunt, 647. vid. plura in 7^o Herodes.
Agrippa rex pariete quodam Judæorum offenditur, 681. summum Sacerdotium Josepho adeptum, Annano dat, 682. Pontificatum Jesu Gamalielis filio abrogatum, Marthæ Theophili filio concedit 688
Agrippina relinquitur à Tiberio invito animo, cum justus esset ducere Juliam 519
Agrippina, Germanici uxor parit Juliam, 557. non sine magno omnium dolore venit in Italiam amisso viro 563
Alani Mediam vastant 700
Albinus in provinciâ Judææ bello succedit, 682. Judæos injulitiâ affligit 684
Alchaudonius Basso, pretio conductus, se adjungit 363
Alcimus fit Sacerdos, 56. ejus Sacerdotium confirmatur à Demetrio Sotere, 62. contra pactum 60 ex scribis uno die occidit, ibid. coronam auream offert Demetrio, 63. Judam Maccabæum accusat, ibid. Nicanorem desert apud regem, 64. cum magno cruciatu vitam finit 69
Alexander Balas amicitiam Jonathanis sollicitat, 78. Demetrio occiso Cleopatram Ptolemæi Philometoris filiam matrimonio sibi jungit, 80. honore afficit Jonathanem, ib. fœcundiz se dat, 84. audita expeditione Demetrii à Phœnicia properat Antiochiam, ibid. consultat oraculum Apollinis Sarpedonii, 88. juxta cujus responsum interficitur in Arabiâ 89
Alexander quidam fortis extreme juvenis ab Antiochenis subornatur quasi genitus ab Antiocho 77
Alexander quidam Persei filium se professus præ metu Metelli fugit in Dardaniam 86
Alexander Jaanzus nascitur Joanni Hyrcano, 119. filium gignit Hyrcanum 125. fit rex Judæorum, 130. vincitur à Ptolemæo Lathuro, 131. societatem init cum Cleopatrá, 133.

A

Cazam cupit, in quam ostulo milite sævit, 136. Diam capit, 165. expugnat Essam, 164. similiter Gulanam & Seleuciam, 167. Demetrium suo principatu exiit, 168. febrî quartanâ laborat; 169. moriturus monet uxorem ne offendant Pharizæos 173
Alexander frater Ptolemæi Lathuri regnum Ægypti loco fratris occupat 129
Alexander junioris Alexandri pater bello victus interit 148
Alexander Zebinas fit rex Syriæ, 121. victis parit, 122. populus eum deserit, 123. sacrilegus est, ib. victus ab Antiocho Grypo Antiochiam profugit, ibid. interficitur ibid.
Alexander Polyhistor 170
Alexander Ptolemæi Alexandri matricidæ filius uxorem Cleopatram interimit 170
Alexander secundus Ægypti rex expellitur, 241. fertur testamento suo populum Romanum hæredem fecisse 250
Alexander Aristobuli filius Judæam incursionibus vexat, 280. victus à Gabinio castella offert, ib. rurius vincitur, 292. securi percussus 319
Alexander Arabum rex, in Asiâ pugna captus, & in triumpho ductus ab Octaviano, occiditur 494
Alexander Herodis filius, per socerum Archelaum patri reconciliatur, 522. ipse, & frater ejus Aristobulus patris jussu strangulantur, 527
Alexander falsarius decedit à Cæsare 541
Alexander Lysimachus victus à Caio, dimittitur à Claudio 641
Alexandra Judæorum postea regina nascitur, 97. ex insensis, benevolos sibi reddit Pharizæos, 173. moritur 207
Alexandra Hyrcani filia scribit ad Cleopatram ut Antonium sollicitet in causa filii Aristobuli, 440. clam se cum filio Aristobulo subductura in Ægyptum deprehenditur, 453. miserabilem filii interitum apud Cleopatram per litteras deplorat, 455. in vincula conjicitur jussu Herodis, 451. ubi metuens ab Herode Mariammes filiz suæ mortem comprobat, 495. cum

Index nominum & rerum.

aegrotante Herode arces in suam
 potestatem redigere conata esset, ab
 eo occiditur 496
 Alexandrini purgari se apud Ro-
 manos à criminibus ipsis à Ptole-
 mæo impunitis, ab eo partim in-
 terficiuntur, partim terrentur ne
 causam agant, 281. videntur à
 Gabinio 290
 Alexandrini Cæsaris statuas figunt in
 Profuechis Judæorum, 632. savi-
 unt in Judæos, ibid. & pag. 633
 Alexis sive Alexander Laodicensis ab
 Antonio missus ad Herodem defi-
 cit ab eo, manetque apud Hero-
 dem, 479. Cæsaris jussu necatur,
 480
M. Ambivius secundus procurator ab
 Augusto in Judæam mittitur 553
Amifus capitur à Lucullo 199
Ammonius Laodiceus & Antigonus
 interficit, 84. amictu foemineo
 quærens latebras, occiditur 88
Amyntas princeps Galatiæ ab An-
 tonio constituitur, 440. transit ad
 Augustum 469
Ananelus summum Sacerdotium ac-
 cipit ab Herode 439
Ananias Nebedzi filius Pontifex
 constituitur 652
Ananus novus Pontifex Jacobum
 fratrem Jesu, alioque lapidandos
 tradit, 682. Pontificatum amittit,
 ibid.
Andriscus Adramytenus Persei se li-
 lium fingit, 79. à Demetrio captus
 Romam mittitur, ubi per contem-
 ptum negligitur, ibid. clam se Ro-
 mæ subducens Macedoniam occu-
 pat, 82. Romanum exercitum vin-
 cit, 84. Thessaliam vastat, ibid. ad
 sæviriæ convertitur, ibid. à Byzæ
 regulo Thraciæ proditus in Me-
 ceii potestatem venit 86
Andronicus Oniam interficit, p. 10.
 ipse in eodem loco Antiochi jussu
 interficitur ibid.
Anianus, primus Ecclesiæ Alexan-
 drinæ Episcopus 677
Anna prophetissa filia Phanaelis 137,
 146
Annius Rufus tertius Judææ procu-
 rator 554
Anno Græcorum uirum primi libri
 Maccabæici scriptor 51
Annus vitiosè intercalatur 398
Antenor legatus Persei ad Rhodios 7.
 navibus 35. Antalo ab Eumene
 missis inopinatò occurrit 22
Antigonus Aristobuli frater interfi-
 citur 129
Antigonus Aristobuli filius apud Cæ-
 sarem de injuriis ipsi illatis queri-
 tur, 351. Judæam invadens repel-
 litur ab Herode, 408. reductus à
 Parthorum rege Hyrcanum &
 Phasaelum victos accipit, 421.

hostis Romæ declaratur, 424. vin-
 cit Josephum Herodis fratrem, sæv-
 ique in mortuum, 431. ducem
 Pappum Samaritanum mittit, 432. vin-
 ctus ducitur ad Antonium, 436.
 ab eoque securi percutitur 437
Antiochus Epiphanes, Epimanes di-
 ctus, p. 1. magistratum populi sus-
 fragis adipiscitur, 2. tempus re-
 gni ejus justè computatur, ib. inità
 cum Eumene societate Syriæ & fi-
 nitimis gentibus potenter imperavit
 ib. missi ad Romam legati, quo-
 rum princeps Apollonius, 3. Æ-
 gypti regno imminet, 7. quæritur
 apud Romanos se à Ptolemæo in-
 vadi, 9. prælio cum Ptolemæi du-
 cibus collato, eos vincit, ib. pu-
 ero regi parci, ibid. ingreditur Æ-
 gyptum, eamque spoliat, 11. ascen-
 dit contra Hierosolymitanos, &
 urbem occupat, ib. 40 millia ho-
 minum occidit, totidemque ven-
 dit, 12. Templum spoliat, por-
 tisque super altare mactat, ibid.
 tertià expeditione factà Ægyptum
 in potestatem suam redigit, 14. A-
 lexandriam obsidet, 17. in Syriam
 exercitum ducit, ib. offenditur pace
 factà inter Ptolemæos fratres, 20.
 Apollonium mittit in civitates Ju-
 dææ, 22. eandem cum Græcis re-
 ligionem omnes sibi subjectas
 gentes profiteri jubet, 29. mittit
 ad civitates Judææ qui cogere
 eas sequi ritus gentium, ibid. abo-
 minandum Jovis Olympii idolum
 super altare extruitur, 30. cogit
 per tormenta homines abjurare
 Judaismum, 31. Ludos ad Daph-
 nen exhibendos denunciat, 39. eor-
 um magnitudinem ipse deformat,
 40. humanitatem simulat per Ti-
 berium Gracchum, ibid. cogitat de
 profensione in Persidem, 42. capit
 Artaxiam regem Armeniorum, 44.
 Persepolin aggressus à civibus re-
 pellitur, 46. audita suorum in Ju-
 dæa fugâ, irâ percellitur, 47. im-
 medicabili viscerum dolore tor-
 queretur, ibid. agnoscit illa se pati
 ob injurias Judæis illatas, ib. vover
 Judæis *avtoronias* concessurum,
 ib. moritur anno Græcorum 149.
 p. 48
Antiochus Theos per fratrem occi-
 ditur à Diodoto Turore 96
Antiochus, postea Grypus cognomi-
 natus, nascitur, 98. nomen regis
 sortitur, 123. parat se contra fra-
 trem regni æmulum, Antiochum
 Cyzicenum, 125. vincit eum, ibid.
 ab eo vincitur, 126. imperium di-
 vidunt, ibid. Heracleonis insidiis
 occiditur 126
Antiochus Demetrii Soteris filius,
 qui Sideres appellatur, literas Simo-

ni mittit Sacerdoti, 100. in matrimo-
 nium recipit Cleopatram fratris
 uxorem, 101. minatur Simoni, in-
 venit in Judæam, 107. ducit exer-
 citum adversus Parthos, 112. ejus
 luxuria, ibid. victoria, ibid. mors
 114
Antiochus Cyzicenus luxuriæ datus, 126
 utrique fratres despiciuntur à Jo-
 hanne Hyrcano, ibid. Cyzicenus,
 opem ferens Samaritis, ab Aristobu-
 li militibus vincitur ib.
Antiochus Eusebes impostro sibi cila-
 demate Seleuco bellum infert, 139.
 superatus ad Parthos fugit .ib.
Antiochus Asiaticus in regnum Sy-
 riæ se insinuat, 213. ipse, & frater
 ejus Romam veniunt, regnum Æ-
 gypti petunt, 188. Asiaticus Româ
 in regnum paternum redit, 198.
 Syraculas venit, ubi spoliatur à
 Verre ibid.
Antiochus Commagenus ad pacem
 petendam urgetur à P. Ventidio,
 430. in Senatu damnatus interfi-
 citur 495
Antiochus regno suo privatus Com-
 magenam recipit à Claudio, 641.
 Expulsi regno cum filio, à Ves-
 pasiano restituitur 700
Antiocheni desiciunt à Demetrio, 77.
 Alexandriam deserunt 88
Antipas seu Antipater gignit Hero-
 dem Judææ postea regem, 188. in-
 fidiatur Aristobulo, 233. venit cum
 Hyrcano ad Arætam regem Ara-
 bum 241
Antipatri virtus, 247, 348. Antipater
 procurator Judææ creatur, 351.
 Herodi secundo Galilæam curan-
 dam committit, 352. veneno perit,
 388
Antipater Herodis filius, Alexandro
 jam & Aristobulo præliis Ro-
 mam mittitur, 519. in Mariannes
 filios patrem exacerbatur, ib. fratres
 criminacionibus falsis involvens,
 per alios; patrociniū eorum si-
 mulat, 521. sublati fratribus, pa-
 trem de medio tollere statuit, 527.
 filiam Aristobuli ducit, 528. patri
 strou insidias, ib. mittitur à patre
 ad Augustum, ibid. venenum pa-
 tri preparasse dicitur, 530. revoca-
 tur Româ in Judæam à patre, 532.
 veneni parati in mortem patris con-
 vincitur præsentè Quintilio Varo,
 533. patris jussu occiditur 535
Antipatris conditur ab Herode 521
Antilla ruinæ destinatur à Romanis,
 37
Antonius Creteus bellum parum
 prosperè gestum cum morte sua fi-
 nit 198
Antonius primus Vespasiani partes
 sequitur Vindex exercitum fundit,
 ipsumque jugulat 695
 L. An-

Index nominum & rerum.

L. Antonius Consul obsidionem patitur ab Octaviano 418
M. Antonius feliciter bellum gerit in Ciliciâ, 133. Siciliam provinciâque omnes depopulatur, 181. Pelusium capit, 289. victoriis multis illustris evadit, 290. sepelit Arehelai corpus, 291. Cornelium Dolabellam collegam in Consulatu admittit, 368. superbe excipit Octavium, 370. libellos Jul. Cæsaris corrumpit, ibid. imperator Macedonicarum copiarum eligitur, 372. Brundisium venit, 373. milites parum obsequentes experitur, 374. territus in Senatu de Cæsare verbum non facit, 378. Decimum Brutum Mutinæ obsidet, 379. ejus literæ ad Hirrium Consulem, & Cæsarem proptorem, 383. hostis judicatur, 384. victus ab Octaviano Cæsare, turpiter fugit ex Italiâ, 386.
M. Lepido conjungitur in Galliâ, 389. Hortensium jubet interfici, 410. libertum suum, quod paludamentum cum Bruto corpore non concremasset, interfici mandat, 411. in Græciam transcendit, 412. inde transiit in Asiam, ibid. Choraulam, Saltatorem &c. admittit in Aulam, ib. Bithyniam accipit ab Apuleio, ib. Herodem comitem excipit, ib. Ephesum ingreditur, ib. Legatos Judæorum benigne recipit, 413. Cædis Cæsaris conscitis implacabilis, ib. gravissima tributa Syrorum provinciis indicit, 414. Phasaelum & Herodem Tetrarchas Judææ facit, 415. ad Cleopatram jam domum reversam tendit in Ægyptum, 416. ejus vanitas, 417. Legatos ex coloniis Italicis missos, detinet, ib. contra Parthos profectus Tyrum usque pervenit, 418. Octaviam ducit uxorem, 419. divitium imperium cum Octaviano possidet, Lepido tenente Africas provincias, ib. urgetur à Genethliaco Ægyptio, secedere ab Octaviano, 425. reges aliquot appellat arbitrato suo, ib. Octaviam suam ducit secum in Græciam, ib. Gymnasiarcham Athenis agit, ib. supplicationes triumphûque ipsi decernuntur, 430. oppugnat Samosata, ib. prodigio terretur, 431. accersit Cleopatram in Syriam, 439. cum Glaphyrâ turpem consuetudinem habuisse dicitur, 440. Artabazem Armeniorum regem consularium admittit, 442. remissa Cleopatra proficiscitur in Armeniam, ibid. Phraata urbem frustra obsidet, ib. Parthos & Medos qui Stavianum cum suis interemerant, fugat, 443. Parthos cogit terga dare, 444. ejus milites difficultates patiuntur in

oppugnandis Phraspis, ibid. ab oppugnatione discedit, 445. gravia patitur à Parthis, 446, 447. ejus milites edendo radices & olera versi sunt in insaniam, ib. tumultuantur, & suorum farcinas spoliant, 448. postquam Armeniam inire, affatum se replentes, hydropicis & cœliaciis morbis laborare ceperunt, 449. Antonius fugam suam vocat victoriam, ib. dissimulat iram adversus regem Armeniæ conceptam, ib. in Syriam profugit, 450. amoris & imposturæ Cleopatræ servit, 452. insidiatur Artavaldi, Armeniæ regi, ib. & 456. liberi ejus ex Cleopatra suscepti, 458. Artavaldem argenteis vinculis constringit, 459. magnam vim argenti deprehendit, ib. in Ægyptum revertitur, 459. liberis Cleopatræ regiones distribuit, 460. Othridem & nobum Liberum Patrem appellari se jubet, ib. cum Artavalde societatem jungit desponsatâ parvulâ filiâ regis Artavaldi Alexandro filio suo ex Cleopatrâ, ib. accusatus ab Octaviano recriminationes instituit, 461. & 462. Canidium cum 16 legionibus ad mare descendere imperat, ipse autem, cum Cleopatrâ, Genio indulget, ibid. Romam scribit, ut rara sint quæ de regionum inter Cleopatram & liberos ejus partitione Alexandriæ egerat, 462. Octaviæ, bellum suscepturus contra Cæsarem, repudium dicit, ib. stultè bellum procrastinat, 463. testamentum ejus à Cæsare evulgatum, populum ab illo alienat, 464. Cleopatræ pharmacis dementatus putatur, ib. magnos facit apparatus ad bellum contra Cæsarem, 465. ejus equitatus funditur à M. Titio & Statilio Tauro, 468. confidentiâ perdita sævit in Iamblichum, & Q. Postumium, ib. fugæ suæ providet, 470. fugientem, ipse quoque fugiens sequitur Cleopatram, 472. tres dies transigit in prorâ navis solus, 473. ejus milites ab Imperatore ducibusque derelicti adjungunt se Cæsari, 474. in Africam delatus conjicit se in solitudinem cum Aristocrate & Lucilio, 476. defectione Pinarii Scarpi intellectâ manus sibi inferre instituit, ib. Alexandriam se confert, domiciliûque sibi ad Pharum extruit Timonium appellatum, ibid. relicto Timonio suo ad Regiam accedit, & ad comestiones se convertit, 477. Euphronium legatum mittit ad Cæsarem, 479. alios legatos mittit, seipsum interfecturum promittens, si salus Cleopatræ impetrari possit, 480. neutri lega-

tioni responsum accipit, ibid. non terretur, 481. Equitatum Cæsaris proffigat usque ad castra, 483. per libellos in castra Cæsaris injectos 1500 drachmas, in singulos promittit, ib. legit hos ipse Cæsar, ut Antonium redderet invisum & alacritatem suorum confirmaret, ib. provocat Cæsarem per nuncios ut solus secum certet, ibid. Classis ejus deficit, 484. seipsum vulnerat, ib. funibus trahitur ad Cleopatram quæ receperat se in monumentum, 485. animum efflat, ibid. splendide sepelitur à Cleopatra, 487. ejus statuz dejiciuntur 490
Antonius juvenis M. Antonii filius jussu Octaviani interimitur 486
Apamiensibus terræ motu convulsis tributum in quinquennium remittitur 664
Apelles Acalonita qui Caium in Judæos incitaverat, ab eodem ipse torquetur 640
Apion Grammaticus mendacissimum adversus Judæos commentarium scribit, incendit Caium adversus Judæos 640
Apollodorus Gazæorum dux pugnat cum Judæis 136
Apollonius magnam die Sabbati Hierosolymis perimit multitudinem, 23. occiditur à Judâ Maccabæo 41
Apollonius cognomento Datus Demetrio se adjungit, 84. provocat Jonathanem ad pugnam 85
Apollonius Ægyptius qui domi dixerat quid Caio esset eventurum Romam ad eum adducitur, ipsoque occiso, salvus evadit 641
Apollonius summus artis Oratoriz magister 175
Apollonius Tyaneus urbem Babyloniam intrat 654
Apollinis Cumani simulachrum lacrymasse traditur 114
Apolos pervenit Ephesum 671
Apostolorum Acta pensiculatim examinantur 614, &c.
Appius Claudius Pulcher in Ciliciam proficiscitur 297
Apuleius triumvirorum proscriptionem fugiens Bithyniæ à Bruto præficitur, 398. reditum impetrat ab Antonio 412
Aquilii Flori, pater & filius pereunt propterea quod Antonio adhezereint 474
Arabes superati à Judâ Maccabæo pacem impetrant 52
Arabes Petrei naves Cleopatræ, per Isthmum tranvehendas incendunt 476
Aradii postquam Marathensium legatos necassent, eorum urbem aggressi capiunt, diruunt, agrum inter se dividunt, 87. insurgunt contra Antonianos

Index nominum & rerum.

- tonianorum tributa exigentes 416
Archelaus praefectus Mithridatis ab
 Aristione traditus Athenas accipit,
 149. insulas Cycladas in ditionem
 redigit, 150. vincitur à Sylla, 153.
 155. suspectus privati cum Sylla
 commercii, 156. fugit ad L. Mur-
 renam 166
Archelaus, rex Cappadociae ab Anto-
 nio fit 440
Archelaus Comanorum pontifex Be-
 renicen ducit uxorem, & cum eâ
 sex menses regno potitur Ægyptia-
 co, 289. captus à Gabinio, pecu-
 niâ datâ, elabitur 290. à quo pos-
 teâ occiditur ibid.
Archelaus Cappadociae rex gratularur
 Herodi reconciliationem cum fi-
 liis, 520. perquam humaniter tra-
 ctatur ab Herode, 522. Romam
 veniens contendit cum Antipâ de
 regno, 537. dimidiam partem diti-
 onis quae fuerat Herodis recipit ab
 Augusto, 540. in Judæam rever-
 sus Joazaro Boethi filio pontifica-
 tum abrogat, 541. deseritur ad Au-
 gustum, 550. accersitur ad Cæsa-
 rem per procuratorem suum, ibid.
 Viennam Galliae in exilium mittit-
 ur, ib. Tiberio insensum Romam
 vocatur, ubi vitam finit 556
Archias prodicionis convictus se su-
 spendit 73
Arces circa solem apparet 124
Aretas Cælefyriae rex vincit Alexan-
 drum Jannæum 160
Aretas rex Arabum ab Hyrcano vo-
 catus contra fratrem Aristobulum
 eum vincit, & Hierosolymis obses-
 sum habet 241
Aretas Arabiae Petrae rex vincit He-
 rodem Tetrarcham, 627. ejus præ-
 fectus Judæis inservit, Paulo, Da-
 mascenorum in urbe insidiantibus,
 629
Ariarathes Cappadociae rex filium
 alterum ex eis quos uxor supposu-
 erat, Romam, alterum, in Ioniam
 mittit, 6. auxilla Romanis pollice-
 tur, ib. permittit se in controversiâ,
 quam cum Galatis habebat, iudicio
 legatorum Romanorum, 57. mori-
 tur 58
Ariarathes Philopator patri succedit,
 ib. ejus eruditio, 59. mittit legatos
 ad Romanos, ib. sororis & matris
 reliquias sepelit, ibid. Mithrobar-
 zanem minoris Armeniae regis fi-
 lium in regnum paternum reducit,
 69. Romanorum legatos regi ex-
 cipit, ibid. legati ejus Romam ve-
 niunt coronam aureorum decies
 mille adferentes, 69. regno pel-
 litur à Demetrio, 71. Romam sup-
 plex venit, 72. cum Oropherne fra-
 tre regnare jubetur, ib. restituitur
 ab Attalo in regnum suum 73
Ariarathes rex Cappadociae in bello
 contra Aristonicum occidit 117
Ariobarzanes Cappadociae rex po-
 puli suffragiis eligitur, 140. à Ti-
 granis ducibus è regno pellitur, 141.
 regnum recipit à Pompeio, 230.
 filio suo admodum invito, regno
 cedit 247
Ariobarzanes à Cassio comprehensus
 occiditur; 406
Ariobarzanes volentibus Armeniis
 à Caio praeficitur 548
Aristagoras visio 185
Aristio tyrannus captus à Sylla, sup-
 plicio afficitur 151
Aristobulus Judæus philosophiae sta-
 det in Ægypto 82
Aristobulus pacto cum fratre Hyrcano
 facto solus regnum Judaicum
 & Sacerdotium usurpat, 230. Aretam
 & Hyrcanum praelio vincit,
 postquam minis Scauri ab obsidi-
 one destitissent, 247. victus cir-
 cumfertur à Pompeio, 264. Româ
 elapsus in Judæam revertitur, 284.
 victus cum suis qui se ipsi adju-
 xerant, adducitur ad Gabinium, ib.
 Romam remittitur, 287. veneno
 perit 318
Aristobulus successor Ananelo datur
 in Pontificatu, 450. Pontifex ad-
 lescens sacra peragit approbante po-
 pulo, 455. aquis praetocatur, insi-
 diane Herode 456
Aristobulus Herodis regis Chalcidis
 filius Armeniae principarum à Ne-
 rone accipit 668
Aristonicus Eumenis regis filius ex
 pellice, Asiam velut regnum pater-
 num invadit, 111. Crassum consu-
 lem vincit, 113. vincitur capitur-
 que à Consule Perperna, 114. Ro-
 mae strangulatur 121
Artius Alexandrinus philosophus ho-
 noratur ab Octaviano, 486. ejus
 precibus condonat Octavianus
 Philostratum, ib. ejusdemque con-
 cilio interficit Cæsariem, 490.
 oblatam sibi praefecturam Ægypti
 repudiasse fertur 492
Armati milites Hierosolymis in aere
 conspiciuntur 11
Armenia universa in potestatem ve-
 nit Antonii, 459. à Parthis amittit-
 ur 622
Artaces Artabani filius interficitur
 622
Artanoë regina traducitur ad Ægy-
 ptios ab Eunuchis Ganymede, 344.
 ducta in triumpho Cæsaris, dimittit-
 ur, 361. rogante Cleopatrá sore-
 re ab Antonio interfici jubetur 415
Artabanus in locum Phraatis occisi,
 rex Parthorum substituitur, 118.
 vulneratus in brachio statim dece-
 dit ib.
Artabani Parthorum regis legati ad
 Germanicum veniunt, 558. **Artabanus**
 Artacem filium Armeniis
 imponit, 621. eo sublato filium
 Orodem ultorem parat, 622. meruit
 sibi à cognatis pecuniâ Virellii
 corruptis, ib. in imperium resti-
 turus vitia exprobrat Tiberio, mon-
 netque seipsum occidere, 625. Ar-
 meniam aggressus, Syriam quoque
 invadere instituit, ib. morti detin-
 nature à filio 652
Artabazes Armeniae rex in Ægyptum
 mittitur ab Antonio, 459. supplex
 Antonio esse renuit, ibid. regno
 pellitur 509
Artavaldes, Phraatis, & Artabazi in-
 sensus Antonii petit amicitiam,
 451. argenteis vinculis constrin-
 gitur ab Antonio, 459. Armeniae
 regnum recipit à Tiberio, 510.
 idem tamen regnum aliqui Tigrani
 restitutum contendunt ib.
Artaxiaz majoris Armeniae regis ini-
 qua consilia 68
Artoces, Iberorum rex fugit à Pom-
 peio, 242. cum Pompeio pacem
 firmat 243
Asander insurgit contra dominum su-
 um Pharnacem, 350. eum interfi-
 cit, 358. Mithridatem Pergamenum
 & Pharnacem evertit, regnoque
 Bosphori quiete potitur 361
Ascalonitæ unde tempora dinumerant
 131
Asclepiodotus conjurationis in Mi-
 thridatem auctor & index 157
Asia ad Mithridatem relabitur 180
Asianorum legati Romae auditi 13
Asiani contendunt in qua potissimum
 orbe Tiberio Senatuique templum
 extruant 565
Asidzi se Mattathiae jungunt 32
Asinius Pollio consul filium suscipit
 Saloninum, 419. renuit Cæsarem
 juvare contra Antonium 468
Astymedes Rhodiorum legatus socie-
 tatem à Romanis obtinet 41
Asylosum licentia coercetur 563
Athenæ capiuntur à Sylla 151
Athenio rex servorum in Sicilia à
 L. Licinio Lucullo superatur, 133.
 interrixantium manus laceratur 134
Athenio legatus Atheniensium ad
 Mithridatem mittitur, 145. ab eo
 remissus tyrannidem Athenis ex-
 ercet 148
Athenio Cleopatrae dux Judæos vin-
 cit in Arabia 466
Athenienses, tres philosophos legatos
 mittunt ad Romanos 74
Athenæus frater Atrall cum classe
 contra Prusiam juvat 76
Athenæus Antiochi defertor fame
 moritur 114
Athenobius mittitur ab Antiocho ad
 Simonem 101
Athenodorus Stoicus Philosophus Cil-
 liciz

Index nominum & rerum.

liciz præfectus sit ab Octaviano 49
Athronges pastor, qui absente Archelao diadema suscepit, ab eodem reverso redigitur in potestatem, 539
Attalus Eumænis frater Romam venit, 5. credens Eumenem obiisse, Stratonicem, ejus uxorem despondit, & in ejus amplexus ruit, ibid. veniam tamen consequitur à fratre, 6. Romam mittitur ab Eumæne fratre, 33. benignè ab omnibus excipitur, ibid. erigitur spe regni fraternali ad se trahendi, quam tamen suasionem Strati medici deponit, ib. vid. p. 45.

Attalus Pothometor Eumeni patri in regno Pergamæ succedit, 71. à Prusis victus mittit fratrem ad Senatorem, 74. intra Pergamum compulsus oppugnatur à Prusis, 75. humanissimè à Romanis excipitur, 77. Nicomedi favet contra patrem ejus, 83. regnum Pergamenum obtinet, quod sedit amicorum supplicis, 103. moeror ejus ob patris facinora, ib. agriculturæ studet, ib. munificentissima dona mittit Scipioni Africano, 110. moritur, ib. testamentum ejus, in quo populum Romanum scribit heredem 110
Attilius, deprehensus regi Mithridati infans struere necatur ab eo 224

B

Bacchides castra ponit in Bezeth, 62. mascat à se transfugas, ib. in Juceam cum Alcimo secundò mittitur, 66. fugat Judæos, postquam Judas Maccabæus cecidisset, 67. ædificat urbes munitas in Judæa, 68. mortuo Alcimo ad regem Demetrium revertitur, 69. relinquit Judæam, nec unquam repetit 72
Bacchides Eunuchus à Mithridate mittitur ad sorores, uxores, & concubinas ejus interimendas 197
Bagoas occiditur ab Herode 528
Ballanum uni terrarum Judææ concessum 458
Barba capit Apameam 388
Bardanes à Parthis ad capeffendum regnum vocatur, 652. contendit cum fratre Gotarze de summa imperii, 652. conciliatur cum fratre, 653. quem postea copias contrahentem vincit, 654. cum bellum Romanis inferre cogitaret, à Parthis occiditur ib.
Barnabas Antiochiam in Syria mittitur 644
Barzapharnes insidias struit Hyrcano, & Phisaelo 421
Bassius Centurio Flaccum in Judæos sævientem comprehendens in Italiam reducit 634
Bathyllus conficitur se venenum at-

tulisse, quo Herodes è medio tollitur 530
Battaces, matris magnoz sacerdos Romanam adventat 134
Bellum Romanorum cum Perso finitur 25
Bellum Rhodiis indici voluit M. Juventius Talla, cui Tribuna plebis adversabantur 34
Bellum Cnossiorum, & Gorynio-rum cum Rhaucis 36
Bellum Punicum tertium incipit 82
Bellum navale cum Pœnis init P. Cornelius Scipio consul 86
Bellum servile in Sicilia, 109. aliud 121
Bellorum civilium inter reges Syriæ origo 135
Bello servili secundo finem imponit Proconsul Aquilius 135
Bellum Mithridaticum primum ante annos 4. cœptum finitur, 161. secundum anno tertio finitur, 169. tertium incipit 180
Bellum Creticum susceptum à Romanis 197
Bellum Piraticum conficitur à Cn. Pompeio 228
Bellum Mithridaticum quæm diu duravit 257
Belli civilis inter Cæsarem & Pompeium institum 317
 Ejus apparatus describitur, 320, 321, 322. quibus prodigiis in diversis locis significabatur 324
Bellum Asiaticum erumpit, 463. ejus descriptio 471, 472
Bellum decernitur in Cleopatram 464
Berenice Chia Mithridatis uxor strangulatur 197
Berenice filia Ptolemæi Auletis regno ejus præficitur, 279. occiditur à patre 291
Bernice (cujus in Actis Apost. fit mentio) nascitur 567
Bethsura capitur ab Eupatore, 55. ad deditionem compellitur à Simone, 92. munitur ab eodem 96
Bibulus in Amanum veniens sordam plagam accipit, 313. ejus duo filii in Ægypto interficiuntur, 315. Ciceronis de ejus litteris querelæ 316
Blosius Cumanus seipsum interficit, 114
Boethus bonus nec Poëta nec civis, 414
Bos, cum ad hostiam duceretur agnum Hierosolymis parit in medio fani, 687
Bosphorani superantur ab Agrippa, 517. Polemoni traduntur ibid.
Brithagoras per omnes terras sequitur Jul. Cæsarem, 276. moritur 356
M. Brutus (Cæsaris interfector) à Catone in Cyprum mittitur, 280.

Cæsarem confodit, 367. cum Cassio solvens ex Italia venit Athenas, 374. uterque alienas provincias occupat, 375. natalem Brutus Sami celebrat, 376. Macedonia, Illyricum, totaque Græcia ipsi Senatui consulto decernuntur 382. magnos thesauros accipit à Polemocratis uxore pro suela filii, 385. ad Cæsarem Octav. litteras dat, quibus hortatur ut secum redeat in gratiam, 393. alios tamen spiritus præ se fert in suis ad Ciceronem, ibid. ipsi, & Cassio omnia imperta transmarina committuntur, ibid. Brutus in Europam se recipit, 398. cum Cassio Smyrnæ consilia ordinat instruendi belli adversus triumviros, 399. à Lyciis pecuniam & milites poscit, 400. eorum exercitum prælio vincit, 401. Xanthiorum urbem expugnat, 402. Paratenum oppidum ingreditur, 403. tetrum ostentum ipsi factum, 408, 410. à quo vox hæc, *Tuus sum, Brute, malus Genius 3 Philippus me videbis iterum*, ib. acie victus, impetrat à Stratone Ægeate ut morturo munum commoderet, 410. à quo uno ictu transfixus expirat ib.

C

Cabira capiuntur à Lucullo 197
Cæcilius Bassus fingit litteras sibi à Scipione missas, 360. occiso Sexto Cæsare, ejus legionem accipit, ib. æquis viribus certat cum C. Antistio 361
Cæsario, quem è Cæsare peperisse ferebat Cleopatra, Ægypti rex dicitur, 400. necatur 490
Cæsenius Pæzus Armeniæ præponitur, 678. litteras ad Cæsarem, verbis magnificis, rerum vacuas mittit 680
Cælius Codrus repetundarum postularus, damnatur 564
Cajaphas Simoni in Pontificatu succedit 565
Caius Antonius exulat, 276. prælio vincitur à Cicerone filio, 385. à Clodio necatur 397
Caius & Lucius Augusti ex adoptione facti audaciores evadunt, 524. Caius designatur à Cæsare Princeps juventutis, 527. uxorem ducit Lolliam Paulinam, 543. expeditionem parat in Armenios, ib. vulneratur, 547. in urbe Limyrâ morbo obit, 548
Caius Caligula Tiberio succedit, 627. ejus statuz inferuntur in Profuchas Judæorum, 632. sorore Drusilla defunctâ iustitium indicit, ib. pontem 3600 ferè passuum fabricat, 365. fit sibi Sacerdos, templumque sibi extrui jubet, ib. irascitur

Index nominum & rerum.

| | | |
|---|---|--|
| <p>scitur Judæorum legatis quod ipsi non esset sacrificatum. 637. postea tandem ferocia miseris potius quam malos Judæos existimat, quod ipsum naturæ divinæ participem non censerent, ib. statum ejus novi Jovis nomen imponendum, 638. Agrippæ litteris mitigatus scribit ad Petronium ne in templo ejus Colossus poneretur, 638. hujus gratiæ penitens alium Colossum transportandum & repente in templo collocandum præparat, 640. fortibus monitus ut à Cassio cave-ret, frustra lævit in C. Cassium Longianum, 640. occiditur à Chæreâ qui & Cassius ib.</p> <p>Caius Marius, reverentem ab exilio Metellum aspiciere non sustinens, Romam inquit 136</p> <p>Callimander, dux Antiochi Cyziceni occiditur 127</p> <p>Calyndenses à Caunis deficientes de-ducunt se à Rhodiis, à quibus defenduntur 59</p> <p>Cambyfes fluvijs Pompeianis noxius 244</p> <p>Candaces Legati quæ volunt, impe-trant à Cæsare 509</p> <p>Canidius, mutatâ priore sententiâ hortatur Antonium ut Cleopatram remittat, & terrestri pugna cum Cæsare decernat 469</p> <p>C. Caninius in toto consulatu suo somnum non videt 365</p> <p>Cantores hymnorum Judæi stolz li-nææ usum obtinent ab Agrippâ contra instituta legis patriæ 685</p> <p>Cappadocia in formam provinciæ redigitur 552</p> <p>Caribus libertas à Romanis concedi-tur 36</p> <p>Carneades Philosophus Atheniensium legatus 74</p> <p>Carthago diruitur, 87. Carthaginien-ses Andrisum hortantur ut in bello persistat contra Romanos 85</p> <p>Caspis civitas magnâ civium strage capitur à Judæis 52</p> <p>C. Cassii virtus in retinendâ Syriâ, 304. Parthos repellit, 305. Judæos vincit, ib. auditiâ Pharalicâ clade venit in Siciliam, 324. ad Pharnacem navigat exciturus eum contra Cæsarem, 325. se cum classe Cæsari dedit, 328. Jul. Cæsarem percudit, 367. Proconsulis titulum assumit, 382. urbes Syriæ in suam potestatem redigit, ib. Judæos sui juris facit, 385. ejus litteræ ad Ci-ceroneum, ib. 700 talenta argenti à Judæâ exigit, 316. per equites Ariobarzanem opprimit, 399. in Asiam ad Brutum proficiscitur, ib. Rhodios obsidet, 405. eorum urbem ingressus 50 cives ad mortem duci jubet, 25 exilio mulctat, ib.</p> | <p>spoliat omnes Rhodios, 406. Ariobarzanem occidit, ibid. ejus cum Bruto expostulationes & concordia, 407. ad Philippos commissâ pugna, etiam si plures ex Cæsari-ans ceciderant, castris exiit, 409. totum exercitum sulum ratus, manus sibi infert, eodem pugione quo Cæsarem violaverat ibid.</p> <p>Cassius Parmensis post cladem ad Philippos, recipit ad se adventan-tes, 411. confugit Athenas, 474. spectum videt, 475. occiditur (erat autem unus ex percussoribus Cæsaris) ib.</p> <p>Cassius Longinus præfecturam Syriæ suscipit, 648. priscum morem disci-plinæ militaris revocat 655</p> <p>Cassius Severus orator ob maledicen-tiam relegatus, inopiâ tandem vitam finit 564, 581</p> <p>Castor Mithridatis præfectus Trypho-nem necat 253</p> <p>Castor quidam ditionem Attali & Dejotari defunctorum obtinet 425</p> <p>Castor Phanagorensis socijs populi Romani ascribitur 266</p> <p>Castor adolescens avum suum accusat 364</p> <p>Catillaria conjuratio 265</p> <p>C. Caro, salus, tribunus plebis legem promulgat de imperio Lentuli abrogando 284</p> <p>Caro Censorius legatos Philosophos dimitteudos censet, 74, & 75. ejus lepida sententia de tribus Legatis, 83. ætatis anno 85 moritur ib.</p> <p>Caro Minor, qui & Uticensis pera-grans Asiam, iter pedibus facit, 252. Ephesum venit ad salutandum Pompeium, 268. ipsi Cypriacæ ex-peditio à Clodio demandatur, 278. magnâ cum severitate excipit Pro-lemæum Auletem 279. ingentem & regium apparatusum Cypri invenit, 282. ejus dissidentia, ib. continencia, 285. Cyprias opes in ur-bem deportat, 285. magnâ omnium lætitiâ, sui potius quam thesauri gratiâ, excipitur, 286. Pompeio inservit in parandis copiis, 318. Corcyram, devicto Pompeio, con-cedit, 325. properant ad eum, ib. per arenosa Africæ deserta vagatus, Leptim venit, 336. sibi ipsi manus infert 360</p> <p>Carullus Pentapoli-tanæ Libyæ rector Judæorum duo millia tumultuantium opprimit, 700. Criminationibus falsis Jonathæ auscultans tria millia Judæorum occidit, ib. exis defluentibus non sine maximis animi terroribus, corporisque tor-mentis moritur ibid.</p> <p>P. Celer accusatur ab Asianis 671</p> <p>Cendebeus præfectus Antiochi, 102. vincitur à Johanne Hyrcano ibid.</p> | <p>Census civium Romanorum 522</p> <p>Cerintus hæretarcha 659</p> <p>Cestius Gallus motibus Judæorum excitatus Antiochiâ venit in Ju-dæam, 690. cum propè esset ut templum caperet, sine ullâ justâ causâ obsidionem solvit, 691. non sine detrimento Antipatrida se recipit ib.</p> <p>Chalcidem adveniunt naves à Socijs Romanorum 9</p> <p>Chæres, qui & Cassius, Caium occi-dit 640</p> <p>Chrestus ille Suetonianus non puta-tur esse D.N. Christus 666</p> <p>Chrestus appellatur, Socrates 141</p> <p>M. Cicero Moloni Rhodio dat ope-ram, 151. navigat in Asiam, ubi cum summis oratoribus exercetur, 174. Græcè declamat, 175. ejus de Judæis, eorumque religione judi-cium, 262. commentarium consula-tus sui Græcè à se compositum mittit ad Posidonium, 274. sic au-gur, 305. Ciliciam provinciam ob-tinet, 306. venit Athenas, ib. Ariobarzani Cappadocum regi studet, 310. ob victoriam justam partem imperator appellatur, 313. Pinden-nissen-ses superat, ib. in Ciliciæ ci-vitaribus magna admiratione ex-ceptus Tafo in Asiam proficiscitur, 314. decretum ipsi à Senatu triumphum discordia civilis tollit, 318. imperium ipsi à Catone de-latum non sine vitæ discrimine re-cusat, 325. orationem pro Q. Li-gario ad Cæsarem habet, 362. An-tonii potentiam metuens Athenas venit, 369. tres libros de officiis filio dicit, 375. Antonium bello persequendum suadet, 379. sub ad-ventum triumvirorum urbe cedit, 397. ab emissarijs Antonii occidi-tur ib.</p> <p>Cilicia Romanis subjugatur 265</p> <p>Cinna & Carbo in clarissimos Ro-manos sæviunt 160</p> <p>Claudius Tiberius, vid. Tiberius.</p> <p>Claudius Cæsar imperator à militibus declaratur, 641. Mithridatem Ibe-rum ad recipiendum regnum do-mum remittit, 641. Judæos probi-bet à commotionibus, 642. quos tamen permittit majorum moribus uti, ib. Agrippam ad curam sui regi ni mittit, 643. custodiam stolz Pontificis Judæis permittit, 649. Cumanum mulctat exilio, 663. re-feret de immunitate Cois tribuen-dâ, 664. exlinguitur 668</p> <p>Claudius Felix Procurator in Judæam destinatur 663</p> <p>Cleochares, quem Sinopensibus præ-fecerat Mithridates, tyrannicè res administrat 203</p> <p>Cleon servorum contrahit exer-citum</p> |
|---|---|--|

Index nominum & rerum.

citum 109
Cleopatra, Ptolemæi filia, aufertur ab Alexandro marito, & datur Demetrio Soteri 88
Cleopatra, Philometoris foror & conjux, filio suo paternum regnum asserere conatur 89
Cleopatra, Demetrii Nicatoris uxor, conjugium suum & regnum Antiocho fratri Demetrii (captivi mariti sui) offert 100
Cleopatra, Antiochi Grypi mater, veneno quod filio paraverat exunguitur 124
Cleopatra, Physconis uxor, regnat cum filio 10. annis, ibid. ab Alexandro filio interimitur 146
Cleopatra, filia Ptolemæi Lathuri, uxor Ptolemæi Alexandri, regnat 6 mensibus 170
Cleopatra, Ptolemæi soror, movet Cæsarem contra fratrem, 338. regnum à Cæsare, qui mancipium ejus primo statim aspectu factus est, obtinet, 349. fratre altero demerso, superstiti jungitur, ib. Cæsari filium parit, quem Cæsariem appellat, 350. post Cæsaris discessum consuetudinem habuisse dicitur cum seniore Magni Pompeii filio, 351. Romam venit, 361. quatuor legiones mittit ad Dolabellam, 380, 381. Cassio minaciter expetenti copias denegat, 397. naufragium, dum proficisceretur ad Cæsarem & Antonium, passa, domum redit, 406. venit ad Antonium, 414. redit in Ægyptum, 416. pro vetere Bibliothecâ Alexandrinâ novam condit, 433. verita ne Octavia abstraheret à se Antonium, eum deperire simulat, 452. movet Antonium ad ulciscendam, de Herode, Aristobuli necem, 456. Judææ & Arabiæ partes quasdam cum multis urbibus obinet ab Antonio, 458. de stupro Herodem sollicitat, ib. Ididis nomine responsa dat populo, 460. triginta millia talentorum commeatibusque per bellum exercitui præbet, 461. suspicionem Antonii de se sollicitat, 466. prodigiis territa obinet ab Antonio ut pugna cum Cæsare decernat, 469. & classe bellam gerat, ibid. fugit signo suis dato, 472. ut tuto in Ægyptum adnavigare posset, victoriam mentita, proras coronat, 475. sibi infensos occidit, ib. Isthmum trajicere conatur, servitute & bellum fugiens, 475. varia genera venenorum colligit, 478. clam Antonio sceptrum aureum, coronam auream &c. Cæsari mittit, 479. occulte ipsi promittitur impunitas si occidisset Antonium, ibid. ex sermonibus

Thyrsi credit Cæsarem amore suo captum, 486. Cleopatraz legationi, criminando palam secretò pollicendo responderet Cæsar, 479, 481. Cleopatra proditionem Pelusii supplicio uxoris & liberorum Seleuci, à quo traditum est, regit, 483. medici Olympi operâ utitur ad tabem sibi inducendam, 487. à quo incepto terretur, objectis minis & terroribus de liberis, ib. Aspidis morsu perit, 488. ejus imaginem cum aspide brachio affixâ in triumpho tradit Cæsar, 489. sepulturam ejus honorificè curat Cæsar, ib. tempus vitæ ejus regni-que ibid.
Cleopatra Σελήνη in triumpho ducta, Jubæ in matrimonium datur 494
Clitarum natio ad deditioem per M. Trebellium cogitur 624
C. Clodius Asiam provinciam obtinet 289
Cn. Octavius Dioscurorum religione motus, Perseum in templo Castoris & Pollucis involatum relinquit, 26. Legationis Romanz in Syriam princeps, Laodiceæ à Leptine interficitur, 58. statua ipsi decernitur 60
Cn. Dolabella mittitur in Ciliciam, 171. repetundarum accusatus, damnatur 172
Cn. Domitius Calvinus Asiam, finitimasque provincias administrat, 336. transmittendo ad Cæsarem, etiam silicò expiravit, tamen aliis exemplum dedit profugiendi ab Antonio 463
Cn. Piso successor Germanico constituitur, 557. ejus amicitia renunciat à Germanico, 561. accepto nuncio de morte Germanici lætatur, ib. accusatur quasi reus mortis ejus, 563. actum de se esse sentiens, suo se jugulat gladio ib.
Cn. Pompeius. vid. Pompeius.
Cn. Sentius Syriæ Præses deligitur 561
Cnidiis libertas conceditur à Cæsare 328
Codropolis, terminus divisi inter Antonium & Octavianum imperii 419
Comagenam dat Augustus Mithridati cuidam, 511. C. Caligula, Antiocho 618
Cometes effulget non minor sole, 80. vid. 106, 122. alius post mortem Cæsaris 373
Concilium Apostolorum Hierosolymis habitum 660
Connacorix Heracleotæ prodit Romanis 205
Consules sibi metuentes ab Octaviano, fugiunt ad Antonium 462
Coponius Judææ in provinciam re-

dactæ primus procurator 552
Corinthus evertitur à L. Mummiò consule 67
Cornelius Gallus præmissus ab Octaviano Parætonium occupat, 482. naves Antonii circumventas partim incendit, partim submergit, ib. morte voluntariâ damnationem Senatus prævenit 499
Cornelius Centurio monetur ab angelo ut Petrum Apostolum accersat 643
Cornelius Tacitus Christum refert per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectum fuisse 613
Cornelia, uxor Pompeii, & Sextus ejus filius in Cyprum refugiunt 332
Cornificius mittitur ad bellum Syriacum contra Cæciliam Bassum, 366. occiso Cæsare Africa vetus ipsi datur ibid.
Cosis regis Orzsis frater occiditur à Pompeio 245
Cossilianus Capito lege repetundarum damnatur 671
Costobarus rejicitur (novo genere apud Judæos repudiî) ab uxore Salome, Herodis uxore 498
Cotta Heracleam frustra oppugnat, 198. captam spoliatur, 206. Pontius iccirco appellatur, 208. latus clavus ipsi abrogatur 214
Cotys Armeniam minorem recipit à Caligulâ 630
Crassus Pontifex Maxim. bellum administrat contra Aristonicum, 112. Græcæ linguæ peritissimus, 113. ejus severitas in magistrum ἀρχιτέκτονα, ib. mors ibid.
Cretenses inter se dissidentes adventu Q. Minutii Legati in spem pacis veniunt, 3. Senatus consulto iis interdicitur mutuario pecuniz, 137. inter se dissentiunt, quid faciendum, cum duras ipsi Romani conditiones imponerent, 208. à Metello obsessi sitim urinâ sedant 216
Critolaus Philoſophus, Atheniensium legatus ad Romanos 74
Cuspius Fadus totius regni Agrippæ fit præses, 647. dat operam ut tota Judæa purgetur à latrociniiis 648
Cydoniæ Apolloniaras, calcata scorderis religione, aggressi, viros interficiunt 14
Cyrene provincia testamento Ptolemæi Apionis datur populo Romano 178
Cyrenenses & Asiatici rescripta obtinent ab Augusto pro suo jure conservando 521
Cyzici obſidio solvitur 187
Cyzicenis libertas adimitur 565

D

Decimii moderatio apud Rhodios 25
Decennales ludi celebrantur 619

Yyyy

Deci-

Index nominum & rerum.

Decimus Brutus, unus ex percussori-
bus Cæsaris, iussu M. Antonii ju-
gularur, 395. in morte pudendum
timorem prodit .ib.
Dejotarus occidit Mithridatis præfe-
ctos, 187. recipit Armeniam mino-
rem à Pompeio 254
Dejotasus, filius, Ciceronis pueros
secum in regnum ducit, 309. Do-
mitium Calvinum rogat, ut ipsi
succurrat contra Pharnacem, 339.
submitbens se Cæsari Armeniam
tamen minorem agnitit, 354.
mortuo Cæsare, res sibi ablatas
recuperat, 370. transit ad Cæsarem
469
Deliquium solis Thallus appellat te-
nebras in Christi passione oborras,
614
Dellius historicus turpi consuetudine
Antonio devinctus 440
Delos ob sanctitatem loci, inducias
quasdam, hostibus ibi libimet in-
vicem occurrentibus, efficit, 22.
spoliatur ab Athenodoro piratâ
214
Demas S. Paulum relinquit 689
Demetrius Seleuci Philopatoris filius
frustra petit à Romanis restitu-
tionem in regnum patrum, 51. fu-
gam ab urbe Româ meditat, 60.
desertur in Lyciam, ibid. Ly-
siam interficit, ib. cognomentum
Soteris à Babyloniis adipiscitur,
62. accusatione Alcimi contra Ju-
dam Maccabæum accensus mittit
Nicanorem ducem in Judæam, 63.
Ariarathem regno suo expellit, 71.
Orophernem contra se machinan-
tem deprehendit, 76. victum Se-
leucis custodiri jubet, 77. omnibus
inensus ob mores, 78. parat bel-
lum contra Alexandrum Balam,
ibid. ambit amicitiam Judæorum,
79. in bello occiditur 80
Demetrius major natu filius Demetrii
Soteris, audacè Alexandri Balæ so-
cordiâ, venit cum militibus in Ci-
liciam, 84. solus regnum Syriz ob-
tinet, 89. ejus sævitia in Ptolemæi
milites, ib. Sacerdotium Jonathani
confirmat, 90. dimittendo milites
hostes sibi reddit, ib. sævit Deme-
trius Nicator in adversarios, 91.
patris crudelitatem superat, ibid.
affligit Jonathamem, ib. amicitiam
cum eo postcâ inquit, 97. bellum
Parthis inferre statuit, 98. exercitum
amisso in potestatem hostis venit,
99. à Cleopatra vocatus Ægypto
bellum infert, 119. absente eo, de-
ficiunt Antiochenes, Syrizque ci-
vitates, 120. victus Tyrum petit,
121. varia narrantur de morte ejus,
ibid.
Demetrius Eucærus, quartus Antio-
chi Grypi filius, Damasci rex con-

stituitur 139
Dentium ordo duplex in Driptine
Mithridatis filiâ 236
Dentium ordo superior uno continuo
osse exento suppletus invenitur in
aliquo ex filis regis Prufæ 82
Descriptio orbis Romani fit à Cæ-
sare 530
Dianæ sanum spoliatur à Prusâ 74
Didio se dedunt gladiatores qui pro
Antonio certarunt 477
Dizus, Achæorum Prætor, vincitur à
L. Mummiò consule 87
Dino apud Rhodios suos agit, quò
minus naves ad Romanos mittan-
tur, 8. supplicio afficitur 26
Dio princeps legationis Alexandrinæ
per insidias necatur 282
Dioctes à Mithridate cum magno auri
pondere ad Scythas missus, ad Lu-
cullum transfugit 191
Dioctes Phœnix, captivus, Terentiz
Ciceronis uxori donatus, ab eâ ma-
numittitur 495
Diodatus Elmalchuelem hortatur ut
sibi tradat Antiochum Alexandri
puerum reducendum ad regnum
patris sui 90. Demetrium fugere
compellit postquam imposuerat
Diadema capiti Antiochi pueruli,
91. humanitas ejus erga Jonatha-
nem, 92. occidit per fraudem An-
tiochum Theon 96
Diodorus Mithridatis prætor Sena-
tum Adramytenorum in gratiam
regis occidit, 157. inediâ seipsum
conficit .ib.
Dionysius Mithridatis dux, de spe-
luncâ tractus, epoto, quod habebat,
veneno, expirat 189
Dionysius Halicarnassæus antiquita-
tum Romanarum libros scribere
incipit 523
Dionysius, qui scripsit de situ orbis, ab
Augusto mittitur in Orientem 544
Dionysius Arcopagita convertitur ad
fidem 666
Dolabella, vide Cnæus.
Dolabella Consul irrumpit in Asi-
am, 378. ubi terribimè se gerit, 381.
hostis à Senatu judicatur, 382. per-
sequendi eum potestas Cassio, Bru-
tòque datur, 387. in Ciliciam ve-
niens Cassii præsidia vincit, ib. La-
odiceam pervenit, 388. pugnâ vin-
citur à Cassio, 391. captâ Laodi-
cæâ satelliti cervicem feriendam
præbet .ib.
P. Dulabella Africæ Proconsul Tac-
farinatam occidit, & bello Numi-
dico finem imponit 564
Domitius Aenobarbus, unus ex per-
cussoribus Cæsaris, in sædus recl-
pitur ab Octaviano 419
Domitius Corbulo redhendæ Arme-
niæ præponitur, 668. cum Quadro
contendit, 669. Armeniam in-

gressus castella aliquot capis, 672.
totam Armeniam subjugar, 676.
in Syriam abscedit, 677. auctam
habet potestatem 681
Doras pecuniâ conductus à Felice Jo-
natham (uramum Sacerdotem peri-
mit 660
Doris uxor Herodis ab eo ejicitur è
regiâ 530
Doricæ, qui Cæsari statuam in Syna-
gogâ poluerunt, corripuntur à Pe-
tronio 643
Dorylaus à Cnossis dux creatur 121
Dorylaus, dux Mithridatis à Syllâ su-
peratur 155
Dositheus & Sosipater Judæ Maccabæi
duces, ad Characem plures quàm
decem mille perimunt 52
Drusilla, Herodis Agrippæ filia, na-
scitur 630
Dynamis Afandri vidua, Pharnacis
filia, post mortuum Scribonium,
uxor datur Polemoni 517

E

Eclipsis lunæ, Alexandriæ obser-
vatur, 3. aliæ eclipses, 98, 260,
534, 555, 651
Eclipsis solis ferè totalis, 131, alia
ante civile Cæsaris & Pompeii bel-
lum, 306. aliæ eclipses, 317, 550,
649, 672
Eleazarus tormenta patitur pro reli-
gione 31
Eleazar Avaran Elephantem inter-
ficit, à quo ipsemet oppressus, inter-
cit 55
Eleazarus quinque cubitorum homo
629
Eleazarus Dinæ filius, lacronum
princeps victus Romam trans-
mittitur 669
Eleazarus Ananiz Pontificis filius
argumentum dat apertæ defectionis
à Romano imperio 690
Elizabetha uxor Zachariæ concipit
526
Encenia Templi à se intra annos 9.
& sex menses instaurati celebrat
Herodes 522
Epaphroditus Philippensium minister
S. Paulo inservit 685
Ephesi severè mulctantur à Syllâ
163
Ephron urbs radicitus evertitur 53
Epicrates dux Antiochi Cyziceni, pi-
cuniâ corruptus, Scythopolin Ju-
dæis prodit 127
Epocha Ægyptiaca, *Alkepi* appellat,
unde deducta 502
Eros cum videretur Antonium (nam
& ipse id rogavit) interfectorus,
semetipsum interfecit 484
Esaiæ Prophetæ autoritas perperam
usurpat ab Oniâ de extruendo, in
Ægypto, templo 81
Euergetes, Cacergetes, & Physcon
appel-

Index nominum & rerum.

appellatur 16
 Eumenes bellum parat adversus Per-
 seum, 6. ad Chalcidem in Bœotiâ
 navibus accedit, cum Attalo, &
 Athenæo fratribus, 8. ejus hono-
 res communi Achæorum decreto
 tolluntur, 13. cura fratris Atali
 iidem restituntur, ib. diversa de
 ipso traduntur, 18. Romam adve-
 niens ex Italiâ jubetur excedere,
 38. moritur 71
 Eunuchus Cleopatræ serpentibus se
 mordendum præbet 486
 Eunus, servus, Syrus ortu, author belli
 servilis in Sicilia 109
 Eupator ingentem exercitum congre-
 gat adversus Judæos, 54. violat ju-
 ramentum Judæis præstitum 56
 Euphranor Rhodius fortiter pugnan-
 do in prælio navali perit 347
 Eusebius corrigitur 106
 Eurychus Agrippæ libertus cum pro-
 dit apud Tiberium 626
 Eurychus adolescens vitæ restituitur à
 S. Paulo 674

F

FAstio Hierosolymis trifariam di-
 viditur, 95. ad duas partes re-
 dit 696
 Fames sub Claudio Cæsare 644
 Felix superatur à Phaselo 399
 Felix Judææ Procurator Drusillæ
 formâ capitur, 666. concionante
 S. Paulo tremis, 676. Judæos fero-
 cientes compescit, 677. S. Paulum
 vincum relinquit 678
 Festum dedicationis instituitur 46
 Fimbria licentiam militibus spoliandi
 socios indulget, 154 potestas ei adi-
 mitur per Flaccum, 156. milites inci-
 citat contra Flaccum, ib. Flaccum, Ro-
 manum saltem consularem, si non
 Consulem, interficit, 157. impera-
 tor appellatur, 158. sævit in astan-
 tes innocentes, ne frustra vacui pali
 poni viderentur, ib. hostes somno
 gravatos opprimit, ib. fugat Mithri-
 datem, ib. magnam partem Asiæ re-
 cipit, 159. Iliensium urbem unde-
 cimo die capit, de quo jactat quasi
 ipso Agamemnone superior esset,
 ib. cum milites nullo modo inci-
 tare posset adversus Syllanum ex-
 ercitum ferro se trajicit, 163. inter-
 ficitur à servo qui seipsum quoque
 interficit ib.
 Flaccus Abillius sic Ægypti Præses,
 576. Judæos Alexandrinos Caio
 obnoxios reddere sagit, 629. per-
 mittit Alexandrinos in Judæos
 sævire, 630, 632. 38 ex Senatu Ju-
 dzorum verberibus concidit, 633.
 exul, tandem Cæi jussu occiditur,
 634
 Flaccus Pomponius moritur 617
 Flavius Gallus sagittis transfixus à
 Parthis, moritur 445

Fonteius Capito mittitur ab Antonio
 ad Cleopatram in Syriam addu-
 cendam, 439 absolvitur 565
 Fulvia, Antonii uxor, viriliter se gerit
 contra Octavianum, 415. mori-
 tur 418
 Furnius ab Antonio mittitur in Afri-
 cam 425

G

Gabius nomine quinam intel-
 ligendi 500
A. Gabinius mittitur à Syliâ ad Mu-
 renam, 168. proficiscitur in Syriam,
 279. vincit Alexandrum Aristobu-
 li filium, 280. reducit Judæo-
 rum politicam in formam Aristoc-
 ratæ, 281. Aristobulum cum
 filiis Romam remittit, 287. Parthi-
 co negotio quod susceperat, omi-
 so, in Alexandrinos quæstus causâ
 proficiscitur, 288, 289. captum
 Archelaum pecuniâ acceptâ dimit-
 tit, 290. quem postea in pugna oc-
 cidit, ib. Mithridatem & Orsalem
 dimittit, 292. accusatur à Cicerone,
 ibid. Consules ipsi student, ib. re-
 vertitur in Italiam, 294. tres facti-
 ones cum postulant, 295. absolvitur
 de Majestate, repetundarum dam-
 natur 296
 Gabriel, Angelus mittitur ad Zacha-
 riam, 526. ad B. Virginem Mariam
 528
 Gadarenses apud Herodem accusari,
 dimittuntur 508
 Galaaditis civitates à Judâ Macca-
 bæo capiuntur 50
 Galadenorum regina bellum cum
 Parthis gerit 140
 Galatia sic provincia Romanorum
 501
 Galatæ regnum Eumenis infestant,
 31. eis, ut suis legibus utantur, con-
 cedit Senatus 41
 Galatæ magno gaudio S. Paulum ex-
 cipiunt, 670. errantes, ab eo scriptâ
 epistolâ, ad veritatem revocantur
 672
 Galba interimitur 694
 Galilzi pugnant cum Samaritanis
 661
 Gallio, L. Annæi Senecæ frater,
 Proconsul Achaiz 670
 Ganymedes Arsinoen ad Ægyptios
 traducit 342
 Gazamantum rex legatos populo Ro-
 mano mittit 565
 Gazenses unde tempora dinumerant
 273
 Gellius Publicola M. Bruto insidiat-
 tur 397
 Geminius certum facit Antonium
 quo in periculo res illius Romæ
 essent 464
 Geminus, insignis Mathematicus 175
 Georgius Syncellus arguitur 502
 Germanicus Drusi filius, cogente Au-

gusto, à Tiberio adoptatur, 549
 Oriens ei decernitur, 557. Apollin-
 nis oraculum consulit, 558. in Ar-
 meniam proficiscitur, ib. Ægyptum
 visit cognoscendæ antiquitatis cau-
 sâ, 559. moritur non sine suspici-
 one veneni, 561. mors ejus omni-
 bus, nisi Tiberio & Liviz, dolori
 est, 562. honores ei accernuntur,
 ibid.
 Gessius Florus Procurator Judææ,
 685. nullis lucris satiabilis, Judæ-
 os insolenter affligit, 688. ut gens
 Judæorum ab Romano abrupteretur
 imperio, sedulo auget calamita-
 tes 689
 Gladiatores fortissimè certant pro
 Antonio & Cleopatrà 476
 Glaphyra, Alexandro viro ejus à pa-
 tre Herode strangulato, remittitur
 ad Archelaum Cappadocum regem
 528
 Gorgias contra Judæos bellum fovet,
 48. Josephum cum suis Judæis fugat
 50
 Gotarizes necem Artabano patri præ-
 parat, 652. in Hyrcaniam fratri
 Bardanis conciliatus abit, 653. co-
 pias deinde contra fratrem contra-
 bens ab eo vincitur, 654. occiso
 fratre à Parthis, potitur regno, ib.
 vincit Mcherdatem, cujus aures
 abscindit, 657. morbo obit ib.
 Grotius errat in tempore, quando se-
 cunda epistola ad Thessalonicenses
 scripta sit, assignando 668

H

Harmonia Evangeliorum incipit,
 569. explicat 613
 Hasmonæici principatus initium unde
 deductum videtur, 56. ejus termi-
 nus 437
 Hebron cum pagis suis percucitur à
 Judâ Maccabæo 54
 Hegefilochus apud Rhodios suos rem
 Romanorum agit 7
 Helena Adiabænorum regina à Ju-
 dæo quodam ad veri Dei cultum
 conversa, Hierosolymam venit 651
 Helicon Ægyptius, qui Caium con-
 tra Judæos incitaverat, à Claudio
 interficitur 642
 Heliodoros Syriæ regnum affectans
 expellitur 1
 Helvius Blasio Decimus Brutum
 amicum suum ad tolerandam mor-
 tem suicidio confirmare nititur 396
 Heraclea auctionibus exposita à Ro-
 manis, 182. frustra oppugnatur à
 Coira, 198. capitur fraude Con-
 nacorigis 206
 Heraclienles publicanos secretò truci-
 dant, ibid. eorum benevolentia
 in Chios 154
 Heraclides cum Alexandro Antiochi
 Epiphani filio supposititio Romam
 venit,
 Yyy 2

Index nominum & rerum.

venit, 77. bellum adversus Deme-
trium parat 78
Hermæus aruspex conculcarus interit
195
Herodes Galilææ præfectus Ezechi-
am Judæum interficit, 357. ad ju-
diciam vocatur ab Hyrcano, 359.
purpuratus coram Synedrio consi-
stit, sed accusatus secedit Dama-
scum, ib. Cælesyriæ præficitur à
Sexto Cæsare, 360. ducens exer-
citur adversus Hyrcanum, patris
Antipatri, fratrisque Phasaeli præ-
cipibus cohibetur, ib. totius Cæle-
syriz dux fit à Cassio & Marco,
388. Samariam noctu ingreditur,
389 litteras accipit à Cassio, qui-
bus ad vindictam urgetur mortis
paternæ, à Malicho perpetrææ,
ib. arces & castella recipit, 400.
ex populo multos obruncat, 420.
fugit hostium insidiis, 421. jubetur
è Malchi finibus excedere, 423.
Romam petens, gravique cum tem-
pestate conflictatus, Rhodum ve-
nit, 423. Antonio, Romæ narrat
quæ passus est, 424. regium nomen
ipsum deserit, ib. reversus ab Italiâ,
petit Hierosolyma, 426. Galilæam
in partes suas traducit, 427. hono-
rificè excipitur ab Antonio, 430.
hostes fugat, 432. mirâ providen-
tiâ mortem effugit, ib. vincit egre-
giè copias Antigoni, ib. Mariam-
mon ducit uxorem, 434. Aristobu-
lum Ananelo successorem in
Pontificatu dat, 450. insidias, qui-
bus è medio sustulatur Aristobulû,
magno funeris apparatu, & lacy-
mis regit, 456. vocatus, instigante
Cleopatrá, ad Antonium, ut rati-
onem redderet mortis Aristobuli,
muneribus datis evadit, ib. dicitur
tamen per civitatem, interfectus
ab Antonio, 457. Josephum fra-
trem jubet interficere, ib. sollicitus
de stupro à Cleopatrá cogitat
eam interficere, 458. solvit tributa
quæ ipsi Antonius imperaverat, 461
auxilium præparat Antonio, 463.
quod tamen remittitur diverten-
dum contra Arabas, ib. vincit Ara-
bas, & gentis Præfles ab eis decla-
ratur, 467. Antonium hortatur ut
Cleopatram occidat, 476. ad Cæ-
sarem properat, 480. ad Cæsarem
confugiens confirmatur in regno
suo, 480. Cæsarem per Syriam in
Ægyptum abeuntem regis magni-
ficentiâ excipit, 482. in Mariam-
mon uxorem incenditur, 491. in
Ægypto cum Cæsare congredditur,
amicitiâque ejus frater liberius
cum illo agit, 492. Mariammon à
se interfectam dolet, & lamentis
prosequitur, 495. ægrotat, 496.
convalescens efferator fit, ib. Buzæ

filios interficit, 499. athletica cer-
tamina instituit in honorem Cæ-
saris, ib. conjuratores deprehen-
sos occidit, 500. Mariammon aliam
sibi matrimonio jungit, 504. Ale-
xandrum & Aristobulum filios
Romam ad Cæsarem, educandos
mittit, 508. templum Cæsari con-
struit, 512. templum Hierosoly-
mitanum incipit extruere, 514. fi-
liis jam Româ reversis uxores
dat, 516. ab Agrippa decedens cui
in negotiis se adjunxerat, quid fe-
cerat in gratiam Judæorum decla-
rat, 518. adversus Alexandrum
& Aristobulum filios incensus,
Antipatrum ex matre plebeiâ ge-
nitum fovere incipit, 519. coram
Cæsare Alexandr. & Aristobulum
accusaturus, Romam cum eis na-
vigat, 520. à Cæsare filiis recon-
ciliatur, ib. in Judæam reversus
primum Antipatrum, deinde ex
Mariammon naros, Alexandrum &
Aristobulum post se regnuros
declarat, ibid. Davidis sepulchrum
recludit, 521. tertio Romam, ad
Cæsarem proficiscitur, 522. rever-
sus celebrat Encænna, ib. latrones
ulciscitur, 523. minaces litteras
accipit à Cæsare, 524. Nicolaum
Damasenum mittit ad Cæsarem,
525. dissidium ejus cum filiis ex
Mariammon susceptis exacerbatur
artibus Euryclis Lacedæmonii, ib.
amicos tam suos, quàm filiorum
interimit, filios autem in vincula
conjecit, 526. gaudet Cæsarem sibi
factum placatum, 527. 300 simul
ipsum instigatione occidunt, ib.
filii ejus, Alexander & Aristob.
patris jussu strangulantur, ib. in-
fantes occidit, 532. natorum mi-
nimo, Herodi Antipæ successionem
regni relinquit, 533. indignatur
aquilam auream à se supra majorem
templi portam positam dejici, 534.
decernendo post suam, nobilissi-
morum Judæorum, mortem, læti-
tiam, quam se mortuo orituram
videbat, fœdare cogitat, ib. murato
testamento regnum Archelao re-
linquit, 535. post gravissimos do-
lores toleratos moritur ibid.
Herodes Antipas Galilæam &c. re-
cipit à Cæsare 541
Herodes Agrippa, veniâ Caligulæ
impetratâ domum revertitur, 630.
per Alexandriam iter habens, ab
ejus urbis civibus eodem modo ir-
rideretur, quo ante quinquennium
Judæi Christo irriserunt, 631. te-
trarchiam Patru sui, Herodis ex-
ulis accipit à Caio, 637. vid. *A-
grippa.*
Herodes Tetrarcha amittit exercitum,
627. filiam Aretæ regis Arabiæ

Petrææ repudiat, ducit autem He-
rodiada, ib. per litteras Agrippæ
Caio redditus inimicus in exilium
mittitur cum Herodiade uxore 634
Herodes rex Chalcididis potestatem in
Templum jusque eligendorum sum-
morum Pontificum à Claudio im-
petrat, 649. moritur 653
Herodis progenies intra centum an-
nos interit 702
Hierax Ptolemæi Physconis impe-
rium sustinet 102
Hierosolyma obsidione C. Sosii &
Herodis arctatur, 453. capiuntur,
ib. fit strages civium 436
Hierosolymitanum templum ex sen-
tentia Mosis conditum pronunciat
Ptolemæus Philometor 82
Hierosolymitis seditio exoritur 399
Hierosolymitanorum bona diripiuntur
à Parthis 421
Hillel Babylonius Hierosolymitis flo-
ret 467
Hipparchus Bithynus astronomiz pe-
ritissimus, 63. secunda ejus obser-
vatio æquinoctii autumnalis, 71.
tertia, pag. 72. quarta, p. 87. quinta,
p. 88. sexta, p. 97. ejusdem obser-
vatio æquinoctii verni, & solstitii
æstivi, 107. alias ejus observaciones
vide pag. 118. & 119.
A. Hirtius Consul in prælio, quo
victus est Antonius, cadit 386
Hybrææ factum ad Antonium di-
ctum, cum duplici tributo civita-
tes oneraret 413
Hypsicræa Michridatis uxor, comes
ejus in fugâ, rerum difficilium le-
nimentum ei fit 243
Hyrcanus Josephi filius sibi manus
infert 2
Hyrcanus Aristobuli frater à Pompeio
rex, sed sine diademate, relinquitur,
264. Ethnarchiaque & Pontifi-
catum recipit à Cæsare, 352. confir-
mari ceptam amicitiam à Cæ-
sare rogat, 360. occiso Malicho
perturbatur, 392. ejus auxilium am-
putantur ab Antigono, ut sic in-
eptus redderetur ad Pontificatum
recipiendum, 421. victus in Par-
thiam ducitur, 422. vinculis solutus
permittitur Babylone degere, 439.
suo desiderio, doloque Herodis
permotus redit in patriam, ibid.
cum Malcho Arabum rege agens
de copiis parandis, proditur à mi-
nistro rei transigendæ, Dositheo,
479. convictus occiditur ab He-
rode ibid.

I

Iamblichus rex Arabs inter tor-
menta ab Antonio occiditur 468
Iamblichus patrum in Arabiâ
principatum accipit ab Augusto 511
Iambri filii occidunt 68
Jamni.

Index nominum & rerum.

Jamniensium portus cum classe succenditur 52
 Jason Simonis II. Pontificis filius pollicetur pecunias Antiocho ut Pontificatum adipisceretur 2. anno fratre Pontificatus invadit, ib. post trilevium amovetur, ib. spē & aures mittit Tyrum, 3300 argenti drachmas ad sacrificium Herculis afferentes, quis tamen ad tritium fabricam erogandas procuravit, 3. expellitur à Veneleo, 5. facit impressionem in urbem Hierosolymitanam 11
 Jejunium observatum à Judæis in memoriam sacri voluminis à Jehoiakimo combusti 435
 Jesus filius Sirach librum avi sui ex Hebræo in Græcum sermonem transferre 111
 Jesus Christus nascitur, 531. audit, & interrogat doctores, 552. se mundo pacificat, 566. baptizatur, 567. tentatur, ibid. aquam in vinum mutat, 565. ascendit ad Palscha, 563. à Pilato traditur Judæorum voluntati, 603. crucifigitur, 604. resurgit, 607. ascendit in celum 613
 Jesus quidam Hierosolymis vociferatur quadriennio ante bellum Judæicum, *Vox ab Oriente, vox ab Occidente* &c. 683. obficionis tempore lapide missio perimitur ib.
 Jesus Gama'ielis filius Jesu Dimnei filio in Pontificatu succedit 684
 Ilienses ab Agrippa pecuniâ multantur, quod Juiæ periclitanti non succurrerint, 517. Herode rogante absolvuntur, ib. maximos honores Herodi reddunt 518
 Indictionum initium 320
 Indorum Legati Tarracotem ad Augustum veniunt, 501. pacem faciunt, 512. xonica dona vid. ibid.
 Johannes frater Jonathanis occiditur 68
 Johannes Hyrcanus Pontifex factus est post patrem suum, 107. Hierosolymis obsessis infirmiore turbam extra mœnia eiecit, 108. postea miseratione victus recipit, ib. pacem init cum Antiocho, 109. tria millia talentorum aufert è sepulchro Davidis, ibid. Antiochum comitatur & vincit Hyrcanus, unde cognomen Hyrcani adipiscitur, 113. Sicima capit, & Garizim, 116. subjugat Idumæos, compellitque circumcidi, 117. filium suum Alexandrum Jannæum nunquam in conspectum admittit, 119. legatos mittit ad Romanos, ib. moritur 127
 Johannes Baptista nascitur, 529. prædicat baptismum penitentiarum, 566. ministerio suo vacat per 4. annos,

567. in carcerem conjicitur. 570. discipulos ad Jesum mittit, 573. decollatur 576
 Johannes Richardsenus episcopus Ardachadenis autor Harmoniz in Buzgelia 569
 Jonathan in locum Judæ fratris succedit, 66. insilit in Jordānem, & ad ipsam ulteriorem transit, ib. In sidias Isaniorum deprehendit, 71. muros disiectos in Bethbasi rellit, ib. vincit Apolloniam, 85. trii millia virorum mittit ad Demetrium, 91. Damascum usque proficiscitur, 92. periclitatur, 93. dolo Tryphonis circumventus comprehenditur 94. à Tryphone occiditur, 95. sepeliuntur ejus ossa à fratre Simone ib.
 Jonathan Uzzielis filius, Chaldaice paraphraseos autor 467
 Jonathan quidam Judæus igne exurit 701
 Joppe dicitur Jonathani 85
 Joppesium portus noctu à Judæ Maccabæo succenditur 52
 Josephus manifesti erroris convinctus, 67. diversa tradit de Alcimo, 69. reprehenditur 107, 120. honorificam faciem Joannis Baptistæ quam Jesu Christi mentionem, 613. quando natus, 619. ejus in litteris & lebraris, 657. passus naufragium venit in Italiam, 685. severitati audet, 663. à Poppæa Augusta muneribus honoratus est in patriam, 688. Galilæam proficiscitur Romanorum impetum expectaturus, 691. vi à donatur à Vespasiano, 692. à quo Flavii prænomen accipit 701
 Josephus frater Herodis sex cohortibus amissis unâ perit 431
 Josephus Herodis patruus, jussu clam ab eo, siquid in se sinistrum statuisset Antonius, Mariam, uxorem ejus, interficere, mandatum proci in indicium amoris Herodis in Mariam suam 457
 Josephus B Virginis maritus ascendit in urbem Bethleem ut describatur 531
 Josephus Canei filius summum Pontificatum obtinet 649
 Jotapata vi capta à Vespasiano, incenditur 692
 Jotapes patri suo Medorum regi deditur ab Octaviano 487
 Ilocrates Grammaticus defendit Octavii necem, 58. simul ac nomen ejus fuerat delatum, mente captus est 69
 Iturzi & Judæi provincie Syriz sunt additi 656
 Juba paternum Mauritanie regnum à Cæsare obtinet, 494. Ptolemæum suscipit ex Cleopatrâ Selenè ib.

Jubizus 29, 104, 566
 Judas Maccabæus in montibus vitam transigit, & ne concamina ionis particeps esset, gramineo alimento vescitur, 23. in locum patris Matthei jam mortui succedit, 38. rem bellicam fortiter in Judæa administrat, 40. vincit Nicanorem, 43. & casta spoliat, 44. novam dedicat altare, 45. iter bellum gerit contra filios Esau, 48. percussit Ammonitas, 49. Timotheum superat 20500 pedibus, & 600 equibus interfecit, 49. confodit ex missis Timothei ad 30 virorum millia 51. ad urbem Carnaim jugulat hominum 25 milia, 53. radicibus everit Ephronem urbeat munitissimam, ib. Gorgiaz milites fugat, ib. debellat filios Esau, 54. Castra Eupatoris noctu invadit, 55. ultionem sumpsit de transjugis, 62. à Nicanore se occultat, 65. insomnium suum narrando suorum animos excitat, 66. vincit Nicanorem, cujus caput & manus amputantur, ib. legatos Romam mittit, ib. fortiter dimicans occidit 67. si pelitur in Modin ib.
 Judas Aristobullus patri succedit, 128. principatum in regni formam transfert, ib. matrem fame necat in vinculis, ibid. magnam Ituræ partem subjugat, 129. fratrem Antigoni locum regni interficit, ib. vindictam divinam agnoscens ipse moritur 130
 Judas, quod conjicitur esse Theudas, turbas facit, 538. perit cum suis, 551. ejus nova secta ib.
 Judæi nonnulli Apostolus sub arcem Sionis gymnasium extruunt 3
 Judæi supra viginti millia hostium occidunt, 44. affliguntur à Bacchide, 67. pacem ineunt cum Romanis, ib. missi à Jonathanem Demetrium liberant ab Antiochenis, 91. magnis bellis Syriam infestant, 115. secerantur ab Idumæis, 117. ingens Judæorum multitudo occiditur à Ptolemæo Lathuro, 132. Judæi vexati à Pharisæis remedium petunt ab Alexandrâ reginâ, 198. millia Judæorum 12 occiduntur à militibus Pompeianis, 260. sunt Romanis Tributarii, 261. Aristocrate gubernantur, 281. maximis calamitatibus affliguntur, 301. petunt à Cæsare ut ipsis sine rege vivere liceret, 340. quare ex urbe Româ pulsi, 560. petunt à Vitellione Romana signa imagines habentia portentur per suam regionem, 628. Judæi Alexandrini Herodem docent de insidiis ipsis à Flacco Avillio paratis, 631. miserimè ab eodem Avillio tractantur, 632.

Index nominum & rerum.

tur, 632, 633. aram Cui conditam ab iniquis diruunt, 636. supra 50 millia Judæorum Seleucis conspirantibus Græcis Syrisque trucidantur, 639. tumultuantes ob ignominiam sibi seu Deo potius à nudato milite illatam, pereunt ad numerum 20 millium, 653. violentiâ potius quàm iustitiâ res agunt, 677. jus Civitatis Cæsareæ amittunt, 679. iccirco tumultuantur usque ad initium belli Judaici, ib. quâ occasione rebellant, 689. eorum 20 millia instigante Gessio Floro interficiuntur, 690. calamitas Judæorum à Petro Pauloque prædicta, 692. Judæi obfessi, fame premuntur, 696, 697. capti cum bestiis depugnant, 699. numerus Judæorum qui consumpti sunt bello & fame per septennium 702

Julia Agrippæ Caium parit, 512. & **Lucium**, 515. quos Cæsar hæredes facit imperii, ib. in magna vitæ discrimen adducitur, 517. mortuo Agrippâ nubit Tiberio, 520. luxuriz, turpitudinique se dat, 543. relegatur in insulam, ibid. lenius tractatur, nec tamen revocatur, 549

Julius Cæsar defecit apud Nicomedem non sine rumore prostratæ regi pudicitiz, 169. compertâ Syllæ morte Romam redit, 174. captus à piratis quibus terrori venerationisque fuit, 179. captivos cruci suffigit, 180. nutantes in Asiâ civitates in fide retinet, ib. videns Alexandri magni imaginem ingemit, 233. venit in suspicionem conspirationis, 239. societatem inicit cum M. Crasso, & Pompeio, 275. non dimittendo exercitum causam præbet belli civilis, 317. Dictator creatur, 320. Dictaturam post undecim dies exiit, ib. Pompeium superat, 323. litteras ejus concremat, 324. veniam dat iis qui auxilia Pompeio tulerunt, ib. Pompeium insequitur, 326. Asiam liberat à Publicanis, 329. persequens Pompeium in Ægyptum tendere instituit, ib. Pompeio interfecto Alexandriam tumultuantem intrat, 334. annulum Pompeii accipiens à Theodoto illacrymat, ibid. caput Pompeii ipsi altarum sepeliri jubet, 335. Pompeianos beneficiis sibi devinct, ibid. honores in ipsa certatim effunduntur, 337. Cleopatraz favet contra fratrem, 338. tandem Cleopatraz & Ptolemæo regnum Ægypti dat, ib. auxilia undique contra Achillam evocat, 342. prælio navali vincit Ægyptios, 344. se ex navigio ejiciens, ad naves natat, 345. urbes

Syriæ penè universæ Cæsari opem ferunt, ib. regem puerum dimittit, 346. classem instruit, ib. magnam victoriam reportat ab Ægyptiis, 349. Alexandriam capit, ib. Cleopatraz, quæ consuetudine Cæsaris utebatur, regnum Ægypti tradit, ib. columnam æream statuit jura Judæis Alexandrinis concessa continentem, 350. amicas litteras mittit ad Ciceronem, ib. in Syriam proficiscitur, 351. præmia bene meritis in omnibus Syriæ civitatibus tribuit, 352. Tyri, Herculis donaria aufert, quod conjugem & filium Pompeii receperunt, ib. proficiscitur in Ciliciam, ib. Tarcondimoro, qui Pompeium juverat, ignoscit, ib. per Cappadociam venit Comana, 353. Dejotarum pecunia mulctat, 354. Pharaæm acie præfigit, 356. trophæum erigit oppositum illi quod Mithridates de Triario statuerat, ib. in Asiâ pecuniam obiter colligit, ib. in Græciam, Italiâque navigat magnâ vi pecunie confectâ, 357. in Africam transmittit, 358. ubi Labienum, & Petreium vincit, ib. Jubam & Scipionem memorabili pugna superat, 360. magnum exercitum videt per quietem, ib. Africano bello confecto Romam venit, 361. 4 triumphos agit, ib. Cleopatra & Ptolemæus à Cæsare accipi Romam veniunt, ib. Pontifex factus annum emendat, 362. memorabilem ad Mundam victoriam obinet, ib. litteras consolatorias dat Ciceroni, 362. omnibus, qui contra se arma tulerant, ignoscit, 363. Dictator fit in perpetuum, & prænomen obtinet Imperatoris, ib. Octavium mittit Apolloniam, 364. urbem Hierosolymorum Hyrcani voluntati permittit, 365. Carthaginem & Corinthum instaurat, ib. expeditionem in Parthos cogitat, Getis prius debellat, 366. Rex salutaris, *Cæsarem se non regem esse respondet*, ib. diadema à M. Antonio bis capiti ipsius impositum deposuit, ib. quadriduo ante diem professioni ex urbe destinatum confoditur, 367. ejus percussoribus provinciæ decernuntur 368

Julius Cilo, Narcissi fraude præfecturam in Bithynos prorogatum obinet per biennium 656

Julius Feliganus Cappadociæ Procurator 658

Junius Gallio exul, Romam retractus magistratum custodiæ traditur 681

Juventius Prætor Romanus vincitur in Macedoniâ ab Andrisco 688

K

Kalendæ Januariæ quâ ratione in postremum Decembris diem inciderint 435

Kyrius & **Kyrius** idem Græcis, qui Romanis P. Sulpicius Quirinius 530

L

Labienus Bruti & Cassii ad Orodem legatus, 407. author belli Parthici, 416. Apameam & Antiochiam accipit, 417. Saxam occidit, 418. fugatus à Ventidio capitur 423

Lacedæmonii comiter excipiunt legatos Judæorum 93

Lamachus Heraclensis in civitatem suam recipit Mithridatem 191

Laodice cum Heraclide Romam venit, 57. quinque ex suis filiis patriâli veneno necat, 117. ipsa propter crudelitatem exinguitur ib.

Laodiceæ tremore terræ prolapsa propriis opibus revalescit 677

Laodiceus gravissimè à Cassio multatus, quod Dolabellam accepisset 392

Lakhenes litteras accipit à Demetrio Nicatore 90

Lathyrus Ptolemæo Evergeti II. patri suo succedit, 124. insidiis matris Cleopatraz ferè opprimitur, 129. vid. Ptolemæus.

Legati à Romanis missi ad Cretenses, 7. alii ad insulas & Asiæ urbes, ibid.

Legati Persei, Solon & Hippas, intra trigesimalium diem Italiâ jubentur excedere 8

Legati ab Antiocho & Ptolemæo simul Romam adveniunt 9

Legatio nobilis P. Scipionis reliquorumque 104

L. Lentulus apud Pelusium interficitur 332

Leonippus à Cleocharis factione interficitur 203

Leptines Cn. Octavium legationis Romanæ in Syriam principem manu suâ interficit, 58. apud Demetrium regem se Senatui probitum dixit Cn. Octavium Diis volentibus à se occisum 69

Lex Judæorum, cum penetralium velis purpureis, reponitur in palatio, 699

Lex quædam apud Romanos vetabat ne qua mulier, nisi exactis à morte viri decem mensibus, naberet 419

Liberius Maximus jubetur à Cæsare Judæorum terram vendere 700

Libri legis comburantur, 30. quinam fuerint ib.

Librorum 4 millia Alexandriæ comburuntur 341

Licinius

Index nominum & rerum.

- Licinius Syllanus prodigium videt 177
- Litteræ diversæ ad populum Judæorum 51
- Livia suspecta, dolo sustulisse Lucium & Caium, ut aditum ad imperium filio suo Tiberio faceret 549
- Locustarum ingentia ægmina in mare dejecta faciunt pestilentiam 121
- M. Lollius moritur 546
- Lollia Paulina uxor Cæsaræ datur 543
- Lucanus describit Cæsaris iter in Ægyptum, 329. ejus error detegitur 336
- Lucas S. Pauli comes in prædicatione Evangelii 665
- Lucianus Martyr, gentium annales testes advocat de tenebris, cum Christus pateretur, obortis 613
- Lucilius Longus moritur 564
- Lucilius Capito Procurator Afiz damnatur 564
- Lucilius Bassus legatus in Judæam mittitur 639
- Lucius Augusti filius, sit princeps juvenutis 541
- L. Calpurnii Pisonis litteræ in gratiam Judæorum 401
- L. Cornelius Sylla legatus in Cappadociam mittitur, 140. astroganter tractat legatos Parthorum regis, 141. postulat repetundarum, ib. ad bellum Mithridaticum gerendum in Græciam proficiscitur, 150. capit Athenas, 151. victoriam maximam nullo fere suorum damno reportat à ducibus Mithridatis, 153, 155. colloquitur cum Mithridate, 161. leges pacis cum illo facit, ib. exercitum fimbriæ recipit, 163. civitates Afiz mulctat, ibid. bibliothecam Apelliconis recipit, 165. Dictator creatus de rege Mithridate triumphat, 168. proscriptorum servos libertate donat, 169. Alexandrum Ptolem. Matriæ filium mittit ad Alexandrinos, 170. moritur 173
- L. Lucullus Cretam periculosa navigatione advenit, 151. navali pugna fugat Neoptolemum, 160. cum legione in Italiâ conscriptâ trajicit in Asiam, 181. scelerator pugnat adversus Mithridatem, 183. memorabilis Ponticos victoriâ profligat, 184 & 186, 187. ingreditur Cynicum, ib. somnio monitus 13 regis navibus peritur, & præfectum eorum Isidorum occidit, 189. plures naves demergit, & capit, ibid. de suis rebus gestis mittit ad Senatum laureatas litteras, 190. oppugnat Amisum & Eupatorium, 192. Chaldæos & Tiberenos subigit, 199. Ponti provinciam constituit, ib. Eupatoriam diruit, ib. legatum ad Tigranem mittit qui Mithridatem exposceret, 200. somnio monitus & servat flagrantem Sinopen, & liberam facit, 203 & 204. Amisum quoque restituit suis civibus, ib. transit Euphratem mirabiliter undas suas submittentem, 206. Armeniam invadit, ib. vincit Tigranem, 210, 211. Tigranocerrâ positus multas quoque Armeniæ urbes sibi adjungit, 212. exequias Zarbieni celebrat, 214. expeditionem Parthicam deponere cogitur, ib. Tigranem vincit, 216. in regionem Mygdonicam descendit, postquam reduxer à regno Tigranis exercitum, 218. seditione militum impeditur, quo minus persequi possit Mithridatem & Tigranem, 226. ejus milites abstrahit Pompeius, 232. Romanam redit, ibique instruit bibliothecam, ibid. honorifice excipitur, ib. tandem triumphat, 267. ejus luxus ib.
- Lucius Magius & L. Fannius de exercitu Fimbriæ profugi Mithridati se adjungunt 176
- Lucius Metellus in prætorâ Siciliensi successit Verri datur 201
- L. Mummius Corinthum evertit, 37. ejus simpliciter tabularumque picturarum ignorantia ib.
- Lucius Murena ad ordinandas res in Afizâ Syllâ relinquitur, 165. triumphi cupidine ductus bellum revocat adversus Mithridatem, 166. vicis ejus incursat, 167. vincitur à Mithridate, ib. Mithridatem repressum, non oppressum relinquit, 169. triumphat ib.
- Lucius Pella repetundarum damnatur 407
- Lucius Stadius à Cœcilio Basso fortiter repellitur 362
- Lucius Valerius Flaccus in Asiam mittitur, 153. occiditur à Fimbria, abscessumque ejus caput in mare projicitur 157
- Lucius Valerius Flaccus Prætor in Asiam mittitur, 255. Afiz pecuniam & remiges imperat 269
- Lucretius Prætor Romanus per litteras cum Rhodiis agit naves sibi mitti petens 8
- Ludorum ab Antiocho ad Daphnem exhibitorum elegans è Polybio descriptio 39
- Lutha deficit 24
- Luxuria Antiochi Sidonis 112
- Lycii, incitante Eumene, à Rhodiis deficiunt, 3. libertas ipsis à Romanis conceditur, 36. in servitatem rediguntur à Claudio 644
- Lydia credit in Christum 665
- Lyfianus amicus sive Antigonæ, 418. ab Antonio interficitur rogatione Cleoparæ 440
- Lyfias Judæorum nomen delere ab Antiocho jubetur, 42. in Judæam cum 65 millibus lectissimorum militum irruit, 44. fugatur à Macchabei exercitu multis occisis, 50. cum Judæis agit de pace, 51. à Demetrio interficitur 61
- Lyfias Paulus virgis examinari jubet 645
- Lyfimachus sacrilegia facit Hierosolymis, 10. à tumultu interficitur, 11
- M
- Macchabei cur dicti Mattathie filii 32
- Macedonicum imperium cadit, victo Perse 24, 25
- Machares Mithridatis filius Bosphori rex in amicitiam populi Romani recipitur, 203. sibi met ipsi manus infert 243
- Machares operam dat Herodi 430
- Macron & Bennia uxor ejus ad voluntariam mortem per Caligulam adiungunt 630
- Magadates Tigranis nomine Syriæ præest 167
- Magi Christum querunt 532
- Magnesia summa virtute defenditur adversus Mithridatem 152
- Malichus insidiatur Antipatro, 386. veneno cum tollendum curat, 388. à tribunis confoditur 392
- Malthace Archelai mater, morbo vitæ finit 540
- Mamercus vincit Fannium qui Mithridati se junxerat & Metrophantem 186
- Manahemus fatidicus Herodi gratiosus 512
- Manius Aquilius Consul infamem victoriam fecit, quod mixtis veneno fontibus urbes quidam ad deditonem compulerit, 116. liquato auro in os ejus infuso moritur 146
- Marcellus ducit conjugem Augusti avunculi sui filiam 502
- Marcus Philippus in Syriâ succedit Scauro 270
- Marcus Evangelista moritur 677
- Marcus Calpurnius Bibulus Syriam provinciam obtinet 306
- M. Favonius in conclave, ubi se Brutus & Cassius incluserant, irrumpit 407
- Marcus Lepidus hostis judicatur ob receptum M. Antonium, 392. in exilium mittitur ab Octaviano, 441
- Marcus Tullius Ciceronis filius collega assumitur ab Octaviano 491
- Marcus Perperna Consul Aristonicum vincit, 114. moritur 156
- Marcus Papirius eques Romanus occiditur 277
- Marcus Licinius Crassus Syriam provinciam obtinet, 289. magnam

Index nominum & rerum.

| | | |
|--|--|---|
| <p>gaudium inde concipit, ib. ad arma se convertit, 292. devovetur ab Ateio, 293. solvens Brundisio non paucas, ortâ tempestates, naves amittit, ib. expeditionem in Parthos suscipit, 294. templum Hierosolymitanum perfidè spoliar, ibid. Græcas urbes inter quas Nicephorum recipit 294</p> <p>Marcus Titius dux ab Antonio designatur adversus Sextum Pompeium 451</p> <p>Marcus Scaurus devicto Cæsare non punitur 474</p> <p>Marcus Claudius Marcellus Cæsarem metuens Mitylenas concedit 325</p> <p>Marcus Aurelius Cotta vincitur à Mithridate 183</p> <p>Marcus Agrippa magnopere Antonium perturbat, 468. in Asiam mittitur, 508. in Syriam rursus mittitur ab Augusto, 515. invitatur ab Herode in regnum suum, munitibus autem honoratus abnavigat in Ionium, 516. Bosphoranos superat, 517. cum Herode laborum socio pervenit Ephesum, 518. inde Samum, ib. in multis Herodi gratificatur, ib. Judæos in fœnitiâ liberat ab injuriis indigenarum, ib. ex Syria reversus ad Pannonicum bellum gerendum mittitur, 519. mortuus laudatur ab Augusto ib.</p> <p>Marcus quidam Agrippa adoptatur ab Augusto, 749. in Planasiam Corsicæ insulam projicitur, 551. in fœdis Tiberii inierimur 554</p> <p>Mardus dirigit Antonii exercitum 445</p> <p>Marion Tyrionum tyrannus, tyrannidem per Syriam exercet 388</p> <p>Marius Mithridatis dux occiditur à Lucullo 189</p> <p>Mariûs urbs opulenta evertitur à Purthio 421</p> <p>Mariamme Alexandri filia, Herodis uxor, 434. Herodem non amat, 481. beneficii accusata ab Herode damnatur, & ad supplicium ducitur 495</p> <p>Mariamme tertia regis Agrippæ soror migrat in thalamum Demetrii 667</p> <p>B. Maria virgo audit Angelum Gabrielem, 528. ad Templum accedit, 532. revertitur cum Josepho in Galilæam ib.</p> <p>Marsus sibi manus insert 393</p> <p>Marsyas Alexandrinorum dux capitur in bello 118</p> <p>Marsyas Agrippæ significat Tiberium mortem obiisse Hebraicè dicendo, <i>Mortuus est leo</i> 627</p> <p>Martha mulier Syra divinatrix 133</p> <p>Marullus Præses à Caio Judææ factus 628</p> <p>Macrathias Assamonzi filius appellatur, 32. Judæum sacrificantem ju-</p> | <p>gular, ib. moritur, & sepelitur in Modia 38</p> <p>Matthias Curtus Josephi (historici) abavus nascitur 109</p> <p>Mavius interficitur ab Antonio 419</p> <p>Mazaca Cappadociæ civitas Cæsarea appellatur 566</p> <p>Medeus quidam Mylos Asianos ad deficientum ab Antonio permovet, 467. Lycomedis ditionem obtinet 474</p> <p>Medorum rex à Phraate & Artaxe superatur 463</p> <p>Meherdates Parthorum rex à Claudio fit, 654. victus, auribus privatur à Gotarze 657</p> <p>Memnonis effigies 559</p> <p>Memphus Problemsi Euergetæ II. filius ex sorore & conjugè Cleopatrà, 91. à patre occiditur, matricque inter epulas offerri jubetur 118</p> <p>Menas Prusicæ legatus filium ejus Nicomedem contra patrem incitat 83</p> <p>Menelaus Jasonem circumveniens, ad seipsum summum transfert Sacerdotium, 4. aurea vasa subtrahit ex templo Hierosolymitano, 10. criminis convictus, promissâ Ptolemæo pecuniâ, evadit, 11. commiscet se cum exercitu Eupatoris, 54. dignum vicâ exitum sortitur 56</p> <p>Menocharis legatus Romam venit 70</p> <p>Merella L. Cornelli Syllæ uxor Româ fugit ad marium 160</p> <p>Metellus plurimas civitates expugnat, 216. Eleutheram urbem per proditionem accipit, 229. insulam Cretam capit 232</p> <p>Metellus Scipio provinciam Syriam obtinet 318</p> <p>Metellus, qui Antonio adhaeserat, pietate filii servatur 477</p> <p>Q. Metellus Numidicus exulans Philosophicæ studet, 135. victor, Imperator appellatur, 212. de Cretà triumphat 268</p> <p>Metrodorus princeps legationis ad Rhodios 20</p> <p>Metrodorus Sceptius legatus mittitur à Mithridate ad Tigranem Armenium, 191. vivus proditur, mortuus honorificè sepelitur à Tigrane, ib.</p> <p>Metrophanes submissus à Mithridate fugatur à Bryttio 150</p> <p>Migremus binc, Hierosolymis vociferarum 687</p> <p>Milisia mulier, quod partum medicamentis abegisset, rei capitalis damnatur 174</p> <p>Milniades Demetrii legatus Romam venit 72</p> <p>Minurius Bassillus unus ex percussoribus Cæsaris à servis suis necatur 369</p> <p>Mithridates amicitiam inicit cum Ro-</p> | <p>manis 82</p> <p>Mithridates Eupator nascitur, 106. patri Euergeti succedit 122</p> <p>Mithridates magnus rex Parthorum 118</p> <p>Mithridates Euergetes Ponti & minoris Armeniæ rex dolo familiarium necatur 122</p> <p>Mithridates Ponti rex Gordiam Romanam mittit, 139. Cappadocia quam occupaverat ipsi adimitur, 140. bellum parat adversus Romanos, 142. linguas 22 calluisse perhibetur, ib. mittit filium ad occupandum regnum Cappadociæ, 143. ejus duces Nicomedem fugant, 144. & Aquilium, ib. magnam clementiæ opinionem sibi parat, ib. Romanorum provincias percurrit, 145. Magnesium, Ephesum, & Mitylenen recipit, 146. secretas litteras Epheso mittit (sarrapis omnibus, ut Romanos simul invadant, occisioque insulpulos abjiciant, 147. in insulam Coum trajicit, ubi Cleopatraz thesauros reperit, ibid. cum ignominia à Rhodo recedit, 149. coronâ victoriæ diffractâ confectione percuitur, 150. audirâ suorum clade, suspectos amicos habet, 153. ejicitur è Galariâ, 154. sævit in eos, qui ab ipso desciverant, 157. Civitates Græcas libertate donat, ib. premitur à Fimbriâ à quo tamen fugit, 158. per Archelaum pacem inicit cum Syllâ, 160. in Pontum reversus sub potestatem suam redigit civitates quæ ab illo defecerant, 165. filium vincum aureis compedibus tandem necat, ib. parat exercitum adversus Bosphoranos, 166. impium convivium instituit, 168. Bosphorum subigit, 169. duas partes exercitus amittit, 171. jubetur à Syllâ cedere Cappadociâ, ib. restituta Ariobarzani Cappadociâ legationem Romam mittit, 173. sedus inicit cum Q. Sertorio, 176. parat rursus bellum adversus Romanos, 178, 179. coactus Cyzicam solvere obsidionem in Bithyniam transmittit, 188. Pontum petens naufragium patitur, 190. Heracleam Ponticam à Seleuco Piratâ subvehitur, ibid. metuens congressi cum Romanis in Hypium fluvium defertur, ib. classis ejus superatur à Triario, 193. alium colligit exercitum, ib. fugat Lucullum, ib. & 194. ejus milites superantur à Romanis, 195. fugam meditat, ib. fugienti præbetur equus ab Eunuchis, 196. mittit Bacchum, seu Bacchidem ad sorores, uxores, & concubinas interimendas, 197. ejus præfecti transeunt ad Lucullum,</p> |
|--|--|---|

Index nominum & rerum.

lum, 197. colloquitur cum genero suo Tigraue, 208. cum 10 mille equitibus remittitur in Pontum, ibi scediffimè fugit, 217. Armeniam invadit, ubi Romanos vagantes ad ortus interficit, 220. M. Fabium vincit, ib. vincitur à Triario, 221. quem cum suis Romanis vincit, occisus supra 7 millibus, 224. vulneratur, ib. animo collapsus: per legatos cum Pompeio agit de conditionibus pacis, 231. à Pompeio obsessus etiam fugit, 235. nocturno prælio vincitur, 236. castellum petit utriusque Armeniæ positum, 237. lethale virus amicis distribuit, ibid. rejicitur à Tigraue, ib. per gentes Scythicas iter facit, 243. legatos mittit ad Pompeium, qui tribuna pollicerentur, si concederetur ei regnum paternum, 252. irâ accensus Exipodrum filium suum interficit, 253. cogitat expeditionem in Italiam, nec tamen consentit exercitus, 254. parit Pharnaci filio suo prodicionem in re, 256. descendens ad uxores, pellices, & filias venenum omnibus dat, ibid. postquam neque veneno, neque vulnere sibi suâ manu illato perire potuisset, tandem ab hostibus cæsus occumbit, 257. ejus pretiosa supellex à Pompeio in Talaria capitur 266.

Mithridates quidam regio suo pulsus ad Gabinium venit, 287. occiditur à fratre suo Orode. 292

Mithridates Pergamenus magnas copias colligit, ad Cæsarem, Alexandriæ periclitantem allaturus, 345. Pelusium capit, 346. Dioscoridem interficit, 347. Judæis utitur benevolis, ibid. vincit Alexandrinos, ib. rex Bosphori constituitur à Cæsare, 357. Leucotheæ templum spoliatur 361

Mithridates quidam aperit Antonio consilia Parthorum, 447. phialas ab illo accipit 488

Mithridates Iberus movetur à Tibero ut Armeniam invadat, 621. fratrem Pharasmenem conatus suos dolo & vi juvare perpellit, 622. Domum remittitur à Claudio ad recipiendum regnum, 641. Armeniam occupat, 652. expulsius è regno Bosphorano à Didio Romano, regem Dandaridarum ipse exturbat, 654. victus, acribus privatur à Gotarze, 657. nullo in armis præsidio relicto Eunone mediatore utitur ad Cæsarem, 656. Romam perductus, ferocius quàm fortuna ferebat, discessisse dicitur apud Claudium ib.

Mithrobarzanes Tygranis dux occiditur, totusque ejus exercitus perit 109

Mitylenæsi multi capiuntur, 500 interficiuntur à Lucullo 166

Mitylenæsi diruuntur 170

Molo rhetor primus in Senatu sine interprete loquitur 189

Monima Milesia Mithridatis uxor strangulatur 197

Mopsuestia diruitur ab Antiocho & Philippo Seleucis 139

Morbo contrahunt Mithridatis milites herbas comedendo, 186. vid. 504.

Morbo afficitur quem ad Bethesdam decumbentem inveniens Christus sanavit 522

Murex cum Aenobarbo navali prælio victores evadunt 49

Murena, Murenæ prætoris Afiz filius, ad Amisi obsidionem continuandam relinquitur à Lucullo 193

Q. Mutius Scævola proconsul in Atarnissus, 137. benevolentiam æquitæ suâ populo Romano conciliat ib.

Mylæssenses à Rhodiis acie vincuntur 36

N

Naphthæ natura 209

Navium apparatus in bello Aristotele 470

Nepuno sacrificatur 96

Nero impetrat ut Ilienses omni publico munere solvantur, 663. imperator declaratur, 668. Cæleonium Patrum ob res malè gestas facetiis excipit, 682. Judæis favet intercedente uxore suâ Poppæâ, 682. Romam incensam prospectat è turri, 684. sævit in Christianos, ib. transfugit in Græciam ad hyemem ingruentem ibi manes, 689. Vespasianum mittit in Judæam, 692. manus sibi infert 694

Nicanor fugatur à Judâ Maccabæo, 43. idem familiariter cum eo vivit, 64. delatus ob eam benevolentiam apud regem Demetrium, Judæ insidiatur, ib. ab eo se Judas subtrahit, 65. Judæis minatur nisi tradunt Judam, se domum Dei incensurum, ib. occiditur, & in frustra dividitur 66

Nicomedes nimium amarus à Bithynis Romam mittitur à Prusîâ patre, 76. regnum patris affectat, 83. promptè excipitur ab Antalo, ibid. bellum patri infert ib.

Nicomedes Philopator mortur, 141. filius ejus Nicomedes rex Bithyniæ fit à Senatu, ib. pellitur à fratre Socrate, ib. reductus in Bithyniam, hortatu Romanorum in Mithridatis regnum irrumpit, 142. defunctus sine liberis populum Romanum hæredem reliquit 178

Nicomedes Bithynius Comanorum Sacerdotium obtinet in Cappado-

docia à Cæsare 353

Nicopolis à Pompeio conditur 337

Nicopolis appellatur urbs ab Octaviano condita 491

Nili fossæ detergentur 491

Nisibis capitur à Lucullo 219

Nudus copiis suis denudatur à Mithridate 183

Numenius à Regibus Ægypti Romanam gratias acturus pro beneficiis mittitur 28

Numenius Antiochi filius, legatus Judæorum Romam proficiscitur 100

Numidius Quadratus animadvertit in Judæos 662

Nysia soror Mithridatis capitur à Lucullo 197

O

Odas Nabæorum rex 503

Octavia prægnans nubit Antonio, 419. arbitra inter virum Antonium & Octavianum statuit, 433.

Octavius, qui & Octavianus & Augustus, nascitur, 165. occiso Cæsare hæreditatem ejus init, 389. immanis frequentia ipsi Romanam adventanti occurrit, ib. superbè excipitur à M. Antonio, 370. Ludos victoriæ Cæsaris edit, 371. exercitum parat, ib. illi cum Antonio non convenit, 372. decem millia virorum contrahit, 373. in Hetruriam proficiscitur, 375. argentum dividit duabus ad se vertentibus legionibus, 378. Decimo Bruto Mutinæ ab Antonio obleso succurrit, 379. imperium extraordinarium accipit, ibid. gratiorem sibi exercitum, quàm Senatum experit, 387. societatem inquit cum Lepido, & Antonio, 393. augurium capranti vultures apparent, 394. Consul eligitur, ib. potestatem agendi omnia quæ vellet, accipit à Senatu, 395. quam retinet ad finem vitæ, per annos nimirum 16. ib. C. Julii Cæsaris Octaviani nomen usurpat, 395. aquila ejus tentorio superfedens duos corvos ad terram affligit, 396. Brutum vincit, 410. divorcium facit cum Claudiâ, Fulviæ filiâ, 415. postremum scæsus inquit cum Antonio, 419. Ovans Romam ingreditur, 448. Antonium accusat apud plebem, & consules fugientes ad Antonium à se missos dicit, 462. post consulum discessum egit, & dixit quæ volebat, ib. testamentum Antonii à virginibus Vestalibus accipit, & evolvit, 463. apparatus facit ad bellum contra Antonium maximos, 465. in Epirum proficiscitur, 468. in bello Actiaco victor evadit, 472, 473. mercedes, & pœnas civitatibus, hominibusque

Index nominum & rerum.

distribuit pro meritis singulorum, 474. Athenas navigat, 475. exercitus veteranos dimittit, 476. multa Romæ in honorem ejus decernuntur, 477. cum tempestate bis conficitur, 478. magnâ celeritate venit in Asiam, 479. legationi Antonianæ non respondet, ib. impunitatem Cleopatra promittit, & Antonium velit occidere, ibi Syriam perit, 481. Pelutium, prodente Cleopatra, capit, 482. Alexandriam ingressus orationem Græcæ habet, quâ significat, se Ægyptiis universis ignoscere, 486. Antonii, & Cleopatræ communes liberos liberaliter habet, 487. Alexandri magni conditorium & corpus veneratur, ibid. Apim non accedit, Deos se non boves adorare confusisse perhibens, ib. venit ad consolandam Cleopatram, nec tamen ejus lenocinis inflammat, 488. morte Cleopatræ affligitur, omni se triumphi sui gloriâ spoliatum esse ratus, 489. suspectos habens Ægyptios Senatori provinciam non commendat, 491. Ægypto præfici C. Cornelium Gallum, ib. venit in Syriam, ib. in Asiam provinciam profectus, hyberna ibi agit, 493. honores ei decernuntur, ibid. ostendit se imperium ex victoriâ adeptum, 494. imperium abdicatorum, compellit ut eadem multis argumentis ut solus obtineat, 497. provincias retinens quæ plus periculi habebant, tutiores Senatui permittit, ib. hac ratione milites armat, & ad se transfert, ib. Augustus dicitur, ibid. & 498. omni legum necessitate sententiâ Senatûs absoluitur, 503. M. Agrippam & M. Marcellum dissentientes, locis disjungit, 507. in Siciliam proficiscitur, 508. inde in Græciam transmittens Atheniensibus Æginam & Eretriam adimit, ibid. in Asiam profectus Cizicenis libertatem admittit, 509. idem facit cum Tyriis & Sidoniis, ib. Romam reversus Marti templum extruit ob signa à Parthis recuperata, 513. post primum imperii decennium principatum in aliud quinquennium prorogat, 514. Cizicenis libertatem restituit, 516. Pontificatum maximum suscipit, 519. aliis libris fastidicis concrematis, solos retinet Sibyllinos, ib. Tiberrium in Agrippæ locum assumit, ib. annum à Jul. Cæsare ordinatum, sed postea negligentia conturbatum, emendat, 522. Sextilem mensentem, Augustum vocat, ib. quasi Invictus prorogat imperium, 523. Æneæ live Aræte, & Herodi re-

conciliatur, 526. navale prælium exhibet, 542. Cæsi mortem gravissimè fert, 548. Dominus appellari non sustinet, 549. in quartum decennium quasi coactus imperium suscipit, ib. (in quinnum pag. 554.) Calendarium integritati lux restituit, 549. ejus mors prædicitur, 554. Nolæ obit ib. Olthacus Dardæolorum Dynastes præmittit Mithridati se Lucullum interfecturum, 193. humanissimè ab eo exceptus subducit se ex castris Luculli 194
Omina victoriam Augusti præsignantia . 471
Onesimus convertitur à S. Paulo 685
Onesiphorus S. Paulum invenit, & recreat 681
Onias se insinuat in amicitiam Prolemæi Philometoris, & Cleopatræ, 56. licentiam ab eis obtinet extruendi templum in Heliopoliteâ præfecturâ, ib. vid. pag. 81. bellum suscipit in causâ Cleopatræ, 89
Onias quidam vir justus propter ejus piæ preces occiditur à populo Judæorum 241
Orobazus legatus regis Parthorum auditur à Syllâ 141
Orobis exercitus Romani dux Athenienses noctu trucidat 149
Orodes Parthorum rex, 286. fratrem Mithridatem in conspectu suo occidi jubet, 292. ad Crassum legatos mittit, 298. sollicitatur à Pompeianis, ut ipsis adsit in bello civili, 320. L. Hirtium, jure violato in vincula conjicit, 323. audita suorum clade in furorem vertitur, 429. occiditur à Phraate filio 438
Orodes unus ex filiis Artabani rex Armeniis imponitur 556
Orces vincitur à Pompeio 245
Orophernes, aliâs Holophernes sollicitat Demetrium Soteren contra Ariarathem, 70. pulso Ariarathe fratre regnum tyrannicè administrat, 71. Ionicam & artificiosam intemperantiam introducit, ibid. Jovis templum spoliat ad persolvenda militibus stipendia 73
Orosius errat 319
Otho suscepti à Vitellio imperii nescius imperator à militibus creatur, 694. die imperii 90 interficitur, ibid.
Ovidius annum suum natalitium sic describit. Cum occidit fato consul uterque pari, 386. relegatur in Pontum, 552. diem obit in exilio 556

P

Pacorus, Orodis filius, bellum in provinciam Syriam infert 309
Pacorus Syriam subigit universam,

418. occiditur in bello 439
Pallas Claudii libertus 660
Palmyrani ab Antonianis equitibus spoliandi sua in ulteriorem ripam transferunt 416
Pamphylis legati coronam auream Romam afferunt 18
Pamphylæ opida præfecturæ suæ restituantur 501
Pannonicæ legiones tumultuantes Tiberio se submitunt defectione lazæ terræ 555
Pansa Consul ex vulnere in prælio cum M. Antonio accepto, moritur 386
Pantomimorum saltatio Romam introduitur 507
Pappus occiditur 432
Particum imperium quomodo ad suam magnitudinem pervenit 98
Parthi in Romanos insurgunt, 416. in fugâ vertuntur à Romanis, 446. vincuntur à rege Medæ 461
(Parthi) vincunt Romanos, Crassumque occidunt, 298, 299, 300, 301, 302, 303. ad Cæciliæ Bassi auxilium veniunt 364
Parthorum legati pacem petunt à Romanis 141
Pascha primum à Jesu Christo celebratum, 569. secundum, 572. tertium, 577. quartum, in quo Pascha nostrum immolatus est 593
Paulus, Apostolus sui primo triennio apud Damascenos exacto, redit Hierosolymam, 629. Iconi cum Barnabâ verbum prædicat, 650. raptus in tertium cælum, ib. per visionem vocatur in Macedoniam, 664. necessaria vitæ subsidia recipit à Thessalonicensibus, 665. dispartat Athenis cum Philosophis, 666. venit Corinthum, 667. Ephesum, 670. triennium conficit in Asiâ, 671. priorem ad Corinthios scribit epistolam, 673. posteriorem ad eosdem, 674. Troade navigat in Macedoniam, 673. inde proficiscitur in Græciam, 674. scribit epistolam ad Romanos, ib. Troadem revertitur, ib. venit Coum, 675. per multas urbes festinat ad Hierosolymitanam, ib. concionatur apud tumultuantem Hierosolymis populum, ib. Cæsarem appellat, 678. naufragium patitur, 680. Romam venit, ib. scribit epistolam ad Philippenses, 686. ad Hebræos 687. in Asiam, expleto Romæ biennio, navigare videtur, ib. prædicat Evangelium in Cretà insulâ, ibid. primam epistolam scribit ad Timotheum, 688. scribit & ad Titum, ib. Ephesum revertitur ad Timotheum, ib. 2^o Romam veniens, à Nerone absolvitur, 689. 2^{am} ad Timotheum epistolam scribit, 691. Romæ

Index nominum & rerum.

| | | | | | | |
|--|-----|---|-------|--|--|-----|
| Romæ gladio percutitur | 692 | Phasaclus dux Hierosolymis constituitur à patre Antipatro, 352. nascitur ipsi filius Phasaclus, 353. Hierosolymitanorum gratiam conciliat, 358. cum Hyrcano expostulat, 399. vitam sibi abruptit | 422 | thorum rex factus moritur | 621 | |
| Pax inter Judæos & Eupatorem inita, statim rumpitur | 52 | Pieroras tetrarchiam à Cæsare rogatione fratris Herodis obtinet, 510. in amorem ancillæ suæ insanum incidit, 521. ablegatur ab Herode in ipsius tetrarchiam, 529. moritur | ibid. | Phrygia à Romanis recepta | 114 | |
| Periodus Calippica 2 ^a , 658. 3 ^a , 499. | | Philadelphienfes unde annos dinumerant | 265 | Phrygia major Mithridati Euergetæ conceditur | 116 | |
| Perseus Eumeni insidiatur, 5. post colloquium cum Romanis habitum causam suam uisus epistolæ formâ complectitur, 7. vincit Romanos, nec tamen victor pacem potuit à Licinio Consule Imperare, 9. cum Rhodiis agit de redemptione captiuorum, ib. à Licinio fugatus Peliam venit, 10. ipse & Gentius Illyriorum rex legatos Romam mittendos decernunt, 20. Antiochum monet ne ipsi delict vel conciliandâ pace vel opem ferendo, ib. eodem modo Eumenem quoque sollicitat, 21. vincitur, 24. Amphipolim in Thraciâ cum 500 ferè Cretenfisibus peruenit, 25. ad templum Castoris & Pollucis in Samoethraciâ supplex confugit, ib. Evandrum amicum interfici curat, 27. decipitur ab Oroande Cretenfis, ib. ad angulum templi se recipit, ib. sese filiumque tradit Octauiò | ib. | Philippus Nicanorem mittit ut uerisum Judæorum nomen penitus tollat, 42. expeditionem parat contra Lyfiam, 55. ab Eupatore interimitur | 58 | Pinarius Scarpus deficit ab Antonio | 476 | |
| Perusia ab Octauiano capitur | 418 | Philippus Euergetes cohibitus à Gabinioregnum Ægypti non capessit | 281 | Piratæ vagantur per Asiam, 164 multi etiam insulas, provinciâsque vastant | 217. sacrilegi perpetrant, 218. Romanis illudunt, ib. brevi temporis spatio à Pompeio profligantur | 227 |
| Pestilentia magna Judæos affligit | 496 | Philippus Herodis filius partem dittonis paternæ accipit ab Augusto | 541 | Pilo consul creatur, 270. vid. Cneius. Planetarum magna conjuratio | 525 | |
| Petronius in Ægypti præfecturâ Cornelio Gallo succedit, 500. vincit Æthiopas, 506. Premnium urbem Æthiopiâ caput, 506. Candacem ad conditiones pacis cogit, 509. Syriæ præfes fit à Caio, 635. Caio statuum parat, 636. laudatur à Caio quod proposuerat frangere gentis Judaicæ contumaciam, 636. miserabili Judæorum supplicatione commouus statuum Caii dedicare differt | 638 | Philippus tetrarcha diem obit | 618 | Piancina uxor Pisonis contumelias jactat in Agrippinam & Germanicum | 558 | |
| Petrus Apost. sanat Æneam, 631. & Tabitham, ib. ipse & Paulus de exitu ex hac vitâ à Domino admoneatur | 691 | Philippus Euangelista baptizat Eunuchum | 619 | Piancus, amoto C. Sosio, Syriæ præficitur ab Antonio | 438 | |
| Petrus secundam scribit epistolam, 691. Romæ occiditur | 692 | Philitæorum aræ à Judâ Maccabzo evertuntur | 54 | Polemo rex Ponti inter socios ac cederatos populi Romani adteribitur, 500. illi restitunt Bosphorani, 517. paternum Ponti regnum accipit à Caligulâ | 630 | |
| Pharasmenes Orodem vincit | 622 | Philo Judæus, legationis Judæorum princeps, 636. ejctus à Caio suos consolatur ipse diuinæ consolationis | 640 | Polemoni datur Armenia minor ab Antonio | 460 | |
| Pharizæorum cum Sadducæis dissensio | 127 | Philometor ignaviâ suâ regnum amittit, 16. regno spoliatus, Romam proficiscitur, 57. comiter excipitur à Senatu | ib. | Pollio Pharisæus urbem Hierosolymitanam tradendam suadet | 435 | |
| Pharizæi conjurationis convicti trucidantur ab Herode | 528 | Philopomen gubernat Antalum regem | 103 | Polystratus à Ptolemæo ad Rhodios remittitur, 28. idem Phaselidem apulsus ad communem urbem Larem confugit, ib. postea Caunum petit, 29. tandem Romam perducitur | 33 | |
| Pharnabazus vincitur à P. Canidio Crasso | 439 | Phoenix transfugit ad Lucullum | 193 | Polybius (historicus), Demetrium hortatur ad fugam, | 60 | |
| Pharnaces nascitur Mithridati Eupatori, 136. patris sui cadaver mittit ad Pompeium, 265. sociis populi Romani ascribitur | 266 | Phoenix avis in Ægyptum venit | 618 | Polybius patriæ vastatione afficitur | 87 | |
| Pharnaces orto inter Romanos civili bello, ab eis deficit, 323. Pontum occupat, 350. Armeniæ minori imminet, 350. legatos ad Cæsarem mittit, 353, 354. jubetur à Cæsare ut Ponto decedat, ib. vincitur à Cæsare, 356. Sinopen refugit, ib. Dominio Calvino Sinopen tradit, 357. ab Afandro interficitur | 358 | Phraates Demetrium Nicatorem in Syriam mittit, 114. ab exercitu Græcorum à se deficiente occiditur | 118 | Pompeii sive Pomponii capriui Romani magnanimitas | 193 | |
| | | Phraates secundus rex Parthorum, 229. legatos ad Pompeium mittit, 246. indignè fert quod rex regnum à Pompeio in literis non appellatur | ib. | Pompeius, vid. Cneius. | 321 | |
| | | Phraates tertius rex Parthorum ab Orode patre constituitur, 438. fratres ex Antiochi filiâ natos, & Orodem ipsum occidit, ib. adulterum filium interfici jubet, ib. in exilium à populo suo pellitur, 467. cum Tiridate concedens petit (ut & adversarius) auxilium à Cæsare, 481, 506, 507. legatos mittit ad Cæsarem, 492. signa Romana Augusto remittit, 511. Armeniæ manum adjicit, 542. audito bellico Caii apparatu ad Augustum mittit, 544. in gratiam cum Augusto redit | 545 | Ponius Pilatus Valerio Grato in præfecturâ Judææ succedit, 565. innocensissimum Jesum voluntari Judæorum permittit, 603. Romam proficisci jubetur à Vitellio Syriæ Præside, responsurus ad objecta Judæorum, 626. propria se manu interficit | 635 | |
| | | Phraates regis Phraatis III. filius Par- | | Popillius Rhodios objurgat, 25. Antiochum virgâ circumfcribit | 27 | |
| | | | | Poppæa, Neronem maritum suum convitiis incessens, ictu calcis ejus occiditur | 638 | |
| | | | | Porcius Festus Felici in provinciâ succedit, 678. lacronum plurimos interficit, 679. impostorem magnum cum sequacibus per milites opprimit | 682 | |
| | | | | Portenta ante debellatum Antonium | 484 | |
| | | | | Posidonius Philosophus, 175. studiose visitur à Pompeio | 269 | |
| | | | | Posidonii Apameensis sphaera | 306 | |
| | | | | Pothinus Eunuchus novi & difficilis in Ægypto belli auctor existit, 339. interficitur à Cæsare | 342 | |
| | | | | Prienienses ab Ariarathe vexantur | 73 | |
| | | | | Procru- | | |

Index nominum & rerum.

Proculeius à Cæsare mittitur ut vivam, si fieri possit, in potestatem redigat Cleopatram, 485. gladium quo erat seipsum transfurura, decubuit *ibid.*
 Prodigia quæ Michridati apparuerunt 150
 Prodigia sub initium belli Judaici 687
 Proprætores in octo Provinciis mittuntur 312
 Prusias rex legatos ad Romanos mittit de pacè cum Perseo faciendâ, 18. cum filio Nicomede Romanum venit, 37. mittit Pythonem legatum Romanum, qui Eumenem accusaret 41
 Prusias Venatoris Bithyniæ regis cum Attalo inimicitiarum, 73. victo Attalo Pergamum ingreditur, *ibid.* templa vastat, 74. Æsculapii simulachrum, cui pridie libaverat, suis humeris impositum abripit, *ibid.* Attalum cum Romanorum legatis intra Pergamum compulsus oppugnat, 75. ejus cum Attalo bellum auctoritate Romanorum terminatur, 76. Nicomedem filium Romanum mittit, *ibid.* jubet Menam legatum, ni impetraret, quæ vellet à Romanis, Nicomedem filium interficere, 82. metuens sibi à filio in arcem Nicææ se includit, 83. frustra legatos Romanos mittit, *ibid.* occiditur Nicomedes; an à filio, an ab aliis hortatu filii, non convenit 84
 Ptolemaidis obsidie metu Ptolemæi solvitur 131
 Ptolemæus Philometor pacem cum Cleopatrá sorore, & Euergete fratre confirmat, 20. inter se fratres dissentiunt, 57. reconciliantur à Romanis, 58. rursus litigant 59
 Ptolemæus Macron hausto veneno vitam sibi finit 48
 Ptolemæus junior suavis legatorum Romanorum militem conductivum dimittit, 63. ad Cyrenam à se deficientem festinat, 64. vincitur, 65. Romanorum favore sublevatus de occupandâ Cypro cogitat, 68. à fratre Philometore in bello superatur, 72. humanissimas condiciones à fratre victus invenit, 73. apud Romanos fratrem accusat 75
 Prol. Philometor Alexandro Balæ insidiatur, 88. benignè excipit Jonathanem, *ibid.* filiam aufert ab Alexandro, & dat in matrimonium Demetrio Soteri, *ibid.* duo diademata assumit, *ibid.* vulneratus moritur inter manus medicorum 89
 Ptolemæus Euergetes II. (qui & Physcon) conatibus Cleopatrá resistit, 89. Cleopatram sibi nubere cogit, 90. cujus filium eodem nuptiarum die inter amplexus matris interficit, *ibid.* ejus tyrannis, *ibid.* Cyrenzos

quosdam interfici jubet, quod ob Irenem pellicem eum objurgasset, 92. Cleopatram repudiat, 104. filiam ejus prius stupratam in matrimonium adsciscit, *ibid.* clam in Cyprum profugit, 116. filium maximum interficit, 117. filium quoque Memphitum, quem ex Cleopatrá susceperat, occidi jubet, matrique inter epulas offerri, 118. novum regem Syris, id petentibus, loco Demetrii commendat, 120. moritur 124
 Ptolemæus Abubi filius per fraudem Simonem vucidar 106
 Ptolemæus Lathurus post occisa minimam 30 millia Judæorum scivit in mulieres & pueros, 132. ejicitur ex Ægypto, *ibid.* e Cypro revocatus Ægyptum recipit, 146. bellum Thebæsis infert, 165. eos graviter multat, 170. moritur *ibid.*
 Ptolemæus Cyrenarum rex mortuus hæredem populum Romanum relinquit 136
 Ptolemæus rex Cyprî hausto veneno vitam sibi finit 278
 Ptolemæus Auletes Rhodi convenit Catonem, 279. Romanum venit, *ibid.* legatos Alexandrinos partim occidit, partim pecuniâ corrumpit, quod minus causam Romæ contra se agant, 281. Ephesum proficiscitur, 284. in regnum restituitur à Gabino, 291. filiam suam Berenicen occidit, *ibid.* moritur 307
 Ptolemæus puer Cleopatram sororem suam simul & conjugem regno expellit, 323. fugatus à Cæsaribus, demerito navigio perit 349
 Ptolemæus junior à sorore & conjugem Cleopatrá veneno tollit 378
 Ptolemæus præpositus Herodis nectatur 428
 Publius Scipio non nisi rogatus Alexandriæ civibus se spectandum præbet, 105. ejus comitumque continentia, *ibid.* cum sociis legatis Romanam revertitur 107
 Publ. Rupilius bellum servile in Sicilia conficit 111
 Publ. Rutilius Rufus falsò accusatur, 138. elegantem defensionem repudiat, *ibid.* injustè damnatur, nullòque cogente in exilium abijt, *ibid.* sceleris sic exilio suo, 139. soccos & pallium assumendo lantenam per Satrapas Asiæ factum vitat 147
 Publ. Rutilius M. Coræ legatus cum plurimâ exercitus ipsius parte occiditur 182
 Publ. Servilius Proconsul Ciliciam subigit, 174. Isauros domat, 176. triumphat 181
 Publ. Clodius accusatus, pecuniâ absolvitur, 270. legationem ipsi desi-

gnatam contemnit, 276. legem fert de regno Cyprî à Ptolemæo regis Alexandrini fratre, auferendo, 277. Tigranem dimittit liberum, *ibid.* Cætonis administratorem calumpniis impetit 286
 Publ. Cornelius Spinther proconsul Ciliciæ imperator salutatur, 297. Romæ triumphat 314
 Publ. Cornelius Dolabella majestatis & ambitus accusatus, utriusque criminis absolvitur, 315. Cæsarem occisum conviciis proscindit, 367. Consul Syriam provinciam obtinet, & curam belli Partici 368
 Publ. Lentulus agrè recipitur à Rhodiis 359
 Publ. Ventidius Bassus Consul sit, 398. fugat Labienum, 422. Partianum recipit, 424. per Chanzum Pacorum decipit, 427. Partios vincit, 429. circumlato per Syriam Pacori capite, eam facillè pacat, *ibid.* Antiochum Commagenum ad pacem petendam compellit, 430. triumphat 432
 Publ. Canidius supplicio afficitur ab Octaviano 487
 Publ. Silva Basso in administratione Judææ succedens Massadam capit 700
 Pylades Mimus, Romæ ejectus, ab Augusto reducitur 514

Q

Quintilius, mensis, Julius appellatur in honorem Jul. Cæsaris 365
 Quinquennium alterum sibi prorogant in potestate suâ, Antonius & Octavius 433
 Quintilius Varus Sephorim capit, 539. rebus in Judæâ compositis revertitur Antiochiam 540
 Quintus Cæcilius Bassus ad deditionem Apameæ agrè compellitur 382
 Q. Dellius historicus relicto Antonio transit ad Cæsarem 469
 Q. Marcius rex, proconsul in Asiam mittitur 225
 Q. Pedius tertium triumphum ex Hispaniâ ducit, 364. legem Pediam fert, quæ omnibus Cæsaris percussoribus damnatis, aqua & igni interdicitur 395
 Q. Oppius Pamphylia Proconsul venit in manus Michridatis 145
 Q. Ovinus occiditur ab Octaviano 488
 Q. Posthumius Senator Antonii jussu occiditur 468
 Q. Servus Commagenis præponitur 518
 Q. Tullius Cicero prætor Asiam sortitur, 270. sumptu remigum & classis parandæ civitates Asiæ libe-

Index nominum & rerum.

| | | |
|--|---|---|
| <p>rac, 271. tertius annus additur eius praeura, 275. ex provinciâ de- cedit 276</p> <p>Quirinius Lepidam ducit uxorem, 545 fit Syriæ præses 551</p> <p style="text-align: center;">R</p> <p>R Abirius Posthumus Alexandriæ agit, ut à Ptolemæo nummos ipsi conceditos recuperet, 291. ma- jestatis crimen subiens defenditur à Cicerone 298</p> <p>Rhadamistus primores Armeniorum ad res novas illicit, 658. Mithrida- tem ejusque conjugem necat, ibid. suam ipsius uxorem, Zenobiam, ne ab hostibus caperetur, vulneratam flumini tradit 659</p> <p>Rhais corpus animûmque exponit pro Judæismo, 31. pater Judæorum ap- pellatur, 65. profert intestina, eâ- que projiciens in turbas, vitâ de- fugitur ibid.</p> <p>Rhæcuporis Thraciæ rex, interficitur 560</p> <p>Rhodiî rogantur à Perseo ut in bello cum Romanis, quid geratur velut è speculâ prospiciant, 7. eorum le- gati comiter à Q. Marcio Consule & Caio classis præfecto accipiuntur, 14. similiter etiam à Senatu, 15. arrogans ad Romanos eorum legatio, 18. vid. p. 21. benignum respon- sum Perseo, & Gentio dandum de- cernunt, 23. orant Popillium ut ad se divertat, 25. decretum faciunt ut qui Perseo verbis aut factis favissent, capitis condemnarentur, 26. eorum legatio ad Romanos con- temnitur, 26, 34. incertum eis re- sponsum datum est, 35. societas eis negatur, 37. jus suum antiquum in Lyciam, & Cariam à Romanis petunt, 59. Italos qui evaserunt in Asiâ stragem à Mithridate factam recipiunt, 148. socius renouant cum Romanis, 305. cum ab eis auxilia peteret Cassius contra Dolabellam, negant se operam laturos ad bella ci- vilia, 391. Cassianâ classe vincuntur ad Myndum, 405. libertate pri- vantur à Claudio, eò quod Roma- nos in crucem sustulissent, 647. iterum eâ donantur 664</p> <p>Rhymetalces Corys dittonem recipit à Caligulâ 630</p> <p>Romani legatos ad reges socios mit- tunt, 6. eorum contra Perseum bellû paratum omnium oculos ad se con- vertit, ib. legatos mittunt ad Pru- siam, 75. qui ejus pertinacia irritati, societati ipsius renuntiarunt, 76. honorificè excipiunt legatos à Si- mone missos, 95. de simulato im- pio testam nro accusatur, 110. eorum 80 millia uno die occisa jussu Mithridatis per Satrapas Asæ, 148. agrè ferunt Antonium, Artaba-</p> | <p>zem, Alexandriæ in triumpho du- xisse 459</p> <p>Roxane soror Mithridatis veneno per- rit 197</p> <p>Rufino, exoleto suo, Cæsar trium le- gionem curam mandat 366</p> <p style="text-align: center;">S</p> <p>S Abbas morti addicitur 82</p> <p>S Sabbati religione pugnare prohi- biti, Judæi in speluncâ concreman- tur 32</p> <p>Sabbati observatio Judæos ab defen- sione templi abstrahit 264</p> <p>Sabinus Cæsaris procurator violentas pecuniarum regie scrutationes in Ju- dæâ facit 537</p> <p>Sacerdotes mundant Sanctuarium, 45. in ipso libandi ministerio ma- ctantur 260</p> <p>Sacra Hierosolymis peraguntur, etiam cum Pompeius templum oppugna- ret 260</p> <p>Sacrilegium Antiochi punitur, 48. vid. 190. Cassius ejus reus, 406. & Sex- tus Pompeius 441</p> <p>Saddocus rerum turbator apud Judæ- os 551</p> <p>Salome, Josephi uxor, maritum crimi- natur apud Herodem, 457. libel- lum repudiî contra Judæorum mo- rem Costobaro viro suo mittit 498</p> <p>Samaria, ab Hyrcano, solo æquatur 127</p> <p>Samaritani, Judæos se negantes, ori- gine Sardonios fuisse profiteantur, præ metu persecutionis, 28. rogant ut templum Garizitanum Διδε ΕΑΛΛΗΝΙΣ nomine appellerent ib.</p> <p>Samaritani seducti per impostorem mulsantur à Pilato 626</p> <p>Sardiani asperimâ lue infestantur 557</p> <p>Sarpedon à Tryphonis exercitu supe- ratur 96</p> <p>Saturninus seditionem concitans in- terimitur 135</p> <p>Satyrus Rhodiorum apud Romanos legationis princeps in Eumenem invehitur 5</p> <p>Scuro regenda relinquitur à Pompeio Judæa, 264. Arabiam ingreditur, conditioneque facit cum Arctâ rege 269, 270</p> <p>Scipio Pompeii socer mittitur in Syri- am 318</p> <p>Scipionis carmina cum Carthago di- rura esset 87</p> <p>Scribonius Dynamis Asandri vidu- am, uxorem ducens, Bosphorum occupat, 516. necatur à Bosphora- niis ib.</p> <p>Scribonia mater Julii, Cæsaris Augu- sti uxor, ab eo repudiatur 543</p> <p>Scytharum legati ad Cæsarem veni- unt 501</p> <p>Scythopolitæ Judæis benevoli 53</p> | <p>Sejanus, vid. Ælius.</p> <p>Selene nuptura hosti prioris mariti à Cleopatrá Grypo mittitur 135</p> <p>Selene regina, aliâs Cleopatra, Syros, ut Tigranem excludant, sollicitat 200</p> <p>Seleucia libertate donatur 251</p> <p>Seleucus insidiis Heliodori occiditur 1</p> <p>Seleucus Demetrii Nicatoris filius re- gnat in Syriâ, 122. à Cleopatrá matre suâ, sagittâ interimitur, 123</p> <p>Seleucus Antiochi Grypi filius, Anti- ocho Cyziceno bellum inferit, 137. vincit Cyzicenum, ib. victus ab An- tiocho Pio pelitur è Syriâ, 139. in- terficitur ib.</p> <p>Seleucus archipirata Italos navali præ- lio vincit 203</p> <p>Seleucus quidam, Berenices Ægyptio- rum reginæ maritus, ob sordes ejus & illiberalitatem, ab eâ strangulatur 268</p> <p>Sergius Paulus ad fidem convertitur 649</p> <p>Seron & exercitus ejus à Judâ Mac- cabæo conteruntur 42</p> <p>Servilius Rullus legem Agrariam pro- mulgat 255</p> <p>Sextius, post Ciceronem, provinciam Syriam obtinet 318</p> <p>Sextilius vincit Mithrobarzanem, 208. multos Arabas opprimit 209</p> <p>Sextilius Rufus cum jure prætorio mittitur in Cyprum 318</p> <p>Sextus Cæsar Syriæ præficitur à Ju- lio 352</p> <p>Sextus Pompeius à Cæsare Octavia- no, & Antonio vincitur, 440. fan- num Junonis spoliatur, 441. liben- tissimè recipitur à Lesbii, 444. ha- bitum resumit imperatorum, 450. Legati ejus ad Parthos à ducibus Antonianis comprehenduntur, 451 Lampfacum per proditorum oc- cupat, 452. Furnum vincit, ibid. magnum pecuniam colligit, 453. naves incendit, ib. ejus aliquot ami- ci transiunt ad Antonium, 454. perit Armeniam, ibid. Amyntæ se dedit, ib. interficitur à Titio non observante litterarum Antoniarum ordinem ib.</p> <p>Sibyllæ carmina Romam deportantur 177</p> <p>Sibyllini libri oraculum de Ægypti rege 283</p> <p>Sibyllini libri à Pontificibus descri- bendi 514</p> <p>Sibyllæ liber notioni Quindecimvi- râ subjicitur 581</p> <p>Sicarii Hierosolymis audaces eva- dunt 683</p> <p>Sicarii Alexandriæ Judæos ad defecti- onem sollicitantes à plebe Romanis traduntur 700</p> <p>Sidus utrumque (Sol, & Luna) pro B b b b h</p> |
|--|---|---|

Index nominum & rerum.

| | | |
|--|---|---|
| <p>12 diebus non apparent 700 C. Silanus repetundarum postulat 564 Silas magister militiæ Agrippæ regis, sic ei infensus 644 Simeon iustus 436 Simon profectus in Galilæam cum gentibus prælia foeliciter committit, 50. Joppen occupat, 93. dux eligitur loco Jonathanis fratris, 94. monumentum erigit super sepulchrum patris & fratrum, 95. instaurat munitiones Judææ, 96. coronam auream mittit ad Demetrium Nicatorum, ibid. Gazos compellit ad deditiorem, 97. arcem capit Hierosolymitanam, quam mundat, ibid. filium suum Johannem, Hyrcanum postea cognominatum, duceem constituit, 98. fit imperator Judæorum, 100. mittit Romam legatos, ibid. cum duobus filiis trucidatur 106. Simon Herodis servus diadema sumit, 538. occiditur à Grato ibid. Simon, Camithi filius, Pontificatum accipit a Valerio Grato 655 Simon Gioræ filius Iatrocinla Hierosolymis exercet, 691. totam Idumæam subjicit, Judæamque vastat, 695. captus triumpho reservatur, 699. interficitur ibid. Sinope, inflammata à Cleochare & Seleuco, servatur à Lucullo eam occupante 203 Soranus Arabum Iturzorum regnum obtinet à Caligula 630 Sohemus ab Herode custos Mariamnes uxoris ejus constituitur, 480. Dominium partis cujusdam Judææ rogatione Mariamnes obtinet, 491. interficitur ab Herode 495 Solovettius Gallorum dux parum movetur legatione Romanorum 35 C. Sosius Syriæ & Ciliciæ præfecturam accipit ab Antonio, 431. jubetur Herodem adjuvare, ib. & 434. triumphat. vide Caius. Statira soror Mithridatis, fratris jussu moritur 197 S. Stephanus protomartyr 617 Stratonice castellum Symphorium Pompeio tradit 249 Suidæ error in censu civium Romanorum 522 Sulpitius Gallus lunam defecturam pronunciat, 24. omnes invitatur ad accusandum Eumenem 45 Surenas Parthus Orodem regem reducit ab exilio, 286. Crassum dolo captum interimit, 304. ab Orode gloriam ejus invidente interficitur 309 Syllæ præ se ferens iter monstrare Ælio Gallo, in sidiose agit, 503. jurat se pecuniam & Herodis perfugas redditurum, 523. conventis non</p> | <p>stat, ib. accendit Cæsarem contra Herodem, 524. Æneam Arabum regem accusat, ib. damnatus à Cæsare remittitur in provinciam, ut postquam satisfecisset creditoribus, pœnas daret, 526. accusatur ab Antipatro 529 Syriæ regnum administrare per legatos decernunt Romani 51 <p style="text-align: center;">T</p> Taciti impia de Judæis opinio 47 Talymenus Ilaces vincitur à M. Crasso 294 Taphenitæ duo Herodi indicant fratrem ejus Pheroram veneno fuisse sublatum 529 Tarcondimorus principatum patris obtinet in Ciliciâ ab Augusto 511 Tarichæa excinditur 693 Tarquitius Priscus repetundarum damnatur 677 Tarsenses quomodo affecti erga Tullium Cimbrum vid. pag. 391. qui ex eis Cassio resisterant, laudantur 400 Taxiles, dux Mithridatis, vincitur à Sylla 153 Templum Hierosolymitanum capitur à Pompeio, 261. exeruitur ab Herode, 516. duplex ejus descriptio, ib. comburitur 2^o Vespasiani anno, eodem mense, eodemque mensis die, quo prius à Nebuchadnesare fuit incensum 698 Templum Judæorum in Ægypto ab Onia conditum diruitur à Paulino 700 Terræ motus in Antiochia, 112. vide alios terræ motus pag. 253, 466, 498, 515, 516, 526, 557, 564. Thaumastus magnam mercedem potius Agrippæ dari recipit 628 Theæterus Rhodiorum legatus coronam auream Romam deferre 35 Thebæ Ægypti diruuntur 496 Thebæ graviter mulcantur à Ptolemæo Lathuro 170 Theodorus Zenonis filius Judæorum 10 millia interficit 134 Theodorus rhetor supplicio afficitur à Bruto 406 Theodorus Prædagogus in crucem agitur 486 Theodosius, patronus Samaritarum in lite de templo, morti addicitur 82 Theodotus suadet Ægyptiis, ut Pompeium interficiant 331 Theophanis Mitylenæ commentum de P. Rutilio Rufo 147 Theophanes Pompeio gratus, upote rerum ejus scriptor 268 Theophanes Lesbicus suadet Pompeio, ut victus jam à Cæsare Ægyptum petat 328 Theophilus Pontificatum accipit à Jonathane in se translatum 628 Therapsia insula in Ægæo mari en-</p> | <p>scitur 652 Thermusa, Phraatis uxor, marito persuadet, ut filios legitimos Romanis mittat 511 Thessalia vastatur ab Andrisco 84 Thessalonicensibus euangelium annunciat 665 Theudas præfugiator occiditur 649 Theos sibi metuens Cnidum confugit, 26. Rhodum remittitur ib. Thrasyllus Mathematicus 547 Thrasymedes, unus Heracleensium, Cortam accusat 314 Thyreus sive Thyrsus ad Cleopatram mittitur ab Octaviano, 481. supra modum ab eâ honoratum, corripit Antonius & flagellis cædit 482 Tiberius Vespasiano deditur 692 Tiberius Sempsonianus Gracchus in Capitolio occiditur 110 Claud. Tiberius mittitur ab Augusto in Orientem, 510. in vicus Agrippinam repedit, 519. desponsatam sibi prius ducit Juliam uxorem, 520. mittitur ad Germanos bello domandos, 523. Tribunitiam potestatem la quinquennium accipit, 524. & 549. Rhodum se conferre, ibid. & 525. orientem ejus imperio honorarius agnoscitur, ib. Theodoram Gadareum audit, ib. in Rhodo manens dissimulat gaudium ob relegatam à Cæsare Juliam filiam, (eam autem uxorem, 543. non permittitur necessitudines suas revivere, 544. vivendi Cæii privigni sui gratiâ Chium trajicit, ib. suspectus est ab Augusto, 545. specie secessus exulem agit, 546. revocatur, 547. adoptatur, 549. in Germaniam mittitur, ib. æquum in omnibus provinciis jus cum Cæsare obtinet, 553. mortuo Augusto succedit, 555. & tamen callidè cunctatur, ib. ob restitutas Asiæ civitates, stacuis honoratur, 557. libros viciniorum aliquid continentes examinat, 559. Illeasium legatis ipsum paulò seriùs post mortem Drusi consolantibus irridet, 564. Judæis parcit, quibus, falsis Sejani crimibus, fuerat infensus, 576. de rebus Christi certior factus de eo in Deorum numerum referendo consultat, 621. diem obit 627 Tiberius Alexander Culpio Fado in procuratore Judææ succedit, 651. Jacobum & Simonem Judæ Galilææ filios supplicio afficit, 652. primus in verba Vespasiani legiones adigit 694 Tigranes in paternum Armeniæ regnum restituitur, 137. in societatem belli Romani à Mithridate pellicitur, 141. accitus in regnum Syriæ per 18 annos eo potitus est, 166. Armeniæ regni diadema capiti imponens,</p> |
|--|---|---|

Index nominum & rerum.

- ponens, *Tigranocerta* à se, illam appellat, 174. suavis Mithridatis Cappadociam invadit, ib. Mithridatem socerum, superatum à Lucullo, & ad se fugientem, non admittit ad colloquium, 196. amicè respondet legatis Judæorum, 200. ejus arrogantia, 201. Cleopatram Seleuen interimit, 202. negat Mithridatem hosti Romano permittere, ib. regem Gordyenorum interficit, 202. cum qui Luculli adventum primus nuntiavit, suspendit, 208. fugam cepisset, 209, 210. omnia permittit Mithridati, 212. vincitur 216
Tigranes pater prælio vincit filium 237
Tigranes filius ducit Pompeium, ad quem confugerat, adversus patrem 237
Tigranes pater se summittit, 238. uterque vocantur ad cœnam à Pompeio, sed venire recusat filius, 238. patri restituitur Armeniæ regnum, ibid. filius in vincula conjicitur, 239. redit in gratiam cum Phraate 252
Tigranes, pulso Artabaze fratre, præficitur Armeniæ 509
Tigranes in locum Artavasdís ab Armeniis substituitur, 542. mortuo Artabaze dona mittit Augusto regnum ab eo petens 545
Tigranes Alexandri & Glaphyræ filius Romæ accusatur, & supplicio afficitur 623
Tigranes Alexandri (filii Alexandri illius qui à patre Herode necatus est) & Glaphyræ, filiar Archelai Cappadocum regis) filius, in Armeniam, ut regnum cepisset, à Nerone mittitur 676
Tigranocerta capitur à Lucullo 212
Timagenes Alexandrinus rhetoricam Romæ docet 297
Timotheus primò fugatur, deinde occiditur à Judâ Maccabæo 49
Timotheus Euparoris dux à Doritheo vivus dimittitur 52
Timotheus S. Pauli discipulus nomen dat Christo, 650. Romæ prius cum S. Paulo captivus, libertati restituitur, 686. Ephesi, ut Ecclesiam administraret, relinquitur 688
Tiridates rex Parthorum factus à populo 467
Tiridates Phraate mortuo, æmulus Artabano mittitur à Tiberio ad regnum Parthiæ obtinendum, 621. volentibus Parthis urbes recipit, 624. metuit congressi cum Artabano, 625. diadema Neronis imagini subjicit, 681. penè in bello capitur 700
Tiro interimitur ab Herode 527
Titius, relicto Antonio, fugit ad O-
- stavianum** 463
Titus Ampius Ciliciam provinciam obtinet 279
Titus à patre vocatur in Judæam, 692. infinitam hominum multitudinem intra Hierosolymam concludit, 696. irrumpit in urbem, ib. ejus milites, Judæos, in templum fugientes, insequuntur, 697. frustra conatur templum ab incendio servare, 698. imperator ab exercitu proclamatur, ib. coronari recusans Deum auctorem Judææ calamitatis agnoscit, 699. natalem fratris (Domitiani) Cæsareæ; Patris, Beryti celebrat, ib. Romæ cum patre triumphat, ib. imperatoris nomen obtinet, ib. cum nuptiarum spem Berenice fecisset, ne Romanos offenderet, ipsam dimittit 702
Torquatus Ptolemæo juniore persuadet ut ab adeundâ Cipro ablineat, 63. idem persuadet Ptolem. seniori ut redire in gratiam cum fratre vellet ibid.
Trachonitæ, absente Herode, revertuntur ad latrocinia, 520. 40 ex eis in Arabiam Nabatæam fugientes Syllæo, Herodi in senso, se jungunt, ib. non Judæam tantum sed totam etiam Cœlefyriam excursionibus infestant, 522. irritati fiunt infestiores 522
C. Trebonius Athenas venit, 370. primus ex percussoribus Cæsaris poenas luit 380
Trianus Mithridatis classem vincit 193
Tribunitiam potestatem Senatus in perpetuum assumit 449
Tricipitiam novam videt Varro 397
Triumviri, Octav. Lepidus, & Antonius, per quinquennium Reipublicæ præesse constituunt 396
Trocmi, Galatarum gens, suâ intra Cappadociam aggrediuntur 49
Trosobores Cilicum dux interficitur ab Antiocho 662
Tryphæna Cleopatra sororem interfici jubet, 125. quod scelus suo supplicio ipsa luit 126
Tryphon honorificè excipit Jonathanem, 94. quem comprehendit, molus ex ejus militibus occisis per dolum, ib. occidit Jonathanem, 95. occidit quoque Antiochum Theon, 96. auream victoriam per legatos mittit ad Romanos, ib. milites ejus deficiunt ad Cleopatram, 100. Doram recipit, ubi obsidetur, 101. conscendens navem pergit Orthosiada, 102. sparsâ pecuniâ moratur persequentes, ibid. moritur ibid.
Tullius Cimber, ebrius, 371. unus ex Cæsaris percussoribus, 391. ad
- opem Cassio ferendam properat ib.
P. Turullius Cæsari traditus ab Annio (erat autem unus ex Jul. Cæsaris percussoribus) occiditur 480
Tyriis frequens datur Senatus 29
Tyrannio Grammaticus capitur, & manumittitur, 199. Ciceronis bibliothecam disponit 284, 285

V

- V**Acca, quæ Proserpinæ alebatur, per hostium classem nata ad templum Dez 185
Valerius Gratus Judææ procurator 556, 564
Velleius Paterculus Tiberii summus adulator 510
Ventidius Cumanus Tiberio Alexandro in administratione Judææ succedit 653
C. Verris sacrilegium 171, 172
Vespasianus à Nerone mittitur in Judæam, 692. Gadarensium urbem incendit, & vastat, ib. Tarichæam excindit, 693. auditâ Neronis morte suspensi, ipse, & Titus Judaicum bellum differunt, 695. Vespasianus navigans in Italiam, Titum filium in Judæam mittit ad conficiendas belli Judaici reliquias ib.
Vibius Marfus in administratione provinciæ Syriæ Petronio succedit 643
Vibius Serenus exul, à filio falso accusatus, damnatur 565
Vina L. Opimio Consule genita ad sua usque tempora duravisse confirmat Plinius 124
A. Vitellius imperator declaratur à militibus, 694. ab Antonio Primo jugulatur 695
L. Vitellius Proconsul venit Hierosolymam, 621. populum sacramento adigit in fidem Caii, 628. scædus inquit cum rege Parthorum, 629. accessit à Caio ut interficeretur, humilitate & precibus ita hominem emollivit, ut inter amicos præcipuos haberetur, 635. magnus Caii adulator ib.
Vologeses Vononis filius patri succedit, 657. ad turpe scædus Cæsennium Patrum compellit, 680. Armeniam petens per legatos, non obtinet 681
Vonones unus ex Phraatis tertii filii Parthorum rex à Cæsare fit, 550. regno Parthico exutus Tiberii opem frustra implorat, 556. retractus à fugâ gladio transfigitur 559
Vonones, qui Medis præsidebat, in regnum Parthicum accitus, brevi perfungitur imperio 657
Urim, & **Thummim** tolluntur ab irato Deo propter populi nequitiam 128

Index nominum & rerum.

X

Xiphares, filius Mithridatis ex
Stratonice, interficitur à patre,
inipetante matre 249
Xanthii victi à Bruto mortem sibi
consciscunt ibid.

Z

Zabienus rex Syris à Ptolemæo
Physcone commendatur 120
Zacharias, cum uxore Elizabetha, tri-
stissimorum temporum spectatores,
436. ipse videt angelum Gabrie-
lem 526

Zamaris Judæus Babylonius per Tra-
chonem erigit castella, & defendit
à Babyloniâ petentes Hierosoly-
mam 528
Zarbienus rex Gordyenorum à Ti-
grane interficitur, 202. ejus exe-
quiaz celebrantur à Lucullo 215
Zarmarus Indorum sophista in ro-
gum se dat 513
Zelotæ Hierosolymitani ad sanam
mentem nolunt revocari, 691. dis-
sentiant inter se, 693. summum
Pontificem Phanniam hominem
rudem creant 693
Zenobia Rhadamiski uxor, vulnerata,
& aquis tradita servatur à pastori-

bus 659
Zenobius muros Chiorum occupat,
154. ab Ephesius in carcerem tru-
sus necatur ib.
Zenodorus latrones fovet, 504. Ga-
darenfibus persuadet se effecturum,
ut ab Herodis dominatione libera-
ti, ad provinciam Cæsaris attribu-
antur, 509. vitam finit ib.
Zenodotiz cives, Romanos intra
muros suos admissos, perfidè ob-
truncant 294
Zeugma, opidulum in Euphrate po-
situm, à Commageno rege, suasu
Ciceronis, extorquetur 230
Zoberes Albaniz rex 439

F I N I S.

41358



32101 068310695



